1-18
Vol 1
P. I

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE.

Digitized by Google

THE HISTORY OF ITALY

Digitized by Google

THESAVRVS
ANTIQVITATVM
ET
HISTORIARVM
ITALIAE.
MARI LIGVSTICO et ALPIBVS VICINAE.
LVGD. BATAV.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE;

quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

LIGVRVM ET INSVBRVM,

Seu

GENVENSIVM ET MEDIOLANENSIVM,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Collectus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae tabulae Geographicae, aliaeque, ut & Indices ad singulos Tomos locupletissimi.

TOMI PRIMI PARS PRIOR.

Scriptores hujus Tomi post praefationem reperientur.

LVGDVNI BATAVORVM,
Excudit PETRVS VANDER AA, Bibliop.
MDCCIV.

FLORENTINA BIBLIOTH. PAR.

SERENISSIMAE. PRINCIPI.
AC. DOMINAE.

MARIAE. ANNAE.
LUDOVICAE.

MAGNI. ETRURIAE. DUCIS.

COSMI. III.

FILIAE.

POTENTISSIMI. PRINCIPIS.
ET. DOMINI.

JOHANNIS. WILHELMI.

S. R. I. ARCHITHESAURARII. ET. ELECTORIS. COMITIS. PALATINI. AD. RHENUM. BAVARIAE. JULIAE. CLIVIAE. MONTIUM. DUCIS. ETC. ETC. ETC.

CONJUGI. AUGUSTAE.

DOMINAE. SUAE. CLEMENTISSIMAE.

AQuo tempore Florentiſſima Domus Mediceâ, ex qua ortum ducis, AUGUSTA PRINCEPS, ſingulari Numinis fato & beneficio, rerum in Etruriâ potita eſt, tanta edidit pace & bello, domi foriſque, rerum praeclare geſtarum monumenta, ut dubium ſit,

utrae

utrae ad exſtinguendas domeſticarum ac praepotentium factionum pertinaciſſimas conſpirationes, & ad aſſerendum Auguſtae Domui Etruſci Imperii ſceptrum, ac ſacratum illius Nomen immortalitati conſecrandum, plus contulerint. Verum ea cum praeſtantiſſimorum Scriptorum Annalibus toto, quâ patet, orbe divulgata, & ab oblivione aut temporum edacitate ſic ſatis vindicata ſint, manifeſtae adulationis notam incurrerem, SERENISSIMA PRINCEPS, ſi longa ac ſupervacua Divorum Majorum Tuorum, eorumque, quae ab illis geſta ſunt, non fortiter tantum, ſed & ſapienter, expoſitione tuendam mihi rationem ſuſciperem, cur hunc Antiquitatum Italiae Alpibus & Mari Liguſtico Vicinae Theſaurum, poſtremam Joh. Georgii Graevii, Soceri nuper mei, curam, TIBI, POTENTISSIMA PRINCEPS, devotiſſime inſcribere ſuſtinuerim. Sed & alias TIBI proprias habui rationes, quae me currentem ultro etiam magis incitarunt ad hoc meae Venerationis officium TIBI declarandum: incredibilem illam Animi Tui Clementiam & Comitatem, inuſitatam Ingenii ac Judicii Excellentiam, perfectam Indolis Divinae Virtutem, & quod caput mihi eſt, ſummum bonarum Artium Latinarumque Literarum non Amorem modo, ſed & Peritiam admirabilem, qualem in aliis Tui Sexus cujuſcunque Fortunae, immo & in Viris jam Tui Ordinis & Faſtigii, haud facile quis reperiat. Aſt utinam ipſi Graevio, longe meliori Laudum Tuarum praeconi, diuturnioris vitae beneficio licuiſſet exiguum hoc ſummae ſuae in TE venerationis pignus ad Auguſtum Pulvinar Tuum deponere! Quam fortunarum acceſſionem quando immutabile illud fatum, vel potius ipſe rerum humanarum ordo, ſeni plus quam ſeptuagenario abſtulit, ne aegre feras, CLEMENTISSIMA DOMINA, pro Tua, quâ Graevium dignata es, Benevolentiâ, & pro perpetuo Graevii, quem ad ultimum vitae ſpiritum TIBI, & Po-

ten-

tentiſſimae Domui Tuae; religioſiſſimè exhibuit; cultu, obſequio, & reverentiâ, me Defuncti mentem & voluntatem, quibus poſſum verbis, exſequi, obnixe rogo. Decreverat enim, ut non ſemel inter mutuos de ſtudiis ſermones ab illo accepi, opus hoc, quod primam Italiae, Patriae Tuae, partem Orbis literati oculis exponit, TIBI, SAPIENTISSIMA PRINCEPS, conſecrare; cum quod infinitis nominibus obſtrictus eſſet Mediceae Domui; ac praecipuè Maximo Parenti Tuo, COSMO Tertio, ſub cujus felici & indulgentiſſimo Imperio beata otia agunt Etruriae populi; tum quod Regiarum Tuarum Virtutum, conſummataeque praeter ſexus iſtius & temporum noſtrorum morem per omne liberalium diſciplinarum genus Scientiae inſolito fulgore abreptus eſſet in admirationem Divinae Tuae Sapientiae inexplebilem, adeo, ut ſibi perſuaderet; non poſſe illuſtrius ornamentum & decus huic Italicarum Antiquitatum Theſauro accedere; quam ſi Tuis Auſpiciis, Matronae quidem, ſed quae non Etruſci modo, verum & Totius Orbis, ſplendiſſimum es Sydus, & Ornamentum, lucem adſpiceret. Tanta igitur ſpe, quâ animum uſque paſcebat, cum inopino fato rebus humanis ereptus Socer exciderit; ſupplex TE veneror, PRINCEPS, & DOMINA CLEMENTISSIMA, ut ſerenâ fronte permittas hanc Graevianae devotionis Tabulam ad Majeſtatis Tuae Aram à Genero & Liberis appendi, qui tranquilliore animo cladem morte Soceri & Parentis ipſis impoſitam ferent, ac ſibi inſuper Graeviique Manibus gratulabuntur, ſi intellexerint, hoc ejus inſtitutum, & liberorum paternae voluntati obſequentium pium ſtudium, TIBI, AUGUSTA, non diſplicuiſſe. Faxit Deus ille Opt. Max: ut longaevam degas vitam in omnium ſecundiſſimarum rerum concurſu; ut, quidquid ad conſtituendam humanae felicitatis

ſummam facit, in TE id omne, quaſi ex abundantiſſimo quodam copiae cornu, funditus effundatur: ut vigeas & floreas perpetuo Ipſa, ac vigentes florenteſque tecum in ampliſſimum mortalis aevi ſpatium videas Palatinam ſimul ac Mediceam Domum. Hoc ab Deo Immortali ſtudioſiſſimis votis expoſcere non deſinet

AUGUSTO NOMINI TUO

In perpetuum

Devotiſſimus ac ſubjectiſſimus

MATTHIAS DE ROY.

Hoc eruditus Spirat ore
Decus Pelasgi, Roma

G. Vertue pinx. G. Vdal sculp.

ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM STVDIOSO LECTORI

S. P. D.

JAC. PERIZONIVS.

EDITO *Romanarum Antiquitatum Thesauro*, atque avide distracto, consequens erat & proximum, ut *Italiæ* quoque, cujus Metropolis fuit Roma, *Thesaurus* conficeretur similis. Etenim illa Romam noo tantum sinu complectitur suo, sed & imperium ejus ac leges paulatim suscipere tota debuit, vi & armis coacta, verum mox benigne Provinciis exempta, & in societatem ultro recepta, in eosdem mores, ritus, lioguam denique, & civitatem lubens & volens concessit. Hinc omnia fere evaserunt utriusque communia, vel arctissimo inter se fœdere nexa. Hinc non Græcia modo Magna ad Iooium & Siculum mare, sed & Gallia cis Alpes ad Ligusticum & Adriaticum, Togata evasit & Romana. Hinc oppidorum municipiorumque Italiæ Cives ad Ordines & Magistratus Romanæ pervenerunt Urbis. Complures immo ex illis illustres prodierunt paulatim Viri, qui ampliſſimis Romæ honoribus usi, suam singuli patriam postea magnificis operum publicorum monomentis passim extructis ornarunt; multi etiam, præclaris ingenii dotibus cultissimi, ac stilo communis jam linguæ prompti, carminibus, epistolis, orationibus, libris illustrarunt, & seræ consecrarunt posteritatis memoriæ. Certe postquam in Civitatem Rom. admissa fuit Italia, postquam tandem etiam *Veneti & Insubres*, ut apud Tacitum dicitur, *curiam irruperunt*, frequentissima Italicarum quoque rerum & hominum occurrit mentio in quibusvis, sive prosa, sive metro, Græcis Latinisque Romanæ Reip. Scriptoribos, qui ideo intelligi nunc a Lectoribus vix possunt, nisi qui Italicas res sic satis habent exploratas: ut adeo nulla sit Europæ regio, quæ copiosam magis illustrandæ Antiquitatis, certe Romanæ, Doctis præbeat materiam.

Hæc moverunt multos proximorum sæculorum Eruditos ex variis Italiæ Urbibus oriundos, ut illarum origines, mores, jura, historias, scriptis eam in rem libris ex professo exponerent atque in publicam ederent lucem. Et sane, sicuti ad intellectum Scripturæ & Historiæ Sacræ Theologi plerique non tantum Hierosolymæ, sed & Judææ totius, immo & Samariæ, Galilææ, vicinarumque Regionom res antiqoas, undecunque erutas, scire desiderant, sic & illis, qui Romanæ se dederuot Reip. diligenter indagandæ cognoscendæque, non potest non utilissimum esse illud studium, quod Italicis quoque Antiquitatibus & Historiis impeoditur, quum ubique ferme de variis regionis istius municipiis, coloniis, præfecturis, apud priscos rerum Romanarum Auctores agatur. Consilium itaque hoc cepit Perillustris & Eruditissimus Grævius, nuper summo rei literariæ in his terris malo, &, maturus licet jam ævi, vel sic tamen acerbo nimis fato, nobis ereptus, ut, quemadmodum elegantissimum Romanarum Antiquitatum confecit Thesaurum, inque eum præcipuos quosque illarum Scriptores coogessit, ita dein

iſti adderet alium, in quem præſtantiſſimos itidem Italicarum rerum Commentarios cogerer: plane uti jam antea Summus Virorum, Car. Sigonius, poſt explicitum *Jus Antiquum Civium Romanorum*, proximo ſtatim libro *Jus Italiæ* adjunxit, ut quod prope pari momento pertineret ad Remp. & Imperium Romanorum pernoſcendum. Ceterum Andr. quoque Schorrus, Vir Celeberrimus, jam anno ſeculi ſextidecimi extremo *Italiam Illuſtratam*, eodem fere animo & conſilio, collegit, inque unum volumen varios ejus argumenti redegit Libros. Sed quum uno illo, nec ita grandi, volumine neutiquam contineri poſſent omnia, quæ a compluribus ad Italiæ totius Antiquitates & Hiſtorias poſteritati exponendas ſcripta erant dudum & prodita, ille vero etiam Siciliæ & Melitæ deſcriptiones in idem corpus compegit. Ex quo facile patet, paucos omnino iſtius generis Scriptores exhiberi iſtic potuiſſe. Accedit, quod non optimas, quæ tamen tunc jam publice exſtabant, ſecutus ſit editiones, ut vel ex Gaudentii Merulæ libris *de Gallorum Ciſalpinorum antiquitate ac origine* liquet, qui jam iteraro, annis octo antea, Bergomi cum Novis prodierant Annotationibus, & tamen iſtic ex prima eos invenias editione repetitos, ſecus ac ab Ill. Grævio factum, qui præſtantiſſima adhibuit cujuſque operis exemplaria. Sed & longe plures, & ſimul rariſſimos, undique conquiſivit Commentarios, quibus ſingularum Urbium Origines & Antiquitates exponebantur. Neque vero his contentus, etiam Hiſtoricos, qui medii temporis, & in ſuperius quoque ſæculum vergentis, res accurate conſcripſerant, in quibus quoſdam Italia Patrum Avorumque noſtrorum memoria habuit excellentiſſimos, addi voluit. Verum quia ſic nimiæ id molis ac ponderis futurum fuiſſet opus, atque adeo ingens voluminum numerus magis oneraſſet forſan vel abſterruiſſet Lectorem, quam juviſſet aut excitaſſet, ideo viſum fuit faciundum Eximio Viro, ut Orbis Eruditi judicium ac favorem quaſi tentaret exploraretque hoc *Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiæ, Mari Liguſtico ac Alpibus vicinæ, Theſauro*. Nempe ita exiſtimabat Vir Summus, ſi ab hoc rariſſimorum jam aut præſtantiſſimorum Librorum Syntagmate non abhorrerent elegantis ingenii ac ſtudii homines, quod nullus metuebat, poſſe deinceps illud inſtitutum ſimilibus Theſauris ſeparatim per majores quaſque Regiones deductis continuari, & ſic totam dem conſummari Italiam: quod ipſum, ubi deſævierit bellum, forſan pertanfici curabit Spectatiſſimus Bibliopola, Petrus vander Aa. Aſt utinam longior Seni noſtro ſuppetiſſet vita, quum aliis multis de cauſis, tum hujus ipſius Theſauri nomine. Ille enim, qui eum formaverat ordinaveratque ipſe, qui ſingulas ejus partes examinaverat diligenter, dignæne eſſent illuſtri hoc theatro, an excludendæ potius, ille ergo pro mirifica ſtili elegantia, Latinique ſermonis facundia, qua neminem jam, non in his tantum, ſed neque aliis in terris, habebat parem, longe uberiore & limata magis Oratione ſingulos hujus Operis Scriptores Tibi, Lector, enarraſſet, eorumque dotes ac merita in clariſſimam dediſſet lucem. Nunc aliter viſum ſupremo rerum Humanarum Arbitro, qui eum Reip. literariæ ſubduxit, quando Opus hoc ferme ad umbilicum jam pervenerat. Præſtiterat enim Doctiſſimus Senex tantum non omnia, quæ in ſe receperat. Dederat conſilium Bibliopolæ, conſtituerat ordinem Scriptorum, totamque corporis compagem jam effinxerat. Unum deerat, Præfatio, qua totius Operis idonea & liquida redderetur ratio. Eas ergo in partes ut ſuccederem, Ampliſſimus Vir, Matthias de Roy, Illuſtris Grævii Gener, & ſimul Bibliopola noſter, me rogarunt. Sed præterquam, quod dura eſt provincia, quæ mihi injungebatur, perſequi partes, quas cœperat ac morte præventus infectas reliquerat Vir tam omni genere excellens: difficile etiam accidat, neceſſe eſt,

eſt, alieni conſilii & facti juſtas explicare rationes. Video in hoc Opere conjungi Italicarum, non Antiquitatum modo, ſed & Hiſtoriarum Medii ac Poſterioris ævi, Scriptores. Quid mentis in eo fuerit Viro Illuſtri, vellem, ex ipſo cognoviſſet Lector. Sed tamen facile aſſequor ex re ipſa Viri Conſilium, voluiſſe ſcilicet eum, ut Lector in hoc Corpore conjuncta reperiret fata Populorum & Urbium iſtius tractus, non priſca modo, ſed & recentiora; noluiſſe eum Antiqua a Novis plane ſeparari, aut alterutra neglectim haberi, qui plerorumque mos eſt, ſed utraque cognoſci, ut ita Lector ex hoc Theſauro facile intelligeret ſingularum civitatium Seriem Rerum, & quaſi Syſtema quoddam ſibi conficere Hiſtoriarum poſſet, ad quas etiam Origines illarum ac Antiquitates, quæ quidem in publicis operibus & moribus cuique Oppido aut Genti propriis conſiſtunt, ut ſunt pleræque horum voluminum, referri commode queunt. Verum & inter Hiſtoricos hoſce multi una ſerie res ſuæ cuique Patriæ ab ejus initiis ad ſua uſque tempora exſecuti ſunt, & ita pariter etiam ipſi Antiqua & Nova expoſuerunt. Certe Ubertus Folieta Genuenſium ſeu Ligurum, Triſtanus Chalcus (ſic enim hunc appellandum eſſe, non *Calchum*, docent nos Præfatio ad ejus *Reſidua*, ac Epiſtolæ Politiani) Mediolanenſium ſeu Inſubrum, Joh. Bapt. Villanova Laudenſium, Ludovicus Cavitellus Cremonenſium, Umbertus Locatus Placentinorum res ab ipſis uſque urbium & gentium primordiis repetiverunt. Quin ſolius priſci temporis Mediolanenſia Alciatus, Ticinenſia Bernhardus Saccus, Orobiorum ſive Cenomanorum & Bergomatum res Joh. Chryſoſtomus Zanchius nobis ſua diligentia erutas prodiderunt. Multa quidem in iis etiam occurrunt, maxime quum de ultima ſuæ Gentis antiquitate agunt, quæ nullam merentur, nec facile facient aliis, fidem. Id vero condonandum ſuperioribus ſæculis, quinto & ſexto decimo, quando homines ex barbarie priorum temporum recentes communiter ferme laborabant iſthoc pruritu, primordia rerum ſuarum auguſtiora ut facerent, & ad auctores referrent Deos, vel Heroas quoſdam, partim ex Hiſtoriis notos, partim etiam ex terra ſubito natos & plane confictos. Plerique tunc, nec Italici modo, ſed ipſi etiam Trans-Alpini, Trojanas quoque jactabant origines, ne quid Romanis ea parte ſcilicet concederent. Iſthæc Poeticis licet magis decora fabulis, quam ſinceræ fidei Hiſtoriis, prætermittere tamen penitus non ſunt auſi Scriptores iſtius temporis, quia communiter tunc ea tradebant, iiſque ſeſe efferebant, ipſæ Civitates. Secuti ergo & in eo ſunt Livium, qui ſimilia commemorat quoque, ſed nec adfirmat, nec refellit, nec in magno ponit diſcrimine, utcunque exiſtimata aut accepta fuerint. Verum ut apud Hunc, ita & apud Illos ferme Auctores, talia in ipſis tantum rerum initiis reperiuntur. In reliquo enim Hiſtoriæ ſuæ corpore plerique procul habuerunt omnes plebejis fabulis gratificandi cauſas. Si qui hiſce nugis prorſus indulſerunt, eorum nullam Ill. Grævius habuit rationem. Dilectum enim egit præſtantiſſimorum, quos in hanc cohortem potiſſimum conſcriberet. In eam idcirco minime referendum cenſuit *Salvatoris Vitalis Theatrum Triumphale Magnalium Mediolani*, quippe quo Libro, & cujus Auctore, ineptiorem ſtultioremque ipſe Sol nunquam vidit, licet maximo in Auctionibus venire ſoleat pretio, quum revera ſit nullius. Ita enim undiquaque ſtolidiſſimo ſtilo inſulſiſſimæ narrantur iſtic fabulæ. Quin rejecit etiam Bernhardinum Corium, & Paulum Morigiam, qui Mediolanenſes quoque Hiſtorias Italica condiderunt lingua. Verum & illi ſuæ Urbis originem ridiculum in modum, ſerio tamen ſermone, ab ipſo Noacho, vel ejus Nepote, Thubale, Japheti Filio, arceſſere non ſunt veriti, & præterea nihil fere alicujus momenti adferunt, quod ab Aliis, qui recepti erant maximo ſuo merito, jam traditum non fuerat. Summo itaque jure excluſit eos, ne ſæpius eadem Le-

ctori occurreret, aut ſupervacua mole oneraretur hic Theſaurus, quum certe non multum illos ſit deſideraturus, qui Chalcum legerit & Ripamontium. Neque vero ea, quæ pervulgata etiamdum erant, & in omnibus fere reperiebantur bibliothecis, repetenda duxit. Certe *Erycii Puteani Hiſtoriam Inſubricam* ubivis obviam una hac de cauſa in hunc Scriptorum numerum referre noluit, licet ceteroqui minime rejiculam, aut ab hoc inſtituto alienam. Nec enim opus judicabat, neque laudi ſibi putabat fore, Vir Sapientiſſimus, cogere Eruditos aut Literarum Amantes, ut eadem ſæpius ſibi compararent: quod feciſſet utique, ſi in hoc tam copioſo utiliſſimarum rerum Theſauro etiam vulgaria, & quæ ſeparatim quilibet jam habebat, miſcuiſſet tot aliis, quæ non tantum digniſſima erant hoc loco, ſed & quorum vix ulla amplius, ſive Librariis in Tabernis, ſive in Auctionibus publicis, occurrebant deſiderantibus exemplaria. Sic enim demum juſtum ſe operæ facturum cenſebat pretium, ſi Tibi hic exhiberet, Lector, non tantum optimos quoſque ſingularum Civitatium Scriptores, ſed ſimul etiam tales, quorum magna jamdudum erat penuria. Quin hoc ipſum maxime ſpectans, quum elegantiſſimas Uberti Folietæ Hiſtorias, quæ Hiſtorico vere ſtilo & judicio ſunt ſcriptæ, denuo hic ederet, adjecit alia quædam illius opuſcula, licet ad Ligures nihil pertinerent, ſed vel bellum Chriſtianorum & maxime Italorum contra Selymum Turcarum Sultanum exponerent, vel Neapolis laudes aut res continerent alias: ne ſcilicet tam egregia illius Auctoris ſcripta, quæ jam nunc erant rariſſima, paulatim interirent, ſi a reliquis & potioribus hic relinquerentur ſeparata aut penitus neglecta. Id quod tanto minus videbatur committendum, quia tenue prorſus eſt ſpatium, quod in hoc Theſauro explent, aut ſibi vindicant. Ceterum Folietam, qui in anno MDXXVII. deſiit morte interceptus, excepit Jac. Bonfadius, haud minore judicio ac elegantia proſecutus ſeriem, obitu illius interruptam. A proximo enim anno initium duxit, qui reſtituta Genuenſibus ſua libertate per digniſſimum immortali laude Virum, Andream Auriam, inſignis fuit. Hujus ipſius tam illuſtris anni res geſtas ideo per modum Supplementi adjecit Paulus Folieta Fratris ſui Uberti Hiſtoriis, quas Paulus iſte primum edidit Genuæ Sæculi Sextidecimi anno LXXXV. Verum illud Supplementum, quod hic quoque exhibetur, quodque ille ſibi ab amico oblatum ultro, ſed unde ab eo *erutum* fuerit, ſe neſcire, ait, id vero erutum & deſcriptum eſt totum ex Bonfadii libro primo, ut conferenti mox patebit, & ipſum Supplementi principium liquido declarat, ubi dicitur, multos cives adiiſſe Magiſtratus, & rogaſſe, ut deligerentur idonei homines, per quos civitas tandem in concordiam redigeretur, *propter eas cauſas, quæ ſunt a me demonſtratæ*. Hæc enim nihil iſtic habent, quo reſpiciant; at apud Bonfadium vero & commodo leguntur ſenſu, quum ille in procemio iſtius libri cauſas has copioſe ſatis demonſtraverit. Nempe Annales hujus, publica licet auctoritate ſcripti, latuerunt tunc tamen, forte propter publicum illius, quum adoleſcentulos corripiſſet, ſupplicium, in ſcriniis privatorum hominum, nec prodierunt in lucem typis expreſſi, niſi Papiæ proximo poſt editum Folietam anno, hoc eſt, anno iſtius Sæculi LXXXVI. ſumptus liberaliter tunc præbente Julio Pallavicino. Verum ſcripta Bonfadii exemplaria multis videntur vitiis fuiſſe adſperſa, unde factum, ut varia etiamnum, alia in ipſius Libro Primo, alia in iſthoc Supplemento inde ſumpto, reperias, ſed quæ jam, comparando utrumque, emendare facile poſſis. Exemplo ſint, quæ ſenſum plane turbant, vel Hiſtoriam adulterant, apud Bonfadium pag. 1333. ubi Savonenſes dicuntur incuſati, quia id recuſarent, *quod ſua voluntate atque optimo jure ad id tempus deprehenderant*. Nemo dubitabit, opinor, quin pro ultimo verbo reponendum ſit ex Supplem. p. 733. *dependerant* ſcil. Genuenſibus, quum

quam alterum, ſi recte animum attendas, prorſus ab hoc loco & ſenſu ſit alienum. Pag. 1334. Andreas Auria præfertur Catoni, *qui Tanta ſeveritate fuiſſe dicitur.* Nihil præcedit aut ſequitur, quo illud *Tanta* referri poſſit. Exemplar Supplementi (Vide pag. 734.) habuit *Truci.* Levius hoc eſt, at gravius paulo, quod pag. 1338. prorſus in fine legitur, *Ad montes finitimis locis, & ad hoſtium iter obſervandum, & ad eos vexandos, opportunis, diſpoſite ſunt cohortes quædam.* Nam quanto tectius & expeditius Supplem. p. 738. *Ad montes finitimos, locis, & ad hoſtium iter obſervandum, & ad eos vexandos, opportunis, diſpoſ.* &c. Pag. 1340. in Oratione Pallavicini ad Internuncium Gallorum: *Hæc voluntas* in Regem *nihil immutata eſt, & quod ille patietur, non immutabitur.* At legendum ex Supplem. p. 739. *&, quoad ille.* Contra ſæpe etiam illud exemplar, ſeu Supplementum, Pauli Folietæ non juvari modo & corrigi, ſed & expleri poteſt ex altero Bonfadianorum Annalium exemplari, quod Papiæ typis eſt excuſum. Ita Suppl. p. 731. memorantur Duodecim Viri, qui Patriam bonis legibus conſtituerent, & *fuiſſe* dicuntur *ii*, quorum nomina ſubjiciuntur: ſed ſubjiciuntur tantum Novem, reliquis per incuriam, ut apparet, omiſſis, quos vide apud Bonfad. p. 1332. Similem reperies lacunam pag. 741. in Nominibus octo Gubernatorum & octo Procuratorum exprimendis, quæ expleuda erunt ex Bonfad. pag. 1341. Sed & corrupta ſunt, quæ reperiuntur pag. 734. de And. Auria, *Ac, cum Neapolim cum omnibus ſuis triremibus navigaſſet, (jam enim Philippinus redierat) tractabantur conditiones, quibus Caroli ſeſe rebus adjungeret, in Arimen inſulam conceſſit.* Atqui inſula dicebatur *Iuarime*; ſuperiora etiam minime cohærent, & male ſunt diſtincta. Repone ergo ex Bonfad. p. 1334, vel potius ex ejus Papienſi editione (nam & Noſtra heic minus recte ſe habet) *Ac, cum Neapolim cum omnibus ſuis triremibus navigaſſet, jam enim Philippinus redierat, tractabanturque conditiones, quibus Caroli ſeſe rebus adjungeret, ad Inarimen inſulam conſedit.* Sic pag. 737. pro *dum illi ipſi nolint*, leg. ex Bonf. p. 1337. *norint:* ubi tamen in proximis fere verbis, *quæ ſimplici*, juvanda viciſſim eſt Bonfadii editio ex Supplemento, legendumque, *quæ a ſimplici* &c. Denique pag. 738. *Pulcifera vallis* nominatur, quæ dicenda erat *Porcifera*, ut conſtat non modo ex iiſdem ceteroqui verbis apud Bonfadium p. 1339. ſed & ex ipſo Supplem. p. 740. extr. Prætereo alia minoris momenti; ſatis enim claro liquet ex his iudicio, non adeo inutilem hic Lectoribus fore earundem licet rerum in Supplemento illo Folietæ & Bonfadii Annali primo repetitionem, quum alterum alterius egeat auxilio, & ne trium quidem ſit foliorum. Ceterum uti Genuenſis Reip. Hiſtoriam ab initiis Ligurum uſque ad tempora Imperatoris Caroli V. ſeu ad Annum Chriſtianorum MDL. perductam duo illi abſolvunt, ſic Mediolanenſem itidem a primordiis ſuæ Urbis ad Philippi uſque Secundi Hiſpaniarum Regis, & Inſubrum Principis, vitam exſecuti ſunt Triſtanus Chalcus, & Joſephus Ripamontius. Sed & ſicuti illorum ſcripta demum, poſtquam deceſſerant ipſi, in vulgus exierunt, atque inde factum, ut ex Bonfadii Annalibus nondum editis aut cognitis publice, illud ſæpius jam memoratum Supplementum Paulo Folietæ fuerit ſubminiſtratum, ſic certe *Reſidua* Triſtani, quæ ſcripta videntur ab illo jam ſene & morti proximo, poſt publicatos jam Viginti Hiſtoriæ Patriæ Libros, lucem demum adſpexerunt anno ſuperioris Sæculi XLIV. eruta tunc ex Lucii Hadr. Cottæ, Patricii Mediolanenſis, Bibliotheca, quando Ripamontius, qui voluntate Procerum, ut in munus Hiſtorici Mediolanenſis Triſtano ſucceſſit, ita telam ab eo cœptam continua ſerie pertexere eſt juſſus, ſua Decem Hiſtoriæ Mediolanenſis volumina tribus annis ante jam ediderat. Quæ cauſa, quare, quum & ille, & ipſi Reip. iſtius Proceres *Reſidua* illa Triſtani ignorarent plane, latentia quippe in privata Cot-

tæ Bibliotheca, Ripamontius ſuam Hiſtoriam cœperit ab eo tempore, in quo deſinit Triſtani liber Vigeſimus, ſeu ab anno MCCCXIII. licet ille libris XXI & XXII. poſtea inter *Reſidua* ejus editis, Hiſtoriam perduxerit ad Annum MCCC XXIII. Liquet hinc, recte quidem olim, at parum recte nunc, poſt cognita jam & vulgata iſthæc *Reſidua*, Hiſtoriæ Ripamontii præſcribi hunc Titulum, *Ab Anno Salutis* CIↃ CCC XIII. *Qui Triſtano Calcho Patriæ Hiſtoriæ Finis.* Nam Finis ille nunc eſt in anno, non XIII, ſed XXIII. . Id quod hic monendum videbatur, ne quem iſte Titulus in errorem induceret. Ita vero Hiſtoriæ Patriæ ſeriem proſecutus eſt Triſtanus ad idem uſque tempus, ad quod Georgius Merula, h. e. ad mortem uſque Henrici VII. Imperatoris Romani, & Matthæi illius, qui auctoritatem, opes, imperium Vicecomitum ſuorum in Remp. Mediolanenſem condidit, ac poſteris reliquit. Erat Merula magni nominis homo tempore Ludovici Mariæ Sfortiæ, Mediolanenſium Ducis, qui ut amavit ipſe & coluit literas, ita illum fovit, & Venetiis arceſſitum in publicam ſuæ civitatis produxit cathedram. Verum ut longe plus, quam par erat, ſibi Merula ille ſumpſit & tribuit ridicule glorioſus, ſic reliquos ſuæ ætatis Doctos maligno & iniquo paſſim carpſit dente, edentulus jam ſenex. Ita factum, ut, licet haud exiguam eruditionis apud alios ſibi conciliaviſſet opinionem, a paucis tamen extra Mediolanum amatus ſuerit, probatuſve. Iſtic plerique, Principis judicium ſecuti, qui eum ad res Majorum ſuorum memoriæ prodendas adhibuerat, maximi illum faciebant. Quos inter vel præcipuus fuit Bartholomæus Chalcus, qui immo ipſi eum Principi, Venetiis adhuc Rhetoricas profitenrem artes, commendavit, & cauſam hominis, etiam poſt ejus fata, egit in literis ad Politianum datis, cui itidem ille ineptum in modum obtrectaverat, & cujus Miſcellanea iniquis perſtrinxerat notis. Sed & mortuo jam Merulæ, perſecit iſte Chalcus, ut Triſtanum, ſuum Gentilem, ipſius diſcipulum, in contexenda Mediolanenſium Hiſtoria Princeps ſucceſſorem daret. Dignus hic erat, ſi quiſquam, iſto munere, cujus etiam partes egregie eſt exſecutus. Verum ita, ut non continuaverit Merulæ Hiſtoriam, ſed potius retractaverit, facturus tamen haud dubie & illud, ſi longior ei ſupperiſſet vita. Etenim quum multa Hic primus e latebris eruiſſet & clauſtris Bibliothecarum, quæ ille ignoraverat, multa eriam aliter ſe habere liquido deprehendiſſet, novam ideo ab initio urbis Mediolanenſis & longe uberiorem ac certiorem, fabuloſis pleriſque neglectis, & additis aut aliter expoſitis rebus quamplurimis, conſcripſit Hiſtoriam. Sed vellem & hi, & plerique iſtius temporis in Italia, diligentius annotaſſent, unde hauſiſſent ea, quæ tradunt, ut Lectores ita decernere poſſent, quid incertis diſtent certa. Nunc omnia narrant eadem & ſua ſingulorum fide, quæ ſæpe tamen laborat. Non dico in miraculis & ſimilibus rebus, quæ ad auctoritatem divinitatis cujuſdam Sanctis Geniis & Præſidibus Loci, vel ipſis Templis, conciliandam ab eorum Sacerdotibus aſtute in plebem ſpargi, & conſtanter ab ea dein jactari ſolent. Hæc enim ſæpe Scriptores, niſi commune omnium in ſe concitare odium, ac haberi publicæ & receptæ dudum gloriæ adverſarii velint, prætermirtere illis in locis, certe negare prorſus, non audent. At in rebus eriam Politicis Fides illa vacillare aliquando, nec idonea niri auctoritate, videtur. Unum referam, quod pariter Merula & Chalcus, & hic diſerte prorſus, affirmant, tempore Imp. Othonis III. & Papæ Gregorii V. inſtitutum fuiſſe Septem-Virorum in Germania Collegium, qui Regem eligerent Romanorum, a Papa dein coronandum, & Imperatoris Auguſti appellatione honorandum. Id quod ſatis jam ſuperque ab Eruditis ſuperioris Sæculi, etiam ipſo Maimburgio in *Hiſtoria Vergentis Imperii*, confutatum eſt, & falſiratis convictum, dum illorum Originem ad ſerius longe tempus rejiciendam, nec utique ab auctoritate Papali arceſſendam, oſtenderunt. Antiqui-

rates

tates Mediolanenſes collegit Jo. Antonius Caſtellionæus, in quibus, licet plurimæ occurrant Chriſtianæ & Eccleſiaſticæ, multas tamen etiam vetuſtioris reperies temporis, Romanique Imperii. Quin ne mutilos quidem neglexit ille Lapidum Titulos, in quibus quia bona fide obſcuras, ut erant, exhibuit literarum formas, inde evenit, ut noſtri Artifices, licet ſedulo ceteroquin & fideliter omnia expreſſerint, in dubiis tamen illis literarum veſtigiis aliquando aberraverinr. Ita Faſcic. IV. pag. 427. in Epitaphio Giſelberti Abbatis S. Vincentii in Prato, nimis diſerte hac in editione legitur, HIC CVEAT, quum ſatis certo, exoletis licet literis, ediderit Auctor, HIC CVBAT, ſicuti & paulo poſt eodem in Epitaphio ABBAS, non ABP.AS, quod hic viſitur. Idem fere fatum ſuſtinuit Tabulæ 1. Fig. 5. ad paginam 380. referenda, quæ ab Caſtellionæo mutila, & prout longi temporis culpa vitiatam invenit, vulgatur cum integra lapidis ipſius figura, ſecus quam a Morigia factum, unde eam repetiit inſcriptionem Reineſius, qui de ſuo eam, ſeu ex conjectura, hoc modo ſupplere vel emendare tentavit: L. SYRVS. EVODVS. SIBI. ET. SYRO. EVTYCHI. CAESIANO. VIRIA. LALA. IN. FRONTE. ... IN. AGR. P. XVI. Ceterum vere an male ita eam legerit, non in magno equidem poſuerim diſcrimine, quum ex tota inſcriptione nihil omnino diſcamus, quod non ex multis aliis jam ſit notiſſimum. Majoris paulo ſunt momenti, in quibus Auctor ipſe in proxima ſuperiore pagina eſt corrigendus. Iſtic enim de *Arria* Gente agens ita loquitur: *Nam & apud Græcos nomen* ARRII, *Philoſophi Nicomedienſis, qui vitas Epicteti & Alexandri M. luculenter conſcripſit, duplici ii ſcriptum inveniimus, ſicuti & apud Latinos* ARRIAE, *uxoris Papini Pæti, ad quem M. Tull. Cicero plures epiſtolas dedit, quæ leguntur in iis, quæ Familiares inſcriptæ vulgo circumferuntur.* Multiplex in his hæret error. Nam Philoſophus ille Nicomedienſis, non ARRIVS, ſed ARRIANVS, fuit dictus, ut quum aliunde, tum ex ejus operibus, quæ ſuperſunt, ſatis conſtat. Deinde is Pætus, ad quem ſcripſit Cicero, non *Papinius*, ſed *Papirius* fuit. Gravius vero eſt, quod illius Pæti, Ciceroni æqualis, matrimonio tribuit, ſolo hoc cognomine adductus, nobiliſſimam illam ARRIAM, quæ marito in conſciſcenda ſibi nece præivit, eumque ita ſuo exemplo, & ſimul celebri illa voce, *Pæte, non dolet*, ad fortiter moriendum confirmavit. Vide Martialem, Plinium Juniorem, & Dionem Caſſium. Etenim illa non iſtius *Papirii Pæti*, ſed *Cæcinnæ Pæti*, Viri Conſularis, fuit uxor, vixitque non Ciceronis, ſed nonaginta fere annis poſt, Imp. Claudii tempore, ſub quo periit cum marito. Verum non id nunc agimus, ut conquiramus, quæ in his Scriptoribus notari aut argui poſſint, quippe quæ Præfationis excederent modum. Progreditur dein Theſaurus hicce ad vicinas Mediolano Urbes, & primo Ticinum, cujus & totius fere Galliæ Cis-Alpinæ Antiquitates & Hiſtorias, Sacras ac Profanas, ad tempora uſque Caroli Magni exſequitur Bernhardus Saccus, Papienſis Patricius, variæ eruditionis Homo. Romanarum tamen rerum vellem magis fuiſſet peritus. Inſcitum certe eſt, quod Libri III. initio diſputat contra Sabellicum, qui Enneadis Quartæ Libro IX. dixerat, Romanos jam ante Bella Punica fuiſſe *Principes in Italia*, idque refellere conatur ex eo, quod etiam poſtea *Socios* iſtic habuiſſe legantur. At *Principum* vox neutiquam Dominos in priſco notat Latio, quod ille credidit, ſed Primos opibus ac potentia, quod extra controverſiam erant Romani. Ita apud Florum I. 3. Albani dicuntur *diu Princeps Populus*, qui tamen ſoli cum ſolis & recentibus adhuc, ſed paribus tamen, Romanis bellum geſſere, & infeliciter prorſus. Deinde vere tunc plus quam Principes Italiæ fuerunt Romani, ſed Italiæ ſtrictius ſumptæ, quæ Galliam Cis-Alpinam excludit, non iſtius, quæ ad Alpes uſque propagata dein fuit. Illa enim jam debellata longe maximam partem, poſt domitos Etruſcos, Samnites,

tes, Tarentinos, ſubmotumque Pyrrhum, in jus & ditionem Romanæ Urbis conceſſerat. *Sociorum* vero appellatio nihil detrahit Romanorum in Italicos poteſtati. Etiam diu poſtea, depulſo dudum Hannibale, deleta jam Carthagine, victis Macedonibus & Syris, quum Italici certiſſimum jam Romanorum jugum excutere tentarent, nonne *Sociorum* tamen nomine adhuc ornabantur? nonne Italicum illud bellum ideo etiam *Sociale* fuit dictum? Quid Provinciæ? an eo, quod iſta appellatione quoque honorabantur, minus Dominos agnoſcebant Romanos? Gallos tamen Ligures, Inſubres, alioſque cis Alpes tum necdum fuiſſe ſubactos, verum eſt, neque id negaverit Sabellicus. Saccum Ticinenſem proxime ſubſequitur Joh. Chryſoſtomi Zanchi Diſputatio, de Orobiorum, Cenomanorum, ac Bergomi origine, ad Petrum Bembum ſcripta, ſed dum Italicis & Gallicis in nominibus ſectatur fontes Hebraicos, in rebus vero ipſis Metaſtheni aliiſque Annianis nugis præcipuam habet fidem, ſæpe ſe orbi literato deridendum præbuit. Laudenſium porro Annales nobis reliquit Joh. Bapt. Villanova, ſed Italico compoſitos ſermone, quos in Latinum convertit Alex. Dukerus, utriuſque Linguæ ſanequam peritus. Addita his Othonis Morenæ, & Acerbi ejus Filii, Hiſtoria, Felicis Oſii doctiſſimis illuſtrata Notis, quæ Res non Laudenſium modo, ſed & ipſius Friderici Ahenobarbi, nobiliſſimi Imperatoris, ſub quo vixerunt illi, copioſe exponit. Utinam ad pactionem Friderici cum Papa Alexandro Venetiis factam perducere eam per inſuperabilem fatorum vim potuiſſent Morenæ! Deciſa ſic foret & abjecta haud dubie controverſia, vel, ſi verum malumus, fabula, a Pictoribus primum Guelphis orta, de Magni Animi Principe pedibus conculcato a Papa, cujus quoque rei nullam ideo mentionem fecit Villanova, ut videri poteſt pag. 883. Tertii Tomi. Ne Cremonenſes quidem Annales Ludovici Cavitelli excluſos hoc Theſauro videbis, licet inculto plane & horrido ſint ſtilo exarati, ac vitioſiſſima expreſſi ſcriptura, ſive ipſius Auctoris culpa, ſive Typographi Cremonenſis. Certe Nomina Propria Hominum aut Locorum in terris Tranſalpinis adeo perperam paſſim & varie ſcripta reperias, ut ſæpe vix divinando aſſequi poſſis, quid velint, aut quem deſignent. Certus ſum, fore, ut aqua hæreat etiam Noſtratibus, quicunque legent nomina Urbium Belgicarum pag. 1600. ubi per *Bucſolenſes*, *Rugienſes*, *Dordoucienſes*, *Teveremondanos*, *Curtacenſes*, *Ducreatios*, *Arilimenſes*, *Devavabrovenſes*, videtur intellexiſſe Bruxellenſes, Brugienſes, Dordracenſes, Teneræmondanos, Cortracenſes, Duacenos, Harlemenſes, Daventrienſes. Ita mox una pag. 1603. Hornanum Comitem appellat, modo *Philippum Momorantium*, *Amiratam & Orni Comitem*, modo *Philippum Oſemondium*, *Com. Orni*, *& Præfectum claſſis*. Pag. 1606. *Golfangus Dux Propontis* eſt Wolfgangus Dux Bipontinus. Pag. 1608. *Decondeus* eſt Princeps Condeus. Pag. 1618. *in Zelandia Venenſe oppidum*, *& Zerchinea*, pro Verenſe, & Ziricſea; mox *Corconaria* pro Gorcumum, *Zutelanium* pro Zutphania, quæ pag. 1620. *Zeutafanium* dicitur. *Alemania* pro Alcmaria. Pag. 1620. *Dux Pruincenſis* eſt Brunſvicenſis. *Auſtodoromenſes* ſunt Amſtelædamenſes. Infinita reperiet Lector ejus generis, quæ Oedipode indigeant Hiſtoriarum non imperito. Stili ſalebras plane horridas agnoſcit ipſe Editor, ſed veritatis ſtudio penſari ait. Ceterum ex Antonio Campo, Italico Hiſtoriæ Cremonenſis Scriptore, varia Illuſtrium Civium elogia ab induſtrio & docto Juvene, Joh. Fayo, Celeberrimi Theologi, Antonii Fayi Nepote, excerpta, & Cavitello idoneis locis ſunt inſerta. Agmen claudit *Serioſa Narratio Umberti Locati de Placentinæ Urbis Origine*, *Succeſſu*, *& Laudibus*, ubi quæ de Origine prima breviter memorantur, ex fabulis Ricobaldicis ſunt hauſta. At majoris eſt momenti & utilitatis, quo totum pene opus conſumitur, Chronicon Placentinum, uſque ad Annum MDLXIII. cui addi-

additur præcipuarum rerum, quæ ad Urbem commendandam pertinent, Nobilitatis, Dignitatis, Gloriæ ſingulorum Civium, tum Univerſitatis, Privilegiorum, Operumque Publicorum, Enarratio. Ita vides, Lector, in hoc tibi Theſauro abunde offerri Hiſtoriarum, quas tamen hic omnes neutiquam recenſuimus. Neque vero ſingulas commendatione noſtra ornandas putavimus, quum pleræque ſatis conſtanti inter Doctos fama dudum fuerint, & ſuo quidem merito, celebratæ. Tantum quæ monenda videbantur, vel etiam notanda in iis ultro nobis occurrerant, exponere hic voluimus. Si qui earum Scriptores in originibus ſuæ cuique Patriæ tradendis, vulgatibus vel Annianis indulſerunt fabulis, eaſque ab ultima, immo Noachica, deduxernnt antiqnitate, ut vel inprimis fecit Petrus Leo Caſella in ſuo *de Primis Italiæ Colonis* libello: id vero condonandum, ut dixi, ſuperioribus ſæculis a Barbarie recentibus, quæ antiquitatis veræ ignara, talia ubique tunc fere finxit vulgavitque. Unde neque ipſe Alciatus, Egregius ille JCtus, ab illis ineptiis plane immunis fuit, Inſubres ſuos ab neſcio quo *Subre* arceſſens, Jani per filium Thubalem Nepote, qui Janus fuerit ipſe Noachi Nepos. Verum has nugas rejecerunt, ac Barbariei ſuæ reliqnerunt, Doctiſſimi & Præſtantiſſimi Scriptores, Ubertus Folieta, Triſtanus Chalcus, maxime vero ii, qni ex profeſſo antiquitates Gallorum Ciſalpinorum magno veri ſtudio indagarunt, præclaris judicii & doctrinæ dotibus inſtructiſſimi Viri, Gaudentius Merula & Bonaventura Caſtilioneus, quos abs Te legi magis, quam a me pluribus commendari, par eſt. Reſtat jam nihil, niſi ut Tabulas Geographicas, quantum poteſt, emendatiſſimas, & Urbium, Operum publicorum, atque illuſtrinm Hominnm Effigies plane nitidas, Tibi hic exhiberi narrem Bibliopolæ nomine & fide, qui neque ullis pepercit ſumptibus ad conquirenda undique optima Librorum exemplaria. Sed & quia Italicæ Officinæ, ſi ab Venetis, Florentinis, Romanis, diſceſſeris, corruptiſſimos plerumque edidere libros, & ipſi Scriptores, ſi quid ex Antiquis Auctoribus proferebant, loca eorum raro aut vix uſquam adſcripſerunt, idcirco per enndem Fayum, quem dixi, recognoſci diligenter Libros, manifeſta ex iis expungi vitia, denique ſingula Loca Priſcorum, quorum verba in his citantur, paginis ſuis ſubjici curavit. Id quod vel maxime factum videbis in Barrii Libello *de Laudibus Italiæ*, qui totus fere eſt conflatus ex verbis Antiquorum. Eum quia Illuſtris Grævius Præfationi ſubjectum voluerat, Nos quoque illins judicio & ſententiæ obſecundantes ac ſumma tribuentes omnia, Tibi hic, ſi voles, legendum damus. Vale, Lector, & bonis artibus fave.

GABRIEL BARRIVS,

FRANCICANVS,

DE

LAVDIBVS ITALIAE,

AD CAROLVM MVTIVM,

PATRITIVM ROMANVM.

PROOEMIVM.

Cvm pro lingua Latina, & de æternitate urbis ſcripſerim, operæ pretium mihi viſum eſt, præclaras etiam Italiæ laudes in univerſum tum Latinorum, tum Græcorum monumentis inſertas colligere, & in unum volumen congerere. Quod ſi mea diligens lucubratio minus omnes colligere potuerit, nemini mirum, nec grave videri debet: quandoquidem fieri nequaquam poteſt, ut quis, quantocunque ingenio polleat, ac quantamvis diligentiam adhibeat, totus Italiæ res

laude dignas colligere ac ſcribere queat, cum Italia & rerum omnium, ac clarorum ingeniorum, ac virorum fortium, tum in omni ſcientiarum genere eruditorum virorum, & utriuſque ſexus ſanctorum hominum parens, bonarumque literarum magiſtra quotidie his producendis uberior fiat. Quare peroptime agerent Itali, ſi me, qui res Calabras ſcripſi, imitantes, ſinguli ſuas regiones accurate perſcribant. Nam ſi provinciales ſuas regiones Latinis literis celebrant, quanto magis nos Latini noſtram Italiam Latinis literis Priſcos imitantes celebrare, ſive jam celebrem & inſignem oſtendere debemus? Hunc autem Librum tuo nomini dicatum in lucem edere conſtitui. Idque egi, tum tua, tum Jacobi genteris tui, & Tyberii avunculi Locrenſium Præſulis in me benevolentia adactus: quorum uterque bonarum literarum non expers ita prudentia & gravitate præſtitit, ut priſcis Mutiæ Romanæ familiæ, quæ illuſtris eſt & patritia, proceribus dignus facile poſſit agnoſci. Sed neque laude caret Mutius avunculus etiam tuus, qui pro tuenda patria in oppugnatione urbis Caroli quinti temporibus ſtrenue dimicavit. Tu vero majorum tuorum veſtigiis ingreſſus eam indolem animique magnitudinem præ te fers, ut ab ipſis minime degener exiſtimari poſſis.

ITALIA, *Europæ regio, multo omnium, abſit verbo invidia, totius orbis regionum celeberrima eſt, & Dei Opt. Max. munere, ac Romanorum beneficio, provinciarum victrix, orbiſque terrarum rectrix atque regina. Eſt autem inter Varum & Arſiam amnes, ac quicquid pertinet ad Alpes. Atque hinc infero mari, quod Græci Tyrrhenum nuncupant, hinc ſupero, quod idem Adriaticum appellant, hinc Alpibus ipſis, præcelſis, ſalebroſis, aſperrimiſque montibus, cingitur: quas Alpes ſagax natura, incolarum ſecuritati ac quieti conſulens, veluti muros arceſque poſuit, ut montium fretique divortiis incolas ipſos à Barbarorum commercio ſejungeret, ab eorumque impetu & ſævitia tueretur. Habet autem hinc Niceam Liguriæ, hinc Polam Iſtriæ, primas & eas claras urbes: quæ feliciſſima regio incolis ſuis, omne, quo humana vita carere non debet, quam affluenter ſuppeditat, ut nihil adventitii boni ab eis deſideretur: ſiquidem & frugum, & pecorum, equorum, aliarumque rerum omnium altrix eſt, unde multi & Græcorum & Barbarorum populi ſedibus ſuis relictis in eam ad habitandum acceſſerunt. Et quid ago? Tanta eſt hujus regionis felix & perbeata cæli clementia, ac temperies, ut præter rerum omnium copiam, ejus incolæ & ingenii felicitate, & judicii acumine, & morum probitate ac benignitate, & armorum præſtantia, animi fortitudine ac virtute cunctis nationibus antecellant. Adde quod Italia, Latinam linguam, omneſque ingenuas diſciplinas, omneque metri genus, à Romanis edocta, uſque adeo ipſis excelluit, ut merito omnium liberalium artium, bonarumque literarum, omnium gentium magiſtra dici poſſit. Quare non ab re eam Deus orbis terrarum reginam fore, in eaque & terrenæ & cæleſtis, hoc eſt, ſpiritualis, eccleſiæ, in qua† ſuæ ſanctæ domicilium ac ſolium in æternum eſſe voluit. Qua Imperio ſubacta Romani quoſcunque barbaros exercitus ſibi obvios parvo, aut nullo prope negotio proſtraverunt & profligaverunt: nam, ut alias dixi, quingentis totis atque integris annis Romana virtus domi, hoc eſt, in Italia luctata eſt, qua ubi potita ſuit, ducentis ſequentibus annis Aſiam, Europam, Africam, totum denique orbem terrarum armis ſibi ſubegit. Non enim Pyrrhus & Annibal, ac quicunque alii Barbari, in Italiam adverſus Romanos pugnaturi accedere auſi fuiſſent, ni ab Italis acciti eorum auxilio uſi eſſent: nam noſtris armis, noſtris opibus, noſtris viribus, noſtris demum virtutibus contra nos noſtros armamus inimicos. Queritur, animoque angitur Cicero, ad Atticum ſcribens, quod Cæſar ut alter Annibal, quod in petitione conſulatus ratio ipſius abſentis ſecundum præſentem à Senatu habita non fuerit, barbaros reges contra Rempublicam incitaſſet, gentes feras armatas in Italiam adduceret, quam conculcatam iri proſpiciebat. Eam enim Romani ad univerſi orbis Imperium perfugium ſtruxerunt ac propugnaculum. Equidem populus Romanus, Itala juvante virtute, magnas hoſtium copias marique terraque parva manu fudit, urbes magnas natura manuque munitas pugnando cepit, nationes feras, populoſque ingentes vi ſubegit, reges magnos domuit. Habet autem Italia inſulas magnas tres, Siciliam, Corſicam & Sardiniam, habet & alias, ut Æolias, quæ ſeptem ſunt, & Pontiam, Pandatariam, Æginam, Ænariam, Prochytam, Capriariam, Iluam. Italiam autem non Itali modo laudaverunt, ſed provinciales quoque ſcriptores; vel illi ipſi Græci, regionis cæliique clementiam, ſoli ubertatem, rerum omnium copiam, incolarum humanitatem, hoſpitalitatem, cæteraſque virtutes admirantes, eamque laudandi impatientes ſummis & quidem merito extulere laudibus. Ait itaque Varro, ut ab Italis exordiar,* Rei Ruſt. *lib.* 1. *cap.* 11. Cum conſediſſemus, Agraſius, Vos, qui multas perambulaſtis terras, ecquam cultiorem Italia vidiſtis, inquit? Ego vero, inquit Agrius, nullam arbitror eſſe, quæ tam tota ſit culta. Primum cum orbis terræ diviſus ſit in duas partes ab Eratoſthene, maxime ſecundum naturam ad Meridiem verſus & ad Septentrionem. Et ſine dubio, quoniam ſalubrior pars ſeptentrionalis, quam meridiana, & quæ ſalubriora, illa fructuoſiora; dicendum magis eam fuiſſe opportunam ad colendum, quam Aſia, ibique Italiam: primum, quod eſt in Europa; ſecundo, quod hæc temperatior pars eſt, quam interior: nam intus pene ſempiternæ hyemes. Neque mirum, quod ſunt regiones inter circulum ſeptentrionalem & inter cardinem cœli, ubi ſol etiam ſex menſibus continuis non videtur. Itaque in Oceano in ea parte ne navigari quidem poſſe dicunt propter mare congelatum. Fundanius, En ibi tu quicquam naſci putas poſſe, aut coli natum? Verum enim eſt illud Pacuvii, Sol ſi perpetuo*

† Aliquid hic deſideratur, vel hæ duæ voces, *in ea*, redundant.

pétuo ſit, aut nox flammeo vapore, aut frigore, terræ fructus omnes interire. Ego hic, Ubi nox & dies modice redit & abit, tamen æſtivo die, ſi non diffinderem meo inſititio ſomno meridie, vivere non poſſem: illic in ſemeſtri die, aut nocte, quemadmodum quicquam ſeri, aut aleſcere, aut meti poſſit? Contra, quid in Italia utenſile non modo non naſcitur, ſed etiam non egregium ſit? Quod far conferam Campano? Quod triticum Appulo? Quod vinum Falerno? Quod oleum Venafro? Non arboribus conſita Italia eſt, ut tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quam hæc? Aut Argos, quam idem poeta πολύπυρον, in qua terra jugerum unum denos & quinos culleos fert vini. Quot quædam in Italia regiones? an non M. Cato ſcribit in libro *Originum* ſic? Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim Ceſennatibus datus eſt ultra agrum Picenum. In eo agro aliqua trifariam in ſingula jugera deni cullei vini fiunt. Nonne item in agro Faventino, à quo ibi tricenariæ appellantur vites, quod jugerum tricenas amphoras reddat? *Et cap.* XLV. In Sybaritano agro jugerum centeſimum reddere dicunt. *Et rurſus cap.* VII. Cæſar Vopiſcus Ædilicius, cauſam cum ageret apud Cenſores, campos Roſiæ Italiæ dixit eſſe ſumen, in quo relicta pertica poſtridie non appareret propter herbam. *Et libro undecimo* Rerum humanarum *apud Macrobium* Satur. *libro* II. *cap.* XII. *enumerans quæ in ſingulis Italiæ partibus optima ad victum naſcantur, ait.* Ad victum optima ſert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Caſſinas oleum, Tuſculanus ficum, mel Tarentinus, piſcem Tiberis. *Et M. Vitruvius* libro VI. Cum ergo ab natura hæc ſint in mundo collocata, ut omnes immoderatis mixtionibus ſint diſparatæ, ut inter ſpatia totius orbis terrarum regionumque medio mundi populus Romanus poſſideret fines: namque temperatiſſimæ ad utranque & corporum membris, animorumque vigoribus pro fortitudine ſunt in Italia gentes. Quemadmodum enim Jovis ſtella inter Martis ferventiſſimam & Saturni frigidiſſimam media currens temperatur, eadem ratione Italia inter Septentrionem Meridiemque ab utraque parte mixtionibus temperatas & invictas habet laudes. Itaque conſilio refringit Barbarorum vires, forti manu meridianorum cogitationes. Ita divina mens civitatem populi Romani egregia temperataque regione collocavit, uti orbis terrarum Imperio potiretur. *Et Julius Firmicus* lib. I. cap. I. Itali fiunt regali ſemper nobilitate præfulgidi, Galli ſtolidi, Hiſpani elata jactantiæ animoſitate præpoſteri. Sed nec Italis aliquando ſol denegabit Imperia, nec Gallis ſtoliditatem Mercurii ſapientiſſimum ſidus exacuet, nec Hiſpanorum jactantiam pigrum poterit Saturni lumen hebetare. *Et Juſtinus* lib. XLIV. cap. II. In tanta ſeculorum ſerie nullus illis (*Hiſpanis*) dux magnus præter Viriatum fuit ..... adeo feris propiora, quam hominibus, ingenia ſunt. *Et Livius* bel. Pun. *libro ſecundo**: Hiſpanorum inquieta, avidaque ad novas res ſunt ingenia. *Et Cæſar Gallos mobilitate & levitate animi novis ſemper Imperiis rebuſque ſtudere, & ad bellum mobiliter celeriterque excitari ſcribit*, Belli Gall. *lib.* III. *cap.* IV. Verum, *inquit*, ut ad bella ſuſcipienda alacer ac promptus eſt eorum animus, ſic mollis ac minime reſiſtens ad calamitates perferendas mens eorum eſt. *In conſiliis capiendis mobiles ſunt, quod incertis rumoribus ſerviunt. Livius* lib. IV. *quar. dec.* † Gallorum corpora emollida & fluida ſunt. *Et Camillus apud Livium* lib. V. cap. XLIV. Gallorum, *inquit*, gens eſt, cui natura corpora animoſque magna magis, quam firma dedit. In certamen omne plus terroris quam virium ferunt. *Et rurſus ejuſdem* lib. cap. XLVIII. Gallorum intolerantiſſima gens eſt, humori ac frigori aſſueta, tum æſtu & angore vexata. *Et* lib. X. cap. XXVIII. *Livius ait:* Perſuaſum erat Gallos primo impetu feroces eſſe, quos ſuſtineri ſatis ſit; longiori certamine ſenſim reſidere. Eorum etiam corpora intolerantiſſima laboris atque æſtus fluere, primaque eorum prælia pluſquam virorum, poſtrema minus quam feminarum eſſe. *Id etiam ſcribit Polybius* lib. II. *itemque Florus. Item Strabo* libro IV. *Gallis* ſimplicitati atque animoſitati multum ineſſe impudentiæ ſimul & ſuperbiæ, & ornamentorum ſtudium. Etenim aurea illis ſunt geſtamina, collo quidem torques, manibus autem & lacertis armillæ dignitatis honores, tinctas geſtant veſtes & auro pictas. Qua ex levitate victores quidem intolerabiles ſunt, victi autem ſtupidi videntur. Amentiæ quoque & barbarici mores adſunt. *Item Vegetius* lib. I. cap. I. *ait*, omnes doctiſſimi viri, omnes nationes, quæ vicinæ ſunt ſoli, nimio calore ſiccatas amplius quidem ſapere, ſed minus habere ſanguinis dicunt, ac propterea conſtantiam ac fiduciam minus habere pugnandi, quia metuunt vulnera, quod exiguum ſanguinem ſe habere noverint. Contra ſeptentrionales populi remoti à ſolis ardoribus inconſultiores quidem, ſed tamen largo ſanguine redundantes ſunt ad bella promptiſſimi. Mediam vero temperatamque regionem colentibus & ſanguinis copia ſuppetit, ad vulnerum mortiſque contemptum, & prudentia ineſt. *Et Ælianus* de Varia Hiſtoria *libro* IX. *cap.* XVI. Italiam primi Auſones inhabitarunt indigenæ. Atque permultos poſtea varioſque populos in ea habitaſſe ferunt, quot nullam aliam terrarum partem coluerunt. Eam potiſſimum ob cauſam quod ſingularum anni horarum in ea temperies ſit, quodque regio bonitate telluris excellens ſit, & aquis irrigua, fertiliſque omnium fructuum, atque compaſcua, itemque quod fluviis perfuſa, mare quoque commodum adjectum habeat, portubuſque ex omni parte interſtincta, & impellendis ſolvendiſque navibus idoneis locis. Sed & incolarum ſingularis hoſpitalitas & benignitas multos pellexit, ut in eam ſuas ſedes transferrent. Adhæc ajunt veterum memoria mille centum nonaginta ſeptem urbibus Italiam præditam at-

* Id eſt, lib. XXII. cap. XXI. † Vide lib. XXXIV. cap. XLVI.

que ornatam fuiſſe. *Pompejus apud Cæſarem* Belli Gallici *lib.* VI. *cap.* I. Tantæ Italiæ facultates ſunt, ut ſi quid eſſet in bello detrimenti acceptum, non modo id brevi tempore ſarciri, ſed etiam majoribus augeri copiis poſſet. Cajus, *Plinio* libro XVII. cap. V. *referente*, Italiæ agrum optimum eſſe judicat, quod Italiæ totius ſitus ad radicem montium planicie ad Meridiem excurrente ſit à natura diſpoſitus. *Annibal apud Juſtinum* libro XXXI. cap. V. *cui Romanæ Italaque virtus nota erat, Antiochum regem alloquens, Romanis bellum inferre cogitantem, negabat opprimi Romanos niſi in Italia poſſe. Cui Antiocho in Græcia adverſus Romanos pugnare volenti dixit Annibal ipſe*, Sibi belli ſedem Græciam non placere, cum Italia uberior materia ſit: quippe Romanos vinci nonniſi armis ſuis poſſe; nec Italiam aliter quam Italicis viribus ſubigi. Siquidem diverſum cæteris mortalibus eſſe illud genus hominum, & belli genus. Aliis bellis plurimum momenti habere, priorem aliquam cepiſſe occaſionem loci temporiſque, agros rapuiſſe, & urbes aliquas expugnaſſe: cum Romano ſeu occupaveris prior aliqua *ratione*, ſeu viceris, tamen etiam cum victo & jacente luctandum eſſe. Quamobrem ſi quis eos in Italia laceſſerit, ſuis eos opibus, ſuis viribus, ſuis armis poſſe vincere, ſicut ipſe fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte virium ceſſerit, perinde falli, ac ſi quis amnes non ab ipſis fontium primordiis derivare, ſed concretis jam aquarum molibus avertere vel exſiccare velit. Hoc ſecreto ſe cenſuiſſe, ultroque conſilii ſui miniſterium obtuliſſe. *Et Virgilius* Georg. *libro* II. *verſ.* 139.

Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaja pinguis arenis.
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertere, ſatis immanis dentibus hydri,
Nec galeis, denſiſque virûm ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ greges *, & Bacchi Maſſicus humor
Implevere, tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert,
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perſuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas,
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rapidæ † tigres abſunt, & ſylva ** leonum
Semina, nec miſeros fallunt aconita legentes,
Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis:
Fluminaque antiquos ſubter labentia muros.
An mare, quod ſupra, memorem, quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime? teque
Fluctibus & fremitu aſſurgens, Benace, marino?
An memorem portus? Lucrinoque addita clauſtra?
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Julia qua ponto longe ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, æriſque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Nec genus acre virûm, Marſos, pubemque Sabellam,
Aſſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque verutos
Extulit; hæc Decios, Marios, magnoſque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæſar:
Qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm, tibi res antiquæ laudis, & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes,
Aſcræumque cano Romana per oppida carmen.

Et Columella libro III. *cap.* VIII. Myſiam, Lybiamque, largis ajunt abundare frumentis, nec tamen Appulos, Campanoſque agros opimis deſici ſegetibus. Tmolon & Corycion florere croco. Judæam & Arabiam precioſis odoribus illuſtrem haberi, ſed nec noſtram civitatem prædictis egere ſtirpibus: quippe pluribus locis urbis jam caſiam pendentem conſpicimus, jam thuream plantam, florenteſque hortos myrrha & croco. His tamen exemplis nimirum admonemur curæ mortalium obſequentiſſimam eſſe Italiam, quæ pene totius orbis fruges adhibito ſtudio colonorum ferre didicerit. Quo minus addubitamus de eo fructu, qui velut indigena, peculariſque, & vernaculus eſt hujus ſoli. Neque enim dubium Maſſici, Surrentinique, & Albani, atque Cæcubi agri vites omnium, quas terra ſuſti-

* Alii *finger*, † *Rabida* alii. ** Legendum *ſeva*,

ſuſtinet, in nobilitate vini principes eſſe. *Item Solinus* Polyhiſt. *cap.* VIII. De homine ſatis dictum habeo. Nunc, ut ad deſtinatum revertamur, ad locorum commemorationem ſtylus dirigendus eſt, atque adeo principaliter in Italiam, cujus decus jam in Urbe contigimus. Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta eſt, præcipue à M. Catone, ut jam inveniri non poſſit, quod non veterum auctorum præſumpſerit diligentia, largiter in laudem excellentis terræ materia ſuppetente; dum ſcriptores præſtantiſſimi reputant locorum ſalubritatem, cœli temperiem, ubertatem ſoli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios ſaltus, vitium olearumque proventus, ovilia, pecuaria, tot amnes, lacus tantos, biſera violaria. Inter hæc Veſuvium flagrantis animæ ſpiritu vaporantem, tepentes fontibus Bajas, colonias tam frequentes, tam aſſiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum oppidorum, quæ primum Aborigines, Autunci, Pelaſgi, Arcades, Siculi, totius poſtremo Græciæ advenæ, & in ſumma victores Romani condiderunt. Ad hæc, littora portuoſa, oraſque habet patentibus gremiis commercio orbis accommodatas. *Et paulo poſt:* Ergo Italia, in qua Latium antiquum antea à Tyberinis oſtiis ad uſque Lirim amnem pertinebat, univerſa conſurgit à jugis Alpium porrecta ad Rheginum verticem & littora Bruttiorum, quo in mare Meridiem verſus protenditur. Inde procedens paulatim ſe Apennini montis dorſo attollit, extenſa inter Tuſcum & Adriaticum, id eſt, inter ſuperum mare & inferum, ſimilis querno folio, ſcilicet proceritate amplior, quam latitudine. Ubi longius proceſſit, in cornua duo ſcinditur, quorum alterum Ionium ſpectat æquor, alterum Siculum. Inter quas prominentias non uno margine acceſſum inſinuati freti recipit, ſed linguis projectis ſæpius à procurrentibus diſtinctum promontoriis pelagus accipit. *Et mox:* Verum Italiæ longitudo, quæ ab Auguſta Prætoria per urbem Capuam portigitur uſque ad oppidum Rhegium, decies centena & viginti millia paſſuum colligit. Latitudo ubi plurimum CCCCX. ubi minimum CXXXVI. millia. Arctiſſima eſt ad portum, quem Annibalis caſtra dicunt. Neque enim excedit LX. millia. Umbilicum, ut Varro tradit, in agro Reatino habet. At in ſolidum ſpatium circuitus univerſi vicies quadragies novies centena ſunt. In quo ambitu adverſa Locrenſium fronte ortus à Gadibus finitur *Europæ* ſinus primus: nam ſecundus à Lacinio auſpicatus in Acroceraunii metas habet. Ad hæc Italia Pado clara eſt, quem mons Veſulus ſuperantiſſimus inter juga Alpium gremio ſuo fundit viſendo fonte in Ligurum finibus, unde ſe primum Padus prorumpit, ſummerſuſque cuniculo, rurſus in agro Vibonenſi extollitur, nulli amnium inferior claritate, à Græcis dictus Ἠριδανος. Intumeſcit exortu Canis tabefactis nivibus & liquentibus brumæ pruinis; auctuſque aquarum acceſſione XXX. flumina in Adriaticum defert mare. Eſt è memorabilibus inclytum, & inſigniter per omnium ora vulgatum. *Et rurſus:* In Liguria lapidarii campi ſunt, quod Jove dimicante videantur ſaxa pluiſſe. *Et Plinius* libro III. cap. V. Nec ignoro, ingrati ac ſegnis animi exiſtimari poſſe merito, ſi *Italia* leviter atque in tranſcurſu in hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna, eadem & parens numine Deûm electa, quæ cœlum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret Imperia, rituſque molliret, & tot populorum diſcordes, feraſque linguas, ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit, tanta rerum ſingularum populorumque claritas tenet. Urbs Roma, vel ſola in ea, & digna, & feſta cervice facies, quo tandem narrari debet opere? Et qualiter Campaniæ ora per ſe felix illa ac beata amœnitas? ut palam ſit in uno loco gaudentis opus eſſe naturæ. Jam vero tota ea vitalis ac perennis ſalubritatis cœli temperies eſt; tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſylvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tam opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique, & tanquam ad adjuvandos mortales ipſa avide in mare procurrens. Neque ingenia, rituſque, ac viros & lingua manuque ſuperatas commemoro gentes. Ipſi de ea judicavere Græci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, quotam partem ex ea appellandi Græciam magnam. Nimirum id, quod in mentione cœli fecimus, hac quoque in parte faciendum eſt, ut quaſdam notas, ac pauca ſydera attingamus. Legentes tantum quæſo meminerint, ad ſingula toto orbe ediſſerenda feſtinari. Eſt ergo folio maxime querno aſſimilata, multo proceritate amplior quam latitudine, in lævo ſe flectens cacumine, & Amazonicæ figura deſinens parmæ, ubi à medio excurſu Cocinthos vocatur, per ſinus lunatos duo cornua emittens, Leucopetram dextra, Lacinium ſiniſtra. Patet longitudine ab Alpino fine Prætoriæ Auguſtæ per urbem Capuamque, æquo curſu meante Rhegium oppidum in humero ejus ſitum, à quo veluti cervicis incipit flexus, decies centena & viginti millia paſſuum, multoque amplior menſura fieret Lacinium uſque, ni talis obliquitas in latus digredi videretur. Latitudo ejus varia eſt, CCCCX. millium inter duo maria, inferum & ſuperum, amneſque Varum atque Arſiam; mediæ atque ferme circa urbem Romam ab oſtio Æterni amnis in Adriaticum mare influentis ad Tiberina oſtia CXXXVI. & paulo minus à Caſtro novo Adriatici maris Alſium ad Tuſcum æquor haud ullo in loco CCCC. in latitudinem excedens. Univerſæ autem ambitus à Varo ad Arſiam vicies qua-

dragies centena millia paſſ. efficit. Abeſt à circundatis terris Hiſtria ac Liburnia quibuſdam locis c. m. paſſuum; ab Epiro & Illyrio quinquaginta; ab Africa minus cc. ut auctor affirmat Varro; ab Sardinia CXX. millia; à Sicilia m. CCCCC. à Corſica minus LXX. ab Iſſa, quinquaginta. Incedit per maria cœli regione ad Meridiem quidem. Sed ſi quis diligenti ſubtilitate id exigat, inter ſextam horam primamque brumalem. *Et in fine deſcriptionis Italiæ, ejuſdem* lib. cap. XX. Hæc eſt Italia diis ſacra, hæ gentes ejus, hæc oppida populorum. Super hæc Italia, quæ L. Æmilio Paulo, C. Atilio Regulo Conſ. nunciato Gallico tumultu, ſola ſine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc ſine Tranſpadanis, equitum LXXX. millia, peditum DCC. millia armavit. Metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris. Sed interdictum id vetere conſulto patrum, Italiæ parci jubentium. *Et* lib. XVII. cap. V. Cato agrum optimum judicat ad radicem montium *Apennini* planitie in meridiem excurrente, qui eſt totius Italiæ ſitus; terram vero teneram, quæ vocetur pulla. Erit igitur hæc optima, & operi ſatior. Intelligere modo libeat dictam mira ſignificatione teneram, & quicquid optari debet in eo vocabulo invenietur. Illa temperatæ ubertatis, illa mollis facilisque culturæ, nec madida, nec ſitiens, illa poſt vomerem niteſcens, qualem fons ingeniorum Homerus in armis à Deo cælatam dixit, addiditque miraculum nigreſcentis, quamvis fieret in auro: illa, quam recentem exquirunt improbæ aratores vomerem comitantes, corvique aratoris veſtigia ipſa rodentes. *Et* libro XIV. *Proœm.* Arborum omnium peculiaris parens videri poteſt Italia. ..... Vitium principatus tantum peculiaris Italiæ eſt, ut vel hoc uno omnia gentium viciſſe, quanquam odorifera, poſſit videri bona, quanquam ubicunque pubeſcentium odori nulla ſuavitas præferatur. *Et* cap. I. Tot differentias *vitium* vel ſola tantum Italia recipit. *Et* cap. II. Potiſſima *vitium* nobilitas datur peculiaribus atque vernaculis Italiæ. *Et* cap. XI. Subit mentem cum ſint genera nobilia, quæ proprie vini intelligi poſſint, LXXX. fere in toto orbe duas partes ex hoc numero Italiæ eſſe, longe præterea ante cunctas terras. *Et* lib. XV. cap. II. Et vulgo olei principatum obtinet Italia in toto orbe. *Et* libro XVIII. cap. VII. Tritici genera plura, quæ fecere gentes. Italico nullum equidem comparaverim candore & pondere, quo maxime diſcernitur. ..... Sopbocles poeta *tragicus* in fabula Triptolemo ante mortem Alex. magni annis fere CXLV. frumentum Italicum ante cuncta laudavit, ad verbum translata ſententia,

Et fortunatam Italiam frumento caneſcere candido.

Quæ laus peculiaris hodie Italico eſt. *Et* cap. VIII. Ægyptus ſimilaginem conficit è tritico ſuo, nequaquam Italiæ parem. *Et* cap. XI. Alica in Italia laudatiſſima. ..... fit è zea tuſa in pila lignea, nam lapidis duritia conteritur. *Et* cap. VIII. Arinca & zea copioſa in Italia. *Et* lib. XII. cap. VII. Piperis arborem Italia habet majorem myrto, nec abſimilem. *Et* lib. XVI. cap. XXXII. Vivit in Italia piperis arbor. *Et* lib. XII. cap. XXIV. Cyprum arborem eſſe quidam dicunt, quæ in Italia liguſtrum vocetur. *Et* cap. IV. Hebenum arborem Romæ magnus Pompejus in triumpho Mithridatico oſtendit. *Et* cap. XXV. Balſamum arbuſculam urbi oſtendere Imperatores Veſpaſiani, clarumque dictu à Pompejo magno in triumpho. Arbores quoque duximus. Servit nunc hæc, & tributa pendet cum gente ſua. *Et* libro XIII. cap. I. Unguentorum gloriam Neapolis, Capua & Præneſte abſtulere Delo, Mendeſio, Corinthio, Cyzico, & Rhodino. *Et* cap. IV. Palmæ in Italia vulgo, ſed ſteriles. *Et* lib. XV. cap. XIII. In peregrinis arboribus dicta ſunt Damaſcena, à Syriæ Damaſco cognominata, jampridem in Italia naſcentia. ..... Simul dici poſſunt populares eorum myxæ, quæ & ipſæ nunc cœpere Romæ naſci inſitæ ſorbis. *Et* lib. XIII. cap. V. Pruna in Damaſco monte nata & myxa familiares Italiæ. *Et* lib. XVII. cap. XXII. Piſtacias primus Vitellius in Italiam intulit. *Et* lib. XIII. cap. XVII. Lotos arbor Italiæ familiaris, ſed terrâ mutata. *Et* libro XXXV. cap. XII. Vaſa Samia in eſculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Aretium in Italia; & calicum tantum Surrentum. ..... Nobilitatur patinis Rhegium & Cumæ. *Hæc etiam Plinius, ſed alibi atque alibi.* Lib. XVI. cap. XVII. Eſt in Apennino frutex, qui vocatur cotinus, ad lineamenta modo conchylii. Laburnum Alpina arbor. Cap. XXXIX. Abietes Alpibus Apenninoque laudatiſſimæ. Cap. XXXVI. Sed in hoc quoque, ut cæteris in rebus, vincit Italia, quando nullus ſagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononienſi amne, cui plurimum ineſt medulla, ponduſque volucre. Contra flatus quoque pervicax libra. *Et mox:* Eſt & in Italia naſcens Adarcha nomine, arundo paluſtris ex cortice tantum ſub ipſa coma utiliſſima dentibus, quoniam vis eſt eadem, quæ ſinapi. *Et* lib. XXV. cap. II. Æſchylus poeta vetuſtiſſimus Italiam refertam herbarum potentia prodidit. *Et* cap. IV. Laudatiſſima herbarum eſt Homero *teſte*, quam vocari ab diis putat molys, & inventionem ejus Mercurio aſſignat, contraque ſumma veneficia demonſtrat. ..... Inveni è peritis herbarum medicis, qui & in Italia naſci eam dicerent. Lib. XIX. cap. III. Rubia tingendis lanis & coriis neceſſaria. Laudatiſſima Italica, & maxime ſuburbana; & omnes pene provinciæ ea ſcatent. *Et* lib. XXI. cap. IX. Meliloton, quod ſertulam Campanam vocant: in Campania Italiæ laudatiſſima. *Et* lib. XIX. cap. VIII. Panacea Liguſtica in Liguriæ montibus naſcitur. *Et* lib. XXVII. cap. XI. Lithoſpermo inter omnes herbas nihil mirabilius. ..... Naſcitur & in Italia. *Et* lib. XXI. cap. VII. Saliuncam Alpium aprica, urbium Eporedia, gignunt tantæ ſuavitatis,

tis, ut metallum eſſe cœperit. Lib. XXV. cap. IX. Hierabotane herba nobilis Romæ naſcitur. *Et* lib. XIII. cap. XXI. Myricen & Italia *habet*, quam alii tamaricen vocant. *Heraclea, colocaſia, melampodium, ſive helleborum, & veratrum, & cytiſus, & lycopſis, & argentaria herbæ in Italia naſcuntur. Tradunt juncum odoratum & in Campania inveniri. Roſæ celeberrimæ Prænestina & Campana. Cappar Italicum innocentius eſt tranſmarino. Laus caſeo Italiæ, & præſertim Romæ: caprinus etiam ſit cunctis præferendus. Lana, & lina Italica laudatiſſima ſunt. Conchylium piſcis nobilis in Italia capitur. Unciones in noſtro mari reperiri ſolebant. Achates & ſmaragdus in Sicilia reperiuntur. Syriæ gemmæ in Lucania reperiuntur melleo colore eroco refulgentes; intus autem ſtellas continent lanuginas. Veyis gemma naſcitur nigram materiam habens, diſtinguente limite albo. In cautibus Alpium cryſtallus naſcitur laudata in Europa. Speculares lapides ſunt in Italia Bononienſi agro. Palmati lapides in Italia ſunt, horum auctoritas venit in marmora, ſicut Tænarius. Inter plurima alia Italiæ miracula, ipſa marmora in lapidicinis ereſcere auctor eſt Papyrius Fabianus, naturæ rerum peritiſſimus. Ex ophite albo vaſa, & etiam cados faciunt. Lapis hic in Liguria naſcitur. In Comenſi agro Italiæ lapis naſcitur viridis, qui cavatur, tornaturque in vaſa coquendis cibis utilia, vel ad eſculentorum uſus. In Liguria, Umbria & Venetia albus lapis ſerra ſecatur. Cotes in Italia aqua trahentes aciem acerrimo effectu. Mola verſatilis nuſquam nitior, quam in Italia gignitur. Varro lapides albos tornis duriores, quam Parios eradit. Silicem Sabinum finſcum addito oleo lucere. Xenocrates Obſidianum lapidem in Samnio Italiæ naſci tradit. In Vulturno mari Italiæ arena alba naſcens ſex m. paſ. à littore inter Cumas atque Lucrinum, quæ molliſſima eſt, pila molaque teritur; dein miſcetur tribus partibus nitri ponderis vel menſura, ac liquata in alias fornaces tranſfunditur: ibi fit maſſa, quæ vocatur hammonitrum; atque hæc recoquitur, & fit vitrum purum, ac maſſa vitri candidi. In generibus eris palma Campano: ſimile in multis partibus Italiæ, provinciſque. Sal è ſtagnis Tarentinus oculis utilis eſt. Eſt ſalſiſſimus, ſiccisſimus, ſuaviſſimus omnium, atque candidiſſimus: ad medicinæ uſus ab Antiquis maxime laudatus. Sulphur naſcitur in Italia agro Campano. Aſimi Reatini optimi. Aquæ auxilia malorum conferentes, & vulneribus medentes, multis locis in Italia ſcaturiunt. Aqua, cui ſubinde candens ferrum immergitur, nobilitavit Comum in Italia. Et in fine ultimi* libri: Ergo in toto orbe, & quaecunque cœli convexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, rebuſque merito principatum naturæ obtinens Italia, rectrix, parenſque mundi altera, viris, feminis, ducibus, militibus, ſervitiis, artium præſtantia, ingeniorumque elaritatibus. Jam ſitu, ac ſalubritate cœli, atque temperie, acceſſu cunctarum gentium facili, littoribus portuoſis, benigno ventorum afflatu (etenim contingit recurrentis poſitio in partem utiliſſimam, & inter ortus occaſuſque mediam) aquarum copia, nemorum ſalubritate, montium artieulis, ferorum animalium innocentia, ſoli fertilitate, pabuli ubertate. Quiequid eſt, quo carere vita non debeat, nuſquam eſt præſtantius; fruges, vina, olea, mella, vellera, lana, veſtes, juvenci. Ne equos in trigariis præferri ullis vernaculis animadverto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quandiu libuit exercere, nullis ceſſit. Et iis nunc in ſe gravida pro omni dote varios ſuccos & frugum, pomorumque ſapores fundit. *Et* libro XXXIII. cap. XI. *queritur Italiam corruptam eſſe Aſiæ luxuria, barbaroſque alia quoque noxia in eam importaſſe. Qui* libro XII. cap. XXV. *ſic ait:* Pſylli, *Cyrenæi populi*, peregrinis malis implevere Italiam. Scorpiones quoque importare conati ſunt, ſed vivere intra Sieuli cœli regionem non potuere. Viſuntur tamen aliquando in Italia, ſed innocui. *Et* libro XXVI. cap. I. *de morbis in Italiam à Barbaris importatis: Lichen, carbunculus, elephantiaſis, colum, podagra peregrini ſunt. Eſt & is peregrinus morbus, quem* Gallicum *vocant.*

Quantum credis & ipſe, & Maro, & Cato, aliique Itali ſcriptores, Romanique proceres, quererentur modo, ſi Italiam ſuam, quam tantopere, ut par fuit, & amaverunt, & laudaverunt, & ornaverunt, à temerariis plebejis ſcriptoribus & adulatione & ſermone deformatam, Italoſque ſuos vel ingenuos & optimates Latinæ linguæ majeſtate deſerta in viliſſimus vulgaribus libellis omne tempus nequicquam terentes, vitamque inertem agentes viderint? Qui (indignum) nullo veri adhibito judicio, unius, neſcio cujus, vani, paludoſi, craſſi, & maligni ingenii, in quo non doctrina, ſed doctrinæ nomen erat, fallacis capti, non rationi, ſed evidenter falſæ & captioſæ opinioni, veluti divino oraculo, fidem adhibent, & vanum ac cæcum ducem ſequentes in vanitatis & ignorantiæ tenebris verſantur. Non perpendentes quam malum ſit & turpe, ut probe Cicero ſcribit, & præſertim ingenuis & optimatibus, neſcire, ignorare, & decipi, ac vana & vilia ſectari. Et præter hæc vulgares ſcriptores ac lectores non modico dedecori & ignominiæ ſunt Italiæ, cum provinciales gravia ſectantes cupide & intentiſſime in Latinam & Græcam linguam incumbant. Aurelius Ruffinus, homo Romanus, Caroli V. miles, in Germania à Philippo, Cattorum, id eſt, Haſſorum, Principe, in bello captus ob Romam nominis reverentiam ab eo in menſam honorifice exceptus eſt. At cum inter edendum Philippus ipſum Latine interpellaret, & ille ſe Latine loqui neſcire diceret, & ab eo, & ab omnibus, quod ſua patria lingua loqui neſciſſet, delinſus, & quidem jure, fuit, eſque contemptui habitus.

Græci quoque, ut ad rem redeam, ampliſſimum Italiæ teſtimonium reddiderunt. Polybius enim lib. II. cap. XIV. *& XV. ait:* Omnis Italia trianguli figuram habet. Latus, quod Orientem

tem ſpectat, Ionio mari & Sinu Adriatico terminatur. Quod vero ad Meridianam regionem atque Occaſum vergit, Siculo & Tyrrheno clauditur pelago. Hæc latera invicem copulata apicem trianguli faciunt: propoſitum Italiæ promontorium, quod Cocinthum incolæ vocant, & Meridianam plagam ſpectans, Ionium ac Siculum divſdit mare. Tertium latus, quod ad gelidiſſimum Septentrionis axem & mediterranea loca protenditur, terminat continuatio Alpium, quæ à Maſſilia & locis ſupra Sardum pelagus ſitis incipiens, uſque ad intimum Adriatici maris ſinum continue extenditur, exiguo quodam ſpacio in medio relicto. Huic lateri, quod terminari Alpibus dicimus, & quaſi trianguli baſem intelligimus, à Meridiana regione verſus Septentrionem ſubjacent campi extrema totius Italiæ omnis Europæ maximi atque uberrimi. Horum etiam forma triangularis eſt. Apicem trianguli facit Apennini atque Alpium copulatio non longe à mari Sardoo ſupra Maſſiliam. Latus, quod Septentrionem ſpectat, quemadmodum ſupra diximus, Alpes faciunt, quæ ad CCLXXV. m. p. protenduntur. Latus vero, quod ad Meridiem vergit, perficit Apenninus. Hic ad trecenta atque octoginta tria mil. paſſ. protenditur. Baſis locum tenet littus ipſum maris Adriatici. Hæc trecentorum & tredecim mil. paſſ. ſpacio continetur. Ita omnis camporum circuitus mille & ducentis quinquaginta mil. paſſ. clauditur. De fertilitate hujus regionis haud facile dixerim. Ita enim in omnia frugum genera fœcunda eſt, ut ſæpenumero noſtra ætate modius frumenti Siculus non amplius quatuor obolis venum ierit; hordei vero non amplius duobus; dolium vini tantundem. Milii præterea & farris tanta copia eſt, ut opinionem hominum ſuperet. Quam vero glandibus abundet, quæ ex nemoribus ejus regionis diverſis in locis producuntur, vel in primis teſtimonio eſt, quod cum infinitam pene porcorum multitudinem Italici generis homines alant, & ad ſacrificia facienda, & ad privatos uſus, & ad neceſſarium exercitibus apparatum, iis omnibus abunde hæc regio ſubminiſtrat. Jam vero quanta particularium etiam rerum, quæ ad victum hominum ſpectant, in ea regione copia ſit, ex hoc licet intelligere, quod viatores, cum in hoſpitia divertunt, nunquam de rebus, quas ſint accepturi, particulatim paciſcuntur, quod cæteris in locis fieri conſuevit, ſed quantum ſinguli quique homines ſolvere debeant, cum hoſpitibus conveniunt. Hi viatoribus honorifice acceptis, & omnibus ad victum neceſſariis ſubminiſtratis, non amplius, quam ſiliquam capiunt; hæc noboli tertia pars eſt, id precium raro excedunt. Hominum vero tanta copia, ea proceritas ac pulchritudo corporum, tantum in rebus bellicis robur, ut facilius ſit ex eorum rebus geſtis, quam ex cujuſquam oratione intelligere. *Et rurſus:* Italia ſepties centena millia peditum, equitum ad ſeptuaginta millia armavit. *Et Dionyſius Halicar.* Antiq. Roman. *lib.* 1. *cap.* XXIII. Verum, ſi quis fabuloſum illud à ſermone auferens, vim regionis & naturam perſcrutari velit, ex qua genus hominum à principio plurima ſtatim perceperit oblectamenta, ſive ex terra ipſa, uti priſcus habet ſermo, ſive ab alio quovis modo, nullam certe invenias Italia commodiorem. Sicut enim una regio ad aliam comparatur, tantam magnitudinem non Europæ modo, ſed orbis quoque reliqui, mea quidem ſententia, eſt optima omnium Italia. Quanquam non me latet multis me viſum iri incredibilia dicere, conſiderantibus Ægyptum, & Africam, & Babylonem, & ſi qua alia fortunata ſunt loca. Verum, ego divitias ex terra, non in uno pomi fructuum genere, neque me capit habitationis cupido, in qua pinguia ſunt tantum arva, aliorum autem nulla ſit, aut parva aliqua utilitas, ſed quæ ſatis ſit per ſe, neque multum adventitiis indigens, hanc ego eſſe optimam judicabo. Hanc vero rerum omnium ubertatem, & emolumenta plurima, non aliam magis terram, quam Italiam habere credo. Non enim pingues habens agros multos caret arboribus, ſicuti frugum fertilis. Neque rurſus ad alendas plantas idonea, paucarum eſt ex ſatione, ſicut arborum referta. Neque adhæc utraque potens, minus eſt pecori idonea, neque ea dicet aliquis frugum fertilem, fœcundam arborum, bonamque pecori, ineſſe autem hominibus ſine gratia ſtatimem. Imo vero ea omnis, ut ita dicam, eſt voluptatis, utilitatiſque pleniſſima. Qua enim caret fertilitate? Non fluviis, ſed cœleſtibus imbribus irrigatus is, qui Campanus ager dicitur, ubi ego trium fructuum culturas vidi, æſtivum quidem, poſt hybernum, autumnale poſt æſtivum ſemen nutrientes. Qua enim caret olearum ubertate Meſapiorum, & Dauniorum, & Sabinorum, multorumque agricolatio? Quibus caret vinetis Hetruria, Albanaque & Falerna regio? Mirum eſt profecto quam diligat vites, & quam minimo labore facilis ſit ad ferendum plurimos ſimul & optimos fructus. Præter arva autem, quam multam invenies dimiſſam ovibus reginem, quam multam capris, majorem autem admirabilioremque bobus & equis: paluſtris enim & pratorum herba copioſiſſima, novales roſcidæ, & campi perflui, ita ut ſint etiam æſtate paſcui, exhibeantque greges ſemper perficientes. Inter cætera autem, querceta ſunt & ſylvæ mirabiles circa rupes, faltuſque & incultos colles, ex quibus multum quidem cum ſit ad fabricandas naves materiæ & facultatis, multum quoque ad reliqua opera opportunitatis, nulla pars harum neque invia, neque ab uſu hominum procul poſita, ſed operoſa ſunt omnia, & advectu facilia propter fluminum multitudinem, quæ reginem permeant, faciuntque invectiones fructuum & commercia percommoda. Habet quoque regio ipſa lacices aquarum calidarum in multis repertos locis balneas præbere ſuaviſſimas, atque morbis diuturnis

nis ſanandis optimas. Habet omnis generis metalla, & ferarum venationes copioſas, & naturam maris piſcoſam. Aliaque habet innumera, alia percommoda, alia mirabilia. Verum omnium pulcherrimum eam habet aeris temperiem ad tempora proportionabiliter, ut nec exceſſu frigoris, nec caloribus intenſis fructuum proventum lædat, neve animalium propagationem, ut minime mirum ſit opinatos Priſcos hanc terram Saturno ſacram, cum hunc divum putarent eſſe hominibus felicitatis omnis largitorem & perfectorem; (ſive Chronon vocari oportet ipſum, ut Græci volunt, ſive Cronum, vel Saturnum, ut Romani, omnem mundi comprehendentem naturam, utrovis nomine quis eum vocet) videntes autem homines regionem plenam omnis copiæ, gratiæque, quam appetit mortale genus, volenteſque oblationem divinoque & humano generi eſſe locorum omnium aptiſſimam, montes & ſaltus dicarunt Pani, prata Nymphis, & loca virentia, littoraque & inſulas Diis marinis, & alia quoque, ut erat cuique decorum & geniorum congruum. *Item Strabo* lib. v. *de Italiæ forma plura, atque præter cætera ait:* Ut autem ſummatim dicam, Italia pecorum & frugum præſtantiſſima nutrix eſt. Cæteræ partes aliis atque aliis in rebus principatum adipiſcuntur. *Et* lib. vi. Hujus generis, hujuſque magnitudinis Italia eſt, cum multa à nobis diſputata ſint, nunc ampliſſima ſignificamus, quibus hoc tempore ad tantum majeſtatis faſtigium res Romana conſenderit. Unum quidem quod inſtar inſulæ tutam in circuitu maria cuſtodiant, paucis exceptis partibus, quæ tamen inacceſſis, uti muro, montibus vallatæ ſunt. Secundum eſt maxima ex parte ipſius importuoſitas, & quod Siculi portus exſiſtunt magnitudine & excellentia mirabiles adſtant adverſus externorum impetus commodi. Nec minus ad inferendas incurſiones, quam ad ipſam mercaturæ, commoditatem & abundantiam. Tertium aeris univerſi temperies, cui ſubjacet. Ad quam varietatem animalia, arbores, &, ut paucis ſimpliciter dicam, cuncta, quibus utiliſſimus mortalibus victus ſuppeditatur, plurimam diverſitatem habent, ſive bonum, ſive malum dixeris. Ipſius longitudo à Septentrione in Meridiem ut plurimum extenditur. Cujus longitudinis additamentum eſt Sicilia, talis & tanta perinde ac ejus pars eſſet. Aeris temperies & intemperantia pro caloris & frigoris & horum mediocritatis conditione dijudicatur. Itaque cum tanta longitudine, qua nunc eſt Italia, eam in amborum exceſſuum medio jacentem, plurimam temperate conditionem continere neceſſe eſt, modiſque plurimis. Id etiam alio ibi pacto contingit, nam cum montes Apennini perpetua longitudine porrigantur, cumque latus utrunque campos & colles frugiferos emittat, nulla pars exſtat, cui non montanis & campeſtribus bonis frui contingat. Adde fluviorum magnitudinem & copiam. Ad hæc frigidarum & calidarum ſcaturigines aquarum, quas ad mortalium ſalutem parens natura compluribus in locis comparavit. Quid diverſorum facultates metallorum? Quid materiam atque eſcas hominibus ac pecoribus attributas? Quis fructuum ubertatem atque bonitatem pro dignitate differat? Inter gentes quidem ampliſſimas, & Græciam ipſam, & excellentiſſimas Aſiæ partes media conſiſtens, virtutis præſtantia & amplitudine ad circumſtantibus imperandum nata eſt ex vicinitate ſubjugandorum facultatem nacta. *Budæus* libro v. de Aſſe, *Italiam* bonarum literarum magiſtram *vocat. Et rurſus Italiam* omnium gentium magiſtram *appellat. Et præter eas nobiles herbas, quas Plinius in Italia naſci ſcribit, alias quoque claras atque optimas in ea provenire Græci auctores tradunt. Dioſcorides nardum Celticam, & terreſtres cochleas medicæ artis uſibus probatiſſimas in Liguriæ, Alpibus naſci prodit. Avicenna, Meſue, cæterique medici, Romanus Italoſque aniſum, & abſynthium, & gentianam, & pæoniam, & ſpicam laudant, ſcordiumque Italicum odoratius eſſe Cretenſi aſſerunt. Democritus laudat ſtibium Italicum, Geber laudat antriolum Romanum. Item Galenus libro* I. Antid. *ait:* Multa medicamenta per ipſam Italiam partim ſponte naſcuntur, partim arte fiunt, veluti Dicearchiæ, Puteoli nunc dictæ, ærugo, ceruſſa, æs, æris ſquamma, & quædam alia, & Romæ lithargyrium, hoc eſt, argenti ſpuma. *Et rurſus:* Nullus Romæ unguentarius exſtat, qui Creta allatas herbas, & ipſarum ſemina non agnoſcat. At in ſuburbanis urbis non paucas ex ipſis naſcentes prorſus ignorant. Iccirco nec quo tempore ſemen ferant, obſervant. Ipſe vero & chamæpityn, & chamædryn, & thlaſpin, & centauream, & hipericum, & polium, & id genus herbas alias Romæ vidi, quas obſervato tempore, quo vigent, neque æſtivo ſole arefactas, nec citius, quam par fuit, evulſas, collegi nondum concoctis ſeminibus aut maturis. *Et rurſus:* Polium & chamædrys duo hæc Romam afferuntur natis in Italia parum meliora. In aliquot ſiquidem Italiæ locis haud multum deteriora proveniunt illis annis, quorum univerſum ver humidum non fuerit. Sed ſicuti ſæpe contingit æſtivo tempori ſimile. Quod ſi veris conſtitutio ſiccior obvenerit, multa, quæ in Italia naſcuntur, pluribus Creta allatis paria erunt, veluti chamædrys, chamæpityx, hipericon, gentiana, thlaſpis, helleborus niger, & id genus alia. *Et rurſus:* Romæ ſiquidem in ſuburbanis prædiis, & chamæpityn, & chamædryn repperi multo plus redolentes, quam Creta advectas, ſi tamen continuis imbribus obortæ non fuerint. *Et alibi:* Oleum Sabinum optimum eſt, quod tenuiſſimum ſit. *Et Athenæus* libro III. Laudantur ficus, quæ Romæ naſcuntur, Calliſtruthiæ, & alia ficuum genera, velut Chia, Calcidica, & Africana dicta, ſicut Herodotus Lycius in commentario ſuo de ficubus ſcriptum reliquit. *Theodoricus rex in epiſtola, quæ eſt* ad Theonium, *apud Caſſiodorum* lib. I. Epiſtolarum, *conchylium in Hydruntino mari naſci oſtendit. Et præter hæc, quæ ab his Auctoribus commemorata ſunt, alia quoque pleraque in Italia aut naſcuntur, aut fiunt. Nam terebinthus, platanus, vitex, cedrus, oleander, ſiliqua ſilveſtris, crocus ſilveſtris ſponte in Italia*

** ***

naſcun-

naſcuntur. Siliqua ſativa multis locis in Italia eſt. Palmæ & Romæ & alibi in Ital. frugiferæ ſunt, & fructus matureſcunt. Frugiferæ arbores multigenæ ſunt, & harum quædam biferæ, vites vero etiam triferæ & quatriferæ. Exſtant & glandiferarum arborum omnis generis ſylvæ. Item omnis generis ſylveſtrium arborum ſylvæ, quæ igni, navibus fabricandis, tectorum tigni, domorum utenſilibus conficiendis uberem ac præſtantiſſimam materiam ſuggerunt. Aucupia omnis generis alitum, & venationes itidem omnis generis ſylveſtrium animalium eſui accommodatorum perpulchræ fiunt. Thynnorum captura ingens fit, qui ſale in cadis condiuntur. Fiunt & pulchra cepurica oleraque. Exſtant & paſſim balnea ſalubria, ac fontes ſaliſantes aquam ſcaturientes, ex qua fit muries. Fiunt & ſaccharum, crocus, coriandrum, cardamomum, fœnugræcum, cuminum, ſeſama, goſſipium, ſericum, panni nobiles lanei, lintei, goſſipini, & ſerici, & ſigulina vaſa præcipua. Naſcitur marmor, alabaſtrites, gypſum, ſal foſſile, lapis ophites, lapis ſpecularis, lapis obſidianus, lapis molaris, eos aquatia, ſilex, ſmiris, magneſia, pumex, gagates, gagites ſive atites, beryllus, cryſtallus, chalcanthum, ſive atramentum, rubrica Synopica, ſive bolum, rubrica fabrilis, ſynopes, ſtibium, hæmatites, alumen, ſulphur, corallus, agaricum, ſit pix, legitur manna. Herbarum quoque nobilium medicæ artis uſibus referta eſt Italia. Nam præter eas, quas Plinius, Dioſcorides, & Galenus in Italia naſci ſcribunt, proveniunt & tragium, pſeudodictamum, radix Rhodia, radix Idæa, meum, rhaponticum, iris, panax Æſclapei, Chironica, & heraclea opopanacem gummim fundens, pixacantha, plantæ, quæ ſtyracem & dragacantham gummim ſudant, nardus montana, nardus Celtica, aliæque innumeræ nobiles herbæ, ut minimum Cretæ aliiſque regionibus invideat Italia. Planta, quæ ſtyracem fundit, provenit in Latio agro Tyburtino, baccas ſert colore cæruleo, quibus capræ veſcuntur, flores emittit candidos. Nobiliatur & felici illo Apennino monte, qui ab Alpibus perpetuis jugis Rhegium uſque protenditur, in quo omnia bona naſcuntur. Curæ eſſe debet ſingularum Italiæ regionum primatibus ac potentibus conterraneos ſuos eruditos viros deligere, qui regionem quiſque ſuam accurate & fideliter ſcribant, & quæ à veteſtis auctoribus dicta ſunt, & quæ regio gignat perſcrutantes. Sicut ego de Calabria feci, ut inde unum totius Italiæ volumen conficiatur. Nam haud dubium quidem multa memoratu digna gignit Italia priſcis auctoribus ignota. Illis autem herbis, quæ ſponte in Italia non erumpunt, minime egeremus, ſi deſidia abeſſet, ſed illis inſtrueremus hortos. Quandoquidem piperis arborem in Italia, & caſſiæ, & thuris, & myrrhæ, & hebeni, & balſami, & piſtatiæ, & myxæ plantas Romæ fuiſſe oſtendimus. Citrus, ait Plinius, nonniſi apud Medos, & in Perſide naſci volebat, Palladii tempore, Neapoli tantum, ut ipſe ſcribit, erat, nunc ea referta eſt Italia. Item Armeniacus, Perſicus, prunus Damaſcena, ceraſus, tuber, zizypha, meſpilus, tricocus, peregrinæ plantæ ſunt. Cannæ, ex quibus fit ſaccharum, crocus, ſeſama, goſſipium, bombyces, qui ſericum conficiunt, aliunde in Italiam advecti ſunt. Quod Italiæ, ut probe Columella ait, curæ mortalium obſequentiſſima ſit. Naphtam, Aſphalatum in Italia eſſe quidam tradunt. Habuit & Italia ſuum Herculem & Achillem. Nam Ruſticellus homo Romanus ob prodigioſas vires Hercules eſt appellatus. Is, ait Varro apud Plinium lib. VII. cap. XX. mulum ſuum tollebat. *Licinius Sicinius Dentatus, ut auctor eſt Gellius* libro II. cap. XI. *ingentis fortitudinis vir fuit, qui centies & vigeſies cum hoſte congreſſus eſt, & nec ullum vulnus averſum accepit, adverſa vero quadraginta quinque tulit: quare Romanus Achilles eſt nuncupatus, de quo plura Plinius* lib. VII. cap. XXVIII. Aulus Junius Valens, *ait Plinius* lib. cit. cap. XX. vehicula cum culeis onuſta, donec exinanirentur, ſuſtinere ſolitus eſt. Carpenta comprehenſa una manu retinere obnixius contra nitentibus jumentis. Et alia mirifica fecit. Fuſius Salvius, *ait idem ibidem*, duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duo humeris contra ſcalas ferebat. Scæva, *ait Sueſonius in* Cæſare cap. LXVIII. excuſſo oculo, transfixus femore & humero centum & viginti ictibus ſcuto perforato, cuſtodiam portæ commiſſi caſtelli obtinuit. *Milo Crotoniata, ait Solinus* cap. IV. *omnia egit ſupra quam homo valet. Cum conſtitiſſet nemo eum veſtigio educebat. Malum tenenti nemo digitum corrigebat. Cucurrit biduo centum quinquaginta mil. paſſ. ab Athenis Lacedæmonem. Taurum quatrimum ictu nudæ dextræ occidit, & humeris ſuſtollens ſtadii ſpatio portavit, eumque eodem die comedit, unde proverbium*, Bovem in faucibus portat. *Plinius* lib. VII. cap. XX. *Ægon Crotoniata ungulas à tauris viventibus avellebat, & eos humeris ſuſtollebat, in montes currens tauros ſuperabat. Euthymus Locrenſis ſemper Olympiæ victor, ac vivus conſecratus, in deorumque numerum relatus.* Tritanus gladiator ex Samnio, *ait Varro apud Solinum* cap. IV. rectis & tranſversis nervis non modo crate pectoris, ſed & manibus cancellatis & brachiis omnes adverſarios levi tactu ac pene ſecuris congreſſionibus vicit. Ejuſque filius, miles Cn. Pompeji, pari modo natus, ita ſprevit hoſtem provocantem, ut inermi eum dextra & ſuperaret, & captum digito uno in caſtra Imperatoris ſui reportaret. *Demum Itali parva manu, ut dixi, magnos externarum gentium exercitus ſuperarunt. Sic & ſinguli ſingulos, bini binos, deni denos & pedeſtri & equeſtri pugna ſemper vicerunt. Nam ſi pauci ſuperant multos, certe terni ternos. Ex decem Sibyllis tres Italæ fuere, ut Lactantius ait* Inſt. Divin. *lib. I. cap. VI. ſcilicet Cumæa, Amalthæa, & Albunea. Longum eſſet omnes clariſſimos viros Italos, qui omni ſcientiarum atque artium genere, item ſanctitate floruerunt, recenſere.*

Hæ ſunt Italiæ laudes. Quæ fauſta, felix, fortunataque regio naturæ manibus fabricata, & ad imperandum aliis, & ad illos adjuvandum nata eſt. Quare meminiſſe perquam velim Italos meos, ſe eos eſſe, qui Romana virtute duce & auſpice Barbaris glorioſe imperare, non turpiter ſervire ſoliti ſint. Quod ſi quid horum, quæ humanæ vitæ ſunt neceſſaria, deeſſe nobis videtur, id non Ita-

Italo felici & perbeato ſolo, quaſi infrugifero & infœcundo, cum ſit feraciſſimum, tribuendum eſt, ſed inertiæ. Nam agricultura veluti vile & ſordidum opus adeo negligitur, ut ei parum operæ impendatur. Cum, ut gnare Cicero Offic. *libro* I. *cap.* 42. *ſcribit*, omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius. *Et Xenophon, in* Catone majore *Ciceronis* cap. 17. nihil ſibi tam regale videri *ajebat*, quam ſtudium agri colendi. *Et Cyrum regem Perſarum præſtantem ingenio atque Imperii gloria manu ſua arbores ſeruiſſe, agriculturamque exercuiſſe, aut. Jam vero, ait Gellius, is, qui per deſidiam feracem agrum ſinebant ſterileſcere, cenſoria nota inurebatur. Et Scipio Naſica petitæ edilitatis repulſam eſt paſſus, quod adoleſcentem competitorem, cui erant ruſtico opere duratæ manus, quaſi illudens interrogaſſet, nunquid manibus incederet. Attilius Calatinus & L. Quintius Cincinnatus, præter alios, ex agris acciti ſalutem publicam peperierunt. Quocirca cum virum bonum laudarent, vir, ait Cato, laudare ſolitus, bonum agricolam, bonumque colonum.* Non enim, *at Columella* Præf. *lib.* I. ex agrorum infœcunditate, aut cœli per multa jam tempora noxia frugibus intemperie, nec quod ubertate nimia prioris ævi defatigati & effœti nequirent priſtina benignitate præbere mortalibus alimenta. Cum neque fas ſit exiſtimare humi naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donavit, quaſi quodam morbo ſterilitatis affectam, neque prudentis eſt credere, tellurem, quæ divinam & æternam juventam ſortita, communis omnium parens dicta ſit, quia & cuncta peperit ſemper, & deinceps paritura ſit, velut hominum conſenuiſſe. Nec poſt hæc reor intemperantia cœli nobis iſta, ſed noſtro potius accidere vitio, qui rem ruſticam peſſimo cuique ſervorum, velut carnifici, noxiæ dedimus, quam majorum noſtrorum optimus quiſque optime tractaverit. ..... Cum ſine dubitatione proxima, & quaſi conſanguinea ſit ſapientiæ, ac ſine agricultoribus nec conſiſtere mortales, nec ali nequeant. Nunc quaſi ſordidum opus tam diſcentibus eget, quam magiſtris. ..... Et (ut M. Varro conqueſtus eſt) omnes patresfamiliæ, falce & aratro relictis, intra murum correpſimus, & in circis potius ac theatris, quam ſegetibus & vinetis manum movemus: attonitique mirramur geſtus effeminatorum, quod à natura ſexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos ſpectantium. Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exuſto ſudore ſtim quærimus, nocteſque libidinibus & ebrietatibus, dies ludo, vel ſomno conſumimus. Ac nos ipſos ducimus fortunatos, quod nec Orientem ſolem videmus, nec Occidentem: itaque iſtam vitam ſocordem perſequitur valetudo. Nam ſic juvenum corpora fluxa & reſoluti ſunt, ut nihil mors mutatura videatur. At Mehercule vera illa Romuli proles aſſiduis venatibus, nec minus agreſtibus operibus exercitata, firmiſſimis prævaluit corporibus, ac militia belli, cum res poſtulavit, facile ſuſtinuit, durata pacis laboribus, ſemperque ruſticam plebem præpoſuit Urbanæ. ..... Et nonis tantummodo diebus Urbanæ res agebantur, unde & ob id nundinarum conventus inſtituti ſunt, reliquis ruſticæ adminiſtrabantur. Et ſegniores habebantur ii, qui ſub umbra civitatis intra mœnia deſides cunctabantur. Contra qui rura colebant & colonorum opera adminiſtrarent, quibus temporibus proceres civitatis in agris morabantur: & cum conſilium publicum deſiderabatur, à villis accerſebantur in Senatum. Ex quo qui eos evocabant, Viatores nominati ſunt. Uſque mos dum ſervatus eſt, perſeverantiſſimo colendorum agrorum ſtudio veteres illi Sabini Quirites, atavique Romani, quanquam inter ferrum & ignes hoſticoſque incurſionibus vaſtatæ fruges, largius tamen condidere, quam nos, quibus diuturna permittente pace prolatare licuit rem ruſticam. Itaque in hoc Latio & Saturnia terra, ubi dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerant, ibi nunc ad haſtam locamus, ut nobis ex tranſmarinis provinciis advehatur frumentum, ne fame laboremus; & vindemias condimus ex inſulis Cycladibus, ac regionibus Ibericis, Galliciſque. *Et libro* VIII. *cap.* XVI. Magni enim æſtimabat vetus illa Romuli & Numæ ruſtica progenies, ſi Urbanæ vitæ compararetur villatica, nulla parte copiarum defici. *Quæritur Varro, quod præter cætera, in qua terra culturam agrorum docuerunt paſtores progeniem ſuam, qui condiderunt urbem, ibi contra progenies eorum propter avaritiam contra leges, ex ſegetibus fecit prata, ignorantes non idem eſſe agriculturam & paſtionem.* Et quidem Romulus, *ait Dionyſius Halicar.* Antiq. Rom. *lib.* II. *cap.* LXXIII. ſedentarias & ſordidas, cupiditatumque adjutrices artes tanquam dirumpentes delenteſque corpus & animum exercentium, ſervis & advenis tractandas exhibuit. Duo vero tantum ſtudia reliquit liberis, agriculturam & belli artes.

Hæc pauca de laudibus Italiæ *dicenda mihi viſa fuere.*

F I N I S.

SERIES SCRIPTORVM,

Qui in primo Tomo Thesauri Antiquitatum Italiae inveniuntur.

PARS PRIOR.

abriel Barrius *de Laudibus Italiae*, Exstat in Praefat. Pag. (9)
Petri Leonis Casellae *de Primis Italiae Colonis Liber.* 1
Jacobi Bracellii, Genuensium a Secretis, *Orae Liguſticae Deſcriptio.* 49
— — — — *De Claris Genuenſibus Libellus.* 57
Gaudentii Merulae *de Gallorum Ciſalpinorum antiquitate ac origine Libri* III. *novis annotationibus expoliti & aucti.* 65
Bonaventurae Castillionei, Mediolanensis, *de Gallorum Inſubrum antiquis ſedibus Liber.* 161
Vberti Folietae Patritii Genuenſis, *Hiſtoriae Genuenſium Libri* XII. *auctior & emendatior.* 201

PARS POSTERIOR.

Vberti Folietae, *Clarorum Ligurum Elogia. Juxta poſtremam Editionem, Romae* MDLXXVII. *ceteris auctiorem ac emendatiorem, pauciſque viſam; quippe cujus nulla fit mentio in Catalog. celebriorum Bibliothecarum.* 745
— — — — *Conjuratio Joannis Ludovici Fliſci.* 877
— — — — *Tumultus Neapolitani.* 899
— — — — *Caedes Petri Ludovici Farneſii, Placentiae Ducis, ex univerſa hiſtoria Rerum Europae ſuorum temporum.* 929
— — — — *De Sacro Foedere in Selimum Libri* IV. 937
— — — — *Ejuſdem variae Expeditiones in Africam, cum Obſidione Melitae.* 1091
— — — — *Opuſcula nonnulla varii Argumenti: nempe*
— — — — *De Ratione Scribendae Hiſtoriae.* 1189
— — — — *Tyburtinum Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis.* 1217
— — — — *Brumanus, ſive de Laudibus Vrbis Neapolis, & alia ejuſdem Auctoris.* 1225
Jacobi Bracellii *de Bello, quod inter Hiſpanos & Genuenſes ſeculo ſuo geſtum, Libri* V. *Additum eſt Diploma mirae antiquitatis Tabellae in Agro Genuenſi repertae.* 1261
Jacobi Bonfadii *Annalium Genuenſium ab anno* MDXXVIII. (in quo definit Vbertus Folieta) *recuperatae libertatis uſque ad annum* MDL. *Libri* V. *in lucem editi a* Bartholomaeo Paſchetto, *in hac vero poſtrema Editione ab innumeris mendis repurgati.* 1323
Hieronymi de Marinis, Patritii Genuenſis, *Genua, ſive Dominii, Gubernationis, Potentiae, Dignitatis, Sereniſſimae Reipublicae Genuenſis, compendiaria deſcriptio.* 1411
Petri Bizari *perbrevis Diſſertatio de Vniverſo Reipubl. Genuenſis ſtatu & adminiſtratione.* 1451
— — — — *Reipublicae Genuenſis Leges Novae, a Legatis Summi Pontificis, Caeſaris & Regis Catholici, in quos per Rempublicam collata fuerit auctoritas, conditae; & Genuae die* XVII. *Martii* M. D. LXXVI. *publicatae, ac in lucem editae a* Petro Bizaro. 1467



PETRI LEONIS CASELLAE

DE PRIMIS

ITALIAE COLONIS

LIBER.

THOMAE LATINO CASELLA.

ETRVRIAM uno in libello, quem tuo inſcripſi nomini, Italiæ auctarium noram ab origine. Italia itaque tibi adaucta ex integro tibi inſcribitur: ut ſi quid in hocce opere relegi dignum Lector animadverterit, mea opera tibi gratias agat. Et utinam in millibus ego tibi, qui mihi unus es pro millibus, & in ſingulis omnia optime meritus.

PE-

1-181
ad I

PETRI LEONIS CASELLAE
DE PRIMIS
ITALIAE COLONIS
LIBER.

ITALIAM ab origine incoluere Aborigines, Jani admoniti, Comero Duce, huc præmissi coloni. Naves dixeris sensiles, quæ cœlesti numine, assantibus auris, præluentibus stellis, vasta & varia commissos sibi prætervexere per maria. Advenit & Janus placida exceptus Tiberis vehitura, quicum novi Aborigines. Advenit & Vesta mari supero ad Aterni ostia, cui montana magis & illius fluminis placuere fontes: ab ea Vestini. Supervenit deinceps Sabatius, eo ipse divino deditus cultui: unde & Saga dictus est, & ab eo Sabini, & Curetes: & ultra Tiberim Tusci, Sagi, & Veii. Janus enim figendarum sedium locum delegit, & sibi eundem juxta flumen, ubi deinceps Roma à primordiis Regina gentium, quod hæc præsideret sentissimus populorum Pater, & Rex. Hæc itaque, sicut ego accepi, in historiam pro virili disponam, ita ut legenti expolita & enucleata appareant. Proinde Vestinorum Regia, Amiternum certe à loci situ sic appellatum, licet conditorem antiquitatis monumenta litteris non prodant: indicio tamen sunt ingenuæ nobilitatis, & gentis originem adserunt vetustissimam. Sic quæ profanos non admisit intuitus, suo ipsa in lumine Vesta latet. Ea fuit Arctia Jani, qui & Noe uxor inter Janigenas mater, & Regina præsidens, quæ sempiternum sacrificiorum ignem delectis credidit Virginibus, ex hujusmodi cura, disciplinaque Vestalibus clarissimi semper in Italia nominis.

Cæterum de adventu Jani ita majores ratiocinantur, ut factum adstruant anno post Diluvium CVIII. qui & XXIII. ante Regnum Babylonicum, & Turrim illam, in qua linguarum confusio facta est. Deinde ad disponendas colonias orbem terrarum peragraturus ratem solvit: huc redeundi tamen concepta spe, ubi jam senior requietem sibi delegerat: quod hæc Regio Reginam suo in solio orbi præsidentem in stola (si orbis situm advertas) repræsentat Europam, cujus Italia brachium dextrum, quæ coronatam sustinens tripodem sospitibus & hospitalibus offerat Dis. Tripos autem ipsa est Sicilia, quæ & penus & horreum. Ea igitur figura nihil optatius magis optimo Regi, sanctissimo Patrisamilias. Ager vero is est, qualem laboriosior & industrior agricola exoptaret, idemque prosaret, ubertate omnigena colono, quantumvis avido, & hero excultiori exuberans: laudaturque in libris Sibyllinis, & ager, & agricola populus hoc elogio:

Omnibus copia quas annus fert affluens,
Et vita illis decemter jucundissima.

Interim præmiserat in Italiam Janus Cranum, & Cranam, quæ & Carnia, & Crania, filios natu maximos, & eorumdem subrescentem sobolem, cum Comero Gallo, & ejusdem filio ex Japeti genere. Comerus itaque regionem suo de nomine cognominat Comeram, urbes certas per stationes curribus designat mobiles, populum legibus & justitia instruit. Hi itaque in Italia Janigenarum Principes, conditores urbium, patres populorum. Janigenæ humanum quidem genus omne: sed Itali & Armeni tantum hoc recensentur nomine, ex quibus Griphonii advenere MLXXXIII. post annum, & perbenigne ab Auruncis susceptis, sedes juxta nostrates adepti leguntur; sed liber is alienam per imposturam non integra fide legitur. At nos quæ in rem nostram faciunt, ea per irrefragabilia auctorum testimonia confirmata certa fide contestabimur. Quæ vero de eorundem locorum nominibus perpetuo testimonio probabilia erunt, probabilia allegabimus: in reliquis vero ab alienis mendaciis nostram fidem sincere vindicabimus.

Sed priores in Italia Janigenæ: postremo potissimum loco geniti Cranus & Crana, & eorum posteritas hoc peculiari titulo & paterna dilectione nobilissimi gentium. Hi quod adulterinum intra suos non admiserint genus, quod nuptias benedictione celebraverint, & quod per benedictiooem fœcundissimi multiplicarint; quod Cranus puer Camillus patri, Crania Virgunculæ delicata matri, utrique sacrificantibus ministri parentibus adessent, & in domestico obsequio assidui. Hi amor & delicium, qui & senectutis filii, qui parentes moribus, & vultu, ac pietatis referrent studio, & in educandis liberis amanti excubarent severitate pervigiles, eosque ad concordiam, & laborem, ad virtutem, & religionem quasi ad certum instruerent patrimonium. Hi itaque posito altari, coronatis laribus, & quæ pro laribus, domi aderant instrumenta ad focum, quæ & alibi constitutos pharos dicas, & candelabra. Hi generosiores in dies, germinata soboles, masculi scilicet, & femellæ certo anoi tempore. Sed & eadem soboles cum adolevisset, in idem convenichant matrimonii vinculum, germanitate, iisdem natalibus, & morum similitudine probatum. Unde Cranus & Crana primum, deinde, ut etymon in his Italiæ appareat, Thalus & Thalia appellati ætate florentes scilicet compares. Hæc in Janigenis Vestinis prænomina perseverarunt, & Thalassionem, id est, auspicatam, germanam, perennem, adæquatam, viri & uxoris concordiam in nuptiis legimus, & repetitam optionis vocem genialem circa thalamum. Itaque ipsum in Italo vocis etymon divinum denotat genus. Neque enim à Græcis exteris exquirenda nostri sermonis significatio est. Græcis sua commenta superabundent licet: nos quidem & bobus utimur, & eorum generositatem exercemus perutilem. Neque incongruum est in hujusmodi explicationibus immorari, cum nostri instituti sit primo loco de Originibus tractare.

At humani generis ea constitutio est, ut hominem esse solum non probarit hominum artifex, & omnium arbiter Deus, qui soporato homini costam tulit, eamque in mulierem ædificavit illis in verbis, ad luculentissimum facti testimonium usus, *Et erunt duo in carne una.* Is idem post Diluvium, Noeti, & uxori, & filiis, & uxoribus eorum (in quibus humani generis emissariis præservatum est genus) multiplicationis gratia benedixit. Quare Noetis posteri in hujusmodi, & unitatis, & communionis opportunam necessitatem, symbolum voluere, quod diximus domesticum in laribus, qui ligna ad ignem supposita sustinent, in quibus alii Janum, & Ve-

ſtam intellexerunt : alii vero Cranum, & Cranam : in ſobole enim ratio conjugii conſtat, & vitæ communio ab ipſo principio, & lucis exordio, continuata viciſſitudine in ſequelam perpetuitatis. Quamobrem Iares ipſos Solem & Lunam interpretati ſunt, qui à Dei cultu recedentes, & ad creaturarum idololatriam tranſeuntes, de pietatis ſemita declinarunt : immo & maſculos voluere utroſque, quaſi ad maſculam virtutis gloriam nuncupatos, qui, & numina, & nomina ad Deitatis multiplicationem pro libito commenti ſunt : ita ut in Picumno virum, in Pilumno vero uxorem deſignarent : quorum concordia & diligentia fit, ut in communione victus nihil unquam deſit, dum vir viciſſim comparat, & congregat in penu : uxor vero vitiliter diſtribuit ad quotidianum victum, apponens quod ſufficiat, & ad communis ſoci fragorem, quod nidore ſuo domum odoret, & vicinam : rie quis negligentiores homines ibidem incolas deſides arguat, eos intra pacietes, infra hominum virtutes flocci, & nauci, & proinde qui viri ſunt & rite, & ſobrie, & hilariter, epulantibus, & divinis in laudibus hymnos concinentes aderant, Caji filii ſcilicet, ad cumulanda parentum gaudia progeniti, coronati floribus. Deo itaque primum ſacrificare, deinde etiam majoribus ſuis libare generoſiſſime Italiæ conditores didicere : deinde & docuere publice, & privatim, ita ut antiquius haberent nihil.

Quamobrem domeſtica in ara, privatis in ædibus, Paterfamilias, quaſi Rex ſacrificulus, ſacra faceret, & familiaribus epulum daret, & majorum exempla ad excitandam in juvenibus æmulationem per virtutes referebat : exinde Axamenta, præcinens ipſe idem chori magiſter apophoreta, tandem largiebatur generoſus munerarius in circulo pietatis & lætitiæ conventu.

Hucuſque de Italiæ conditoribus, nec dum ſatis, quos Patres pattum merito recolit Italia. Iri es primum Umbri intercogniti quaſi cataclyſmi fontes, & voragines ſubſidentia adhuc trepidi devitent loca, editiora incolere, in cavernis, cameriſve : deinde etiam, & domicilia habere, & vicos, & oppida, & urbes per apricos colles, & convalles uberes. Turris vero pro metropoli in campeſtri conſtruebatur media, quo munitam omnino refugii arcem haberent : quin imo, & pro temporis, & locorum opportunitate prioribus uti vehiculis, has curules diceres domos, rotabiliſve arceras, tectas undique quaſi arcas. Quod infra ſubſolario quidem ſtabulum jugarum, & pecoris, ſupra vero diſtributis officinis domus eſſet tabernaculo, & tenſis. Sed & loca inacceſſa, ſive in montanis, ſive in paluſtribus, qualis Issa inſula deſcribitur : quæ enim natura ipſa munitiora ſunt, ea ſuccedunt laborioſiores, aut vado penetrant, quod eu LABORVM RELEVAMEN SECVRITAS.

Quamobrem uberrimi in planicie agri, tanquam iri arena conſiſtere, loca communire mœnibus, & acmis, & conſilio rem tueri publicam inſtituctiores didicere, & pro patria ferro decernunt fortitee. His actibus Aborigines indigenæ ceputantuc, & eorum urbes ccc. numero novit Plinius, & Strabo ex lectione plurima hæc de Aboriginibus indigetibus ex Italia *lib.* v. & xiv. & alibi. Hi pcimum in montanis paſſim ſine mœnibus vicatim habita verunt. Sed poſtquam Pelaſgi, & cæterorum Græcorom ipſis admixti opem in debellandis finitimis tulerunt, exacta inde Sicula gente, oppida crebra munierunt, ſubigeruntque ſibi totum id terrarum ſpatium, quod annes duo Liris & Tiberis terminant. Hi orti ex imis Apennini montibus Italiam, quam maxime longa eſt, ſecantibus mediam, erumpunt in Tyrchenum pelagus, nccc. fere ſtadiorum inter utriuſque oſtium interſtitio. Horum Tiberis à Septentrione prope Oſtiam urbem ſe exonerat : à meridiano tractu Liris Minturnamalluit, ambas Romanorum Colonias. Eas ſedes perpetuo tenuit IDEM GENVS HOMINVM : INDIGETES ſcilicet, matatis tantum appellationibus vetus Aboriginum nomen ſervantes. Et poſt pauca : Cæterum Aborigines auctores Romani generis, Italiæ indigenas alii, ſuique corporis gentem adſerunt, (ITALIAM VOCO GENTEM ILLAM OMNEM quantum Jonius, & Tyrrhenus ſinus, tertiaque ab continenti tecta amplectitur Alpes) nomen eis inde ajunt impoſitum, quod poſteris ſuis originis ab ſe fuerint auctores. De Liguribus vero fabulantes rejcit. Et idem poſt pauca : Ex Antiochi Syracuſani conteſtatione, & Antiochi Xenophanis teſtimonio, & vetuſtu monumentis, & ipſe in eandem ſententiam adſtipulatuc. Terram hanc, quæ nunc Italia dicituc, olim tenuere Oenotrii : deinde commemoratis eorum mocibus, ac forma Reipub & quod Regnum tandem Italo delatum eſt, & ab eo denominatam Italiam : Morgetemque huic ſucceſſiſſe, à quo Morgetes ſint vocati : & quia Siculus à Morgete hoſpitio ſit exceptus, proprium principatum in ea gente conſtituerit. Tunc hæc ſubjicit : Oenotrium, Lycaonii filium xii. ex Arcadia novas ſedes quærere compulſum, una cum Peucetio in Italiam venit, & à Peucetio in Italis Peucetii.

En quot Græci, tot etiam commenta : his adde etiam quotquot iri Herodoti vecba jurati hiſtorias ſcriptitarunt. Nam & ſub Umbrorum nomine Aborigines, immo omnem, quantain Montanis Italia eſt, comprehenſam volunt : invidianc an oſcitantia incertum, falſo tamen. Qua oblata lectoribus offa, univerſam confundunt Italiam : in Græcorum colonias confarreatam ut credant. Et quidem rationalis, ſi qui alienam rem deperditum eat, eandem primum intervertat, tum quaſi decoctam abliguciat. Atego te, Apennine, inconcuſſæ auctoritatis Patrem appello Judicem, qui primus ab origine cognitos hoſpites, & incolas à diluvii vorticibus fugientes, tua ſub juga, quibus cœlo proximus es, tuas intra cameras excepiſti. Unde ſi quando egredi auſi ſint, & ad victus neceſſitatem terram colece, tum demum Umbros appellatos, eodem ſub Comero Gallo Duce, eodem, inquam, tempore, eundem, inquam, populum diverſo nuncupatum nomine, Aborigines ſcilicet & Umbros. Quorum omnium magno malo Cameſenuus huc adveniens obtinuit pene omnia : obtriveratque morum corruptor, blaſphemus, exlex, matrimoniorum violatoc, abſente Jano, abſente item Comero ; qui tamen comeducet, Crano, & Crana, & eotum poſteritate adjutus, de Jani præcepto omni tandem Cameſenuum pepulere Italia. Sed & ejuſdem ſectæ convenam, & adveniam, populum & corruptos Comeros in Montanu coercuere ſecundum Apennini ſinus : intra tamen Umbros, Sabinoſve : exinde Montanos ex origine, & commixtione agnoſcas Aborigines incluſos, & ſegregatim ab eiſdem incorruptos Aborigines prioribus in ſedibus : utriſque tamen, communi omnium conſenſu ſuffragioque, Carnam Helernam, cum ſceptro ſcilicet, & faſcibus duodecim præfecit Janus. Scepttum vero ipſa alba eſt, haſta ſcilicet pura, ut Vertunum dicas alterum in cardinum poteſtate : unde & Cardia riuncupatur, & Cardinia, quod ei colonias deducendi vis eſſet, & omnigena ſacrorum cura commiſſa. Præſeditque in convallibus ANSANCTI mediis caſtrametata. Jani auſpicio item & prætorium ſtatuit, ubi jus populo redderet, qui circumcirca in figendu aderat ſedibus : aram velis circundatam & ignem excitat, quo nihil antiquius, nihil proprius meminerint, qui publicum ignem ante privatum novecint focum. Itaque ſupplicare D. O. M. & pcimitias offerre, & legitima vota perſolvere didicere frugi homines. IN PRECIBVS SIQVIDEM immorari, vires colligere eſt : cum pietate obeunda adire negotia, profligace eſt. Fortitudini & Juſtitiæ omnia cedunt. Pietas in homine virtutes alit ſorores natu maxima. Et quidem ad aram ſacecdotes exeubant. Prætorio Prætoriani ad conſervandam aureæ ætatis illibatam ſecuritatem. Qui enim ſecus fecerit, & pacis tempore

re limites regni ſui incuſtoditos deſerit, is demum
paceem negligit. Prætorii locus ſeptus erat ad montis
radicem, cui Calpæ nomen de Cranæ alba: priſca
enim lingua P. pro B. proferebant Veſtini, & Sagi:
ipſa vero alba, vel haſta ſumma armorum, & Impe-
rii, ut docet Feſtus. Hoc loci declivus ſubſidet mons,
ita ut à dextris fluvio forum aperit, qui de latitudi-
ne, in quam exit, Atra dicitur. Deinde etiam navæ
urbi ſpatia æquiora relaxat, quamquam is raro mil-
liario minorem ſecet. A ſiniſtra vero, ubi theatralem
Calpæ arcuatur in formam, Cæciam vicum habet.
Unde nomen Cæciliæ genti factum eſt, & mediam,
ad forum, qui Decii Syllæ nuncupatur, Occiden-
tem verſus, viam non intercludit; ſed & ad Meri-
diem à ſepulchretis, & majorum oſſibus locus, qui
nomine Scopuletum dictus eſt, modo vicus non in-
frequens, ex pervetuſto, ut diximus, cœmeterio:
de quo iterum, & ſeveriori item judicio, in ſepul-
tura conecdenda agemus infra. Deinde ad Orientem
Vetuloniam dirutam, & lacum, & vicum, cui à fre-
quentiori populo arbore Populetum nomen. Cæterum
trans fluvium Septentrionales habet Neminas aquas,
quas ab ortus intervallo & varietate nuncupamus.
Sed gentis Cæciliæ vetuſtam in nobis originem placet
Inſcriptionem probare: hujuſmodi enim teſtimonia
pro interprete in hiſtoria habentur, & ſequenti in li-
bro de Veſtinis, Sabiniſque Romani populi acturi
ſumus auctario:

C. IVLIVS ATTICVS VESTINVS,
CAECILIA ATTICA Q.CAECILII ATTICI
POMPONI, ET PILIAE FILIA
C. PLAVTIVS P. I. P. N. DECIANVS
HYPSAEVS.

Sed ad integram hujus Inſcriptionis declarationem, in
qua cum Cæcia gente etiam Juliam, & Veſtinam, &
Pomponiam, & Piliam, ſicuti & alibi Deciam, & Ju-
niam, & Syllanam legere eſt, eam regionem plenius
deſcribemus. A Cæcia itaque, & foro, quo Decii
vicum petimus, qua laxior ad Meridiem campus ex-
currit, quod Cranuus Mons, qui deinde Sicanius,
demum Canius appellatus eſt, in ſiniſtram reflexus
foros laxat & amplificat: eaque in planitie Thebas
contra Bœotias promontorium excitat, ſupra quod
urbem conſtituere, quam Forum Veteres dixere No-
vum, & infra ad promontorii radicem Hypſæum
habet, & Orientalem magis vicum genium Jani: de-
inde eo inferius Piliam juxta locum, ubi Velia, &
qui de Vetulonio ejuſdem nominis exuberans fluvius
lacu, in Aram influit, quam Aternum dicimus. Et
hos intra terminos Populetum includitur vicus, ad
Orientem, ubi vetuſtatis monumentum, & Attiæ
familiæ memoria, & Orſitæ, videre eſt:

ORFITAE ATTICAE
G. APONI SABINI
PRAESTAE
V.S.L.M.

Is ager Veſtinus, & ad Orientem protenditur, eadem
appellatione de Veſtæ matris nomine, quo ipſa ad-
veniens & templum, & arcem, novæ fceit Urbi.
Hæc, inquam, ultra fluvium ad Septentrionem aram
ſtatuit pro templo, & arcem juxta aram, & in ea
Veſtales collegias voluit Virgines, quarum cura pu-
blicus focus æternus eſt. Nec longe aberat Regia
Cranæ inter templum & Prætorium media, ad ripam
fluminis lævam. Veſta itaque caſtrorum mater pro-
pagatis nepotum limitibus, pomœrio etiam regiam
ampliavit, & quaſi arcem turritam communivit ur-
bem, circumcirca per cardines, & decumanos limi-
tes, mœnibus, propugnaculis, aggere, & facra item
foſſa, unde ipſa turrita effingitur in circulo reſidens
quaſi foros & urbes circumiens, Populorum magi-
ſtra, quæ & Regina mater. Itaque ubi ipſa adeſſet
conventus agi in tuto poterat, utpote juxta turrim
patriam. Rex enim in populo pro turri eſt. Externus
incertam diximus Amiternii originem: quis enim Ur-
bem diceret ante templi conſtitutionem, quod eſt
fundamentum Urbium? aut quis urbem neget, ubi
Regina medio in Senatu, medio in Populo fixis ſe-
dibus ordinata in Rep. conſiſteret? Sed poſtquam ad
alteram Tiberis ripam receſſit Janus, ætate jam ſe-
nior vacarat ab ejuſdem incolatu? mons quo dexteram
Tiberis ripam, ab ejuſdem incolatu, deque ejuſdem
oraculis Vaticanus dici cœpit.

Mons itaque & flumen interfluens regiones inter-
ſecabant quidem, dictionem vero nuſquam diſcrimi-
nabant, quandiu ſupervixit ſeniſſimus Janus Pater,
cujus ab ore penderent omnes, quem imitari ſtudé-
rent omnes, pudore-ne, an innocentia ambigas: ſed
certe per utrumque non neges. Et quidem ad alteram
ripam Aboriginum coloniis, & ſuos, & metatus per
ſingulos ad conventus à Veſtinis, quos diximus,
perque loca commodiora magis frequens colonias ade-
rat, & poſt Sabatii adventum magis indies, ita ut
poſitis jam Curibus, alteris, Regio omnis ejuſdem di-
ceretur de nomine: tum & à fluminis ripa dexteram
Sabatios, & cæteros: Crana vero Veſtalis Magna poſt
matrem Maximam in Veſtinis præerat, in ea, quam
Calpem diximus; unde & Calpar vinarium vas. Nam
& vinetis veſtitus locus, is in declivo poſitus, & ad
Orientem convexus appoſite eſt. Cranæ vero nomen
Principem deſignat in populo, ſicut humana inter
oſſa cranium, quod majores noſtri inaurare conſueve-
rant, in perpetuam defunctorum (ſi qui de Rep.
optime meriti eſſent) memoriam, & venerationem,
uti apud Quadrigarium in *Annalibus* legitur, lib.
xxx.

Igitur Veſta mater ſacrificiis, & formandis occu-
pata Virginibus, Cranus inſtituendis liberis, dedu-
cendis coloniis, Jani imperio, Veſtæ obſequio dedi-
tiſſimus, cum omni ſobole, ad cujus nutum dirige-
bant omnia. Cajus autem & Caja, de quibus ſupra
ſimplici qua legimus nota nomina, ſi ea figura recta
eſt, Dominum Domus denotat: ſi vero obverſa ea
Domus Dominam, quo ſe conjugati viciſſim appel-
labant nomine; & eadem ratione, & populos Ran-
tios, & Aruntios dicimus, Carantios legimus, & Ca-
racenos, pro C. Rantii & C. Razenii, vel Raſinii
populi apud nos. Sed per vetuſtatis monumenta pro-
benus ſingula:

C. CALPETANVS RANTIVS QVIRINA-
LIS, VAL.
CESTIVS CVR. RIPARVM, ET ALVEI
TIBERIS TERMINAVIT.

Et Calpus Numæ F. & Calphurnii, & Calpetus Al-
banorum Rex, & alibi habetur: C. Raſinius C. F.
Ser. Stell. Tertianus, & pleraque eam in rem teſti-
monia, quæ producere longum eſſet, effoſſione facili,
quo loci noſtro ſæculo ſtatuæ repertæ ſunt pluresan-
tiquitatis monumenta.

Itaque Caracceni, qui ſecundum incolunt Atram ad
Orientem, & Razenii, quorum locus adhuc ſervat
nomen Raziniura, non injucunda in campi planitie
juxta Æquos, qui ſe à fratribus ſegregantes ad Me-
ridiem ultra Raſinios ſeceſſi ſunt. Sed inferius de
hujuſmodi ſegregationis cauſa dicemus ſuo loco.

Opplera jam videbatur Orientalis Tiberis ripa per
occidua, in quibus utriſque, quaſi ſol inter cœli car-
dines, per decumanum regnabat Janus limitem: ſol
enim in medio reſidens complectitur omnia, cujus
radii & lux, Cranus & Crana, per quos conſti-
tuendam procurabat Remp. dilectiſſima de nepotum
ſobole.

Crana autem, & ſuo in populo uteri ſui filiis,
& ſecundum Janiculi Orientalem ripam ad ſupe-
rum mare de infero, & qua Apenninus inflexus I-
taliam interfecat omnem, utroque enim mari am-

bitur Italia, nisi qua de perpetuo distenditur Apennino, quasi lacertoso ex humero exertum brachium, quacunque habitabilis ea est. Apenninus enim fluminis ripam nescit: terminum vero ipsemet sibi conscivit, ubi declivus esse desiit, cujus intra sinus concluſos diximus Aborigines & Comeros, sed advenam & convenam populum, quem materno imperio in officio contineret Crana, benigniori severitate corrigeret disciplinæ: quæ sobolis amantissima, ita ut exinde Venus dictitari cœperit, ob maternam in subditos sollicitudinem, & conciliandis animorum moribus efficaciam charitatis, qua ad omnes ituraret. Aborigines enim incorruptos prioribus in sedibus habitare permissos, quasi filiolos manu ducens regebat. Itaque cum necessario coloniæ deducendæ essent, ex utrisque Aboriginibus, & Vestinis, eadem ratione, qua & dispositi essent, deducebantur, sive per Apennini, uti diximus, propinquiores sinus; sive per exteros montes & littoralia, quorum portus, clausstrave Janigenarum custodibus communita essent, novas scilicet per colonias. Itaque Janigenarum sufficturam Jano deducebat Cranus, & ipsa transmittebat Crana adolescentium floridam juventutem, quasi florenti à ramo examen aputa, quos præ vultus similitudine & habitu discernere non posses: admirareris tamen, & sub velo & in armis procedentem, leones diceres in incessu, & laudares Thaleos, Amitinos germanos compares novas in colonias deductos, pleno tempore vere sacro, & ea filiorum educatione, & exhibitione, quæ summa est munificentia, seniissimi Patris demulcebant caniciem. Hinc hominum utramque per ripam geminatorum ratio, & Amitini & pleraque hujusmodi nomina.

Facessant interim qui dum omnia Tuscis tribuunt, quasi effœtam Reginam redarguunt, dum historias pro ingenio fingunt, & propriis fidem abrogant testimoniis, qui Janigenas non nisi in Tuscia norunt: & quam apud Aborigines regnantem non negant, eandem & concepturam, & parituram, alio saltem partus exposituram, quasi Amazonem ad ripam alteram accedentem ociitantes fabulantur, & quasi orbatos & sobole, & spe sobolis consenescentes transigere ævum sœcundissimos hominum. MVNDVM mala nox semper occiduas regiones obtenebrat, terminos confundit, & illustres populos in abscondito occulit. Sed & qui Ansancti vallem describunt, eam quidem plus satis arctant: à lacu quidem Velino per Cotylas & rosea rura, & Pinnatas, item & Veliam, & Testrinam Thebæos, & Vestinum agrum ad Antianas & Crunicnas aquas, & Veranas insuper per vallem, qua Corsinium itur, & quousque ad Antianum nobile emporium, & ad Hadriaci maris littora perveneris, ea prætenditur vallis, cui nomen ab Anfis provenit. Anfæ vero altaria sunt portatilia, quadrata, quæ suis constant pedibus: ea enim convallis vicis & urbibus oppleta frequentioribus, frequentiores item habebat aras, & publicis & privatis in sacrificiis perpetua quasi unius templi sacrarum Ansarum odorata porticus, quatum exempla in vetustis monumentis cum plura sint, requiret nemo. Est autem Corsinium ea urbs, quæ bello civili inter Cæsarem & Pompejum una inter Reip. arces delecta est: hæc eadem irruentibus in Italiam Barbaris ex omni Italia confluentem nobilitatem excepit: & proinde una hæc urbs pro universa provincia Italico nobilitata nomine, & adaucta populis steterat: sed qua Ansancti vallis ad Reatem proximior est, & qua IMELLA juxta Casperiam fluit, cujus de appellatione sacrificio opportunum vas omne Imelum dixere vel futile, Festus & Cato, prout dicemus infra: eam, inquam, gentium, & provinciam, & regnum dicas, quod ibidem consederint Umbri primum, qui ab Aboriginibus exacti sunt, & hi quod aberrarint cum corruptis Comeris exinde expulsi intra montium clausstra occluduntur, tunc moderatiores locum hunc obtinuere Aborigines, qui & ipsi tandem à Sabinis extrusi sunt, & res ad Amiterninos, & Curetes Patres rediit. Sed & Cotyla, quæ unica & innatans Insula inquirentibus, & obstupescentibus Pelasgis reperta, & concessa est, eo oraculo adactis, apud Dionys. Halic. *lib.* 1.

Pergite quærentes Siculum Saturnia rura,
Atque Aboriginidum Cotyla ubi se Insula vellat,
Quos missis decimas Clario transmittite Phœbo,
Atque Jovi capita, & transmittite lumina Patri.

Hi itaque dum terra marique emissi quo nesciant, peregrinantur errones, dum quod quærere jubentur, invenire desperant, errabundi reperere: hospitibus tetendere manus olivæ ramusculo coronati, & olivæ ramos item prætendentes, quibus circumcirca insulam habitare permissum est. In ea post Pelasgos & scriptores omnes etiam & nos rei novitatem ad naturæ ipsius miraculum admiramur, quæ fixam habeant ungulam animalia tuto super ea ferri, & pasci ad libitum & saturari: quæ vero fixas non habent ungulas minime sustineri, & primo lævi quantumvis calce, vel plantæ positione terram effossam in putrem resolvi, ita ut tremere circumcirca, & satiscere videas solum; quare & refugere exinde solent equi, & ejusdem ungulatum genus, nec fuste impelli, ut illue pedes iterato inferant. Lacus is quatuor jugerum magnitudinem non excedebat. Insula perenniter fluctuans ventorum impulsu, gramen quoddam butoni seu carici simile, colore verò ad bitumen maxime, nec quidem magnum producit; aqua vero immensæ profunditatis, & circumquaque enormis cingitur lacus. Insula in diametro fere quinquaginta pedum, neque ultra pedem ex aquis eminebat. Cæterum ex deducto in lacum fluvio, qui arena sua, quod bituminis fuerat in collectanea illa algarum insula, diffecuerit, hinc inde quasi Æthiopica in secandis marmoribus arena dissecta est: & in figuram semiplenæ lunæ littori hinc inde bifariam divisa adhæserit, & ea frugibus apta, nisi violentius ferrum iocusseris: subtus enim aqua emanans altius profiliet ad ludicrum incolis spectaculum; & ad horam usque productam in tullos aqueos voluptatis, & admirationis scenam, ipsa in solitudine, unius ad arbitrium quasi excreitatoris agitata placitum. Ea autem fluminis immissio quinquagesimum circiter annum facta est, intermediam per cujus arenam etiam fons quæ in profundo lacus est, suffarta densum ebullire bitumen non permittitur, neque quid gignere, nisi tenue quoddam salgastrum, & quod quasi cratis per aquam innatans fertur. Neque una, sed singulatim singulæ, uno item & altero circulo colludentes, sed alterum quidem minus: & si quis in eorum utrumlibet influerit, quantumvis leniter ac leviter, insula nondum constans sub pondere tremit, ac subsilit instabilis, & invalida, utpote ponderis impatiens, nutat per eam, quam diximus, varietatem motus & quietis.

Est autem illud bituminis signum, quod introducta aqua supersertur, & in adversum littus insulam impellit, & in eam quæ cubitum altitudine non excederet, alieno impetu impellitur, trahiturve propulsata. Itaque novus bospes, longa post tempora vetustissimæ antiquitatis, & religiosi ostentus, rescidit acta, quæ Græcus advena veneratus est quidem, & Barbarus nunquam temerasset, qui de vicinia ripis, & qui procurrere natus est, terræ poros aperire de fonte didicit sua in simplicitate, alio traductus volens nolens, tanta quidem rusticus accola ausus, & ea maxima, quæ nemo usquam hominum intentasset.

At antiquitas ejusdem lacus Commitias Nymphas venerata est, easque sic dictas Varro adserit à commotu, quod ibi Insula in aqua commoveretur. Præterea & Lacones per interiorem vallem juxta Amiternum succesisse hospites, legum quidem & severitatis amantes: sed Lycurgi atrocius vitantes supercilium, & rubricum fugientes. Hi à Vestinis & Curetibus peramanter & comiter susceptí, & in medio

dio locati Thebas condidere Bœotias, & regionem hoſpitalem, & perhumanos hoſpites dixere Pitanas, in quibus Quintus ille, PINNIA familia, ad quam Varro III. *de Agricultura* librum inſcripſit, de quibus in hæc verba Strabo *lib.* V. Qui finitimos & hoſpites potentia prævalidos blandimentis alliciunt, & charitate devinciunt. Ita ut pedeſtris exercitus CXXX. millia, & equites VIII. millia aliquando domo emiſerint. Et eadem prope pagella, de Veſtinis item loquens ait: Hæc autem natio exigua quidem eſt, cæterum fortitudine conſpicua oſtentata Romanis eorum ſæpiſſime virtute. Et Herodianus in *Antonino*: Præterea juvenes Sparta accitos Lacooicam, & Pitannatam centenam vocabant. Agrum vero, qui Bœotiano collimitat, gentium attigit nemo. Veſtinis ſiquidem Janigenis ingenuis intacta ſua patria eſt, & genus illibatum. Quis enim aut Italos Proceres alienigenas dixerit, aut Normannos, & ex Hieroſolymitana expeditione veteranos nobiliſſimam Chriſti Domini militiam? Quorum plerique cœli ſimilitudine, ſoli fertilitate, atque optimatum noſtrorum humanitate allecti & ſuaſi ſunt, ut media quaſi in via ad novam expeditionem paratiores ſedem figerent temporariam. Quo facto adaucti numero majores noſtri, & ipſi ſortiſſimos viros in contubernium, & ſervens juventus in diſciplina virtutum magiſtros obtinuit, quorum æmula, & virtutum appetentior per eoſdem formata ad unguem, adſequeretur & gloriam.

Sed quoad decimas, de quibus ſuperiori in oraculo agitur, Populus aliquando ab Hercule ſalubriter commonitus oſſella pro humanis boſtiis obtulit, & de ponte in procurrentia præcipitia dedit.

Cæterum ipſa de Veſta, quæ Urbis regionem ad Septentrionem adauxerat, ea etiam ex parte montem, qui juxta eſt. Apenninus dicitur ab Apio, quod Veſtæ flammeum eſt, velumve, ſeu veli apex.

Quæ vero ad Meridiem regio interjacet, & ipſe mons à Crania, Cranius appellatur, cujus, qua maxime elatus parte eſt, ocrea, promontorium format: & ibidem infra Apia Vicus in Veſtæ venerationem conditus, qui & Avianum pro Apianum dici cœpit, arx, inquam, in Civitatis tutelam, & oppidum ad annonæ cuſtodiam. Populus vero Opicus, cujus de nomine coloniæ deductæ plures. Crana autem ipſa eſt Opis, quod perpetua ſulciret alimonia, & ſuffectura materfamilias, quæ in Reip. utilitatem inter filios regnaret, quaſi unius corporis membra conferens, qui omnes uno de Cranio, & Crania caro una. Sed neque ipſa alia de cauſa Crania dicitur, niſi quod regat & replcat humanum corpus, per epar ſanguine & ſpiritu animatum, veſtibus fotum, cibo recreatum: ipſa eadem ad populi ſecuritatem Opis oppidum condidit, quale diximus, & cives, ſi quid adverſi accideret, ſe, & patriam tutarentur, & ab ea Cranium dicimus capitis oſſium prædutum, quod & ornandum eſt, & armandum ad corporis totius regimen & tutelam. Igitur eadem & in deducendis colonis Opis erat in annonæ, & cætero apparatu ad expeditionem neceſſario, quæ Avia ab antiquitate, & Apia à loci dicerctur vetuſtate, & cathedræ prominentia, & apices dignitate. Venus autem in adoleſcentiorum juventa. viribuſque & viarum difficultatibus explicandis: item in caſtrorum vel hoſpitii ſoſpitem hoſpitalitatem præoccupandam, provocandamve, ubi matura facto opus eſſet, eadem ipſa Venus nuncupabatur. Juventus autem, & ſoboles quæ in nominibus regula apud majores fuerit novis in coloniis exemplo ex uno, ſed eodem eleganti, declaratur Inſcriptione:

NAEVIAE VENERIAE,
NAEVIA PRIMIGENIA,
ET PRIMVS, PARENTES.

Primus: deducta enim in colonia Princeps eſt pro Jano: ſive is in populo Princeps: princeps item qui vici Magiſter Tribunuſve, domuſve Dominus, paterfamilias, cui clavis pro ſceptro eſſet. Janus itaque omnium pater viventium, & coloniarum diſpoſitor, in principibus populorum conditor, & paſtor, & doctor, agitator, & munerator, qui contemplationis ſtudio & mentis excellcotia Rex humilis & ipſam per humilitatem Princeps optimus maximus odoratas ad uras quotidiana per ſacrificia propenſior, pro omnibus invigilabat interpellator. Ejus itaque ara pro ſenatulo: ſacrificiotum enim præhibationes conventus ſubſequebantur ad Reip. curam: ſtatis enim diebus, novis lunaribus, convenire jubebantur aſſeſſores: qui conventus in Janiculo primum habiti, & jus reditum. Conveniebant itaque Senatores, & in quos adeſſe oporteret. Præterea dimiſſo concilio, ſi qui vellcot ſeniſſimi patris canitiem veneraturi, & divina commemorantem audituti, admittebantur. Hos inter aſſeſſores legitur Janus Præſidens, Phyſicam, Aſtronomiam, & divinationes, & ritus docuiſſe, & ad perpetuam memoriam rituales ſcripſiſſe, commendans omnia litteris. Docuit & artes mechanicas, Mathematicam, & oſum navigandi monſtravit, qui dicitur duabus in ingentibus columnis, quarum una lapidea, ne diluvio abſumeretur, altera lateritia, ne conflagrare poſſet, quod docuit conſignaſſe. Unde factum eſt, ut poſteri eiſdem nominibus, & veneratione divina ſint proſequuti, quæ una fuerat omnium lingua. Non enim linguarum confuſio ante urbis Babyloniæ turrim, & ejus interruptam fabricam anno ante Jani Patris defunctionem decimo, à Diluvio CCC. ipſa enim turris anoos XXIII. poſt Italiæ regnum ædificari cœpit. Priſca itaque lingua Hebræa, quæ in Italia Saga dicebatur, uſi ſunt Janigenæ vetuſtiſſimi hominum, ſecundum eos qui hiſtorias calluerunt. Eam vero reliqui, & minorum quidam gentium, Sabinam, vel Tuſcam dicunt, qui ſi in Tuſcis Sagas intelligunt, hos non rejicimus. Proinde Tuſcos Sagas à Sabatio dictos negabit nemo: neque omnis Tuſcus Saga: ſed qui inter Tuſcos bonis artibus, & ſapientia præcelleret, vetuſta de nobilitate pater, Senatorve habitus, is demum Saga dicebatur. Sabatius autem Curetis filius in Italiam advent, Beli irrationabilem iram, & inſidias fugiens implacabiles. Primo itaque Semiramis anno Sabatius in Italiam appulit, & amanter & jucunde à Jano ſuſceptus eſt: quis enim hominum ſanctiſſimo ſeni amabilior hoſpes Sabatio? qui & pietate, & religione pontificiam adauxerit gloriam, prudentia canos exornavit, æquitatis Rex inclytus, populorum Pater. Quare & aliquot poſt annos creatus Coritus Aborigin: bus præficitur; & pro officii dignitate juxta regiam adſtabat ſellam, adſidebatve ſua curuli juxta poſita conſiliarius Regi, ſenatorve Principi ſenatus, vel imperatori magiſter equitum, vel Auguſto Princeps juventutis. Sed qui ut plurimum per Provinciam, regnumve ſibi demandatum circumiens, pro tribunali temporario, juxta fotulos in geſtatorio curuli haſtatus jus redderet: idem de Jani mandato deducens colonias, diſponenſve omnia, collata cum Rege ſententia. Et hoc loci animorum moderationem in Crano admiramur, qui Regis filius & Reginæ vir ipſe, & hæres ſine titulo conſenuerit, & qui perhumaniter, & quam ſimpliciter, & ex animo ſupervenientem hoſpitem exceperit, & creari Coritum paſſus ſit, vel ob ſenioris reverentiam viri, vel ob honoris contemptum extrinſeci, qui virtutum conſcientiam ſibi ſatis putaret. EQVINEM ſapiens omnino extra ambitum. Coritus autem à Curete in eo differt, quod Cures ingenuus, & Senator eſt; Coritus vero populi, & item Senatus Princeps. Sabatio igitur Aboriginibus Corito otium fecit Regina, ut per Colonias Crana Razenuas inviſeret Venus filios, & Veſtam omnium viventium matrem, quæ ſelectiſſimas ex omnibus Veſtales Virgines ea lege inſtituerat, uti annis ſenis divino mancipatæ ſervitio ſorent: bioisſcilicet primis ediſcerent: alteris vero binis exercerent edoctæ jam ſacra, & ſempiternum cuſtodirent ignem: tertio demum, & ultimo binario anni primi novis

Vir-

Virginibus magistræ præessent: deinde ob necessitatem generis & successurarum coloniarum nuberent. Quo denotatur id sæculum habuisse institutas Virgines, quæ post anni primi disciplinam, quæ facerdotis sunt legitime possent exsequi, & in sequentibus etiam aliarum regimen suscipere Virginum interim deliegendarum: majorum enim de testimonio asserimus Vestales in Italia cognitas longe ante Babyloniam conditam, & Craniam ipsam à puericia dedicatam Virgunculam. Deinde & Vestalem, demum & Vestalium maximam, quæ in Italia Vestalium illustrauit collegium, & rite norit omnia obire munia, & dicere, & facere quæ & posteros edocereat, pietatis Magistra altera & magna à Vesta matre maxima. Deinceps vero germani copulata conjugio, populorum mater & Regina facta est inclyta. Sed hoc loci illud adnotandum est, non eadem semper convalescere, cum ab Urbe condita observatum sit, nuptiales faces, & connubia Vestalibus semper male vertere: & è contra virginitatis votum perpetuæ perpetuo felix fuisse fortunatumque & Virginibus, & Populo Rom. Cæterum quæ in causa fuerint, ut apud nos testimonia Janigenarum, Vestinorum tanta & Cranæ, & Vestæ, & Aurani, & priscorum Regum scriptores præterierint, malitiane an ignorantia, aliorum sit judicium. Sed hæc ipsa, quæantiquata nolumus, & quæ Sabinorum nomina, & facta, & quæ Aboriginum, & cognosci, & dici cœperint ab ipso edicamus initio.

Sabatius autem Coritus à Jano & Crana in regni societatem adsciscitur, utriusque assessor, qui exinde Medius Fidius, & Semon appellatus est, & is utramque per Tiberis ripam, qua vacuus inter Vestinos & Annianas interjacebat campus colonias disposuit, ad dexteram quidem suo de nomine Sabatias, & lacum Sabatium nuncupari voluit: Amitinos vero quis deduxerit an Sabatius, an Vesta mater, an ne Crana, incertum est. Ad finistram vero juxta fortulos Curetes suos à Vestinis per Aborigines, deinde ad Septentrionem Casperiam, unde Asprenates dici cœpere: sed deleta est C littera vetustæ dignitatis in Regum genere quasi honoris pronomen, & ea corona de cæpotum capite per incuriam prolapsa est. Loca præterea ultra Asprenates ad Velinum, & eam circa regionem, qua maxime Imella fluit fluvius, & juxta Velini cataractas, ubiis exuberans & superfluens primum libere, deinde suo se coercens impetu, quo ipse sibi novo saxo exitus obduxit defos: in ut non nisi excusso freno, & quasi dissipatis repagulis à Reatinis limitibus, quos superemincat præceps & vehemens, (ut Nili cataractas dixeris) in subjectam delabitur campi planiciem, & adhuc fervens in excandescentia sua, Nar adauget sulphureis immixtus aquis.

At Imella leni decursu Anfanctı vallem ea ex parte ambit perutilis & percommodus altarium ministerio; cujus si nominis etymon interpretatum volueris, Imelum memineris, quem legeris ad sacrificia vas usitatum, sacrum quidem, sed quod ambabus sustineri egeat ulnis, cum breviorem habet pedem quo consistere non possit. At in Ecclesiasticis idem vas fontem legimus, quod velo cinctum circumferri & sustineri consueverat. Is itaque circa frequentissimas Anfanctı vallis aras defluens superfertur, sustinetur que floridis graminibus quasi ministris, Camillisve ad sacrificii celebrationem procedens, utpote qui ripas non nosset, & quos super flores gradderetur, plecteret quidem innocens, nec tamen protereret, ipse sibi vas floridum & exuberans in fonte fluvius ipse fons, ipse & vas se suis sustentans humeris, ne prolabatur: nesciret enim humi per se consistere æque ac unda vel nympha caput super undas exerens. Ad hujusmodi similitudinem vas per sacra Vestalibus sutile ea de ratione, & eam ad cautelam, ita appellatur, ut ministra sustinendum intelligat, ne aqua exinde defluat, dilabaturve. Hæc itaque ita posita si consideres Imella cur dicatur, & unde Imelum, constabit satis. Qui neque à priori lenitate alienus, neque sibi omnino similis adhuc est, & ad Septentrionem & Occidentem defendit, Sabinos irrigans suos. At in Meridiem convexos Latinos demum posuit Sabatius, eo quod Latium à latitudine, & severitate, & nominis majestate eam nuncuparit regionem, qui regni sedem in Aventino collocavit. His autem de Curetum limitibus tribus Maro verbis differit vates inclytus, *Æneid.* VII. v. 714.

Casperiamque colunt Forulosque, & flumen Imella.

Id est, montana, & campestria, & declivia in irrigium superius, & irrigium inferius: in Casperia enim montana omnia à Reatino agro ad Tiberis oram, & secundum eandem oram, & qua ad mare vergit: montium vero elausura, & planiciem omnem, quæ Latium dicitur, in verbo *forulos* significavit. In *Imella* vero imam vallem, quæ reliqua est Sabinæ regionis pars.

Item colonias extra Italiam deduxit, vel etiam transmisit plurimas, non ampliandorum terminorum, propagandive imperii ergo, sed pro bono publico, & populorum opportunieri fede, ad aliminam & fecuritatem virtute curandam, tuendamque. Undead grati animi significationem adhuc honorario titulo conscripti nationum Patres Sabini appellantur, vel, quod potiffimum est, Sagi.

Sabatius itaque Sabinorum ditionem, vel potius pietatem adauxit: ripas interim Tiberis ponte conjunxit ligneo, trabibus concinne inter se connexis. Is Vestinis, & Aboriginibus, & Tuscis, & Umbris, & universo laudatissimus orbi adhuc usque per omnium oras circumfertur fama vigens, quod eo Rege fides, & veritas, pax, & annonæ copia, & pudor ingenuus, & justitia; & præcipuus Dei cultus adeo viguit, ut cum hominibus converfari, nedum hominibus apparere dicerentur cœlestes virtutes Angeli Dei. Cujus rei famam publicam Catullus inter cæteros contestatur in *Epithalamio Pelei & Thetidos*, sub fin.

Præsentes namque ante domos invisere castas
*Sapins, & ipse mortali ostendere * castas,*
Cælicolæ nondum spreta pietate solebant:
Sæpe pater divum templo in fulgente revisens,
Annua dum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum præcurrere currus.

Is idem pro degenerum demeritis quæ subsequuta sit pœna mortales, subdit hæc:

Jussitcam nobis mortem avertere Deorum:
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se continei patiuntur lumine claro.

His itaque humanum genus præmunitum virtutibus, his actibus, & operosa Regis industria majores nostri non in incertum laborantes aurcum fecere sæculum; siquidem per omnem Italiam frequentiora sacrificia: ita ut Oetria, ab Oetro, quæ patella est sacrificiis per liba opportunum vas, dicta sit prima, præfertim Etruriæ pars. Unde & Janigenæ Principes, & Duces Populorum, & Patresfamilias Patellarii Dii appellati. At in nostris, Sancti à Sangis, & Ansis, ut diximus. Titulus autem pro virtutibus, quæ in actione consistunt deferebatur. Actionum vero laus summa est in gratiarum actione. Supplicandi itaque & sacrificandi optimi Regis cura potissima. Pietas enim virtutem prima, & ultima coronat munerationem magnificam, quæ & deliciatissima est, quasi humanum cerebrum. Unde qui fluere corporint, obdurant nervi firmissimas & agiles in nervorum compages virium agitatrices. Sabatius deinceps populum omnem cis & ultra Tiberim agriculturam docuit, & religionem pro discentium modulo, & imitatione probata patribus: ex quibus delecti exercitatores juventutis, quam præcurabant in palæstra, cursuve, discove. Juvenes vero hujusmodi rudimenta militiæ indum æstimabant. Si qui vero Religioni potius addicti viderentur ad sacrificiorum ministeria

* Restitue, *casta.*

pri-

primum, deinde ad arcana myſteriorum educabantur. Majores vero Oecumenicam politiam & contemplationem ſuadere conabantur, provocabantque verbo & exemplo. Quibus actibus Sabinorum, regnum crevit, cum ſapientia regeret quos pietas educabat & fortitudo bonos cives, bonos & eadem facereti colonos: quibus recta omnia, & ſingula, & ſemper concupiſcere, & videre quod verum eſt primum fecit, & ſentire & dicere itidem & facere. Quare & pro Regis & populi virtutum meritis quotannis annua agrorum ubertas prioris anni ubertatem nova exuberabat annona, ut ipſam etiam terram diceres diſciplinabilem, & humano uſui & cultui propenſiorem eſſe, feracioremque fieri, ne pientiſſimi Regis diſciplinæ in filios tantum promanaret, & poſteros frugi, terra ipſa frugalior videri, & laudari multæ frugis, & pleniſſimæ ubertatis aureos explicaret in ſegete ſinus, culmoſve.

Aderat in ſœminis, aderat in junioribus pudor ingenuus, omnes in officio continens, & prudentia, & providentia patrisfamilias comites: Curiam Regum diceres Conventum, Juventutem Deorum ſobolem, Regem ipſum Patrem Patriæ, quem ſeniores imitari, quem referre juniores, & vultu, & moribus, ipſis ediſſerent verbis, quem perpetuum habere rectorem optarent & divinæ voluntatis interpretem Senatus, Populuſque publice privatimque venerarentur.

Is Pontificia auctoritate pontem, ut diximus, Sublicium conſtituerat de Aventino proximiori in Janiculum, quo facilior eſſet ad Janum tranſitus, utramque ripam connectens, & utramque frequentioribus matrimoniorum vinculis. Præerat generoſa in ſobole amor mutuus, indiſſolubilem faciens animorum concordiam. Quibus operibus ſapientiſſimus vir Sacerdos & Rex pacificus in Italia, ubi latere voluit late claruit, lateronibus ſtipatus Curetibus, Senatoribus ſcilicet & Prætorianis tutulis feliciſſimus regnavit Saturnus, laudatiſſimus quidem omnium votis, omnium vocibus, ſed nuſquam ſatis. Hic jam ſenior Sabum filium præfecit Sabinis, & Aborigionibus: ipſe vero contemplationis ſtudio deditus, cum Curetibus aliquot, populi ſcilicet majoribus, (non enim multos ſecum duxerat) in quibus ramen & Sacerdotium, Collegium, & Senatum, & Prætorium, & diſpoſitam intelligas Curiam. Inde & Camulum ſalutare numen Sabinis notum, aſſeſſor ſcilicet, & conſiliarius, & cuſtos corporis, quod idem eſt cum Pallade, vel Vertumno, vel Enyalio, ſive & Bellona, vel Bellonæ alumno: ſive ipſe met Mars, quem Quirinum dixere Romani urbis cuſtodem, cui haſtam dedere & clypeum, & pro galeæ cono frons viris: quo ſymbolo ſecuritatem & annonæ copiam deſignabant. Hi itaque Curetes Veſtinis adducti, juxta Tiberim Palatium deduxere coloniam. Ipſe vero Sabatius regionem juxta Janiculum Saturniam colut. De prima itaque Sabatii curuli, prætoriove, ex Aventino, inquam, per poſteros ſalutari Prætor cœpit Dux, qui exercitum per pontificem abdicatum in provincias, vel colonias deduceret infra eum montem Capitolium ara media ad hujuſmodi ſalutationem. Sabatius itaque Sabinis & Latinis ſuis eam regionem dedicavit. Sed Aventinum, & Petuſculum, prudenter, inquam, & in Spiritus ſancti lumine S. R. Eccleſia ſecundam recenſuit in diſtributione Regionum Urbis Romæ. Quare & nos, qui hæc omnia ad Chriſtianam pietatem aptamus, & Eccleſiaſticam exordimur hiſtoriam, hoc loci Lectorem monitum volumus, in Jano & Sabatio quandam felicitatis Eccleſiaſticæ figuram ineſſe prænunciam: ſicuti enim Janus per diluvii aquam fabricata navi, quam Arcam nuncupavit, ut copiam neceſſariorum in ea, & aram ſupplicationum ſubintelligas, ſalvum reduxit ſub Dei manu genus humanum; qui item gentium Pater & diſpoſitor, per multiplicationis benedictionem: Is, inquam, Janus in Italiam adveniens, Janiculum incoluit novam Coloniam, jugibus odorans ſacrificiis, & convenubus illuſtrans, & ſuo demum ſepulchro. Ira & Petrus Apoſtolorum Princeps Eccleſiæ fundamentum, & Janitor, fidelium Pater, & Paſtor populorum pervigil, per regenerationis aquam ſalutem prædicans, & Salvatorem Chriſtum, pacificus Romam advenit, Romanis arcibus trophæum Chriſti inferens, & eundem Janiculum bonæ confeſſionis ſuæ locum eligit, & triumphans dedicavit proprio ſanguine, & ſepulchro celebrem perpetuo efficit.

At Sabatius perſecutionibus agitatus, Romam tandem aliquando devenit, & lævum Tiberis latus obtinet, conſors regni, conſors collega unanimis, qui alteram ad ripam utramque, una eum eadem eſſet civitas, quæ flumine diſterminata videretur, ut in Sabatio Janum diceres alterum, vel germanum pro voluntatum communione, & conſilio, & ſacrificio regionem ſuam religione adangens, Aventinum fecit Janiculo comparem: & tandem ad requietis æternitatem evocatus, quo potuit oſſibus ſuis decoratam voluit inter Sabinos poſteros.

Nec minus fratrum & Tyrannorum perſecutionibus agitatus B. Paulus Apoſtolus, vas electionis, in urbem advenit, eandemque regionem, & Petuſculum pro Chriſti nomine in Eccleſiæ ædificium & unitatem, qui eadem in Eccleſia, eadem in Petri navicula, quaſi ponte & charitatis vinculo Populum Romanum connectens inſolubili, proprio ſanguine purpuravit. Quamobrem civitatis Dei etiam pomœria, Auguſtalibus tenſis & velis obumbrata, nedum altera fluminis ripa, aris Chriſto Domino poſitis, thymiamata arderent Deo in odorem ſuavitatis, & nos perpetua devotione præſentiſſimi numinis utrobique Tribunal veneraremur. Sed ad hiſtoriæ telam filum reducamus. Defuncto Sabatio Rege, Sabus filius, qui apud Helernam (Cranam ſcilicet) Coritus, & Aborigimbus, & Veſtinis, & Sabinis præfectus legitur, à lævo Tiberis latere regionem omnem, & quidem frequentiſſimam, regendam ſuſcepit: ad quod reſpexit * Virgil. *Æneid.*

—— qui de patris cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Varro tamen aliter, neque ab re, id cognominis interpretatur, quod ea gens P. P. colat Deos, id eſt, PRAECIPVOS PATRIOS, vel PATRES PATRIAE.

Cæterum Janus ſuum apud ſe Coritum advocat Cranum filium, & demum ſanctam in requietem clauſit diem, expletis vitæ ſuæ, à diluvio per arcam & columbam renaſcentis ſæculi anno CCCL.

Hunc Janigenæ flevere omnes, & poſita in ſanctiſſimi patris honorem ſtatua intra ædiculam, non procul ab urbe, in ejus recolendam memoriam, Vertumnum appellavere: cui & annuos & perpetuos impenderent honores. Hinc illæ Vertumnales figuræ & cæremoniæ Gentilium in Idololatriam defluentium. Hinc, inquam, in Zodiaci circulo figura ſub ſilentium, quam Criobolium, Tauroboliumque per feſtos ſcilicet & ſtatos dies myſtico apud eos vocabulo indigitatum volucre, ut qui hoc initiarentur ſacramento, in æternum renati dicerentur: ſed & laurea celebrioris optionis ſignificationem ex numero graduum Zodiaci, quaſi Sol ipſe labores, quos in circumeundo ad lauream adipiſcendam ferre ſolet, hoc hominum commento vitaret, injecta ea per tenebras oſſa: occultata, inquam, novi jubaris claritate veſtibulo noctis, & hac ratione victor diem produceret. Hinc & illa Daphnæ virginis Apollinem fugientis, quaſi pro virginitate tuenda hæc fugeret: ille vero ad glorioſæ famam curreret, & illius metamorphoſis æternitatem. At laureæ ſymbolum erat virgo, viro matura, vultu occidentali, oblongo, & candido, ſcilicet quæ ex Occidente in Orientem verſo vultu reſpiceret, cui os ſacrum pro laurea frondе ad admirationem uſque effigiatum antiquitatis

* Non profecto Virgilius, ſed Silius Ital. lib. VIII.

cernimus in monumentis, & dexterum ſuper caput in coronam reducens digitorum figura ad computum tricenarium & ſexagenarium exprimit numerum, quaſi Heſperus perpetuo anni tempore decurrens mane in Phoſphorum præcurrat, ad veſperam vero Veſper ſolem ſubſequatur, omni nube expurgato cœlo, & lumine ſuo diei ſufficiens claritatem. Itaque Solem nuſquam diceres occiduum, aut intermortuum, cum lux per Heſperum ſuperſit amabilis. Curetes vero in falce, quam Saturno fecere, eandem renaſcendi ſpem in coronarum iterationem ſignificatam voluere.

Sed jam tempus eſt, ut omiſſis fabulis, ad hiſtoriam redeamus. In Jani defuncti quidem Saturni ſedem in eodem ipſo Janiculo conſcendit Crana, quæ apud nos Helernam & Calpen ſuo de nomine nuncupatas condiderat urbes, præter Colonias quas diximus reliquas. Ipſa & Janigenarum Razennorum, & Veſtinorum mater unica uteri ſui filios in Italiæ gloriam, & concepit, & peperit, & aluit, & rexit: regnavitque pro Jano Patre annos circiter xx. ſeniſſima Principum: cui ſucceſſit Cranus Raze germanus, compar, gemellus, conjux. Is Cranæ divinos decernit honores. Qui autem fuerint hujuſmodi honores, quos divinos diximus, ad amuſſim deſcribamus, quo res fiat planior. Ad defunctorum itaque pro meritis, demeritiſve diſcutiendis, locum aderat Prætorium, & ultra Prætorium, quod ad Orientem excurrit: ſed ad Meridiem, qua Occidentem vergit, Amiterninorum adeant & ſepulchreta, cœmeteriave, quod ſcopuletum à majorum denominabatur oſſibus. Ibi á Prætore & patribus ad hoc conſtitutis, uti diximus, dijudicabantur ex propriis operibus, qui vita defuncti eſſent ſepultura, ne digni quoque loci, quaque pompa ſepeliendi: quale diſcuſſionis judicium unico in ſepulchro quod eſt in ædibus M. Antonii Florentii in Quirinali cernere eſt. At qui omni exceptione majores reperirentur, hi ut patres Patriæ, Iſi, vel Iti dicebantur, quibus vel ſummo in clivo, vel media in urbe, vel ſpectabiliori loco cœmeterii condebantur, & eorum de nomine eidem loco nomen imponebatur, & annua eidem ſtatuebantur: in quibus axamenta carminave in defuncti laudes decantata. Ea enim ita Feſtus appellata ſcribit: majoribus item & coronæ ad ſepulchrum plures, & vittæ apponi, & coronati, & hæc jure merito circa dignos. Reliquos vero projici & negligi. Quamobrem Dei timorem & legum reverentiam didicere, compulſi metu impropero, vel virtutum amore: item & Cives pro ſtatus conditione amare & revereri, & ad Patriæ ſalutem, ad Deorum cultum dirigere omnium animum vires in ſemetipſis, & filiis familiaque omni excolere, & uberiorem in dies pro virili educare, optimam in frugem alere. Indeeſt quod Feſtus forum Sepulchreti veſtibulum aſſerit. Relata itaque Crana & in Veſtrois condita, unde Cranii monti nomen, qui à Sicanio Sicanites dici cœpit, ſed Cannus communi voce cognitus. Is itaque divinus honor apud eos erat, & is honoris apex apud eoſdem maxime, ne in idololatriam tam cito collapſos putes Noetis filios, & nepotes etiam ſub ipſius pientiſſimi Noetis oculos.

Cæterum exinde ſubortam Idololatriam lapſu temporis ex remiſſa in patribus diſciplina, & degeneri Principum faſtu, & procaci laſcivientium licentia, cum ſanctiſſimis quidem affirmamus auctoribus, qui idem in omnibus eiſdem conſentimus.

In urbe autem media locus raro conceſſus eſt, ut duo tantum in urbe Roma legantur, Fauſtulus ſcilicet paſtor, qui Romulum nutrivit, ut Tata: is enim in eo, quem ſibi Romulus Urbis conditor locum præparaverat, conditus eſt: ſummo in comitio aram è regione proſpectabat maximam inter utramque cavea, circa quam conſeſſus patrum, vel ſenatorum. Ea autem in foſſa primitias rerum omnium, quibus lege uti licet, & ad victum neceſſarias conjecerant, & ex ea præterea, qua quiſque profectus eſſet, particulam quandam terræ vel glebæ ſerens, hæc quidem communiſcebant, vocabantque foſſam ipſam eodem quo Olympum nomine: deinde in figura circulari circumſcripſerant Urbem, atque ita commune, vel Rempublicam in comitio indicabatur, & eodem quo Fauſtulus loco proximus Hoſtilius perpetuus Romuli latero, & hoſpes, ſepulchro honoratus eſt: uc in Tutulo, ſicuti & Tata comitium pateret ad ſepulchrum: cæteri vero aut ſummo in clivo proximo, montiſve cacumine cominus eminus conſpicabili, quo ſepulchri locum ſuo decorarent nomine, ut Remutiam Remus. Complantabant autem circa hujuſmodi ſepulchra lucum, ut qui annuam ad ſolemnitatem in ejus memoriam convenirent, conſeſſum haberent & convivium interdiu, ſub umbra ſcilicet, ne domeſticam deſiderarent vitem, ſed recumberent quaſi ſub velo ditioris patriſfamilias, qui illius cœnæ pater eſſet. Pro conſidentium itaque gradu, appoſitis per epulones ædileſve dapibus ſobrietatis, quæ virtus in convivantibus frugi eſt. Sed ne quid indiſcuſſum prætereamus, Comitium pro Conitium majores uſurparunt, conventum ſcilicet virorum ſortium, qui Reipublicæ utilitatibus nati conſilio præpollerent, & viribus: & ad indicandam vim rei ea in voce ſignificatæ, M. pro N. ſcriptum voluere.

Imminebat autem ipſo in ſepulchro columna, ſupta quam in conchyli imago eſſet defuncti, aſphalto utplurimum, vel minio colorata, cum inſcriptione, quæ teſtaretur in poſteros ibidem ſepulti nomen & merita.

De ſepulchro Reginæ hiſtoriæ fides deficit ſuppoſitum per textum. Cæterum Cranianæ apud nos aquæ ad Cranot montis radices, ubi primum deflexit in Aternum influit: locus is eminens regii pro tumuli dignitate delectus, (ut puto) & adhuc promontorio illi loco monti nomen perſeverat. Eſt autem is Calpæ ad dexteram ad Orientem longo protractum ſpatio: ſed hoc loci & decliva montis portio quaſi in caveam deſcendit.

Et proinde NIHIL ſub ſole novum, qui protulit ſapientiæ teſtimonium, eloquutus eſt. Nam & in lege veteri primum & apud Gentiles item quod reperit & probavit ſancta Mater Eccleſia, id quidem ſuum aptavit in uſum: nam & præ templi foribus, & atrium habet, quod Palmatum dicitur, in cujus medio fontem prout in majoribus baſilicis & Vaticano præſertim videre eſt Patriarchio, quod ea de cauſa Paradiſus legitur, ubi anniverſarios per dies expoſita in communi, vel privata agape, convenire, & convivari conſueverejuxta ſepulchrum quiſque ſuum, quaterna ſub porticu, accumbentibus ad menſam Principibus: plebs vero in area quæ media eſt, ubi & commune, ut diximus, habent ſepulchrum. Et eo de inſtituto feſtos per dies in natalitiis Sanctorum ſigillatim ſingulas adimus, colimus Martyrum memorias, eam, inquam, per diem qua cœleſti nativitate & triumpho compotiti ſunt, & militia perfuncti: quo die in eorundem venerationem operoſe feriati ſolemnitatem agimus: rationalibus quidem quanto magis eorumdem acta imitabimur & fidem, quam profeſſi, & effuſo conteſtati ſunt ſanguine ſanctiſſimi Patres, luciduſſimæ columnæ Eccleſiæ, qui Chriſto Domino nos plebem peperere, partamve adauxere. Neque enim nobis ſatis eſſet frequentius per excubia ſtationalia ſanctis advolvi ſepulchris, & cereos accendere, & lampadas ſuſpendere more majorum oculis illacrymantibus. Itaque hoc ipſum eſt quod in primis orantes exoremus, ad hoc etiam alter alterum hortemur, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Et nos hujuſmodi per ſtudia eorundem commendemus orationibus, ipſi enim interpellant pro nobis, & poſſunt impetrare, & pollent omnino, & volunt utique & faciunt.

At ſanctorum ſepulchra Martytum conſtituta intra ipſum templum, & ſub ipſo altari, qui locus Confeſſio

feſſio dicitur & Martyrium. Cœmeterium vero omnium princeps ipſum eſt Vaticanum: Lateranenſe enim Patriarchium nuſquam cœmeterium legitur, neque titulus: quamvis reliquiarum omnium ſacroſanctorum corporum, ſive urbanarum, ſive peregre advectarum, potiſſimæ ibidem aſſerventur portiones: unde conditorio illi nomen factum eſt celebre, ita ut Sancta ſanctorum appelletur.

Placet & hoc loci annotare majores noſtros etiam priuſquam Chriſtianæ fidei jubar ſplendeſceret, jam ſemper certos de animorum immortalitate hæc conſtituiſſe, & celebrationis annuæ perpetuitatem ſatis conteſtatos eſſe fidei veritate inconcuſſa. Placet & illud præcipue in Veſtinis, vel agro qui Aquilanus dicitur, obſervatum, recolimus apud noſtrates nullam uſquam hæreſim aut enatam eſſe, aut aliunde allatam: ſed neque vel ſaltem ſuſpicione ſubodoratam, & id quidem ſummo Dei beneficio acceptum referimus. Quod & Pius V. ſanctiſſimæ memoriæ, & in fidei puritate exquirenda vigilantiſſimus obſervavit, & venerabili edixit teſtimonio.

Sed jam ad ſe noſtra revocat nos hiſtoria, cujus digreſſionis paradiſus Dei, hic fuerat Italiæ ſtatutus: quam per utramque ripam bipartitam diximus per Sabinos, & Tiberim in Veſtinis Aboriginibus Latinis una ex parte, ex altera vero Tuſcis & Umbris. Ut quæ dicenda ſunt congruentius & clare exprimamus: In Sabinis Veſtinis utique Janigenæ Razenui, & Aborigines, & Umbri olim computabantur: quos nec ripa fluminis diſgregat, quibus Apennini juga dorſumve perpetua ſinuantium culminum connexione inſolubilis pons æternitatis. At Umbros vel ad alteram ripam computes, vel per ſe ponas licet: & quas Sabanus in eadem ripa altera colonias poſuit, hos Amitinos inter Tuſcos connumeres populos. Sabus itaque Sabati filius, qui noſtram præſertim regionem, & optimis formarit legibus, & gentis gloriam adauxerit, de patrio nomine Sabinos appellatos voluit. Sed audiamus Silium, qui Pyrrhichicum illud decantantes Sabinos deſcripſit, *lib.* VIII.

IBANT ET LAETI PARS SANCTVM VOCE CANEBANT
AVCTOREM GENTIS, PARS LAVDES ORE FEREBANT,
SABE TVAS, QVI DE PATRIS COGNOMINE PRIMVS
DIXISTI POPVLOS MAGNA DITIONE SABINOS.

Magnam itaque appellat ditionem, quæ à mari uſque ad mare protendebatur qua longiſſima eſt in Italia, exceptis Tuſciæ terminis, ſecundum Tiberim collimantibus: ita ut per longitudinem protenſa ab Adriatico mari diſtans ſtadiis circiter CCLXXXII. à Tyrrheno autem in latitudine patens plus minus mille definatur ſtadiis.

Ajunt poſt Cranam Cranum regnaſſe, qui filium nobilem Principem (is enim Autunus Sagis eſt) Coritum ſibi delegerit, unde & Aruntini: qui in Camillanos & Fidentiores, & ſeniores exercuere, cujus de nomine apex ipſe ſummo in Apennino apud nos Cornu dicitur pro Coritu Auruno: & is idem ſecundum ſinus à ſe nuncupatos diſpoſuit per montana generis ſui populos. Excepit idem & pleroſque advenientes, quos & certis in locis collocavit: nam & juxta Atrum ſecundum littus, quo in Apuliam protenditur, navi appulere Auſones. Deinceps etiam recenſent & Malot Tagetem Aurum filium, & ad eum maritima expeditione appulſum autumant Phaethontem cum ſuis, qui videns omnia ab Auſonis occupata in Orientali, & Montana ab Inſubribus & Aboriginibus poſſeſſa, planiciem vero à Veſtinis vel Janigenis habitatam, in Occidentali parte locum petiit, poſſeditque cum ſua poſteritate montes, & agrum omnem, qua Eridanus fluit uſque in regionem proximam, & ea loca denominavit quibus voluerit nominibus. Sed & hoc de illius Annii commentitiis textu, & poſt Phaethontis adventum Italia circa Iſtros Cimmerios, & Veſuvios arſiſſe, vocataque ea loca Pſeuſana, id eſt, conflagratam regionem.

At hunc ipſum Feſtus ſcribit Genii filium, Jovis nepotem, qui adhuc puer aruſpicinæ deditus, aruſpicii tandem diſciplinam tradiderit XII. Etruriæ populis. Ajunt & poſt Tagetem regnaſſe Sicanum, de quo ſupra.

De aurea ætate, & ea quæ ſubſequuta eſt, brevibus quidem Virgilius, lib. VIII. *Æneid.* utpote qui incertis in hiſtoriis non multis immoratus eſt:

Deterior donec paulatim, & decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi:
Tum manus Auſonia, & gentes venere Sicanæ;
Saepius & nomen poſuit Saturnia Tellus.

Nam & interea Gigantes per univerſum orbem iterum efferbuerant, quibus pro lege tyrannis. Quid enim tam vaſtis corporibus aut immani ſufficeret cupiditati niſi aliena, & omnia? Divinum timorem & terræ cultum tenuiorum putabant hominum, & hos quidem Giganteo mancipatos obſequio, quod eos, quibus parcerent, ſervaſſe ad ſervitia domeſtica, forenſiave, ruſticave deſtinatos putarent. At Oſiris Ægyptius in Thracia primum oſtendit in occiſo Lycurgo Gigantes mortales eſſe, & vinci poſſe, qui eoſdem pœnas pati coegit, & Regem, & leges vindices pavere docuit. Deinde etiam apud Emathios, quos Macedonas dicimus, plures ſimul victoria una pugnam per unam ſtravit feliciter. Is itaque Oſiris poſt Sicani obitum accerſitus ab Italis, populorum ſcilicet Majoribus XII. VI. R. P. C. Vindicibus, advenit in Italiam, ubi novitas & virtus ſemper imperant. Is Gigantes devicit omnes, & ſi quos ſervavit, eos in triumphum duxit, omni potitus Italia, comitatus Hercule Chone, à quo ultima in Italia populi Chones, qui à Sabinis tandem ejecti ſunt, L. Caſtronio Duce. Oſiris itaque Læſtrigonem Gigantem ex filio Neptuno nepotem Regem conſtituit. Qua de re lætitia & ſecuritas populorum quam brevi ſſimis eſt concluſa ſpatiis. Res itaque publica publice traducitur de Tyranno ad Tyrannum, & eo magis truculentum quod & juſto regnaret titulo. Quis autem in Tyranno animi moderationem, temperantiamve requirat? in quo uno, & vaſta omnia, & immania omnia fluctuant, æſtuant, conſtringunturque?

Interea virtutis nuſquam oblita Italia per Forcum Cados, quem alii Porcum, vel Porrecum ſcribunt, qui Sene utranque inſulam Sardiniam ſcilicet & Corſicam Vehis colonis repleturus eo loci appulit, & inculuit, & in utraque Aliſtam urbem ex D. Gregorio, & aliis ſcimus: item Aliſtam in noſtris inferius ex clariſſimorum auctoritate ſcriptorum ponimus, cujus nominis in Tuſcia nulla uſquam legitur. Aliſta enim Aboriginum metropolis juxta Reatem fuerat, quæ ab Amiternis diruta eſt. Forci vero nomen inter montium juga novimus, qua exitus, tranſituſve datur: & inter ſummitates Apennini Forrecam Apuenſem habemus, quod is Phorcus dum Italia tumultibus concluſa Giganteis agitaretur, ipſe viam ſibi & ſuis ad gloriam aperiret, quæ invia putaretur. De Phorco autem hæc Virgilius, *Æneid.* V.

——— *Phorcique exercitus omnis.*

Nam & ſecundum Apennini clivos, ſinuſve in proximis ejuſdem de nomine Porcinarium vicus, & mons ſuperat & Cadichium, & Porrecadicum, & Vevium, quæ loca poſteri dixere Suium, vel Vium, & Porcinarium. Sene vero ex nominis vi ſacram denotat crepidam; unde Senicium habemus, & qui Semicio de Vico populus novam in urbem Aquilam commigravit, nomen tamen deſertus ſervat locus, & exiguus in proximo lacus ad Orientem. Inde in ſequelam per vicos diſpoſiti ſunt Aruntini, Fidentiores & Camillarii, recta regione ad Camponiſcum vicum à loci Dominis ſic denominatum. Ajunt autem à Camplobaſcone tempora, à quo gens CAMPLIA:

Q. CAMPLIO. Q. F. VIRILLIO. V. I.
VIRIVM. SIBI.
ET TATINIAE M. F. VERAE VXORI.

A quo Campilia juxta Teramum, utraque oppida non ignobilia: & Servius ex Varrone: *Phercus hic Neptuni ex * Phoote Nympha filius fuit, Sardiniæ & Corſicæ Rex, qui cum ab Atlante Rege bello navali cum magna exercitus parte victus fuiſſet & demerſus, fabulantibus occaſionem dedit Phercum in Deum Marinum eſſe converſum.* Sed hunc ipſum poſteri dixere Portunum, quem & Janum. Tum incolere placuit etiam Jonii Maris Inſulas, & Cyprum, quam Veſtini de Cupra ſic denominavere, uti & eadem in Inſula Thyum Urbem de vici nomine qui apud nos eſt, infra Eburios ad milliaria circiter octo, cujus adhuc inſigne populare perſeverat vetuſtiſſimum, quod eſt citri pomum virenti ramo circumdatum. Cæterum quod Inſularibus in coloniis mediterranciſve immixtos Janigenas legis Aborigines, id etiam in montanis obſervare poteris. Hi enim Regem, vel Ducem auxiliares ſequuti, eadem alibi qua in Italia lege ſedes obtinebant, ſive in inſulis, ſive in continente. Et hoc etiam factum eſt ratione, ne locus ullus unquam ſine oblatione & ſacrificio, & divino cultu ſordeſceret, ſed rudium eruditione, & pietatis propagarentur ſtudia, & virtus avita germinaret in poſteris ubique locorum: id unum præ cæteris Janigenarum curante Senatu.

Sed cum adhuc LAESTRIGONES in Italia regnarent, Herculem per Celtas ajunt adveniſſe Lybium. Hic ille eſt Hercules Oſiris filius, qui monſtra ubique terrarum perdomuit ſuſtulitque laborioſius, & Læſtrigonas in Italia Tyrannos nonniſi decimum poſt annum debellatos expulerit, qui exſiccatis paludibus loca culturæ feraciora & frequentiora fecerit. Is & pleraque oppida ſuo de nomine condidit. At quia Heroes Hercules appellarentur prope omnes de virtutum præcellentia, exinde facile probantur Hercules omnino plures unius de nomine, cui quaſi capiti membrorum omnium officia ad virtutem Heroum omnium virtutes attribuit antiquitas: & quidem exinde temporum ratio nutat, & actionum ſeries male conſtat, & hiſtoriæ fides abrogatur. Illum vero vetuſtiſſimum Herculem ajunt ex Arana conjuge filium ſuſtuliſſe Tuſcum, quem poſt patris obitum regnaſſe in Italia, & Galathæum fratrem advenientem perbenigne ſuſcepiſſe: & aliquando cum colonis in Siciliam amandaſſe ad certam nominis gloriam, & regni thronum.

Ajunt & alterum filium ejuſdem nominis, qui poſt patrem regnarit, cui & eidem ſucceſſiſſe Kithim, qui & Colonias trans Alpes deduxerit, & recenſent poſt eum Morgetem filium, qui Campoblaſconi cognato, & Electræ viro Coritatum detulerit, qua de cauſa regnum deinceps aſſequutus eſt, & dictus Haſtatus Jupiter, item & Jaſius, ſive ſoſpitator Jupiter.

At Roma juxta Janiculum ſummo in Aventino ſedes fixerat, & Sicanorum Coloniam ſub regina Aboriginum alteram ad ripam ſcilicet ſubſidentibus Sicanis.

Hæc itaque Roma Romanæ Urbis & nominis fundamenta jecit, cujus imperium orbis terrarum, nomen nec ipſum præſcribere cœlum ajunt, cujus ad æternitatem ſocum excitavit Subregina, per quam Urbs maxima exiguis poſita eſt initiis. Et quidem Romuli temporibus jacebant in pluribus antiquæ fundamenta fabricæ, quæ Remus reſtituere optaverat: ſed Romulus prævaluit, & Palatinum murum cinxit, & communivit. Aventinum vero de Remi ſepulchro Remuria dicebatur.

Poſt Romam Romaneſſus filius Subtegulus Montanorum ſit Aboriginum: hoc contentus titulo ne matre Subregina natus humilitatis reſpueret dignitatem: & hic honoris contemptus notabilis eſt, dum mater non Regina, ſed Subregina dici vult, & filius Subregulus regiam adaugeat gloriam. At hæc ſi qui degenerum quaſi deliramenta Principum derideat, is ſibi uni ſapiens erit nemini Rex optabilis. Adſerunt & Romaneſſæ filios Jaſium & Dardanum, & de juriſdictione inter ſe certaſſe acriter, & Dardanum, ut aliquando vinceret, Jaſium fratrem per inſidias occidiſſe. Sed quod pro Jaſio Tuſci ſtarent, & Siculi, & Siccleus, qui in Celtiberis regnare cœperat: è contra adeſſent Dardano Veſtini Curetes & Aborigines, hoc uno inter fratres diſſidio concuſſa eſt Italia omnis: proinde ea quæ rerum viciſſitudo eſt, Tuſcorum res adauxit & gloriam: noſtratium vero adduxit. Fugit enim Dardanus in Samothraciam, & ibidem diutius latuit: Principum & civium conventu abſtinens, poſtquam nudata latera ſibi vidit affectarum cuſtodia.

Succeſſit Jaſio Corybantus filius apud Tuſcos. In Veſtinis vero & Aboriginibus Romaneſſus Romæ filius: & is primus Saturnus conſtituitur, Pontifex ſcilicet Maximus, quo titulo regnarunt etiam & poſteri.

At Romaneſſo defuncto, Picus Priſcus filius ſucceſſit, anno, ſecuodum Lucidi ſupputationem, eodem quo CHENCHRES ACHERRES, qui & PHARAO. Is Hebræos, quos abire permiſerat, terra marique infeſtius perſequitur. Sed adfuit vindex Deus, qui populo ſuo mare rubrum ſicco pede calcabile præbuerat, ſubſequentem Pharaonem cum omni exercitu excitatis obruit fluctibus. Ut miremur in maris natura quandam manſuetudinem, qua ſe Populo Dei calcabile exhibuit, & admiremur item tractabili in elemento iram, qua perſequutores ineluſos obruerit.

Deinde ab Athu in Regni Mæoni partem adſcitus eſt Dardanus: & ita Regni Trojani origo conſtituitur: ipſe vero, ſi quæ in Italiæ regno jura haberet, reſignavit Tyrrheno filio Athus, & deinceps conſtituta eſt Dynaſtia in Tuſcis duodecim populorum Ducibus, & Larthe; unde Ilioneus apud Latinum Regem, *Æneid.* VII.

—— hinc Dardanus ortus
Hue repetit.

Ubi Servius, *non petit, ſed repetit, quaſi propria.*

In tantis rerum varietatibus, & Principum novitate, quis Janigenarum, Veſtinorum, Sabinorum, & Aboriginum fuerit ſtatus, edicere operæ pretium, quod ea aut nemo attigerit, aut plerique inverterint, aut præterierint, invidia-ne, an ignorantia, nihil diſquiro: ſed quantum per veritatis teſtimonium licerat regionum altrici dulciſſimæ adero Patriæ. Nam & pleraque conſulto omittimus, quia fide dignum auctorem non habemus.

Coaluerant quidem in populum unum, quas recenſuimus gentes, licet intra ſuos quiſque limites exuberanti annonæ copia, florentibus urbibus, oppidis, viciſque, adinventis artibus, adaucta religione, etiam in fœminis venerabili morum diſciplina, fraterna dilectione in alterutrum, & majorum reverentia, & divino in cultu propenſioribus animis, frequentioribus aris.

Cæterum in politioribus, eiſdemque ornatioribus, virtus æmulationem provocat, æmulatio, ſi virtus aderit, gloriam parit. Sed quæ Pegaſæo inſidet gloria contra exorientis jubar Solis, & ex animi candore metitur omnia poſt ſe equitantem, nuſquam videt umbram, nihil tale ſuſpicata nuſquam proturbat. Illa igitur diuturniorem per moram crevit, ita ut quaſi Decumanus limes ad Occaſum uſque protendi, & omnia opplere videatur. Proinde hujuſmodi de gloria & æmulatione quaſi de faſtigio faſtidium excitatur in ſeminarium invidiarum, quo diſſentiones in populis, contentiones in conventibus, contemptuſque & ex contemptu inimicitiæ implacabiles, odia inteſtina, bella civilia.

Qua de re Sabinorum Patrum juſſu Prætor, cum exer-

* In *Comment.* Servii *ad Æneid.* v. v. 824. legitur *Thoofa.*

exercitu, præcuntibus facibus, ex Amiterno nocturna irruptione Aliſtam Aborigínum metropolim feriatam adoriuntur, capiunt, diripiunt, ſoloæquant. Cives, quas clades non intercepit, à Reatinis ſuſcepti gentilibus, quod ex Aborigínibus ea urbs magna ex parte conſtaret, cum de repetundis fruſtra agerent, nec ulla de vindicandis ſpes in armis reliqua, diſquirentibus omnia, obrepens occurrit ea, quæ in rebus trepidis incuba deſperatio, nec ſilenti temperantior, nec obloquenti frugalior eſt. Itaque Aliſtani extorres agrum olim patrium, & patriæ rudera Dis devovere in poſſeſſorum odia, in ditionis vilitatem.

Ea vero offenſa Veſtini, quod ſumma rerum, & ſacrificiorum, placationum, item & execrationum apud Amiterninos Patres eſſet, qua etiam victi & extorres abuti auderent Aliſtani, Reatinorum occluſi mœnibus, contra Reatinos exarſere, quaſi hoſtes in fide receptos ad hujuſmodi intentanda animaſſent. Igitur Reatinum agrum Italiæ lumen depopulari, occupare, obtinere gravi mulcta, ut Reatinos pœniteret pro Aliſtanis ſtetiſſe.

Sed, quod humanis in actibus frequenter accidit, NON OMNES PROBANT OMNIA, ex Patribus aliqui & plebe, uti par eſt credere, & in libera adſolet Civitate, abdicationem hanc quantumvis rationabili de cauſa; quod belli cauſas temere cauſarentur, nulla admonitione præmiſſa, placidiori ſeveritate, ſevenori diſſidio ſe à fratribus ſegregarunt, qui ſe ea de cauſa Æquos appellarunt.

De generis antiquitate priſcis in Italia Populis, & nominibus recenſenda, nemo eſt qui dubitet, nemo qui indigenas neget: & tamen pauciora ſcriptorum teſtimonia haberi, & produci poſſint. Sed ea noſtram per interpretationem dilucidiora fient pro venerabilis æquitate nominis, & ſacroſancti dignitate officii.

Quod inter diſſidentes populos pacem conciliarint, vel perduellionibus bellum indixerint, unde & Romani Feciales accepere, & feciale didicere jus. Feciales enim fuere qui controverſias verbo ſolverent, & hi per Sertorium Reſium in Urbe primo cogniti, & apud Virgilium leguntur ſub Ufente Duce Turno Regi auxiliares: & Plutarchus in *Numa* auctor eſt apud Æquos aliquando regnaſſe Septimium Medium.

Hi igitur ab origine, ea de cauſa, quam diximus, ſecluſi intra montes; & à Meridie poſt Cranum, qua ſe mons is ad Occaſum vergit & Meridiem, regionem obtinuere, oblongam quidem, ut & Veſtinos à Septentrione, Sabinos ab Occaſu, ab Oriente vero Marſos, deinceps in Latinos uſque & Volſcos protenſi ad Algidum uſque incolant.

Qui aliquando in Phaliſcis intra Sabatios, incerto tamen deductore, & deductionis tempore, alteram ad ripam Tiberis coloni confedere, ne unis tantum Ingaunis Liguribus tricies agrum datum, ac toties novas ſedes datas Italis intra Italiam putes. At qui de Phaliſcis ſcripſit, Æquos cum legit, de ſuis omnino omnia dicta putat, & populum unum uno in loco conſtitutum Æquicolas omnes adferuit nimis indulgem, nec advertit quod legit: auctores enim ſubdubitant de Fecialium origine, Æquicoliſne an Ardeatibus id tributum fateantur. Præterea dum Æqui Algido in monte L. Minutium Cos. & Romanum concludunt exercitum, vel ſequenti anno ibidem juxta infeliciter cum M. Horatio pugnant, dum Baulos in proximo habere leguntur, quos à Labico Labicanos novam Romani populi Coloniam, ſubita irruptione vexant, quæ Urbes omnino in Volſcis in Latio ſunt, dum Fidenæ, item & Cruſtumerium in finibus deſcribuntur, certe non hæc ad Phaliſcos referri poſſunt, altera de Tiberis ripa, neque exinde ad Algidum niſi Romanum per agrum, ſi modo per Romanos, & Tiberim, qui Tuſcos à Latinis & Romanis diſterminat, tranſitus pateat. Proinde de noſtratibus, & qui ad Algidum proximi ſunt, hæc de Æquicolis agunt hiſtoriæ.

Sabini vero alteram per expeditionem ex Amiterno profecti, quo ſtatis diebus populorum Majores, Duceſve convenire, & ſacris faciundis, & juri dicundo conſuevere Patres Conſcripti. Hi quibus ea cura demandata erat, juventutem adeſſe armatam, & in acie adſtare juſſam expedinnt: Cotylam Aborigínum Urbem nobiliſſimam monti appoſitam expugnant, & victoria qui ſcirent uti in lacum proximum invecti, obtinent Victoriæ numen, & ſtatuam ibidem celebrem: tum pleraque circumcirca oppida diruunt, novaſque urbes ædificant & oppida, præſidia diſponunt, caſtella communiunt, inter quas Cures leguntur, Coloniam deducente Modio Fatidio Teſtrinate.

Erat autem Teſtrina Amiternorum vicus, præſidiumve, quo ſecundum Varronis ſententiam majores noſtri in agros rejiciebant cives ſuos, & in pace à ruſticis alebantur, & in bello tuebantur. Hi Nonis tantum ad nundinas in Urbem accedebant, de cætero ruri occupati. Hi bella & pugnas depugnabant pro patria. At qui inter eos Pagi Magiſtri imminerent ea de Prætura, Magiſtratuve, Tatii & Titii dicebantur, & in iiſdem Tutulus ſi quis inſignior in hoſte propulſando, proterendove emicuiſſet inter cæteros: ſi quis limites, patriamque tutatus eſſet, nec jam palma inglorius alba procederet. De quibus Tacitus *Annalium* primo hæc: *Titus Tatius Rex retinendis Sabinorum ſacris ſodales in Urbe Titios inſtituit:* ii ad averruncanda mala extra Urbem degebant, & inter ruſticos. At qui vel cultu terræ induſtrior, operoſiorve, & frugi ſemper probaretur, qui & pacis ſtudio, & rei militaris peritia cives ſervaret, hic tanquam Vici Magiſter, & Tatius pro communi Vicanorum Tata habebatur. Unde & Avum, & Atavum habemus: cujus nominis rationem compendio explicare non otioſi quidem ſcriptoris putamus.

Terram ipſam, ut Varro aſſerit, majores noſtri dicebant Matrem, & Cererem, & qui ipſam colebant piam utilemque vitam agere putabantur; ita qui Civem laudare vellet bonum agricolam, bonumque colonum cum dixiſſet, abunde laudaſſe videbatur. In agricola enim ruſticum, & militem hujuſmodi in vico, caſtriſve verſatum: in colono autem ſortem virum, & eundem opulentum, & bene conſtitutæ Reipub. amantem ſignificabant Civem. Unde, & Ilio communitæ Urbi nomen, & fabula illa de conſtructione murorum ejus.

At ſitus Teſtrinæ non longe ab Amiterno ad milliaria quatuor Occidentem verſus, & Meridiem, cui de lanificio nomen inditum, prout inferius dicemus.

Aderant itaque Teſtrinatibus Magiſter & Magiſtra Vici, ſecundum limites, vel agriculturæ, vel militiæ, vel lanificio edocendis: ut cuſtodiendæ inprimis pudicitiæ adeſſent alacri juventuti, bonis imbuendæ moribus, ita ut eiſdem pro trocho, triſve, poſt agriculturam, & litterarum ſtudia ad ludum ſecundarium palæſtræ curſus, armorum uſus, & labor adſiduus, quos eorundem virtutibus jucundatus ſeveriorum patrum confeſſus, dum probat, & coronat, docilem oblectat, & arguit, validam excitat ad palmam, & coronas. Populum itaque militiam dixeris qui locum caſtrorum noris. Sed Teſtrinæ culmina dejecta, mœnia item diſjecta jacent; & ipſa rudera obruta innato ſub gramine delituſcunt. Et tamen candor ille luciditſimus de marmorum lapidicina in humeris velum deſuper emicat. Nec omnino nomen ſilentio premitur, eo quod Chriſtianam per pictatem vico aptatum vocabulum quaſi vicinæ vocis, Teſtriniæ, indicium ſit: neque ab re locus is B. Silveſtro dedicatus eſt, & Eccleſia ibidem conſtructa, & monaſterium ejuſdem de populariis nomine, qui in ſummum Pontificem pro vitæ & virtutum merito adſumptus eſt, qui pacem poſuerit, fines Eccleſiæ, magnum Chriſtiano nomini incrementum.

Is vero Rufini à Ruſo denominati filius, gente Cornelia, familia Merula Conſulari, quæ ut Varro lib. III. *de Re Ruſt.* & inter Curetes primaria, & inter Romanas patricia, licet minorum gentium fuerat. Hoc item loci ubi nunc Eccleſia prope diruta eſt Epiſcopalis, poſita Cathedra Teſtrinenſis Epiſcopi: legitur & Pinnatiarium proximis de Pinnatiis: ea enim voce dicebantur humiliora, frequentioraque in Curibus montium juga, à Thebe Bœotia Reatinum verſus agrum. Et Varro eodem *lib.* & *cap.* agit de Pinnio in his locis ubi ageret.

At ſitus Teſtrinæ inter milliarium clivum ab Occidente, & Thebas Bœotias, Amiternum verſus ad lævam diſtat ſtadiis XXIV. Canium vero montem verſus ad dexteram habet, & recta regione eunti ad Hypſæum vicum Orientem verſus. Horum nominum Varro meminit lib. III. *de Re Ruſtic.* ipſo in initio. Thebas autem Lacones condidere, quos à noſtratibus perhumaniter exceptos diximus. Hi pro caſtris præſidii hoc loco Milliarium condidere Vicum: ſed hæc ad Lycurgi tempora rejicienda ſunt: & Amiterninis ceſſere omnia patribus. Ea enim humanis in rebus varietas dominatur, ut pro Milliario Veliam à vellendo pecore aſſertum primo, deinceps Veltianum denominatur: & id tandem dirutum eſt: item & pro Thebas Bœotias Civitatem Thomatiam dicimus à Thomate Petri F. Ruperti Nepote Sulzpacenſi, loci regulo, qui oppidum reſtituit, & muro cinxit.

Sed jam tempus eſt, ut de CURETVM, quos diximus, nomine, & nominis cauſa edicamus. Hos plerique à Cure Sabatii filio: Dionyſius vero ita appellatos ait, quod Virgo quædam indigena clariſſimo prognata genere, choros ducens in templum Enyalii ingreſſa, & ex defatigatione conſopita à loci numine compreſſa Medium Favidium enixa eſt. Is in virilem ætatem adoleſcens, & forma ſupra hominem, & re militari longe clariſſimus condendæ Urbis cupiditate, magna è finitimis agris collecta manu, Urbem ſtatuit, cique nomen fecit, vel à genio loci, cujus dicebatur filius, aut ab haſta: (ut alii volunt) Enyalis enim Sabinis, & Romanis de Sabinorum documentis Quirinus.

Alii, & exteri quidem, Eſychium ſequuti, id eſſe Numen ſcripſere, cui ſuovetaurilia fierent, integro ſue, tauro, & ariete. At nos Enyalium victoriæ numen tenemus, qui per militiæ labores victoriam parari ſcimus & pacem: illud etiam & ſalutis numen legimus. Quod & Camulum Sabini dixere poſteri, vel Minervam, vel Palladem, vel haſtatum Jovem, qui & clypeum geſtet & galeam, cujus pro coni ornamento idem quod Enyalio finxere, quale ſignum Roma videt in ædibus Colonianis ad Æquam Virginem. Curibus hæc cognita numina, quibus proximus eſt Victoriæ lacus. Alii fabulam aliam commentantur, conſtanturque quaſi liceat ſuomet arbitrio condere, & hiſtrionicam facere hiſtoriam. Qui dicunt Herculem cum Virgine quadam in foveam concubuiſſe, & inde natum Fabium vel Fovium: & quidem foviſſam pro foves Antiqui dicebant in ſacris cæremoniis: & eodem de Fabio habemus Fabiæ gentis primordia. Sed extra fabulam & ſcenam illud affirmant indubitatæ fidei auctores ſacras foveas vel foviſſas, vel Olympum circumcirca templum, hoc ipſo priſco à Fabio excogitatas: & ex eadem familia factionem alteram vel licentem in Lupercos agnovit Populus Romanus. Sabatium vero Curis filium ſacræ teſtantur Litteræ, ſcriptores item omnes: & Sabinos Sabatii poſtentatem condendis Curibus avitum nomen aptaſſe potiſſima ipſa ratio quæ ſuaſit, perſuadet. De Curetum inſtitutis ac moribus eloquentem audire Strabonem juvat, & eadem explicare non inutile eſt, qui detonſo à fronte capite ad occipitium capillati occaſionem aliquam fecere Eccleſiaſticæ tonſuræ. Item quod ſelecta de nobilitate linteati incederent, procederentque ad aras, ſacramve militiam: unde apud nos inolevit albarum uſus. Vela item quæ ſacra circumdant altaria de Curetibus accepta demonſtravimus: iidem Enophiam armatam ſaltationem, & Pyrrhichicam, unde Luperci ſuos habuere ritus, ſaltationem, decurſuſve, & S. Romana Mater Eccleſia choros, vel ſemicirculos adſtantium hinc inde pro corona Epiſcopi, & in eis hymnodias alternatim ſuccentas: ſed & militiam in linteis Eccleſiaſticam, vel in Dalmaticis, & in his defenſores albati ſub fanone, quem præferunt Dominica ſub Cruce, & Diaconi in Dalmaticis armatum repræſentant Principem populi, & Duces qui ſub Archidiaconi manu populum per claſſes diſtribuunt, & in officio continent. Sed de Curetum ſaltatione quam diximus, & Enophia dicebatur à circuitu ſaltationis, dum Reginæ partum occultant, & protegunt.

Atqui iidem ipſi Curetes adinvenere ſacrarum cæremoniarum ritus, qui religioſiori ſemper in obſervatione vigent. Eo enim noſtra omnis ſpectat oratio, ut de Eccleſiaſticis inprimis tractemus, qui ſanctorum Civium & Ducum, & Antiſtitum noſtrorum actus & ſcribere, & dilucidare intendimus. Quamvis & alia ſubdamus pro curioſiori lectorum indagine. Curetes, ſubdit Strabo *lib.* X. cum prudentia eminerent primi omnium greges coegerunt, reliqua manſuefecere pecora, mellis uſum, venandi, ſagittandique modum toduxere, hominumque cœtum ad communem vitam & legum diſciplinam inſtituentes, & æs fabricaverunt. Deorum ſtatuas iidem, & falcem Saturno fecere: artium item omnium, ſi quæ excultiores ſunt, auctores fuerunt: unde & Idæi, & Dactyli à manuum artificio, & artium dignitate: & Cabyri, & Corybantes appellantur. Hi Rhodum, & Cos, & Camos de Camillarorum nomine, & officio dictum condidere. Hi & Coloſſos in majori Phrygia, cujus portio, Comæ de Cominis noſtratibus, & Iſtam juxta Macedoniam.

, Sed cum Rhodum ponerent, quo ingenii magiſterio pollerent, quove ſerverent manuum artificio, ſatis ſuperque, & ad admirationem oſtentavere perpetuam, in deligendo ſitu, in partitione Civitatis, in munitionibus, & ornamentis publicis, privatiſque, ad commoditatem, ad ſalutem, ad ſplendorem omnibus numeris abſolutiſſimam urbem; & inter cæteras florentiſſimam conſtituere Remp. in qua & Architectura, & Pictura, & Sculptura floruere, excultiſſima orbis terrarum ornamenta. Ut eo de civium ſtudio bonæ artes quaſi unus loci, & una ars, & pictura una, Artes dicerentur Rhodiæ: & hæc quidem in manuum operatione eſt, intellectu in ea pervigili. Unde in Rhodiis numiſmatibus Solem, cui eam Urbem dicaverunt Patres & plebs omnis, ſculptum cernimus, & ex altera parte, latioribus, inquam, foliis, enaſcentem roſam, qua Urbium deſignarent florem, & florentiſſimam in militia juventutem, in majoribus validam viribus ætatem, & conſilii mentem vividam. Hanc autem figuram & nos cum S. Matre Eccleſia admiramur, & veneramur in triginta illis argenteis, quibus pacti ſunt D. N. Jeſu Chriſti proditionem mala mercede mercatores peſſimi Judas, & Judæi. Cæterum de his hucuſque non ab re poſitis, ad Curetes redeamus, quos legimus vere novo, adulto ſcilicet, ad Quintiles Kalendas, qui menſis ab Junone, quæ & Veſta eſt, vel Ops, & Carna, & Venus, Junius dicitur. Veſtæ itaque de conſtituto, & Jani auſpicio uſurpari cœpit, ut hac potiſſima die in colonias deducerentur novæ juventutis examina. Unde & menſi nomen Junio.

Qua profectione alteras juxta Nomentum Cures ad ripam Tiberis ponunt, & eas minores dicunt, ad quas potiſſimum referenda ſunt, quæ ſcriptores de Sabinis Virginibus. At de Tatio, & Numa ad regnum acerto, & cætera hujuſmodi, ad veteres omnino

Cures, in quibus regnarent: etſi ad has urbi proximiores curulia figere niſi temporarias conſtanter negemus. Et hac in expeditione Coretum locum quem inſederunt Modianum clivum nuncuparunt de Curium auctoris nomine. Et hæc quidem in proximo reſidendi occaſio probata eſt, ne cum ad Senatum in Janiculo habendum, Aventinove procederet Sabinus, homo quaſi per aliena progredererur loca, peregrinus hoſpes. Sed & qui Palatium juxta Reate habitant, ad viam Quintiam, locum paſcendo pecori dum quærunt, in colle conſtiterunt, quem Palatium patrio de nomine appellavere, & ejuſdem collis partem alteram ad Orientem & Meridiem Vcliam à vellendo dixere pecore, cum nondum tondendi artem reperiſſent. Neque abſurdum erit ipſum Avenonum de Thioræ oraculo nuncuparum dicere. Thiora autem eodem in agro, eademque via milliario à Reate ſeptimo diſtat. Aliud autem eſt & ab ea ſecundarium montanorum Aboriginum Theodium, vel Tode: quamvis plerique eadem in voce fallantur, & fallant: ſicuti & in Veiſſa, magna ſcilicet Iſſa montanorum, quam Viſſæ ſcimus ab Iſſa Inſula, & oppido agri Reatini: neque enim cœco duci manus damus. Qua etiam pro loci diverſitate, & temporum, & colonorum diſcretione Nurſia ab Urſia, & Nurſina Provincia ab Urſina diſcreta eſt, & D. Gregorio in *Dialogis* caraxata inter ſe differunt. Sed Urſina ſolo adhuc nomine internoſcitur, eo in monte ubi Urſia urbs olim ſteterat, & ſubjecta in valle, quæ loca utraque Orſonia uno nomine appellantur, & ea media eſt inter Cominium vallem, & Comam urbem ad Septentrionem, quæ & ipſa diruta eſt. Habet & ad Meridiem Phalacrinam vallem. Quibus de locis progenitas Roma mater agnovit familias COMINIAM & VRSINIAM, & quæ potiſſima floruit FLAVIA AVGVSTA, quî cum & PETRONIA & TVRPILIA commixta.

Thio autem, de qua nobis ſermo propoſitus eſt, & Ornarium vicos, quod ibidem de Pico ave ſuper truncum quernum conſiſtente reſponſa petebant ſuperſtitioſiores illius ſæculi homines. Ornarium vero vel ipſa ab ave, unde & auſpicia denominantur, vel quod ibi Deo auſpice ornarentur, qui auſpicato inaugurantur. Inde ſalutationes ad Portam Aventino proximam, apud Romanos Prætoribus, & auſpicia capi ſolita. Sed ſi quis ad hæc ſingula, vel ſaltem ad priora requirat teſtimonium, ex Veterum auctoritate meminerit, quæſo, Sabatium & Rnmam Cureris in Aventino monte conſediſſe primum, & Romam Urbem in Aventino Sabinorum coloniam, & ab auſpicus & auſpicatis ſalutationibus, miſſioobuſve omnino deductum nomen.

Meminerit idem Quirinalem à Quiritibus nuncupatum, qui eo loci conſedere, icto inter Tatium & Romulum fœdere, & eundem montem ſive per Tatium, ſive per Numam, intra muri ambitum concluſum. Præterea Capitolium à Sabatio Saturnium appellatum adſerunt omnes, quem & Tarius belli jure occupatum retinuit, & ipſe primis annis incoluit Numa, qui deinde in Quirinali conſedit, & utrobique omnino inter Curetes ſuos.

Et ita Urbs Roma ſitum quammaxima ea eſt majori ex parte à Sabinis obtentum noverit. At nos & Dionyſium hoc loci, & ubilibet allegare non pigeat, qui hæc de Numæ inſtitutis ſcripſit.

Roma, Numa auctore, habet ut Diis quibuſlibet aras erectas, multa præterea templa attributa, ſuo cuique numini ſeſta, & inſtitutis qui ſacra curent Sacerdotibus, latiſque legibus permultis de caſtimonia, de cæremoniis, luſtrationibus, cæteroque cultu & honore Deorum, adeo ut hac parte longe à tergo reliquerit quamvis Civitatem pietatis nomine celebrem. Porro omnia quæ ad religionem pertinent octo libris, juxta totidem ſacrorum claſſes conplexus eſt; de XXX. ſcilicet Curionibus primo: ST. vero de Flaminibus: III. de Tribunis col. IIII. de Auguribus: V. de Veſtalibus Virginibus: VI. de Saliis: VII. de Pontifice maximo: VIII. & ultimo de Pagorum Magiſtris. Urbis itaque ſitus, & populus Romanus, & ſacra, & ritus è Curibus crevere. Immo ſunt qui Accam ipſam Larentiam Apiam, id eſt, Veſtinam, dicunt Romuli nutricem. Adde è Curibus ſolemni Paliliorum apparatu accerſitas, quas intercepit & obtinuit Roma nurus, quibus cum populus Romanus eſſe cœpit pater, immo & populus ipſe, qui conſtabat tumultuaria de turba Quiritum exorditus adauctus eſt, qui maximus & firmiſſimus eſt. Urbs ipſa inter orbis terrarum urbes & Regia, & Regina ampliſſima congeminatis intra pomœrii ſpatia montibus, propagatis Imperii finibus, quæ etiam ad regiminis molem ſuſtinendam è Curibus Reges accerſiverit, per quos ſortis juſtitiam didicerit, & Deorum ſuſpexerit cultum. Sed neque unquam aliquid à Dis per ſacrificia votave popoſcit Populus Romanus, quod non ſibi & Quiritibus proſuturum præſaretur commune. Sed nec Latium aliunde crevit, aut condi cœpit quam per Curetes, ab ipſiuſmet Sabatii Coriti temporibus. Curetes enim omne quam maxime latum eſt Latium uſque ad Lirim per opportuniora loca colonis replicavere patriis: quamvis & Græcorum & Trojanorum colonias eadem io Proviocia non negemus.

Equidem Curetum opus Lanuvium, & in eo ædem Veſtæ forma eadem quæ terræ repræſentaret rotunditatem, & Jano, & Olympo, & ſacra circa ipſum foſſa, ut ſuam in Latio haberent ſacrificiorum urbem & Veſtalium in ea collegium: præterea & Antemnates, & Tellenſes, & CIPERVM, & Camerium, quod olim Mediterraneorum metropolis Aboriginum fuerat: ſed & Veſtinos alteros condere placuit Auſone Duce, urbibus in tribus, Auſona ſcilicet, & Minturnis, & Veſtina, de quibus Livius *lib.* VIII.

Sed & ultra Tiberim colonias poſuit Sabatius Sabus filius, ubi & Sabatium lacum proprio denominatum voluit nomine: tum & Vejos de notabilibus appellavit nominibus. Sed & Amitinos Veſtinos quidem inter Aruntinos novimus ſuo de Coritatu. Prætermittimus cætera cum Tuſciæ originem ſubſcribemus. Quod ſi Sabinorum Veſtinorum illius temporis limites requiras, ad amuſſim accipe. Ad Septentrionem & Occidentem protendebantur ſecundum Aboriginum ſpatia, qui Umbros habuere collimitantes quacunque Apenninus longo tractu Italiam interſecat, & Octriæ alterius Janigenarum, quæ Hetruria eſt, relaxat ſpatia. Ad Meridiem vero & Orientem ad Septentrionem reflectitur. Italiam, quæ reliqua eſt, obtinuit Sabinus, qui rerum geſtarum gloria, & æmula virturum ſobole in colonias diſpoſita Provinciæ terminos propagavit. Diſpoſitio autem coloniarum apud majores celebrabatur, ea potiſſimum de cauſa, quod ſubcreſcentem ſobolem, quæ pro multitudine exuberaret, ut nec anguſta mœnibus jam capere poſſet patria, nec ager alendo jam ſatis eſſet, novis itaque devovere Laribus oportuit, ſedes alio quærere juſſam, ea obſervatione, de qua ſupra diximus: creatis primo Prætoribus deducendæ colniæ, mittebant novi examinis aream juventutem, quam Venerem dixere ſabularum Commentatores, ſecuodum auſpicia, certum ad locum per Patres abdicatam, per quos omnia & dicere, & facere, & probare licet, in verbis Do, Dico, & Abdico. Sed prius eandem plene inſtruebant opportunis omnibus armis, inquam, & ſuppellectili, annona, ducatu, præſidioque. Juniores itaque compares præcunte Petreia anu, ſcilicet ludibunda, quæ ebriam imitata præ lætitia inberraret: ipſi vero pineæ arboris ramuſculo coronati, & ſub velo, ramos prætendentes in procedendo Æna canebant, pro quo poſteri Peana dixere, P. littera præpoſita, qua & Lares deſignabant. Et quidem ad hujuſmodi, ſigno hoc etiam ipſe D. N. JESVS

CHRI-

CHRISTVS ſibi complacuit, quando Conſtantino apparens, clara voce ſignum victoriæ dedit è cœlo Propugnator inclytus, qui & Patremfamilias agere in Conſtantini Lateranenſi domo præluceute divina luce, & ad cuſtodiam excitato igni ſocum pro altari, & menſam, ad quam & curulim ſub velo ſibi poni dignaretur, & his, qui vice ſua Petro ſuccederent.

Eos, inquam, Natalium Deos Lares, generis ſcilicet humani parentes Janum & Veſtam, vel etiam Cranam, quæ & Ops, & Cybeles altera: immo & Carna, qua unica voce plura ſignificantur, ſecundum ſcriptionis elementa: in *C* enim generoſam natalibus rite conjugatam venerabilem matremfamilias; in *Ar* vero Aretiam de matris nomine; demum in *Nia*, ipſam Noctis uxorem.

At juventus, quam abdicatam diximus eo nomine cantuve Eana Janigena, tum ſe ſignificabant prolem emiſſariam, examen quaſi apum viridi inſidens ramo, Venerem nova ſpe novorum in floribus germinum eſt in apibus mellitam ſobolem per omnia parentibus adſimilem, pro qua parentes invigilent jure merito. Hæc ſi ad noſtra tempora, cæremoniaſque aptatas volueris, in Eccleſiaſticis Litaniis, proceſſionibuſve pro Petreia Tubicines præmittimus, & ſimilia aliquando uſurpamus, hiſtorias ſecundum faciem Sanctorum repræſentantes, & ſtratas, & parietes ornamus floribus veris, & aras paſſim poſitas odoribus ſuffimus, & alleluiaticum melos celebramus in Sanctorum, & Sancti ſanctorum laudibus, & invocationibus, qualia priſcos apud Sabinos, de quibus Virgilius *Æneid.* VII.

Ibant æquati numero, regemque canebant.

Et in ſequenti*:

—— pars ſanctum voce canebant
Auſterem genus.

Ut in verbo æquati, compares, ſcilicet coronati conjuges & animorum eiſdem moderationem & gravitate temperatam adoleſcentulorum jucunditatem intelligamus. Inde illud viridi ſertum in pileo Epiſcopi, & præcipue Metropolitani, qui ſicuti paſtor ovium gregem ducit ipſe populorum paſtor, poſt ſe populos trahat. Cæterum orbis univerſi Metropolita ipſe eſt Romanus Epiſcopus. Quid enim Eccleſia quælibet niſi S. R. Eccleſiæ Colonia eſt? & qui gregi illi præficitur Dux, paſtor, Epiſcopus, eo loci ſummi Pontificis Romani vices gerit, pro modulo ſuo ſecundum partem ſibi adſignatam: eo quod Dominus Papa ſimul & ſemel locis omnibus adeſſe non poſſit, qui tamen auctoritate & poteſtate omnibus præeſt, Magiſterium & Ducatum præſtat. Una itaque eſt Eccleſia, & Epiſcopus item unus, & fides una, uti in humano corpore corunum, & anima una. Vides igitur & in ſobole, & in parentibus eandem VENEREM, formam ſcilicet & politicam & parentum erga filios curam & ſtudium invigilans: Venus itaque quod ad omnes eat, inviſens ſi quid oporteat ad ſummam animorum jucunditatem, ad ſollicitudinum ſublevamen, ad virtutum rudimenta, & profectum, ad generis æternitatem. Neque aliena de cauſa Venus dicitur humano in corpore hepati dominari: in hepate enim ipſa eſt vena, & porta, & fons, unde ſanguis per omnia humani corporis membra diffunditur, vivido & innato fluendi vigore: ipſa autem caro ex ſanguine eſt, & ipſa, inquam, Venus eſt bene formato in corpore flos pulchritudinis, bene formato ex animo ſapientiæ virtutum ſpecimen. Unde Virgilius *Æneid.* V.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Sed jam ad inſtitutam redeamus hiſtoriam. E Teſtrina itaque Amiternorum vico, qua ad meridiem & Occaſum poſitas diximus Cures: è Curetibus vero Sabatas, & Latinas colonias habemus. Sed adhuc altero de vico, qui ad Orientem vergit, dicendum reſtat, Conio, inquam, cujus originem non legimus: & tamen ex Conio, vel Coniatibus Conium libaminis genus in delitiis frugalioribus novit antiquitas, quod libamen de farina conſperſa factum adſerit Feſtus: ornatum vero hominem Afranius, & exculto eo vocabulo ſignificari declaraverat, ut qualis is eſſet populus uno ex verbo diſcas. Cæterum nec Teſtrina Conium inferiorem tempore, neque magnitudine ſupparem dixerim: quod is pervetuſtus & frequens perpetuis auctus incrementis poſt diruta Amiternum, utrumque pene exceperit populum, oppidum jam ex vico: immo & urbs, quæ Epiſcopum haberet Ducem populi poſt Amiterninum, ſecundas continentem in antiquis Conciliis.

Ejus conſtitutio, ſicuti ego accepi, ad Cranui montis radicem fuerat, cui imminebat è promontorio proximo Arx pro oppido ad Civium ſecuritatem, ad opum congeriem. Inventum vero Opis oppidum ex ipſo arguitur nomine. Opa autem ipſa eſt Crana: habet autem ſe oppidum ad Rempub. quomodo penus, & focus, & domus ad familiam. In illo itaque publici Lares, communes Du: unde ante arcem & prætorium ara: in privatis vero ipſe focus pro ara eſt, teſtum pro munituncula, ſella patrisfamilias pro Prætoriolo, de communi ſacro: Lares autem utrobique gemini, & ipſa congeſtione ſcilicet in penu, & diſtributione, quæ voces in Pilumno, & Picumno antiquitas venerabili novit ſymbolico: & in utroque gratiarum actiones, ſive in primitiis decimiſve, ſive etiam in quotidiana exhibitione probemus, quæ habentur apud Suetonium,

Italia Duorum
L. Babi, & Petili.

Italia ſcilicet, quæ uxor olim L. Bæbi fuerat, per ſecundas nuptias L. Petilio conjugata eſt, utrique cariſſima ut lux & pupilla oculorum, quæ & Lucia appellaretur de conjugum prænomine: & in Bæbia gente Tampilum legimus à minuta diſtributione in diurnum, quod & Pilumni nomen ſignificat: is enim pilum & pinſandi adinvenit artem, cujus imago oſſea eſt nudata carnibus, in qua oſſa enumeres omnia ſigillatim ſingula CCCLXVI. quaſi dies, & horas quæ ſuperant in anni circulo, & in aononæ perpetuitatem. Petilium vero pro Picumno ab indagando & inſtanter congerendo ponitur. Quamobrem in Petilia gente Capitonem ſcriptum reperimus, quo nomine & Lares dicimus. Capitones ipſos quæcunque inſtrumenta ſive lateritia, ſive ferrea ligna ad focum ſuſtineant. Sed Feſtus in verbo *Petilam*, furam ſignificat, inquit, vulgo furam ſiccam, & ſubſtrictam. Scævola vero ungulam equi albam, & id quidem à Calpe quaſi Calpetila deſcendere de facili conjicitur, dempta nomini priore ſyllaba: nec ab re allegare eſt Capitolinos in Petilia gente recenſitos, ſed à Bæbio Balbum pro patre infantes balbutire lallantes norunt. Habes itaque una ex Inſcriptione quicquid in hujuſmodi deſiderare poſſis, & à nobis explicatum quidem ſatis.

CRANA itaque mater edocuit oppidum edim in loco condere, & circa oppidum per omnem convallem, & palatinas incolere ad agrorum curam, & cætera quæ diximus exercitos vicanos civa, caſtris vicum conſtruxere Conium, & appoſite quidem. Cum enim Amiterni Proceres pineam coronam ob Veſtæ venerationem, & Virginalis collegii dignitatem in inſignis geſtarent, belli pacisque temporibus albati, ut diximus, eorundem ſoboles, procedebant. Pini vero nucem, quæ ex figura Conium dicitur, in manipulis & cæteris militaribus ſignis præfixerunt, & ipſum patrium vicum eo nomine appellarunt. Sed & nux pini pro ſceptro & pro Pinariorum haſta antiqua habent monumenta, & hujuſmodi etiam ſigno unitas præfigatur, & virtus populi ſacerdotali munita præſidio, & templorum cura, & procurata.

Sacer-

* Memoria lapſus eſt: Virgilius enim hæc non habet, ſed Silius Ital. lib. VIII.

Sacerdotibus annona, & ingenuitas generis, & candor animorum, & fortitudo orientali in limite ad tutelam & ſecuritatem patriæ invigilantium juvenum, quibus niveum pectus concordi candore purpureum in unitatem fidei conſtans, prædurus obtendat cortex.

Et tamen Vicani non Conienſes, ſed Opici, qui deinde Japygenſes, & Pici, & Picentes dici cœpere, prout infra ſuo loco dicturi ſumus. Veſtini enim ad meridiem Canio, vel Sicanio vallantur monte: atque Oerca confragoſum ſcilicet promontorium ſecundum flumen ad Orientem ſe exporrigit, quaſi ſuper ſiniſtram recumbentis format imaginem, cujus thorax ſaxeus, venter vero ab umbilico in marinæ B conchæ ſpeciem concavus: cavitas autem tanta eſt ut colli, qui anteſtat, æquari poſſit Eryci, & is neque arbuſta gignit, neque gramina omnis omnino nudus, & adlambentibus animantibus quaſi ſalis petra appetitur, & proficuus eſt, ambitu milliarium non excedit, altitudine vero ad tertium exſurgit ſtadium. Inde Veneris & Erycis fabulam, unde Nymphæorum figulla veteramentarii conflavere. At nos hæc quidem ad coloniarum figuram aptamus: & quidem plus ſatis prodeſt ad Venerem, & uberem uberiorem ſelicitatem adulta jam ætate adſtans & inſtans Virginibus procax juventus ſalax.

Quo de loco quot emanarint coloniæ, vel id unum C teſtimonium probando ſatis, quod Romani cum pro Republ. & Imperio, coloniſque ſacrificarent omnibus, pinças præferebant ad ſacrificia nuces, & oleam pineatam ad tripodem ſedenti emeritæ militiæ veterum novere ſymbolum: quo perpetuam cum dignitate annonam de publico ſtatam conteſtantur monumenta in Urbe, & alibi plura.

Sed in rem noſtram intra Corium ad Orientem Veſtini conſtituere Eſychium, quem locum ſtadium dicas, vel campum ubi luderent, ſive ad gymnaſium Philoſophantium, ſive ad palæſtram, & ſimila ſeſe exercentium juvenum. Ad Occidentem vero Balneum Vicum, qui licet in vicos minores, villaſque diſtributus ſit plures, uſu tamen obtinuit uti de balnei nomine nuncupentur, quaſi pomœria Urbis. Quod eo præſertim loci ad balneorum uſus vaſa, & cætera antiquitatis monumenta vetus nomen, & officinam conteſtetur. Ad Balnei ſiniſtram Occidentaliorem vicus eſt civium, cujus apud Antiquos vetuſta nominis cauſa, no quis putet per ſecundaria tempora illue tranſlata de Amiterno Epiſcopali Cathedra Inſcriptionem vetuſtiſſimam legat, quam infra adſcribemus longe ante ea tempora, & in CLAVDIUS Civitatem cognomentum vetuſtis in monumentis: de quo infra. Sed & ibidem loci Baſilicam Gentilium templum unum atque idem alterum. Expurgata hæc omnia, & in Eccleſiam Dei dedicata utraque Sancti Maximi Civitatem dixere Veteres.

Templorum, quæ diximus, alterum Urbi Aquæ proximus Cupra: nomine Cupra autem & ipſa Venus eſt. Deinde ad Orientem milliario circiter tertio recta regione eunti occurrit Eburium, ubi Sacerdotes collegium haberent & diſpoſitas juxta ſe per Vicum familias: ad Septentrionem vero intra Veræ & Aterni influentes ſinus Ode locus pro comitio, ubi & Puteal laudationum, vel allocutionum, & ibidem juxta ad Occidentem Vatia ad Veræ fluminis utramque ripam hinc inde pro corona vicus, ſed in ipſa prope Fidu montis crepidinem F Genium Jani.

Hoc loci illud advertendum ſe offert, quid in Vatia nominis, quæ ſignificationis vis inſit: ubi enim certius vaticinium eſſe poſſit, quam ad Veram per ipſiſſimam rei veritatem pro Jani genio piiſſimi, ſanctiſſimi, & veraciſſimi patris. Unde & Vatia altera in agro Reatino, quæ percommode in B. Jo. Baptiſtæ nomine immutata eſt pluſquam Prophetæ. Sed & accolarum nomina, & cognomina noſtram in adſertionem, & per vetuſta monumenta A incorruptam veritatem inconcuſſa conſtantia moribus antiquis cuſtoditam liquido probent. Unum enim vel alterum, ſed & tertium, & quod excurrit, eſto pro millibus: nam & de Claudiæ gentis nomine, & natalibus pone agemus, utpote qui in primis cognitis id ſupponamus. Ad Oppidi enim firmitatem, ad Oppidanorum pacem, & annona facit, & opes, & eorundem cuſtodia, legum reverentia, exercitia, quibus Tirones probantur, laudationes præterea, & præmia ob virtutem. Quæ res ex vetuſtis Inſcriptionibus exemplo quaſi ad alluſionem adpoſito quam oculatiſſime appareat. Sed hæc paulo poſt, qui loci ſitum plene præſcribendum putamus.

Quod enim reliquum eſt planiciei, ad ſorum Apennini, & Veræ fontem, qui pro corona Veram cingeret inter Verium Vicus, & Forconium vulgo Paganicum, frequentius quidem. Ode autem, vel Odeum diximus Vicum peninſulam prope ubi fluvii duo confluentes, quaſi pro ſalutandi officio de loci nomine nomen novum & commune adſumunt Avellinum, à quo in Campania urbs, & populus. Sed de Claudiæ gentis origine & Plutarchus in *Problematibus*, & Virgilius dilucida illa rerum & nominum proprietate Poetarum eloquentiſſimus, *Æn.* VII.

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar;
Claudia nunc à quo diffunditur & Tribus, & gens.

De ſacrificio autem gentis Claudiæ peculiari hæc Feſtus: Propudium, inquit, Porcus dictus eſt, ut ait Capito Attejus, in ſacrificio gentis Claudiæ velut pamentum, & exſolutio omnis contractæ religionis.

Sed & Clodiam legimus antiquiori prolatione, & pro Claudiam alluſione quadam ad Odæ nomen, & loci clauſuram, quam diximus, & pro ea accipe vetuſtatis teſtimonium:

OPPIÆ C. F. VERAE CLAVDIVS SEVERVS.

Et alibi: D

EREPTA EST OPPIA FIRMO.

Baſſos vero Oppia in gente, ut exinde loci ibidem proximo nomen factum ſit, Baſſiano miſſa Vatia utrique. Qua parte Vera fluvius in Orientem convexus ſinuatur.

Cæterum de gente Claudia in hortis Mediceis ſuburranis:

Q. CLAUDIUS HESYCHIUS FECIT SIBI,
ET
CLAUDIÆ ODÆ CONJUGI, ET
CLAUDIÆ VERÆ, ET
CLAUDIÆ CIVITATI,
POSTERISQUE SUIS, ET E
RUFFRIÆ REPENTINÆ CONJUGI.

Et Silius Italicus *lib.* VIII.

Ecce inter primos Theramnes à ſanguine CLAVSVS
Exſultat rapidis NERO non imitabilis auſis.
Hunc Amiterna cohors, & Baccho nomina ducens
Caſperula, hunc Foruli, magnaque Reate decorum
Cultricolum matres, nec non habitata pruinis
Nurſia, & à tetrica comitantur rupe cohortes.

Natale igitur ſolum gentis Claudiæ adparet, & præter locorum nomina, quæ recenſuimus, etiam Ruffriorum memoria diruto adhuc in vico prope Bominaclum, in Eccleſiæ titulo reliqua eſt ſancti ſcilicet Petri ad Ruffriam. At Bominaclo nomen fluminis profunditas fecit. Is locus infra Eburios eſt ad milliaria circiter tria. Sed juxta eoſdem Caſentinus Vicus, cujus etymon & nomen de Claudia, & Repentina gente compactum oculato inſpectori ſe prodit. Eburios vero ſacerdotes diximus, purpuratos, inquam, patres apicatoſque. Hi & vicum quem & ſelectum incolerent, & agrum ſui de collegii nomine poſſeſſivum denominarunt, & is uberrimus quidem eſt, cujus utilitate, & ſalubritate aeris, & amœnitate loci ultra annonæ uſum, & cultum frugaliter,

& magnifice oblectarentur lautiſſimi hominum. Quo de loco Veſtini adaucti numero generoſam ſobolem in Colonias deduxere, primam ſecundum fluminis ripas, deinceps progreſſi ad maris littus Atriam ibidem condidere de loci amplitudine denominatam, opplet is primo, ut diximus, quotquot proximiora & opportuna reperirent loca.

Interea Patrum decreto Apenninum ſuperare jubentur à Veræ fluminis fonte, & deſcendentes proxima mari ſugero ad Occidentem occupare littora. Et quidem animo volenti dicto parent, expediti adſunt delecti Tirones, & quo Prætores auſpicati ſigna moveri jubent, & ipſi in viam ſe dedunt alacres.

Tum Pici præpetes advolant, & progreſſuri ſuper ſigna inſident, deinde ſe paulo altius ſuſtollentes ſupervolant, quaſi præcedant Duces de cœlo miſſi alati præcurſores: ſed cum prandendi, vel ſigendi caſtra hora eſſet, ad ſigna declinantes adſident auſpicato, in eiſdem quaſi in triclinis præſident, cœnantque, & ſomnium per noctem capiunt, metatores dicerес & convivas, immo & Phagones junioribus ad genium, ad Patrum admirationem. Ea itaque Ducibus relata gratia, ut & ipſi commilitones Picentes dicerentur, nedum oblatus cibus hoſpitibus nova in regione perpetuo applauſu. Præterea, ut facti memoria apud poſteros ſervaretur antiqua, ad Apennini Alpes uſque & jugum creſcente clivo duas deſignant ſedes, Aviam ſcilicet ab Avibus, & Pedicinum à ſacerdotali pedo, unde Populi in Apulia Pedicini deducti. Sed hujus nominis apud nos Vicus vetuſtate collapſus eſt, populus novam in urbem Aquilam tranſmigrare juſſus. Ipſam vero Aviam aliquando ex præcepto Leonis IV. qui Capracorum militiam inſtituit, ad Urbis Romæ, & Vaticanæ præſertim Baſilicæ cuſtodiam; idemque ad patrimonii tutelam, & totius Italiæ ſecuritatem clauſtra montana, & convalles, & pontes, & portus omnes, & limites communitos voluit, quo Barbaris inacceſſa forent: eo itaque in verbo Proceres, qui militia apud noſtrates eminerent, arcem hanc reſtituere, firmius conſtruxere, magnificentius ſervavere ſortiſſimi. Cujus cum mœnia diruta, & ruderibus obruta herbis innaſcentibus floridam conſpexiſſem, Apennini coronam dixi. Excepere verbum comites comiter & hilariter. Et hujuſmodi adhuc inter rudera internoſcitur memoria, & Eccleſia ſancto Leoni primo dicata, qui & primus Vaticanum communire cœpit, & limites ditionis Eccleſiaſticæ cuſtoditos voluit quidem, cum Cubiculariorum collegium ad excubias circa Apoſtolorum corpora excogitavit, & monaſterium ſanctorum Joannis & Pauli ibidem juxta conſtituit. Sed tantis Pater defunctus laboribus ad requietem evocatus eſt, cujus nomen, & tantarum opus laudum Leo IV. adſumpſit quidem & perfecit, tunc noſtrates locum hunc, ut diximus, communivere, quem tamen non jam Aviam, ſed quod fontes irrigui exinde demanant plures, Venarum dixere Arcem. De militia autem Capracorum monumentum, quod præfractum quidem habemus inter pleraque noſtratium monumenta intra Urbem, in pavimento ſancti Jacobi, ad Septimianum, Transtiberina in regione de proximæ turris ruina ſervatum. Quod tale eſt:

Hanc Turrim, & Pagineuma facta
A Militia Capracorum tempore
Leonis Quarti Papæ
AG. P.

Qua nota *Agathonem Primicerium* intelligo. Capracorum autem de loci nomine in altero Apennini jugo Capracorita, ſub montis ſupercilio, quem de Gruma vetuſto nomine (id enim ſupercilium ſignificat) jugum illud Majellam appellamus; ad Majellæ itaque ſupercilium is locus eſt cum montis aſcenſum prope ſuperaveris deſcenſurus jam Corfinium. Ea Pelignorum metropolis. In Eccleſiaſticis autem Capracorum militare nomen, & cui militare inſigne cornu fuit, ad dignitatem militiæ ſagacioris quidem in cuſtodiendo. Quo nomine loca pleraque adhuc habentur, licet ipſum nomen in Caprarolam deflexerit, cujus olim ſitus juxta villas locupletes Eccleſiaſtici Patrimonii, in quibus Prætoriola, Galeria vocabant à proſpectus amœnitate, & deambulatione. In Caprarola igitur excubiæ militum, & ruſticorum tabernacula, ſtabulaque. Sed tamen utraque ceſſere in villas ruſticas. Sed & nomina & imagines rerum diruta eſt antiquitatis fabrica, monumentaque prope omnia hic & alibi deleta deploratque. Juventutem vero, quam diximus, in Coloniam deducendam auſpicibus Picis per montana, & Titean, & Tuſſitium, & Montaranum priorem ad Fotulum, & alterum denique campeſtrem ad locum devenere. Aderat eiſdem Prætor, qui Apis, ſic dictus ab Apia, vel eo forte de auſpicio majoribus qui inauſpicato nihil gererent, quorum arbitrio in præpetes alites res committi placuit, uti diximus.

Cum vero præfinitum ad locum infra montes deventum eſſet, tunc Picus plurimus ad Eſculum quandam excitus advolitant, conſident turbatim. deinde ex eis aliqui converſi occurrunt, adventantes excepturi, ut non ultra Duces: ſed caſtrorum præfecti metatores, hoſpiteſve humaniſſimi voce, alis, quos poterant plauſus & lætitiæ ſigna edunt alacres: & quaſi identidem facturos comites vellent, adhortarenturque, plauſus ingeminant prænunciantes conceſſum expetitum, exquiſitum patriæ ſolum, & agrum ubertim. Quare omnes patriam ſalutant & numini gratias agunt eandem juxta arborem altare erigunt, votaque perſolvunt animo lubenti; deinde circumcirca caſtrametati muros & pomœria deſignant, vicos, vias, plateas dimetiti. Aram igitur & arborem in urbe mediam dedicant, & eam ſacrificiis celebrem faciunt, muneribus ornant, pendulis odoratam ſuffimentis, & oraculis nobilem. Coloniæ nomen item eadem ab Eſculo imponunt, ita tamen ut præponerent A litteram pro dignitate loci, Prætoris de nomine: itaque Æſebylum nuncupant.

Quo loci Populus brevi coaluit, & adauctus numero eſt, ita ut omnem regionem inter Apenninum & Mare in longitudinem porrectam excoluerint. Perpetua metropolis Æſculum facta jam in Picentibus mater urbium.

Et hæc quidem longe ante Picum Priſcum. Perſeverant etiam adhuc pleriſque in locis, & oppidis, & urbibus vetera Veſtinorum nomina, utpote Mons Eburus juxta Æſculum Eburiorum ſcilicet colonia, & Cupra Montana, ubi Cupræ illud Junonis templum & emporium celebre, de quo Strabo *lib.* v. & altera item maritima à Cupra noſtrate, quam diximus juxta Conium, ex vico olim & templo nobili, de quo ſuperius; ſed locus is modo vitibus conſitus eſt: unde etiam & Romæ olim celebris vicus Cyprius ad clivum carinarum, ubi nobiliſſimi Sabinorum conſederunt, quamquam non deſint qui de ſtatuis è cupreſſo frequentioribus nomen vico impoſitum velint. Sed neque à Conii figura cupreſſus abeſt, neque ab Opi Cupra: Cupreſſus enim & ramos & fructus una educit, quo colonis optatius magis nihil dixeris: tunc enim, & urbs conditur; & pomœrii ſpatia dilatantur, & murus firmior eſt, & cultior ager, cum ſuccedit in ſobole virtus, & ſapiens in majoribus conſilium. Quibus artibus in Rep. opulentiam fortitudo, juſtitia & gloria operantur.

Deinde & inter cæteras in Picen Aufidenam urbem & fluvium à Fidio, quem diximus, monte numineve, A littera præpoſita, ut in Æſculo diximus, novi conditores nuncupant. At is Fidius mons, ne quid indiſcuſſum prætereamus, humilior quidem & inter Sicanium & Apenninum medius brevi intervallo, quaſi de torque inter mammillas gemma dependens illam intra connexionem montium. Cujus

jus ſymbolum decorans conjugia præſenti animorum concordia, unde & matrimoniorum Deitatem majores Medium venerati dixere Fidium auctorem, & vindicem ubique venerabdem. Ejus autem tumuli prima incrementa ſenſim adſurgunt, Anſantinos inter & earum ductu, & Carmenas aquas hinc inde mediis quaſi ad ſacramenti & communionis inter virum & uxorem enatis aquis, & recta regione quaſi erectis protenditur aris per milliaria tria, ad Veræ fontes, per Conii campum, & Odeum: ſed magna ex parte cinctus mœnibus, coronatus propugnaculis, elatus turribus, templis firmatus magnificentiſſimis, adauctus Eccleſiis, fundamenta hæc nobiliſſimæ Urbis Aquilæ dulciſſimæ & exoptatiſſimæ patriæ.

Crevit, & à Firma gente Firmum colonia condita eſt, perduratque (ſi pax aderit) inconcuſſum. Ab Oſia vero, quæ & Auxia, Oſimum vel Auximum. Sed de utriſque antiquitatis irrefragabilia producamus teſtimonia:

FIRMVS SABINVS
M. COELIO MARCELLINO
ET CYSPIAE M. F. MARCELLAE VXORI
L. COMINIO L. F. L. N. FIRMO
P. R. Q. AER & ALIM.

Et in *Hiſt. Hiſp.* Ludovici de Pontes:

CLODIA OSSANA MATER
IVLIAE SABINAE F.
IVLIVS M. F. AVXIVS
C. AVXONIVS Q. F. LEG. XX.
FLAVIAE COL. FIRMI PICOENI
SEVI MANCIPATVS
FECIT SIBI ET FLAVIAE
Q. AVXI. Q. F.

Sed & fluvio, qui Senogalliæ muros adlabitur, Aterno de patrio fecere nomen, qui in Picenum tranſmiſſi novam condidere Urbem, quæ deinceps à Gallis Senonibus novo nomine adaucta eſt.

Gentis felicitas vel ex illo arguitur quod cec. civitates brevi condidere, & maritimas ſedes navi quærere coacti fuerint Picentinas, & CCCLX. hominum millia Pop. Rom. præſto fuerint auxiliares copiæ, ſociales legiones. At Senatus Amiterninus ob rem bonis avibus bene geſtam, ubique locorum Aviam vel Avianum condi jubet, novis coloniis quaſi colonia rum Principem per expeditiones ſingulas. Sed & Conii populi Picenſes, & Avicenſes, & Apiam arcem nuncuparunt Picentiam, & Aviam, & Avicenſem. Deinde etiam & Japygenſem ex maritimis expeditionibus, de quibus interius per nominum varietatem, multiplicationemque. Certe Opicos negaverit nemo qui opes ſpectet agri felicitate, ſive is montanus, ſive campeſtris ſit: is, inquam, irriguus ſemper, & ubique ſe ipſo uberior operoſiori Vicanorum induſtria, quos ad congerendas opes colonos validos in culturâ exercitos peritiores: procacitate tamen, & vultu, & moribus nuſquam ruſticos præduros licet, expoliti ſſimos dixeris rure degentes homines agriculturæ deditos, & militares viros. Placet omnia & ſingula explicare, quo facilius intelligatur, & dijudicetur in ſingulis quaſi ſub oculis ſolis hujus expoſita. Quæ ſi veritas ipſa ſuo probarit jubare, tum noſtra demum hiſtoria firma fide conſtabit.

At Populus Veſtinus pro temporum varietate, incremento, detrimentove & Reip. & Imperii, per illam rerum omnium concuſſionem agere, & pati fœtia, virtute conniti, pietate repugnare, ita ut quæ Romanus diruerit, ipſe melioremin facie reſtituerit Veſtinus, & potiori quidem in loco delectu laudabili oculo pervigili. Sed & Barbarus quaſi aper irruens vaſtat & diſſipat omnia: eadem Veſtinus reparat, & communit, & ornat, fortior & magnificentior. Amiterno enim diruto per Cornelium Syllam oblitus eſt majorum ſuorum patriam. Cæterum Patres Conium commigrarunt, quos & populus ſequutus eſt, & vici ſitus in latiſſimæ Urbis excrevit ſinum. Deinde contra Barbarorum irruptiones editiora captare montium culmina hoſtibus inacceſſa magis, & civibus firmiora. Demum in Remp. conſtituendam convenere: quæ enim inter diſſitos aut juſtitiæ, aut charitatis communio eſſe poterat?

Igitur qui ad foros conſederant more majorum de ipſius Jani, ut diximus, inſtituto, hi tandem aliquando novam in Urbem condendam, & Rempublicam conſtituendam convenere, & ad agriculturam ruſticos prioribus in vicis conſtitutos miſſos fecere. Eo autem de agricultura & felicitate Martialis uno verſiculo, *lib.* XIII. *epigr.* XX.

Nos Amiternus ager felicibus educat oris.

Sed in his frequentius excrevit forum, quem diximus, Conii, ut jam non Civitatis quota pars, ſed integra, & per ſe plenior, & celebrior civitas eſſet. Forconium eidem nomen, ſive à veruſto quem recenſuimus Forco, vel à latitudine infra montana. Sed à Forconio infra milliarium diſtabat Cados, vel Cadichium de Porreci Cados cognomine.

Auctus itaque Forconii ſi cauſam requiras, loci amœnitas, & uberioris agri fertilitas, Vera fons & fluvius, & aquarum copia, & piſcium, quos *trotas* dicimus ad ripas ſive alieno ſtudio, ſive ſponte ſua per aquarum applauſus colludentes circa fontem, & arbores frequentiores: inde Vico Paganico nomen ager is ſemper floridus, & ubique irriguus, ut ver videarur perpetuum ad Veræ ſinus adridere jucundiſſimus vertia. Hue Veſtini Proceres, quorum pars maxima Romana de nobilitate, convenere aliquando. Hue & Normanni, qui in comprimendis, expellendiſque ex omni Italia Græcis, & corundem avaritia, ſocordiaque caſtiganda enituere Italis Proceribus admirabiles, quod ſingillatim ſinguli contra millenos pugnarent: eos itaque omni ſtudio invitare, retinere benignitatis vi adhibita amantiores hoſpites, & amabiliores in dies. Hue Longobardorum manſuefacta, & humanitati conſona, proximis de locis, & Campania omni ubi dominarenrur, convenit nobilitas.

Et quoſcunque præterea vel belliça virtus, vel morum ſuavitas, conſiliumve & rerum geſtarum gloria Heroas illuſtriores faceret, ſive per ſacræ expeditionis tempora, de quibus ſuperius, cum de Laconibus ageremus.

Sed ne quid minus Longobardi, Normanive è Campania evocati hoc loci viderentur habere; Beneventum pro Forconium eam Urbem appellare placuit, ubi & Eccleſiam ſancto Bartholomæo, in cujus ſacrario veteri Pauli IV. temporibus reperta conſpexi ſanctorum martyrum corpora Juſtæ Virginis, & Juſtini Epiſcopi, Felicis, & Florentii, & N. Sypontinorum, ſuo unumquodque in loculo lapideo ſegregatim collocatum. Qua rerum explicatione implicat quonam loci Nicolaus II. Papa anno X. circiter LX. poſt milleſimum Robertum Viſtardum Apuliæ Regem conſtituerit, Benevent ine Samnitum, an noſtratis: (ſunt enim qui hæc ad Aquilam urbem geſta ſcribunt) & quidem recta ſcripſiſſe videntur ex ipſa locorum propinquitate, ſive ad Veram, ſive ad Cranienas aquas id factum velint, loca hæc in proximo ſita: à fonte enim, quo Vera fluere incipit, Cranienæ aquæ ad milliaria quatuor non diſtant. Ad aquas autem Cranienas nobili quadam & generoſa æmulatione conſederat gens, quæ & ab Aquila, ipſis, inquam, ſcaturientibus ab aquis dicebatur, fundorum comitatu, & militari diſciplina, & rerum geſtarum gloria illuſtres viri, quibus cum Romani Quirites gente Pilia vetuſta de Pompiliorum origine: ad eas enim familias, & populos ciſdem ſubditos ſpectabat is avita poſſeſſione locus. Hujus itaque agri domini pleroſque & ipſi illexerant Heroas, magnifica munificentia, lauto apparatu, ſed quorum ſtudia mira felicitate æmulantes antevertent Veranos, præverteritque eo in Olympo. Hinc

enim locus, raris ſcilicet, ſed magnificis ædificiis in urbem crevit, quæ in dies auctior facta eſt tumultuantis populi voto. Huc enim commigrare coacti ſunt Beneventani, quos diximus, Proceres, & ea omnis nobilitas & populus, qui ad Veram confederat, nedum Curetes. Quamvis etiam nunc ſatis frequenti in vico populus, & numero, & opibus non contemnendus perſeverat, & adhuc Beneventanorum Ducum inſigne geſtant Pagani ſcilicet homines Diadematum in fronte caput, & Vicus ipſe Paganicum appellatur. Sed quod per ea præſertim tempora, quæ ſimplicirer alere videbantur ingenia, & ſacræ expeditionis occaſione caſtra conſtrui placuit. Quod duarum roſtratarum navium per mare procurrentium imaginem repræſentant. Ipſa enim fabrica, & ſitu adeographice, adeo venuſte obtuentium ſe offerunt oculis, ut quid majus excogitari ſit impoſſibile. Proinde quæ navigaturi eſſent tamquam de navalibus procederent, neque de numero, neque de nomine militari exireot, qui per ordinem alteri præcederent, alii ſubſequerentur ſuppares ut intelligamus in his, qui majoris quive minoris ordinis. Qua de re locus is Navilia appellatur.

Proinde novæ Urbi Aquilæ venuſte quidem aptari poteſt illud Solini calidis frigidiſque de aquis, quæ Sextiæ dicuotur: quondam Hiberna contulis poſtea exculta mœnibus. Sed & ipſæ Aquarum Sextiarum nomen à Sexto Attico Veſtino, ut ex Inſcriptione ibidem conſtat, obtinent:

SEX. ATTIO ATTICO PATRI,
VALERIÆ SEXTINÆ MATRI,
VALERIÆ ATTICÆ SORORI,
SEXTO ATTICO FESTO FRATRI
ATTICÆ NOVELLLÆ FILIÆ,
MEMINIÆ PRIMÆ VXORI
L. ATTICVS SECVNDVS SIBI,
ET SVIS V. P.

Integram Inſcriptionem adſcribere placuit, quod & nomina, & gentes noſtratia ſint, & locus hic procedenti Pontifici commodior, & propinquior, niſi ad locum utrumque pro voto, precibuſque Procerum, & populi annuens acceſſerit: neque id incongruum eſt, ſi modo vera ſunt, quæ leguntur.

Deſcendimus ad tempora, inferiora quidem: & diutius pervagati ſumus. Sed ea eſt hiſtoriæ ratio, poſtulantis ut omnia noſtro dilucidemus ſtylo: quæ nunc ad priora nos revocat.

Curetes Patrum juſſu novo edicto expeditionem expediunt per montana Aboriginum: & Comerum Vicum ſecundum Apennini montis dorſum, ſed olivis veſtitum ſertilibus, & teneris virgos herbis, Apienam, vel Apicennam condidere alteram. At quæ deinceps tertia, qua ad mare mons declivis ſpectat, deducta eſt. Tertia, quæ Pinnenſis dicitur Civitas, & infra montem per convalles undequaque patentes, qua fluvius ex rivorum confluentium auctu procacior factus, & tumidior ea provolutus regione ad mare delabitur, cui nomen inditum APRVSÆ, vel ab apri ruentis ſimilitudine, vel ab Apro coloniæ deductore, ea regio omnis circa fluvium oppidis & vicis frequentioribus oppleta, ubi primum familiæ pro populo pleræque diſpoſitæ per loca, quæ agri ubertate oumeris colonorum ſufficeret. At juxta mare Iſtonium à vici patrii appellatione, colonos vero Iſtonates dixere Veſtini: ab Apruſa autem fluvio Provincia omnis ejus decurſum fluminis, & ultra Aprutium nuncupatur pro Apruſio, facili apud majores litterarum commutatione. Item alias à Patribus excitі: urgebat enim expeditionis cauſa, ſobole multiplicata. Igitur ejuſdem generis Apro Duce per montana Aboriginum, ſive Umbrorum, progreſſi Apruſiæ alteri fluvio nomen fecere. Hi Modianum condunt, & nuncupant patrio de nomine, qui olim ad Velinum lacum Modium Vicum à Modiis condiderant. Gentis hujus ſupra meminimus in Modio Fabidio Teſtrinate, & is vicus diſtat ad milliaria duo

A à Scandrilia, quæ ab ABASCANTE, & Aſcanio denominata quidem eſt, utpote Scuninum minoratione quadam vocis in Scandriliam deflexum nomen, niſi is idem colonus deductor Modius Junior fuerit: denominare enim & imponere nova gentibus nomina id tantum (ut Fabius adſerit) Ducum & Regum jus eſt.

Idem & *Sarſinam* Plauti patriam excitarunt, de Sari fluminis vocabulo Veſtini & Sabini coloni: nam & fluvius, qui infra eam defluit, Sabum appellarunt. Exinde Ariminum ad inaris littus dexterum, & ea urbs nobilis, de qua varii quidem varia; vox certe ſonat exaltatam mœnibus & turribus, Mino
B Duce, coloniam. Minus itaque, ſive à minoritate naſcendi, nam ultimo loco genitos, ab ipſo natali, *Princepas* dictos, & regnantes diximus Cranum, & Cranam, vel à minoritate ſtaturæ, vel à minandi officio. A Mino itaque Minecia gens, quæ *Minucia* dicitur, & Minutia ab aquarum deductione, per fiſtulas ſcilicet ſolidas, qua tranſitus ſit opportunior, ſive excavato per terram rivulo. Unde & minas, ſive immineant juxta terram, ſive infra per ſubterraneos cuniculos, & facere item minas pro cuniculis oppugnare, claret in Miniciis aquis, & in Miniciorum familia legitur Apronianus eadem in gente nobilis, & Naarthium præfectus: à Mincia item
C Arimini Corrector Flaminiæ, & Piceni qui & Genuenſem agrum terminat. Coloniæ enim in ejus perpetuæ clientela familiæ conſtanter perſeverabant, à qua deductæ eſſent, ſicuti & devicti in victoris familiam & clientelam tranſibant.

De minoritate in Minertimo ſignificata auctor eſt Feſtus, & in Minerva de Ducatu populo præſtito, facti teſtimonium in Capitolio illuſtriſſimum plerique in ſtatuis, & ipſa in Minervia legione, pia, fideli, quam Domitianus conſcripſit ex Veſtinis, Curetibuſque

Minerva itaque Virago pro numine Dux Populi ad ſecuritatem publicam Præitor, vultu ipſo, ne-
D dum armis, hoſtibus terribilis, minax, acri intuitu, & truculento aſpectu, præ flavi luminis copia oculis ardeotibus, Phornuto teſte. Sed certe prudentiæ Dea, & belli: itaque à minando, ut M. placet Tullio, & ex Cornificio apud Feſtum legitur oculatam habens galeam, in qua humani quodammodo cerebri poſitionem inſpicere eſt, & in ea ſpeculatorias habere, ut oculis advigilantibus lumen cœli in his, quæ agenda ſunt, videant ſenſu pervigili: unde Minervam dictam adſerit Feſtus, quod bene moneat. Non itaque contemnenda corporis exiguitas, in quo animi eluceat vigor inclytus. Nam
E & ſapientiſſimorum teſtimonio ineſt MAXIMA IN MINIMO VIS.

Proinde Minerva, quæ primo aſpectu formidabilis hoſtibus, etiam in receſſu formidabilior eadem magis eſt. Et ad hujuſmodi formidinem, & incuſſum hoſtibus terrorem facit illud Catulli in *Nuptias Pelei & Thetidis:*

Frons exprimentis præportat pectoris iras.

Cæterum qui Ariminum interfluit fluvius, is Ariminus Livio eſt, & à Meniciis non diſcrepat. Horatio tamen Folia, quæ vel à Faula, vel à Fauno Sabinorum & Latinorum Rege priſco deductum eſt: ſed ne derivationem à longe petitam putes, accipe vetuſtatis teſtimonium:

F FOLIAE QVIETAE
VECTIVS TIGRIS.

Vectiam gentem Romanam à Vectio, qui primus in Urbe interrex, clariſſimam negabit nemo, & ipſam interregni dignitatem ommno Patriciam, quæ plebejis nuſquam communicata eſt. Vectius autem à vecte dicitur, quod quaſi pro vecte eſſet ad clauſtra & Serranos montes, ex quibus Vectius Ianigena Veſtinus origine adparet, & in ſupra allegata Inſcriptione Vectienum habes à Vectio.

In Epitheto Quieta demulcens præferocem quaſi Tigrim

Tigrim uxor virum. Sed quod Fauni irrequieti semper, & improvisi adparere consueverint, & molestiores esse Virginibus, & infantibus maxime, utpote errantia numina ignea quasi faculæ, favillæque procaciores, petulantioresque. Talem eidem adsellorem adsiduum adtribuere oportuit conjugem, & in verbo Vectius respondet Epitheto Quietæ, agenti scilicet bene, & quiescenti bene, obfirmato in cubiculo, bene ordinata in domo, quo & ad agenda domi forisque alacer uti sciret velocitate. Tigra itaque & Folia correspondent, & proinde animi moderationem profiteri videntur tantorum nominum, & congruentiæ vir, & mulier conjugati compares Dis volentibus. Atque ita majores nostri aqua, & igni sibi invicem communicato, nomen & ipsum florido pro cestu Amoris jugo aptabant sibi concordes conjuges, unanimes. Sed ad Fauni procacitatem exprimendam facit historia quod de favillis progeratum testatur Servium Tullum Regem, qui hujusmodi nomina, & omnigenam coleret fortunam, & numina, de servo adsumptus in Regem. Sed & Horatius de Fauni procacitate, lib. III. *Carm.* ode XVIII.

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis.

Idem hæc de Folia, & ejus virili succinit, *Epod.* ode V.

Nec defuisse masculæ libidinis
Arminensem Foliam.

Ea de causa in gente Apronianorum Proculi frequentes & Minci & Pincii in Minciis. Sed Medii Fidii, qui & Sangus, & Semon, & Semingus in Aniciis legitur, unde Aproniani Pincii Semones: Semon autem, vel Semingus, quo in Semone Sancum, & Fidium junctos habet: ipsum enim trino nomine numen, quod sit idem, esse comprobemus ex ipsius figura, quæ trino eadem de causa effingitur capite in unicam inflexionis basim, pectus in faxeum, quadratum tamen, & unicum definit bene firmatum pedem, quo custodem pervigilem, & hospitibus perhumanum: furi vero, & hosti, & sacrilego inviolabile, & terribile sacrarium, & arcem, & inconcussam, & horribilem præsignarunt vindicem, symbola Gentilium: & ea de figura Terminus appellatur: is eo nomine in finibus appellabitur æque ac in plateis. Qui vero in summo Capitolini clivi pro vestibulo templi erat, *Transanctus* à B. Cypriano scribitur: terminus enim in finibus constituitur. In quibus vero præeminet nervosius illud, quod in infantibus pro amuleto usurpabatur, Minciæ prænotatur, & propagationem generis, & imperii, & finium. Quare in Mercurii forma figurantur quasi Mincii, qui & Pincii, & Proculi: pomœrii enim ampliationem summum in Reip. aucranum, & limitibus prolatis, & summa in civibus lati est imperii propagatio.

Verum pro Arimini finibus, & Rubico, illustre ejusdem in ponte terminatorium S. P. Q. R. Cæsari, & exercitui, qui eum sequeretur, in marmore sculptum adhuc perseverat, quod quidem in contestationem loci Terminalis utique clarissimum est testimonium.

Sunt adhuc juxta Ariminum loca plura eodem quo in nostratibus nomine, Coranum, Albanictum, Toranum, & Sabinianum.

Interea Picentes ad se nos revocant, qui adaucti numero, ita ut tot numero, tot civitates populos non caperent, Senatusconsulto novam ad coloniarum Provinciam rate quærere jussi sunt, & ad sinistram navigare. Itaque ad Cûpræ maritima littora nandi, & navigandi destitutam in tyrocinio disciplinam discunt, ediscunt in dies singulos animosiores ex laboribus, peritiores ex difficultatibus, neque segnes interim majores natu portum commo- A lintur. Et QUIDEM VEGETIORA ingenia intentatum relinquunt nihil. Alii naque arborum truncos in lintres cavant, & majora ausuri in ipsa arena remis se exercent, lintres propellunt modicas, qui tandem aliquando subigerent undas. Majores rates turmatim, & novas ædificant, & eas planiores quidem, ut Coelam innantem repræsentarent insulam, easque deinc pice illinire, in eisdem singulis singulas pini arbores suscitare, vela sumbus protendere, transtris remos aptare, affixa in puppi Veneris, vel Cupræ imagine, & eam quidem ad temporis varietatem peropportunam: ajunt enim menstruis mulierum purgationibus, & profluvio tempestates arceri, quæ per Helenes sidus pernitiosissimum navigantibus excitantur, si menstruata, inquam, nudetur: cum vero clarior illuxerit sol, expurgato utero, depulsis tempestatibus juventuti naviganti, aranti, ædificanti nihil Venere jucundius. B

Cæterum cum nondum reperta esset illa ars Palantica, de qua superius egimus, Augurum monitis, patrum consili precibus, per ipsam se in tuto obedientiam rati, vela dabant lignis bene picatis, & ea vox una omnibus se adinvicem adhortantium, & fausta acclamantium, ut bene picatam navem feliciter abire, procedere, pervenire precati genialiter confidebant, quæ enim stella orientem salutat Solem excussis post se tenebris, Vale dicit. Unde & vento ea ex parte flante nomen Japyga, & hanc in sententiam Virg. *Æneid.* IV. C

—— *natas mutta carina.*

Venti autem omnes è cardinibus spirant. At cardinum potestatem Jani, & Cranæ diximus, ut ubi, & unde, & quo vellent ventos cierent, quos regerent populorum scilicet Duces, opportuno cum apparatu occurrentes, & Astronomia qua ventorum causas, qua cognitione exorientibus uti scirent ventis. Japyga vero certum non habet cardinem: sic & Æolus ventorum Rex, & Pater pro Jano, & Eano, & Japyga. Boni itaque omnis ventus Japyga quod securitatem pariat, quæ negligentium matet, ut plurimum, aliquando vero noverca est. Et quidem de Cleopatra fugam capessente idem Virgilius cecinit, *Æneid.* VIII. D

—— * *ventis, & Japyge ferri.*

Sed Virgilio ipsi navigaturo per ejusmodi nominis invocationem bona omnia precatur Horat. *l.* I. *ode* III.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helena, lucida sydera,
Ventorumque regat pater,
† *Obstrictis aliis præter Japyga.*

Pervenere itaque prospero occursu perlustrata Apulia omni (qua maxime conversa est) ad oram fluminis, quam sacro patrio de nomine salutantes nuncuparunt, & in ripas ejusdem religatis sumbus consessuri descendunt, sibi invicem gratulantes: aram & ignem excitant, vota Deo Opt. Max. solvunt: deinde in distributione locorum Eburini Patres potiora loca sibi deligunt, & primis in sedibus, & proximioribus ad aras, & tabernacula construunt. Cæteros etiam, ac reliquos pro dignitate familiæ, personæ, ac meritis disponunt. Itaque adhuc Eburina ea dicitur regio, & fertilissima est: quamvis vulgo terra laboris appellatur: qui vero litteras paulo melius apicantur, & qui spectant agri ubertatem Campaniam dicunt felicem. Unde Picentina panes Romæ Pontificis in cœnis secundariæ deliciæ, splendidiora corollaria, & ea exalica, quæ frumenti species est, sed curationem industriorem requirit: quamvis per se alica non injucundus frumentum est, immo & præstantius quod apud nos Martio seritur mense. At Neapolitam saccaro & aromatibus immiscent alicam, vel hujusmodi farinæ cujuscunque adipem, & oblonga distendunt forma E F

* Legendum, *undu & Jayga.*
† Reponendum omnino, *Obstrictis aliis*, scil. ventis.

quasi cratis in figuram, & insuper auro pingunt, & hujusmodi pastillationis panem Regalem appellant pastam, sive mustaciam.

Sarus vero Sabinorum lingua sanguinem importat, & forte ab Eburnorum purpura vinive. Sed ea in navigatioue illud accidit mirabile, quod loci fluvius in mare defluit, qui ex diametro opponitur Suro, quem in Piceno sciverant patrium. Itaque omni quæ reliqua est Italia potiti forte fortuna, consilio, viribus, quasi patrios ipso de mari muros stare facerent, & patere portus locis omnibus fecere nomina, quibus nunquam hcussset sacram fossam sulco ducere retrogrado, quam omnino addem principium circulari processu factam oportuit. Ad ipsam itaque aram agentes gratias reduces pervenere. Sed & Vesuvium, & Bajas cum frequentibus coloniis tam assidua novarum Urbium, & tam clarum decus oppidorum auxere primi. Hæc enim loca prius incolucrant Aborigines: deinde Vestini Aurano Duce, qui deinceps apud nos regnaverat, sed tandem omni supercumularunt ornamento gentiles coovenæ, & advenæ: Romani vero in eum excoluere splendorem, ut à Solino inter orbis poltiora recensentur miracula. Opici interea quos Vestinos diximus in Circejum trajecerant promontorium, qui per intervalla temporum, per annonæ & pacis ocia negligentius agentes, dum patres oou consulunt, nec per se scire ttudent, occasionem fecere censoribus novos Tyronum delectus ad illas destinare colonias, per quos expellerentur Opici illi adjudicati degeneres Veteranorum reliquiæ, qui vitam veluti pecora transigentes fabulantibus appolita ad fabulam scena essent. Quod regno sub mulicbri quasi bruta animantia degerent, & ipsam illam Reginam viro forti Pico nubentem, ea pactione, ut regnum pro dote cederet. Temporis ratio in fabula non liquet, nec facti veritas constat. Poetæ enim inter Picum Tuscum, & Picum regem non distinguunt, qui utriusque facta uni attribuunt, & novo obnubilant metamorphosi in munerationis varietatem otiosioribus inunificam

Novos itaque per delectus Vestinorum patrum consilio provisum est, ne limes is pro securitate & dignitate Italiæ alienigenis pateret incustoditus.

En censurarum notas, quas in sacerdotum collegiis observatas recte quidem, ut omnia sancta Mater Ecclesia, apud quam vera est Religio, jure merito sibi vendicavit quæcunque apud gentes religiosiora esse videbantur. Nos enim Poetarum fabulam (si qua in re præsenti utilis est) & legimus, & explanamus. Ipsum itaque Circæ nomen, unde & Circæum à Circellis Palacryms Flaviorum prædiis, altero in libro describpturi sumus. Circellæ autem appellati fontes sunt frequentiores, tenuoresque, excepti labro florido, qui scaturigines illas ambiunt, coronantque, insensi tamen, neque enim aquarum vis flores proterit, quibus coronatur media perpetuo vere, ad animorum delicias, lususque, in quibus segnities & socordia locum non habeant: unde & Musæus de puellarum choreis è Libano monte ad festum accedentium agit, cujus sententiam Musarus Latine, & feliciter expressit:

Non Libani odoriferi in summitatibus saltans.

Hinc & Poetæ personam Principis sponsi in deliciis habiti per fabulam peritringunt ad metamorphosin, ex eo quod pro uxuris fastu, & forma, quæ Solis filia diceretur, & regni opulentia, & ingenio insolescentis manuum artificio admirabilis in domesticis, forensibusque, belli pacisque tempore, terrestri, maritimave expeditione, splendidiori semper gazarum cultu procederet Picus, regia in trabea, paludamentove, navi Prætoria, & omni classe ad luxum usque instructa, depictis auro velis, familiæ cultu, & ordine dapibus opiparis Ea itaque Solis filia scribitur, quod Solis attractu aquæ in fontes salientes demanant, & circa fontes herbæ & crescant, & vigeant, & floreant, ipsius, inquam, lumine, & motu, sive calore, & virtute. Et hæc semper & ubique Picus pictis in tunicis, eloquens, unguentatus maritus, alatus Dux, qui, ubicunque opus esset, illico adesset, quasi volatu immunens, qui mira celeritate omnia perfecerit alacer, militum pater, popuh securitas, Princeps novus assidebat Reginæ, equitabatur Comes perutilis, ventorum & stellarum peritia nobilis, sed qua gloria? Num ut circulatrix haberetur? talis enim ab Homero describitur, & ejusdem in verbo Virgilius, *Æneid.* VII.

Picus equûm domitor, quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque veneno
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.

Cæterum cum de fabulis sermo est, & de tantorum Poetarum testimonio iterum, & opportune quidem Homerum appellemus. Quis enim vel in Poetis non memmerit, & inprimis non appellet laudatissimum Poetarum Principem? Qui ab Hospitalis Italiæ littoribus non alienus homo, imo munerator splendidissimus, ipsa in Italia emicuit, cui Circæum, & insulæ Æoliæ, & Sicilia pro cavea, circove delecta est. Is, inquam, qui omnia novit, dum Ulyssis patriam recenset Ithacam, Italiam indigitat, & coloniam ex nomine, & in ea Laertem Janigenam utique civem prælidentem inter Lucumones populorum Principem, quem Homerus jam cassum delineat lectoribus, si qui oculo non hebeti in legendo sient; & ipsum juxta Laertem adstantes Lucumones duodecim. Sed qui Laertes filio absente, & quem vita defunctum putarent, inejusdem domo petulantiores, Proci Reginæ se viduatæ ingererent, ejus nuptias expostulantes, & de Laertis patrimonio, & proventibus opipare convivantes, quo Reginam, & filium impuberem, & socerum morarum tandem pertæsos compellerent, ut jam nubere vellet, antequam in hujusmodi commessationibus absumerentur omnia. Ipsa enim Lucumonum uni quem vidua deligeret jungenda erat, ut populi præsentem interea habere viderentur Principem, cum nepos ætate adhuc minor esset, in quo longum putarent exspectare regni successorem, avo Laerte senio, laboribus & vitæ tædio confecto. Penelopen vero quasi Circen alteram Solis filiam prudentia sua eludentem procos, dum exorientis jubar Solis pro occasu acu pingit quasi in moribundi soceri funus honorificum texeret velum, quod extrema altera semper parte retexeret nocturno labore Larona altera, quæ de tenebris solem producit: & proinde ea diuturniori mora redcundi terminum marito prorogat, & Telemachi crescentis incrementa, & spem enutrit. Procos autem differt, & quos venustate, & ingenio, manu, artificio, & prudentia in familia optime regenda attraxerat, pudicitia & severitate distinet. Neque aliud cogitasse Homerum dixerim, cum eo in circo Ulyssis errores, & historiam omnem refert, nisi quod ad Italiam in Italicis Principibus orbis terrarum Reginam in theatro confidentem spectatricem, & judicem muneris allicceret sui. Qui musas omnes, & omnem produxit artium & scientiarum scholam perutilem in scenam suo in Heroe, qui propria virtute & omnia, & impossibilia perfecit solus, ut munerationem honorificam tantis probata judicibus universus admiraretur orbis, & fama, quæ veluti aurum per orbis cardines, honores, & plausus, & laudatores excitat. Ita tamen, ut priorem, potioremque locum non deferat, quem unum pro omnibus occupatum obtineat. Orbem, Urbem, inquam, Romam, unde ecsia quasi de fabrica alloquitur populos, de arce, inquam, Imperii: & ea proferat, quæ æterna memoria digna sunt nominum & virtutum præconia. Hæc autem à nobis sic dicta, Græci æquanimiter ferant velim, qui modo ad nostrates Vestinos sltlum reduci verto manum.

Hi

Hi nuſquam ſegnes, neque interea lævum Atriæ latus intentatum reliquere, qui opportuniori quidem in loco navalibus Ravennam ipſam metati ſunt, ubi infra decreſcente mari claſſis ad excipiendas in portu claſſes commoditò appoſita eſt: quæ quidem urbs regia, & regiæ urbis portio: ſed hæc ſub Auguſtorum tempora. At Veſtini loca circumcirca communivere complura. Sed & Eridanum quaſi per euripos decurrentem expedivere plures: & eos patriis de nominibus appellavere. Inde Hadriam alteram ad fluminis oſtia, quem Vatrenam dixere, quaſi Aternum magnum. Is autem ex ſacro foro Cornelienſi defluens Eridanum adauget: deinde latius progreſſi mediterraneum delectas ſedes captant. Itaque Verona conſtruitur de Veræ fluminis accolis, & loci flumen ab eo dixere Ateſim. Hac igitur ratione auctaria habes, & prorogatis in finibus nobiliſſimam Provinciam, multiplicata loca, & nomina.

Et Comum à Cominis populis, quos recenſuimus. Eſt enim Antiquis Coma planitiei oblonga, vel connexis incluſa montibus, vel aquis confluentibus Inſula. Comini vero à numine quodam, qui Comus dictus eſt. Hunc adoleſcentiorum licentia fecit Deum, non ad comitatem tantum, quæ expetenda virtus eſt, & probatos decorat cives: ſed quia pueri nobiles, qui in Regis obſequia excubarent, & Camillarii dicerentur, aliquando per annonæ & pacis otia laſcivire cœperunt, & Lateronum favore procaciam & proterviam in arvinam nutrientes, nocturniſque cantilenis, choreiſque rationabilem populi interturbarent quietem, & alienarum appetentia uxorum, ut haberent, in quod rejecterent numen inſitum ſibi, & in ſemetipſis coalitam laſciviam prætenderet. Cæterum diverſi ab iis Camillarii ſacerdotum miniſtri, in quibus modeſta vigens futuræ per augmenta ætatis ſponſor adeſt ſanctitatis ad Sacerdotii ſuffectiuram. Unde & eoſdem Cados dicebant à ſacris diſputationibus myſticis, quales Nabuchodonoſor accerſivit ex omni Hieroſolyma tres illos ſelectos in Curiam.

De ejuſmodi autem apud nos Cadis Camillariis Vicum habemus & Camillarium, & Aruntinum, & loci memoriam Cadichio ſuperam: hi milliario inter ſe diſtantes, ſed Camillaria adhuc frequens in Vicanis. At Regii Camillarii quaſi in prætorianam cohortem & comitivam adſumpti perpetuam novum ſalutare numen pro ſalutis & victoriæ optione Camulum ſibi effinxere, de quo ſuperius. Sed de Camulo teſtimonium ex antiquis monumentis habetur Quintiliani in Sabinis:

CAMVLO SANCTO FORTISSIMO
TI. CLAVDIVS TI. FI. QVIR. TERTIVS
MIL. COL. VII. P. R. 7. VEM.
L. D. P. D.

Unde occaſionem quaſi de proximo præſumpſit Domitianus Imperator, qui ſe filium diceret Palladis, & Dominum ſe, & Deum appellari voluit, edixitque.

Sed in eiſdem quos diximus Vicis orientaliores magis Aruntini, quibus illa de Arachne, quæ cum Minerva, vel Teſtrinate, vel Corythallia: eo enim nomine apud Athenæum *lib.* IV. legitur, & apud Ciceronem *de natura Deorum* lib. III. Coreſia, & quidem à Κόρη, ſicuti & Curina:

MINERVAE CVRINAE LADAE
PVNICVS GENIALIS II. VIR.
COLONIAE MORINORVM
SACERDOS ROMAE ET AVG.
F. V. A. M. D. V. L.

Cum Minerva itaque Arachnes contendere auſa eſt, & concertatione quidem nobili, textura, inquam, quo in ſtudio muliebre laudatur ingenium vigens, & manus laborum diligentiſſima. Sed earundem compendio explicemus multi nominis concertationem.

Nobiliſſimæ orbis terrarum Virgines ea in contentione judicium provocant, ſed Arachnes fila tenuia expoliriſſima: Minervæ autem texturam, perfectum, inquam, opus laudarunt Patres, & omnium calculis Minerva vicit, quæ etiam ultra ſexus pavorem arma tractare, & à bellicis non abhorrere ſueta congreſſibus, & populo ſe ducem præbere, & ſalubriora commonere ſciliceter. Quamobrem divinis aucta honoribus, quod in ea cœleſtium contemplationes, & Religionem antiqua ſeveritate bonis excultam artibus admirarentur Patres. In Arachne autem ad delitias animus pronus magis, & ingenium ad artificium tenuium ſuſpicienda hæc curialibus, & popularibus apprime favorabilia, ſed PRVDENTIVM eſt judicium, & in omnibus vincit veritas. QVAE ENIM Virtus eximia ad ſummam provocat ingenia gloriam, eam non temporum curriculis, nec induſtriæ & patientiæ aliis advecta adſequitur æmulatio. Et quidem veri laboris amatores homines fama nuſquam loci deſerit, & qui victoriam coronat populi plauſus, & cantorum hymnus immortalis, dum victoris laureas adauget, inexſtinctum devicti ſervat nomen per ora hominum fama circumferens, quaſi Perſeus Meduſæ caput, vel Holophernis per capillos de Judith, vel Goliæ de Davidis dependens manu. Sed jam ad rem noſtram quaſi poſtliminio revertimur.

Interea Veſtini Janigenæ ad montium clauſtra Patrum juſſu novæ urbi locum deligunt inter utroſque Aborigines medium, & juxta Curetes eam Coniſſam dicunt à Conitio, ſacrave foſſa, de quo ſuperius. Is locus, quaſi penu commune in Reipublicæ ſpecies colonis eſſet ſuis, deligitur, deſignatur, communitur, oppletur civibus oppidum, in quo Romanorum temporibus Iſiam gentem legimus, & Connexiam. Unde forte oppido illi nomen factum eſt novum, niſi à fabricæ figura. Sed quæcunque nominis cauſa fuerit, illud quidem antiquitatis teſtimonium habemus omnium ſententia comprobarum. FABRICAE ſequela ruina eſt, rerum viciſſitudo, nominum mutatio: viciſſitudo quædam eſt: commigrarunt enim vetuſto de oppido populi, & ad loci congruentiam, quem delegerit, nomen & diſpoſitionem oppidi novarunt.

Leoniſiani itaque Coniſſæ reliquiæ etiam nunc ad montana clauſtra conſident Seranos infra montes, quos alii perperam Ceraunios ſcribunt, locus is juxta Falacrynam vallem, & collimites Reatinos. De Coniſſa antiquitatis teſtimonia alii alia proferunt, ſed mendoſius quiſque, immo & legunt, & publica inſcriptione propoſitum habent unctalibus, ut dicam, litteris, in oppido Leoniſſa loco inſigni ad fallaciorem conteſtationem:

Sum connexa vera clavis montanaque fera.

Pro quo legendum omnino eſt.

Sum Coniſſa fera, & clavis montana ſevera.

Ita enim & verſus conſtat, & nominis proprietas, & ſententia. Eo enim montium juga connexa, quaſi in dorſo ſpina aditus omnes obſtruunt, unde monti Serano nomen. Sed neque ad hiſtoriam minus congruere videntur teſtimonia antiquitatis, quæ in gentilibus, & propriis nominibus patrium præferunt nomen, ſive Civicum. *In Ald.* 709. 1. Interamnæ:

P. CVRIVS T. L. DIGNVS
P. CATINIO P. L. SERRANO
P. CATILIO PRIMO.

Et:

MVTIENAE T. L. DICAE
MVTIENAE T. L. DIONYSIAE FIRMIONI.

Eſt autem Catinium in finibus Veſtinorum & Æquicolarum. Catilia vero juxta Tybut, in ipſis Æquorum finibus.

Sed ne Leoniſſæ nomen & etymon ſubticeamus quaſi prætereuntes, quæ pro ea faciunt, antiqua monumenta adponamus. *In Anth. ad. Smet.* 33.

LIS-

LISSIA SABINA G. ORANDI CON.
LICONIES SECVNDILLA L. IVNII LICONIS.
ET IVNIVS LICINIVS LICINIANVS
Q. LICINIVS ZOSIMVS SIBI ET CONIVGI SVAE.
ISSIAE ONESIMAE B. M. & ISSIAE CONLIBERTAE,
ET CALLIACO FELICI FILIO.

Et pag. 50. quod ad Turrim Verangulorum habetur:

Q. LICINIVS ZOSIMVS FECIT SIBI
ET CONIVGI SVAE LICINIAE
ONESIMAE BENE MERENTI,
ET LICINIAE ISSAE CONLIBERTAE,
ET CALLIACO FELICI FILIO. ITEM
* LIBENTIS LIBENTABO SE, POSTERISQVE EORVM.

Et in eodem agro Leonissano:

LISSIA Q. F.

Itaque & Cantalici oppidi, & ex adverso instituti Tranfalici ex Licone & Liconia & originem, & appellationem dixeris.

Præterea legimus Tarquitium Rom. & Eutychiam Græcam parentes S. Taurini Embroicensis Episcopi.

Tarquitii vero ex fratre nepotem Licinium Præfidem & Leonillam Licinii Præfidis uxorem.

Vides igitur in Licinia gente Leonillæ nomen, & Onesimæ & *ISSAE*, & ex Licinia, & *ISSA*, *LISSINIAM* denominatam, & Liconem, ut facile conflatum exinde dicas Leonissæ nomen, & Leonianni vici, qui juxta Leonissam est, & in montanis oppido nomen Montileonis, de quibus hactenus. At qui infra ad Palachrynas defcendunt valles, & Veltinos, humiliores quidem, sed perpetui colles, Pinatiæ fcilicet. Sed hæc Strabo ad Lucanos rejicit longa post tempora à Sabinis deductos colonos. Primi enim Sabelli Tauro Duce dispositi sunt. Unde & Taurum in fignis præferunt.

De Samnitibus vero item alii aliam fententiam proferunt, fequunturve pedarii. Sed qui Comium Caftronium Ducem eas deportasse colonias de Sabinis conteftantur, & primum occupasse collem, cui nomen Samnium, & ab eo quasi ab originario Samnites dici recta fentiunt, & recta fentientibus probe confentiunt.

At Hirpinos ita appellatos ajunt, ficut & Hirpani veteftiores, de Lupo præcunte colonias Sabini enim Lupum Hirpum dicunt, deductionis vero temporum ratio non liquet.

Ultimo loco Lucius Samnitum Dux colonias fuo de nomine Lucanas condidit. Unde Lucanas Pop. Rom. novit inter ganearum delicias, de quibus Martialis, *lib.* XIII. *epigr.* XXXV.

Filia Picena venit Lucanica Porca.

Quod fi ad Virgilianum illud aptes, de Porca, quam Æneas vidit albam, *Æneid.* III.

Triginta capitum fœtus enixa jacebat
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.

utique ad colonias refpexisse Martialem putabis.

Cæterum quæ humanarum viciffitudo rerum est, ea & noftrates perftrinxit, dum Læftrigonem iniquiorem fortiti Regem, nec perferre fatis, nec tueri potuntur, Herculi obnoxii fiunt, & dum favent Dardano graviter apud Corybantum offendunt. Itaque regni gloria, opulentia, nomenque illud perilluftrius ad Janigenas alteros, eorum quidem fobolem Tufcum Sagam ultra Tiberim quasi aquæ delapfu fluminis impetus infolens in dexteram in fe proturbantis, effundentisque de flexere omnia. Quo tempore Latini illuftriores Sabini nominis esse cœpere, & Regnum obtinere. Sabini vero per fapientiæ ftudium, & pietatis, & Regni contemptum fevocati ad quietis otia, & veritatis indagationem fequeftres degebant, nifi per Latinos Reges ad explendum Senatus numerum revocarentur, in quibus femper primas obtinerent. Sed tandem maris imperium, & Latinorum ditio, & Campaniæ littora, & majora prope omnia ceffere Tufcis in Patribus ordinata ex Dynaftia Sagis, qui prudentiores in dies regere, & Sacerdotii, & Imperii, lituum, & falces obtinere, quasi virtutis, & poteftatis propriam neque jam acceptum quid referre Sabatio Sabinifve Patribus: fed Cato *lib.* III. pro Aboriginibus illuftre teftimonium profert in hæc verba: *A Tufcis Sagis, qui à Sabinis originem trahebant, Dynaftia Lartes fcilicet, juxta eum Lucumones XII.* Hos vero Lucius Capita appellat Etruriæ hi Cives novæ Vetulonieæ optimates, & per Regni cardines: ille vero primas, & in urbe præfidens illi fecundum regionem quifque fuam maritimam, mediterraneamve in collimitibus præfides invigilabant uti opportuit. ET QUIDEM Juftitiæ, & Fortitudinis diuturnum Imperium: Sapientiæ vero ingens eft Gloria. Pietatem immortalitas fequitur. Neque aliud Sabinorum fupererat ftudium, quam Reipub. & Agriculturæ laboribus de Deo contemplationi addici, facrificiis quotidianis perfungi, publicis, privatifque, facrorum myfteriorum amantiores myftæ. Et eorum ditio à Nare ufque ad Æquicolas, & fecundum flumen Aternum, & Apenninum ad mare fuperum. Cæterum Latinorum regnum Latio comprehendebatur: fed Tufci, qui Regium & ipfi antiquaveranf faftum, in Dynaftiam convenientes pro fapientiæ laurea Sabinos æmulantur. PER VICUM juventutis ftudium vires fovet, collectatio Cafcos non decet. Scholas itaque inftituere, quo quafi ad bonarum artium emporium convenirent. Perfeverabat tamen eadem in utrifque religio, & Pontificum eadem, quæ & prifca effet, & vetuftiffima. Pons Sublicius priftinam confuetudinem antiquari non finebat Sabatii providentia, qui ad hoc pontem jecerat, & poftorum diligentia, ne quos procurrentis impetus fluminis fecundum ripas disgregat, diffidium diftractos difterminaret, fed charitatis mutuæ amor neceffarius in poftcros propagaretur. Unde fuper eundem fublicium Saliorum ludus, & illa nominis inter virum & uxorem commutatio, commixtiove.

Sed ne Curetes intermortuos putares in ipfis Quiritibus, conftat & humani Imperii Majeftas, Roma, inquam, quo Veftæ facra convexerat & Dardani, & Veftinorum poftcritatem tranfvexerat filio in Afcanio & exercitu omni Æneas pius. Ipfa, inquam, Roma Quirinibus aucta fuis quid non domat? & jure merito quidem, eo quod veritatem, quæ omnium fortiffima eft, ultro obviaverit, & in fanctiffimis Apoftolis, quorum pedibus advolvitur venerabunda, ofculatur, auffultat, adorat Chriftum, quod ejus munere Virtus eft, quæcunque vera Virtus eft: quod ipfa ejufdem beneficentia orbis gubernacula regit Regina gentium. Tu vero ne quid in Veritatis nomine fufpiceris, neve requiras, explanabo.

Veritas Chriftus, & D. N. Jefu Chriftí fides Veritas eft. Is ante fæcula Deus, qui Verbum apud Deum, per quem omnia fcit Deus, is ultimo fæculorum ætate dignatus de Virgine nafci Homo, qui femper Deus largitus eft nobis fuam Deitatem. Chriftum igitur Roma adorat, & fapit: in cujus Eccleſiæ unitate Chriftí fidem univerſus complectitur orbis, & quafi circa matris ubera filioli ingenui pretioſiora materni pectoris monilia pertentant gaudia gemmæ, capitis adaugent gloriam.

* *Haud dubie ſcribendum*, LIBERTIS LIBERTABVSQVE.

FINIS.

JACOBI BRACELLII,

GENVENSIS,

ORAE LIGVSTICAE DESCRIPTIO.

AD BLONDVM FLAVIVM APOSTOLICVM SECRETARIVM.

ACCEDIT

EJVSDEM

DE

CLARIS GENVENSIBVS LIBELLVS.

AD REVERENDISS. PATREM LVDOVICVM PISANVM ORDINIS PRAEDICATORII.


P A R T
P I
M O N T
S E.
Torino
Carignano
Carmagnola
Chieri
Villa Nova
Cherasco
Saluzzo
Fossano
Coni
Cuneo
Signori
M A

JACOBI BRACELLII,

GENVENSIS,

ORAE LIGVSTICAE DESCRIPTIO.

AD BLONDVM FLAVIVM APOSTOLICVM SECRETARIVM.

REVERSVS in patriam clariſſimus vir Andreas Bartholomæus Imperialis ab ea legatione, qua apud Romanum Pontificem aliquandiu moratus eſt, cum multa de te non ſine magna tui laude ſæpius loqueretur, in ſermonem aliquando incidit ejus hiſtoriæ, quam tu magno labore, nec minore omnium exſpectatione, ſcribere aggreſſus es. Inter quæ ait, cupere te, ut Liguriam cum ſuis populis quiſpiam regionis ejus penitus exacte deſcribat: ab eo haud contemnenda laboris portiuncula te levatum iri, modo is eſſet, qui quod tibi præſtari optabas, poſſet implere: neque multa oratione, qua plurimum valet, hortatus eſt, negotium ut ſuſciperem. Ego cum ſcirem huic regioni latiſſimos aliquando terminos fuiſſe, quippe cum Piſas in Liguribus conditas, & Apuanos Ligures, quos agri Piſani populos eſſe conſtat, à probatis auctoribus traditum legamus, quodque longe plus admirationis habet, Maſſiliam Pompejus Trogus, inter Ligures, & feras Gallorum gentes, politam dixerit, operis difficultate deterritus pedem retuli. Neque enim quempiam ſeculi noſtri quantumcunque doctiſſimum virum ſatis idoneum putavi, qui vetuſtiſſimas illas orbis diviſiones, jam prorſus abolitas vel (ut ita dixerim) ſepultas, ita poſſit eruere, ut ex illa vetuſtatis caligine in lucem proferat, quinam fuerint Liguriæ conſtituti fines tunc, cum Apuanus & Maſſilienſis inter Ligures annumerabantur. Verum poſteaquam ex eo cognovi ſatis fore tibi, ſi ora Liguriæ, quam Plinius, & qui eam diviſionem orbis ſecuti ſunt, Varo & Macra terminari voluerunt, accuratius deſcribatur, haud invitus laborem ſuſcepi: quippe qui à te & recte fieri, & æquum poſtulari arbitrer: quod uniuſcujuſque regionis urbes, populos, flumina, cæteraque memoratu digna, malis ab indigena, quam ab externo, cognoſcere. Ent aliquod præterea operæ pretium: ſi in ea ora, quæ ut fertilitate plurimis, ita ſalubritate, amœnitateque paucis admodum cedit, pleraque invenias, quæ tibi res Italicas dicere aggreſſo ſine laude præterire non liceat. Illud vero ante omnia mihi concedas velim: ne ſi diligentius omnia ſcrutatus fuero, minima perſequi, parviſque nimium immorari arguar. Aliud enim terrarum orbem dicturo proponitur, longe alia lex ejus eſt, quem unius tantum provinciæ labor fatigat. In quo tamen ſi rationem, legemque exceſſero, dum meo ornandæ patriæ cupiditas longius rapit, ſcio hanc facile amori meo veniam dabis.

A Provincia igitur Narbonenſi Italiam petituro, Liguriæ primus limen aperit Varus fluvius ab Alpibus effuſus, haud procul ab urbe Nicæa mari ſe infundens, nulla re notior, quam quod Braccatam Galliam ab Italia diſterminat. Occurrit mox Nicæa oppidum à Maſſilienſibus in littore conditum, Alpes dorſo contingens. Dehinc portus Herculis Monœci quondam; nunc Villa Franca. Poſt hæc Monichus portus, ut Ptolomæo placet; nunc Monacus, Genuenſis Imperii terminus. Hunc enim vel collem, vel ſcopulum, cum eſſet incultus, Cæſar Genuenſi populo ad condenda mœnia conceſſit, annis jam quinquaginta ſupra ducentos evolutis. Imminent Monicho Trophæa Auguſti, duo prope millia paſſuum à littore recedentia, in edito jugo poſita; nunc ignobile caſtellum Torbia nomine ſola viarum aſperitate memorabile.

Sequitur Mentonum, & Rochabruna, primum ipſo in littore, alterum haud procul à mari caſtellum poſitum: utraque ſterilis ſoli, & præter ipſum nomen nihil, quod referas, habentia. Deinde Albumtimillium urbs quondam populo & latis finibus valida; nunc vel demptis, vel mutatis paucis literis Vintimilium. Hujus latus, qua parte ad orientem ſolem vergit, Rucuba flumine abluitur; quod nunc Rodoram vocant. Vix mille paſſus ab oppido collis attollitur, cui Apio nomen eſt: & in colle arx ſita, ex qua prima naſcentis Apennini juga haud procul aſpiciuntur. Ab Rucuba decem paſſuum abeſt municipium, quod Sancti Romuli nominant, citri ferax, frequentibuſque palmis, quam arborem circumjecta omnis regio neſcit, Romanu etiam Pontificibus haud incognitum. Inde quinque millia paſſuum emenſo obvia fit Tabia, duo millia recedens à mari, exiguum oppidum, ſed vitis generoſitate jam non obſcurum: quippe quæ

vini nobilitate, quod Muſcatum vocant, tantum ſibi nomen paraverit, ut non Cypriis, non Creticis, non Falernis montibus inferior putetur. Decem paſſuûm millia ad Mauricium portum numerantur: portum nomine verius, quam re. Hinc quoniam vicini populi jura petunt, fama locum celebriorem facit.

Sequitur Unelia vallis aliquot introrſus vicis habitata. Mox oppidum Dianæ, nunc Dianum, dun prope paſſuum millia littus effugiens: nlea, vitesque pariter lætum. Poſt hæc ipſo in littore Cervum. Deinc Andoris ex edito vicinum mare deſpiciens, vitiferis collibus undique cingitur. Andrianos fines parvi admodum vici excipiunt. Hos Albumingaunum urbs opibus ac vetuſtate nobilis, nunc Albingana, cujus Merula flumen latus verberat: vulgus Centum nominat, quod centenis torrentibus augeatur. Hanc urbem in plano poſitam vix quingentos paſſus ab ora diſtantem cum validiſſimi exercitus Philippi Mediolanenſium Ducis arcta obſidione cinxiſſent, quatuorque perpetuos menſes oppugnatam eruncta belli mala ferre coegiſſent, conſtantia tandem, ac fortitudine populi perterritus hoſtis more fugientis ac victi obſidionem ſolvit.

Occurrit poſthæc Petra caſtellum in littore poſitum. Deinde Finarium oppidum, à cœli ſalubritate nominatum: abeſt à mari dun prope paſſuum millia, anguſtias vallis claudens, in cujus faucibus ſitum eſt. Eſt & in littore Naulum, urbs portu ac tutribus inclyta. Eſt & Vadorum portus. Hinc ſeptem paſſuum millibus Savona diſtat, urbs multorum populorum commercio nobilis: nunc dejecta mnle, quæ fluctibus nppoſita, portum efficiebat; manca & trunco corpori ſimilis relicta. Hanc Livius Magonis adventum referens Savonam nominavit: idque nomen cum ad ætatem uſque noſtram perduret, non eſt facile rationem reddere, cur Plinius Sabatium, Pomponius Sabatiam appellare maluerit. Albiſollam, Cellaſque vicos ignobiles haud procul inde in littore cernimus. Deinde Viraginem oppidum: quod quidam Vicum virginis dixere. Succedit vulturum vicus, quem Cheruſa parvus amnis interfluit. Porcifera dehinc ut major, ita violentior amnis: qui amœniſſimæ valli nomen dedit.

Tum vaſtum & ingenti mole fluctibus objecta memorabilem portum, frontemque ad Africum verſam Genua pandit: urbs vetuſtate præclara, verum rebus geſtis longe clariſſima: ut quæ Corſicam, Cyprum, Aſiam, Thraciam, Scythiam, magnamque Orientis partem, aut deductis coloniis, aut victoriis ſuis illuſtraverit: negotin tamen, quam otin felicior. Cum antiquitatis ſuæ multa ſint argumenta, non illud in ultimis habendum puto, quod auctorem ejus nemo ſatis affirmare auſus eſt. Ita ex illius temporibus vetuſtate prope abolitis, varias de conditore opiniones exortas videmus. Quarum illa plurimum habere auctoritatis putatur, Phaethontem claſſe in Ligufticum ſinum ex Ægypto profectum, indeque Apennini juga transgreſſum, haud procul à Pado flumine conſediſſe: relictis in littore navibus cum Genua quodam claſſis præfecto, hunc ibi nppidum enndidiſſe, & de ſuo nomine Genuam appellaſſe.

Verum quid de urbis initin homines ſentiant, cum cujuſque judicin liberum ſit, excidia eerte in obſcuro non ſunt. Semel à Magone Hamilcaris filin capta, ac exciſa eſt, juſſuque Romani populi à Lucretio reſtaurata. Rurſus ſexto ſupra quingentnm nunc annn, iterum à Pœnis capta, ac prope everſa eſt. Sed maximis poſt hæc incrementis Dei munere caput attollens, illis ſæpe terrori fuit, & nunc formidini eſt, quorum inſidiis concidit: prævalida nunc viribus ac mari plurimum pollens, principem nacta omnium moderatiſſimum Thomam Campofregnſum: cujus cum maximæ laudes nullius præconio indigeant, nec eas in præſentia referre animus eſt: & ſi ſit, operis magnitndine deterreriqueam. Urbis Orientale latus Ferioramnis præterfluit; quem nunc Biſamnem appellamus. Nec tamen vetuſti nominis uſquequaque facta videtur oblivio. Namque amnem minorem è proximis montibus præcipitatum; qui ſe majori vinlentus immiſcet, Ferixanum dicimus: hic ſi fluvio quondam, ut conjecturis creditur, nomen dedit, ex Feriore in Ferixanum verſus, quatuor priores antiqui nominis literas adhue ſervat. Inde parvi admodum in littore vici Nervium, Buliaſcum, Saulum, & bis omnibus major Rechum, poſtea Camulium. Verum ab amne Cheruſa, quæ ſupra memoravimus, aduſque Camulium, hoc eſt, quatuor & viginti millia paſſuum, non plana modo, & quæ mari proxima ſunt, verum valles, enlleſque longius poſiti, omnia demum magnificis ædibus decora ſunt: adeo frequentibus, ut qui ex alto terras petunt, unam à ſe urbem aſpici putent. A Camulin ſinuari promontorium incipit, quod divn Fructnſo ſacrum eſt: ejus templum in intimo receſſu poſitum magna veneratione à vicinis populis frequentatur. Id illi promontorium Caput mootium vocant: arduum ac ſaxnſum in maria procurrit, ſiniſtroque latere irrumpentes undas anguſtis faucibus admittens, Delphini portum efficit: qui ab incolis dempta prima ſyllaba, quaſi à bonitate nominandus potius ſit, Portus Finus appellatur. Sequitur & alius ab Oriente ſinus, quem Rapali nominant. Id valli nomen eſt, quæ intra montuoſa haud ſterilia, citrique ac nlcæ plurimum ferax, vicum ejuſdem nominis haud obſcurum habet in littore.

Quinque paſſuum millia Clavarum abeſt, nppidum ob alia magis quam vetuſtate clarum: quippe quod ante centum & quinquaginta annos nondum mœnibus cinctum fuiſſet. Hue maritimi, hue montani populi plurimi juris dicendi gratia conveniunt. Haud procul inde fluvius Entella mari illabitur, quem noſtri Lavaniam vocant: cujus in ulteriore ripa Lavania vicus eſt, quem clariſſima eorum familia, qui ſe Lavaniæ Comites diei voluerunt, maxime illuſtrem dedit. Ab oſtio Entellæ vix quatuor paſſuum millia Segeſtum aſpicimus: quam qui Ptolomæi dimenſiones ſequuntur, Tigulium putant, incolæ Sigeſtrum nominant. Vicus eſt ipſo in littore, cui objicitur inſula tenui admodum rivulo à continente avulſa: ea præruptis undique rupibus quaſi muro tuta ab omni terræ, mariſque incurſione ſecuros incolas habet, gemino portu, dextra, lævaque acceſſibilis: quanquam qui ad portum vergit, tutior, veriorque portus eſt. Huic contermina ſunt Monilia, quam noſtri Moneliam dicere maluerunt, in duos vicos diviſa: nihil quod referas præter vitiferos colles habent. Monilianis finibus Framula occurrit, quam ob lapidoſos & aſperos calles, quaſi Ferramulam dictam putm: ea in aliquot parvos vicos diſtincta vinetis undique ambitur.

Hinc parvo intervallo Levantum abeſt, municipium nobile magis, quam vetuſtum, irriguis vallibus, & apricis collibus amœnum. Inde in ora caſtella quinque paribus prope intervallis inter ſe diſtantia, Mons ruber, Vulnetia, quam nunc Vernaziam vulgus nominat, Cornelia, Manarola, Rivus major, non in Italia tantum, ſed apud Gallos, Britannoſque ob vini nobilitatem celebria. Res ſpectaculo digna, videre mnntes non declives modo, ſed adeo præcipites, ut aves quoque tranſvolandn fatigent, ſaxoſos, nihil bumoris retinentes, ſtratos palmite adeo jejuno & gracili, ut hederæ, quam viti, ſimilior videatur: hinc exprimi vin-

vindemiam, qua menſas regias inſtruamus. Rivum majorem tranſgreſſos excipit Portus Lunæ, à ſcriptoribus quidem, ſed parcius quam decuit, celebratus: vaſtis faucibus ſeſe pandenti, multiſque reflexibus tortuoſo inſulam natura objecit, quæ illum ex Auſtro & Africo tutum præſtat. In qua templum eſt divo Venerio ſacrum: à quo vetuſto nomine abolito Portus Veneris, vel, ut plures loquuntur, Veneris appellatus eſt. Fugiunt introrſus terræ quinque paſſuum millia: quam longitudinem portus quoque adæquat. In occidentali promontorio oppidum eſt à portus nomine dictum, Genuenſis populi colonia, idemque imperii quondam terminus: cujus in adverſa Ilex eſt caſtellum, vel ex hoc celebrius, quod ut illud Genuenſes, ita hoc Piſanos quondam fines terminabat.

Receſſus interior Speciam habet, novum oppidum, citra LX. annos muro circundatum: ea præ- A ſidi ſedes conſtituta eſt, ad quem quicquid litium oritur, à remotioribus etiam populis defertur. Promontorio Lunenſi ab oriente portus claudituri: quod præterlabitur Macra fluvius amœnus, piſcoſus, & quod Liguriam ab Hetruria ſecernit, haud ignobilis. Ut Ligurиæ, ita nperis noſtri finis. Nam populorum, urbiumque longius ab ora recedentium, illis deſcriptionem relinquendam putavi, quibus vel eas terras incolere, vel aliquando peragrare contigit. Tres omnino id mare inſulas habet ſcopulo, quam inſulæ, ſimiliores: unam Alboingauno adverſam, quæ pavidas ſæpius naves à clade ſervavit: aliam Nauln: tertiam Lunenſis portus occidentali promontorio prope annexam. B Liguſticæ Oræ longitudinem à Varo ad oſtia Macræ cum undecim ſupra ducenta millia paſſuum Veteres prodiderint, non ultra centum & octoginta à noſtris traditur.

JACOBI BRACELLII,

GENVENSIS,

DE

CLARIS GENVENSIBVS

LIBELLVS.

AD REVERENDISS. PATREM LVDOVICVM PISANVM ORDINIS PRAEDICATORII.

PETISTI à me, reverendiſſime Pater Ludovice, ut eos Genuenſes, quos vel ob inſignem aliquam virtutem, vel ob egregium aliquod facinus memoria dignos putavero, poſteritati commendem, prætereriens ſane viventes: ne amori, odio, aliive affectui aliquid forſitan tribuiſſe videremur. Facile erat parere præcepto tuo, ſi ſcriptoribus rerum noſtrarum paulo diligentius cura fuiſſet ea poſteris tradere, quæ lex etiam hiſtorici poſtulabat. Sed cum illis ſolum fuiſſe ſtudium videamus nudam veritatem ſequi, & ſimplici quodam dicendi genere bellorum, aliarumque rerum exitus mandare memoriæ, (omnia enim in laudem Reipublicæ contuleront, nec in enarranda geſtorum ſerie, aut iis exornandis, qui ea feliciter geſſerant, ulla ex parte laborarunt) nullum mihi in evolvendis Annalibus noſtris auxilium poſitum eſſe putavi. Quam ob cauſam, eorum tantum nomina, quos vel aliarum gentium ſcriptores laudibus efferunt, vel frequens hominum ſermo adhuc admiratur & prædicat, quantum una lucubratione conſequi potui, in unum corpus redegi. Noli tamen de populo meo male id ſuſpiceris: quia clarorum virorum exiguus tibi numerus oblatus ſit. Ille quidem ingens, maximuſque deprehenderetur, ſi diligenti & otioſo homini provinciam delegaſſes. Incipiam igitur, unde æquiſſimum eſt, à pietate & innocentia: in quibus omnis veræ virtutis columen ac ſtabilimentum poſitum eſt.

Romulum, Felicem, Syrum, & Genuenſes fuiſſe, & Genuenſis urbis Epiſcopos, liquet: qui præter vitæ ſanctitatem, ſingulareſque virtutes, D his etiam prodigiis claruere, ut intra beatorum agmina, & cœleſtis aulæ principes, digne annumerati ſint.

Deſiderins quoque natione Genuenſis divina diſpenſatione ex indocto agricola mox Lingonenſis Epiſcopus factus, & pro ſalute populi ſui martyrium paſſus, tanta ſanctitatis fama apud Lingones Galliarum populum, ex his, quos nunc Burgundiones appellamus, tamquam manifeſtis miraculis celebratur, ut par fere Apoſtolis habeatur.

Multos ſingulæ ſæpe virtutes claros orbi reddidere. In Simbaldum Fliſcum, enim, qui Innocentius IV. poſtea dictus eſt, ita omnes virtutes naturа congeſſiſſe videtur, ut neque omnes enumerare, E neque quid illi defuerit, invenire facile ſit. Singularis tamen prudentia, conſiliaque humanum ingenium tranſcendentia, viam illi non ad Pontificatum modo, ſed ad gloriam quoque paraverunt. Nam cum Fredericus II. aſtu ſimul ac viribus formidabilis, implacabili odio eccleſiam Dei perſequeretur, deſunctoque Pontifice Maximo nemo inveniretur, quem infeſtiſſimo hoſti digne opponerent, & ob id Romana Sedes aliquamdiu vacaſſet: admirabiles in homine virtutes effecerunt, ut omnium conſenſu Pontifex ereatur. Is cum animadverteret, omnes ſibi exitus præcluſos, Petri- F que naviculam maximis periculis objectam eſſe, triremes viginti etiam Genuæ parari curavit: qua claſſe Tiberim ingreſſa, ab Roma Genuam pervectus eſt, inde Lugdunum petens: atque [illegible] conventu totius Occidentis habito, qui etiam Regum quidam acceſſere, damnatum Fredericum abdicavit imperio, plurimum illi virium ſubtrahens: tantaque prudentia rebus conſuluit, ut Pontificatu ad ſolitam amplitudinem reſtituto, qui velut profugus Gallias petierat, velut triumphans in Italiam redierit.

Nec doctrina, bonarumque artium studia Genuensibus defuere. Nam & Joannes Balbus ordinis tui, inter cætera ab eo præclare scripta, laboriosum Opus, quod *Catholicon* vocari voluit, non sine laude perfecit. Et Simon Monachus ex Arabica lingua in Latinum sermonem multa convertit: adeo quidem docte & eleganter, ut si cum tollas, magna sane medicinæ pars suis velut instrumentis exarmari putetur. Ursus quoque haud inepto carmine plerasque execinit. Andaloncm, quem de Nigro vocant, multiplex certe doctrina, sed mathematicarum præcipue artium cognitio adeo commendat, ut haud ignobilis poeta Boccatius, nunc venerabilem, nunc præceptorem suum nominare non erubuerit. Horum tamen nemo Innocentium æquavit: qui eo quidem acumine scripsit, ut qui legunt, cæleste potius illi fuisse ingenium prædicent, quam humanum.

Bellicæ rei laude, maritimisque triumphis plurimi celebrantur: è quibus Obertus Aurius, præter hoc quod civitati sanctæ ac justæ præfuit, Pisanam classem, qui populus gloria rei bellicæ terra, marique pollebat, mira felicitate superavit. Aurius Lamba in sinu Illyrico bellum gerens devictæ jam prope Venetorum classe, cum nunciatum ei esset filium fortiter dimicantem cæsum fuisse: *Undis*, inquit, *cum commendate: nobilissima enim ipsi sepultura continget: quod pro patria strenue pugnantem, & jam victorem maria servabunt.* Paganus & ipse quoque Aurius eo memorabilior, quod cum Græcorum, Aragonensium, Venetorumque vires in unum contractas, haud procul à Chalcedone magna cæde fudisset, interjecto postea tempore eosdem Venetos sine cæde ac sanguine mari expugnavit, ac cepit. Nec Lucianus Aurius silentio prætereundus est, qui sinum Illyricum diu populatus, cum turpi nihilominus egestate omnis exercitus macerarctur, quotcunque illi erant, argentea pocula egentibus dedit. Postremo cum remigem fame laborantem, & ob id opem miserabilius petentem obvium habuisset, fibulam cinguli præcidit, & inopi dedit. Quibus artibus, & audientem imperio exercitum habuit, & pari triremium numero cum hoste congressus egregia victoria potitus est.

Nicolai Spinulæ facinus eo clarius fuit, quod qui impar hosti viribus erat, pro viribus artem reperit, qua superior fieret. Nam cum cerneret classem Venetam numero triremium longe præstare, suis in unum contractis jussit multarum transtra convelli: hisque inter sese colligatis effecit, ut ærea, campusque verius quam multitudo navium videretur. Illas deinde in fronte collocans ad hostium impetus excipiendos, & fugam simulans, venientes sine ordine Venetos, & paucitatem illam Nicolai contemnentes, ita clusit, ut priores ante expugnaverit, quam posteriores opem suis ferre potuerint. Hac igitur arte profligatis hostibus, & supra viginti triremibus captis, parva admodum suorum cæde nobilem victoriam consecutus est.

Sed horum omnium gloria (& reliqua mortalium opera) paulatim consenescet. Gulielmi Embriaci nomen sacra paropsis aboleri non sinet. Fuit vir ille non animi tantum magnitudine, sed quadam insuper expugnandarum urbium peritia apprime præditus. Itaque cum exercitus Christiani Palæstinam pervagarentur, & oppugnare Cæsaream urbem tunc munitissimam statuissent, Gulielmus, qui Genuensi classi præerat, primus omnium mœnia conscendit, intraque urbem primus penetravit. Quamobrem capta civitate, optio præmiorum ut sortissimo ipsi delata est. Ille vasculum Smaragdinum, quod nunc in Divi Laurentii sacrario magna veneratione servamus, omnibus spoliis antepo- A suit, nobilisque victoriæ monumentum Genuam pertulit.

Scio equidem robur ac prævalidas vires inter bona corporis, non inter virtutes annumerari: quam ob causam nulla mihi cura fuit eos referre, qui hac ratione famam sibi pepererunt. Duo tamen exempla ideo subjiciam: qui non tantum corporis robur, sed & animum quoque repsiciunt. Cum Francorum Rex Carolus secundus adversus Philippum Artavelium, Flandriamque rebellantem arma sumpsisset, comparato validissimo exercitu ad id flumen pervenit, quod fines regni, Flandriamque dissterminat. Tenebat ulteriorem ripam Philippus instructas acies ostentans: cui satis erat à transitu fluminis Regem arcere. Cum uterque exercitus aliquandiu immotus suas, hostisque vires conspicatus fuisset, nec inveniretur, qui superare flumen auderet: Nicolaus Janus, ut invicti roboris, ita interriti animi juvenis, tribus tantum sagittariis adsumptis, primus omnium flumen trajecit. Qua hominis fiducia terrefactus Philippus sensim pedem retulit: ac trajiciendi exercitus Regi facultatem dedit. Hoc Nicolao longe robustior fuisse perhibetur Paulus Sylvester, ut vulgus loquitur, Salvaticus, qui Rege judice equo egregio magnitudine virium prælatus est. Nam cum Petrus ulterioris Hispaniæ Rex, inter custodes corporis Paulum haberet, memoriæ proditum est, Regem ad rapidi fluminis ripas devenisse, equoque fluvium intrare non susum desiluisse, Paulique humeris, quam fonipedis dorso, deportari maluisse. Mira hominis fiducia, qui nobilissimum Regem gestans, non extimuerit ei periculo se atque illum simul objicere: cui devitando ne jumenti quidem vires satis esse putabantur.

Magnam majoribus nostris justitiæ curam fuisse, cum multa alia declarant, tum Pera, Caphaque ignobilia quondam tuguria, nunc opulentarum urbium claritatem æquantes, testimonio sunt: quæ profecto nunquam ad id amplitudinis contendissent, nisi justum illis imperium contigisset. Neque ego nunc enumcrandos puto singulos præsides, qui cum his aliisque urbibus præfuissent, singulare aliquod justitiæ documentum ediderc. Paucis etenim memoratis reliquorum licebit innocentiam, integritatemque cognoscere. Simon Vignosus, cum perdomita insula Chium urbem obsideret, edixerat, ut si quis in vincis, aut pomariis invito domino deprehenderetur, virgis cæderetur. Cum agrestes ignari quisnam esset, Francisci um filium ejus adolescentem in vineis inventum patri obtulissent, nullis precibus exorari potuit, quin natum uvis à collo pendentibus, flagris cædi justerit. Idem moriens testamento legavit aureos quingentos inter egenas virgines Chias, viro tradendas, in dotis auxilium distribuendos: tanti arbitratus ea damna, quæ indigne agrestibus intulisset. Maluit vir ille patriæ charitatis oblitus, se justum imperatorem, quam indulgentem patrem videri.

Matthæus Maruffus belli, pacisque artibus æque memorabilis, cum præfes Famaugustæ defignatus esset, audiens eam civitatem furtis, rapinisque patere: urbem ingressus omnia deteriore etiam loco posita comperit. Igitur nec præfecto vigilum, nec alii satis credens, ipse noctu obire civitatem cœpit, eo quidem cultu, utagnosci non posset: tum, ut quemque obvium haberet, percontari, quo iter intenderet, quave causa inepto tempore circumvagaretur. Suspectos cruciatus, convictos supplicium sequebatur. Pauculis diebus adeo valuit severitas regentis, ut plenæ preciosis mercibus stationes sine ullo custode etiam noctu relinquerentur. Purgata hoc modo civitate, unus supererat fur insignis ex eorum numero, qui nocturnas excubias in mœnibus agebant. In eum cum sæpenumero insidias, artesque parasset, & ille innoxias manus servans

omnes

omnes ejuſmodi dolos cautus falleret: Matthæus poſtremo haud ignobile pallium penes eum dormientem abjecit, ratus fore, ut ille excitatus pallium aſportaret. At ille ſomno excuſſo, ut ante pedes ſuos abjectam veſtem conſpexit, pauliſper dubitabundus, ac deliberanti ſimilis, exclamavit: *Quid me tetas, Matthæ, tentas?* ac pallium ſuo loco reliquit.

Illud quoque multorum ſermonibus celebratum fuit: quod dum mercator quidam Perſa Capham veniſſet, fericum, gemmas, aliaſque precioſas merces ſecum afferens, incautoque omnia fraude ſublata fuiſſent: ille inſano ſimilis urbem obire, exclamare, Deûm atque hominum fidem invocare, omnia fletu, querelisque replere. At Hieronymus Juſtinianus Conſul id crimen non ſine ſui dedecore latere poſſe ratus, adhibita rebus diligentia, furtum detexit: & vocato ad ſe in prætorium Perſæ omnia cum fide reddidit. Tum ille ad domum reverſus, ex lectiſſimis mercibus ingentia dona ferens, oſculari pedes, gratias agere, eumque juſtiſſimum prædicare: ut vero Conſulem aſpernantem munera vidit, ſeque non ſine magna mercede à Genua Capham uſque miſſum eſſe affirmantem, ut eum, reliquoſque ab injuria tueretur, tam demum in admirationem hominis converſus, exclamare, eam vere urbem templum eſſe juſtitiæ, & qui eam regerent, vere dignos, qui orbi imperarent. Nam ſi quid in patria tale ſibi accidiſſet, plus in dominum ex recuperato furto, quam in ſe, perventurum fuiſſe.

Nec matronalis pudicitiæ curam illi unquam populo majorem fuiſſe crediderim: cujus rei certiſſimum argumentum habeo, quod nullæ unquam urbes, quantumvis injuſtæ ac odioſæ, expugnatæ à Genuenſibus inveniuntur, in quibus pudicitia mulebris ſummo ſtudio conſervata non ſit. Duo tantum ejus rei, longe tamen diverſa exempla ſubjiciam. Salagrus à Nigro, non is, quem ætas noſtra vidit, ſed ille antiquior maritimarum rerum gloria inſignis, cum decem triremibus præeſſet, quatuorque Aragonenſium onerarias navea expugnaret, & æſtu ac labore feſſi ſocii eſurire ſe ac ſitire clamarent, reſpondit, neque panem, neque aquam jam ſibi ſupereſſe: juſſiſſe enim, ut hæc omnia in mare abjicerentur. Itaque ſi famem, ſitimque explere velint, expugnandas eſſe hoſtium naves, quæ rerum omnium copia refertæ eſſent. Tantumque valuit ſeveritas ac pertinacia Ducis, ut naves ſumma obſtinatione defenſæ, quæ multos procerea cum liberis & conjugibus domum repetentes vehebant, captæ tamen ſint. Parta victoria, primum omnium edixit, ut mulieres omnes inviolatæ ſervarentur: majuſque ipſi tuendi pudoris, quam prædæ, ſtudium fuit. Contractis in unum fœminis, ac præpoſitis illis cuſtodibus, dum quæ-nam ſingulæ eſſent, percontatur, forte compent ex proceribus unum, quam unice amabat, uxorem mœſtum ac lacrymantem jugulaſſe, veritum, ne ſi mulier eleganti forma in manus hoſtium deveniſſet, captivo corpori illuderetur. Salagrus ira concitus, quod illa de ſe, deque Genuenſibus tam male concepiſſet, homicidæ caput auferri juſſit: mulieresque intactas in terra expoſuit.

Sed Salagrus ipſe legem, moreſque Genuenſium ſancte quidem, ſed nullo ſane ſapius amore ſervavit. At Lichinus Vinaldos vir divitiis & claritate generis inter primores civitatis non poſterior, non cum alienigenis, ſed ſecum ipſe, & cum amore bellum geſſiſſe videri poteſt. Nam cum egregia forma matronam deperiret, eique multos annos importunus fuiſſet, & illa non in decore, ſed in pudicitia fœmineam laudem poſitam eſſe ſciens, nunquam in eum oculos deflexiſſet, forte evenit, ut ejus Sardiniæ captivus in vinculis aſſervaretur.

Illa cum nec viro ferre opem, nec parvos ultra liberos alere poſſet, poſt egeſtatem diutius toleratam, juvenem ad ſe vocatum domi excepit; ejuſque genibus advoluta: *Statueram*, inquit, *animo, pudorem, fidemque, quam viro debeo, ad extremum uſque vita ſine labe tueri. At quoniam egeſtate premente extrema omnia cum his liberis perpeſſa ſum, vita malis, me, corpuſque, ac famam arbitrio tuo committo. Tu eſurientium miſerere.* Ille dudum mentem caſtam, & nunc in perferenda calamitate fortem admiratus: *Bonam*, inquit, *animam ſume: neque enim patiar, ut quam amantis blanditia pellucere nequiverunt, ſævitia fortuna adulteram faciat:* omniſque impudici amoris oblitus ad uxorem convolat, & quæ geſta erant, refert omnia, utque mulier innocens ab omni quoque ſuſpicione præſervaretur, triticum, vinum, pecunias, neminem præter uxorem ad eam ferre voluit. Exque impugnatore defenſor caſtitatis ejus factus eſt.

Multos acceptas injurias æquo animo tuliſſe memoriæ proditum: nec ſecula quoque noſtra adeo virtutum infœcunda fuere, ut hæc æquitas animi in pleriſque ſpectata non ſit.

Verum cum alia ratio eorum ſit, qui ad Deum omnia referentes non injuriarum modo obliviſcuntur, ſed acceptis etiam gaudent, exſpectantes ab eo manſuetudinis ſuæ præmia, qui relictæ ſibi ultionis retributionem pollicitus eſt: alia eorum, qui naturalem quandam juſtitiam ſequuntur: non dubitabo exemplum illud referre, quod propter ipſam quoque novitatem rei, ætas noſtra ſæpe laudavit. Antonius Juſtinianus, equeſtris ordinis vir, genere, opibus, clarus, cum in diſtributione publici tributi inſignem ſe accepiſſe injuriam arbitraretur, haud aliter ſe domi continebat, quam ſi aliquem domeſticorum lugeret. Ad quem conſolandum cum Lucianus Spinula, vir præter ſplendorem generis lenitate quoadam & auctoritate nemini cedens, veniſſet: *Oro*, inquit, *Antoni, ne hanc injuriam iniquo animo feras.* Id cum longo ſermone bis, terque iteraſſet, Antonius non ſine ſtomacho: *Cupio*, ait, *ex te, Luciane, prædiſcere, qua tu æquanimitate injurias ferre ſoleas.* At ille nihil permotus: *Cogito*, inquit, *aut me ignarum, aut ignarum aliquando injurias dediſſe: ac velut dandi, accipiendique vicciſſitudo ſit, illatis acceptas compenſo.*

Mirabitur aliquis, idque non immerito, cum egregii Duces Genuenſi populo præfuerint, cur eorum neminem attigerim: præſertim cum ex iis alii inſigni quodam amore in patriam, alii prudentia, quidam juſtitia, vitæque integritate, alu ſingulari quadam moderatione præditi digne laudari mereantur: indignumque ſit eorum nomina devitare, qui pro amplitudine patriæ, neque labores, neque pericula ipſi devitarint. Ego ſane haud ignarus ſum, uberem mihi ſcribendi materiam ſubtrahi, dum viventium judicium reformido: qui vel infenſi principibus, vel beneficiis obnoxii, veras laudes parum æquis auribus accepturi ſorent: nec judicium, ſed affectum vocarent, aliorum virtutes referri, alios ſilentio præteriri. Quam ob cauſam ſeponendi mihi omnes erunt: ne ſuſpecta ſcribentis fides famæ eorum quoque, quos memorabimus, aliquid officiat.

Nec eos mihi referendos putavi, quos dignitates illuſtravere. Nam ſi horum quoque nomina poſteris commendanda ſorent, quis neſcit Othobonum Fliſcum, quem poſtea factum Pontificem, Hadrianum vocavere, res maximas inchoaſſe, quas immatura morte præreptus explere non potuit? Joannes, Lucas, Ludovicus, Fliſci, Cardinales, magna rerum geſtarum fama in noſtram uſque ætatem celebrantur. Brancæ Aurio ſenioni, & huic quoque poſteriori, quem regnantem vidimus, imperio poſſeſſa Sardinia, & opes prope incredibiles, cla-

claritatem nominis attulerunt. Quid Grimaldos, quid Spinulas eloquar? quid Campofregoſos? quid Buccanigras? Zacharias quoque, & Gatilufios? quos vel collatæ à Regibus dignitates, vel adjectæ imperio urbes, aut inſignes victoriæ, non ſine ratione nobilitavere? Quos quidem omnes miſſos facio: non quod illis præclaras defuiſſe virtutes putem, ſed quod ſcriptorum negligentia ea, quæ vera ſunt, animi bona parum perſecuta eſt.

Cum igitur non tam eos, quibus dignitates, opes, honores contigerunt, laudibus efferri deceat, quam qui honeſte illis uſi ſunt, ſcriptoribus imputo: quod viros memoria digniſſimos ſubripuerint mihi. Unum tamen divitiarum exemplum, quod ut minus ſplendoris, ita veræ, ſolidæque virtutis plus habuit, prætereundum mihi nequaquam putavi. Franciſcus Vinaldus, omnium qui ſunt, quA que fuerunt, Genuenſium divitias ſupergreſſus, eam cunctis in rebus moderationem tenuit, ut immenſæ opes, & privati hominis modum excedentes, nemini unquam injuriam intulerint, nullius oculis moleſtæ fuerint. Habitavit ædibus, neque ſordidis, neque invidendis, victu parco, cultu parciore contentus. Ancillarum, famulorumque tantum illi fuit, quantum mediocris fortunæ homini ſatis eſſe ſolet. In hoc tenore vitæ uſque ad extremum ſenium perſeverans, adeo caruit invidia, ut neminem unquam ipſi inimicum fuiſſe deprehenſum ſit. Et ne quis hanc hominis moderationem tenacitatem ſuſpicetur, hic ille Franciſcus B eſt, qui id aurum patriæ largitus eſt, ex cujus fructibus publica debita, quæ *Capitula* vulgo dicimus, quotannis minuuntur.

FINIS.

GAVDENTII MERVLAE
DE
GALLORVM CISALPINORVM
ANTIQVITATE AC ORIGINE
LIBRI III.

Novis Annotationibus expoliti & aucti.

DECVRIONIBVS MEDIOLANI

ANTONIVS ANTONIANVS

S. D.

PLANE ita contigit, ut ſperabam, cum hos primo Gaudentii Merulæ de antiquitate Ciſalpinæ Galliæ libros imprimendos curavi: amant opus omnes, in manibus habent, fovent, oſculantur, nec ullum finem faciunt celebrandi. Res ipſa magnopere placet, varietas capit, tenet oratio. Quid pergo? quicquid eſt, eruditio eſt, elegantia, ſuavitas, atque in noſtram, quam mire deſcribit, provinciam; & provinciæ caput, quam veriſſimis laudibus ornat, Mediolanenſem urbem; ac urbis denique antiquiſſimas aliquot familias, quas vel illuſtrat non ita notas, vel notas decorat, amor, & obſervantia. Eſt igitur cur ipſe mihi vehementer gaudeam, quod eam, quam animo ſpem conceperam, comprobarit eventus; & ab urbe noſtra non mediocrem gratiam inierim, dum optimi Auctoris totos in ipſius & Provinciæ noſtræ laudibus poſitos labores novorum typorum beneficio ab ignoratione hominum propemodum vindico. Sed habebunt qui eo me nomine diligent, cur in poſterum ament in ſumma iterum operis inopia, parique cupiditate idem quod antea, beneficium præſtantem; verum iis auctum bonis, quæ eum videbunt ſtudioſi non contemnenda putabunt. Cur autem opus veſtro inſignitum nomine DECVRIONES in lucem voluerim prodire, ineptiſſime faciam, ſi pluribus oſtendam. Quid enim? referam laudes univerſorum, prædicem ſingulorum? dicam quanta ſit familiarum nobilitas, quanta præſtantia virtutum? addam prudentiam, liberalitatem, juſtitiam in omni munere veſtram? addam ſingularem, nec ullis talis unquam laudibus celebratam in iſta regendæ urbis provincia pari cum integritate & continentia conjunctam vigilantiam; & hæc ita ſunt omnia in oculis, in linguis poſita civitatis, ut quot illa homines, tot vos habere videamini laudatores. Omittam igitur, quæ non neceſſario commemorarem: & ſi quam me copiunt homines nuncupati nobis operis rationem afferre, illud intelligant, nullas me quidem non habuiſſe, cur nuncuparem; in iis tamen ſingulari meæ in vos obſervantiæ, quæ diu latere non poterat, in primis fuiſſe obſequutum.

CA-

CATALOGVS DECVRIONVM MEDIOLANI.

PRINCIVALLIS MONTIVS J. C. VICARIVS.
JOSEPHVS ARCHINTVS J. C. L. TENENS REG.
HORATIVS CRVCEJVS J. C. } ASSESSORES.
M. ANTONIVS TONSVS J. C. }
LVDOVICVS SEPTALIVS PHYSICVS.
P. CAMILLVS MARLIANVS COMES.
P. AEMILIVS CAMBALOYTA.
CHRISTOPHORVS RIPA.
CORIOLANVS VICECOMES.
A. MARIA ALIFER.
CHRISTOPHORVS ASSANDER.
DOMINIO CATIA.
OCTAVIANVS DVGNANVS EQVES.
CHRISTOPHORVS BESVTIVS.

INDEX CAPITVM.

Libri I.

Cap. I. *De Galliarum divisione, & circumadjacentibus regionibus.*
II. *De populis Galliæ Citerioris, ejusque divisione.*
III. *De Insubribus populis, eorumque origine.*
IV. *De Familiis Insubrum & antiquissimis & clarissimis.*
V. *De Vicis nonnullis, qui in Mediolanensi sunt agro.*
VI. *De Orobiis populis, qui ad Insubres attinent.*
VII. *De cæteris Insubribus.*
VIII. *De Orobiis cæteris, qui ad Insubres minime pertinent.*
IX. *De Cenomanis.*
X. *De Venetis.*

Libri II.

Cap. I. *Cisalpina Gallia compendiosa descriptio.*
II. *De Bojis populis.*
III. *De Gessatis populis.*
IV. *De Senonibus populis.*
V. *De Alpibus.*
VI. *De maritimis Alpibus.*
VII. *De Cottiis Alpibus.*
VIII. *De saltu Julia Alpis.*
IX. *De Grajis Alpibus, quæ & Graiæ dicuntur ab aliquibus.*
X. *De Penninis Alpibus.*
XI. *De Summis Alpibus.*
XII. *De Leopontiis Alpibus.*
XIII. *De Rhæticis Alpibus.*
XIV. *De Tridentinis, Juliis, & Carnicis Alpibus.*
XV. *De nonnullis fluminibus & lacubus Cisalpinæ Galliæ.*
XVI. *De Lario lacu, Adduæ, & aliis fluctibus Alpinis.*
XVII. *De reliquis Cisalpinæ Galliæ lacubus, & fluviis, ex Alpibus in Padum influentibus.*
XVIII. *Cispadanam Galliam quæ flumina alluant.*
XIX. *De translatione dignitatis coronandi Imperatores à Mediolanensibus ad Moguntinos municipes.*

Libri III.

Cap. I. *Celtæ, Galli, & Galatæ cur dicti?*
II. *Insubres unde dicti?*
III. *De Cenomanorum origine.*
IV. *Gallus quid significat, præter omnium opinionem?*
V. *In Judæos invectio: de Longobardis & Gothis historia.*
VI. *De moribus Cisalpinorum Gallorum.*
VII. *Quibus edulibus & rebus abundet Cisalpina Gallia?*
VIII. *De Lapidicinis.*
IX. *De Euripis duobus, è quibus unus à Ticino, alter ab Adduâ Mediolanum defluentur.*
X. *De idiomate Gallorum antiquissimo.*
XI. *De magnificentia Mediolanensis Urbis, deque nonnullis festis dignissimis Gallorum Cisalpinorum gestis.*
XII. *De origine Urbis Mediolanensis.*
XIII. *De situ Urbis Mediolanensis.*
XIV. *De opibus & potentia Mediolanensium.*
XV. *De nobilitate conditorum.*
XVI. *De dignitate Urbis Mediolanensis.*
XVII. *De navali pugna inter Venetos & Mediolanenses sub Cremona.*
Querela apologetica.

GAVDENTII MERVLAE
DE
GALLORVM CISALPINORVM ANTIQVITATE AC ORIGINE
LIBER I.

VOLAVERANT ab urbe, velut à cavea, viri cum auctoritate & moribus, tum literis & beatiſſima ingenii ubertate conſpicui, ad genialca ruris delitias: quorum ſingula nomina ſi enumerare contenderem, in longum nimis noſtra protraheretur oratio. Sat fuerit igitur è plurimis paucos admodum recenſuiſſe: è quibus primas partes Bonaventura & Nicolaus Caſtillionci tenebant, quod eſſent miro & animi & eruditionis candore. Aderat quin etiam Benedictus Jovius, antiquitatum mirus obſervator. Ad cujus dexteram Baptiſta Landulphus, & Blaſius Phyletus aſſederant, quales (Dii boni!) phyſici? Illuc quoque conceſſerant juvenes nonnulli Ciceronianarum elegantiarum ſectatores, Hortenſius Appianus, L. Annibal Crucejus, & Petrus Franciſcus Buſca: qui relicto Patavio & Bononia, Ticinum venerant ad ingenii cultum ſub Andrea Alciato. Qui cum ſe mutuo ſalutaſſent, inquit Phyletus, Cur non ſeſſum imus ſub umbram aliquam, quæ huic noſtro ſit non importuna ſermoni, donec Socratea noſter Alciatus acceſſerit: *ne dies* (quod ajunt pictores) *alla tranſeat ſine linea:* tum ne ſopor, qui à prandio, ut Plautus atteſtatur, non perbonus eſt, nos opprimat. Cum hoc conſilium omnes approbaſſent, ſub opacitate ilicis annoſæ propter decurſum gelidi fontis deceſſum eſt. Hic Hortenſius, Quantum nunc ſorti gratuler meæ, inquit, ne cogitari, ne dici quidem poteſt: cum hic ſere (ut dicitur) *hominum præſtantiam in ſinu teneam.* Dii boni, quando ex hoc beneficio vobis relaturus ſum gratias, qui huc adduxiſtis lumina totius Ciſalpinæ Galliæ florentiſſima? Utinam, Landulphus ait, veræ eſſent, (de me tantum loquor) quas enumeraſti, laudes. Verum cum ingenioli mei vires ipſe perpendo, puto hoc à te dici ex abundantia amoris quadam, qua optimos quoſque proſequeris, ut etiam laudatu apud te digna ſint ea, quæ furtaſſe plures agnoſcunt minus. Tum Bonaventura, Hæ planæ, inquit, (pace tamen dicam veſtra) pueriles videntur exercitationes mihi: dicatur tandem aliquid, quod veſtra exſpectatione ſit dignum. Hic tacentibus reliquis, inquit Landulphus, Non conſule, ſed dictatore opus eſt. Imo, inquit Caſtillioneus, Phalaride ad hanc pertinaciam evincendam. Eligatur igitur, inquit Crucejus, ex communi conſenſu tyrannus, qui habeat in nos merum imperium. Placuit id conſilii omnibus. Ductis itaque ſortibus, Landulpho ceſſit tyrannica poteſtas: qui ſtatim Phyletum elegit vicarium ſibi: judices extraordinarios Bonaventuram, & Petrum Franciſcum Buſcam: qui rebelles caſtigaret, Hortenſium. His peractis deſcidit Landulphus in eminentiore viridantis herbæ tumulo, & penes eum Phyletus: & cum graminea ſibi quiſque torum feciſſet in herba, inquit Caſtillioneus: Quando à nobis conſtitutus ſis princeps hodiernus, fortuna multo magis nunc tibi, Landulphe, formidanda eſt: feriunt enim ſummos fulmina montes, *Corpora morbis majora patent.* Memento igitur humanitatis, nec te fugiant exempla crudelitatis exſtinctæ. Non pepercit fratri Thymeleon: ſi Julius ſueris Cæſar, invenies Brutum & Caſſium. Nollem, Landulphe, tamen hæc dicta à me putes, vel ut admonitor accedam, vel ut ſevere minus tuo imperio utaris, ſed ut humanæ conditionis ſis memor. Tunc ſubridens Landulphus, Caſtillionee, inquit, hanc ita poteſtatem exercebo, ut non tyrannum me, ſed patremfamilias experturi ſitis: nec tyrannicum illud, *Oderint, dum metuant,* unquam ſentietis: vos tamen obſecro, ut filios, non ſubditos agnoſcam: nam ſi vos, quales exopto, reperero, me quoque, qualem exoptatis, facile invenietis. Age igitur, inquit Caſtillioneus, ut & principem te, & patrem cognoſcamus. Tunc Landulphus, Nicolae Caſtillionee, inquit, pro tua, quæ ſemper celeberrima fuit, humanitate hic antiquitatem Ciſalpinæ Galliæ, quam fere auctores omnes & Græci & Latini intactam reliquere, nobis expone: ut intelligat debere ſe tibi plurimum poſteritas. Tametſi ſoccus ad cothurnum non aſcendat, inquit Caſtillioneus, conabor tamen pro viribus injunctum onus abſolvere: Vos interim omnes oratos volo, ne has ambages meas circumſetatis: nam hac in re non omnibus dormio: ad hæc ſi quæ frigidæ dictiones exciderint, aut leves ſententiæ, tyrannici ſpiritus importunitati adſcribatis, non autem mihi. Verum ne quandoque parturiant montes, & naſcatur ridiculus mus, dum pauca dico, precor attendite.

CAP. I.
De Galliarum diviſione, & circumadjacentibus regionibus.

ANTEQVAM ſitum Ciſalpinæ Galliæ dicere aggrediar, res poſtulare videtur, Gallarum ſitum paucis exponere, & eas gentes, quæ finitimæ ſunt. Sed quæ loca, & nationes ob intenſiſſima frigora, & aſſiduam fere noctem & diem, item ob vaſtitatem ſolitudinis minus frequentata ſunt, de his haud facile compertum narraverim: cætera quam pauciſs abſolvam. Gallia omnis duplex eſt, Tranſalpina videlicet, & Ciſalpina, quæ nobis Deorum munere conceſſa eſt. Illa rurſus ex deſcriptione C. Cæſaris triplex eſt, Belgica, Celtica, & Aquitanica. Celtas ab Aquitanis Garumna flumen, à Celtis Belgas Matrona & Sequana dividunt: & hos à Germanis Rhenus. Sic quinque metis finitur, Rheno, Alpibus, Mediterraneo mari, Pyrenæis montibus, & Oceano. Ab Oriente enim Gallias, à Germania Rhenus, à citeriori Alpium crepidines immenſæ diſpartiunt: Mediterraneum mare inter illas & Africam fluit: Ab Occaſu

Pyre-


H E L
Veragri.
Salassi.
Cottii.
Regnum.
Alpes Cottiæ.
Vagienni.
Alpes
Maritimæ
Vediantii.
Intemelii.
CIS-
MAXIMÆ LIG
Vicinorum
ex Veteri

Pyrenæis collibus ab Hiſpania ſecluduntur? Inter Occaſum & Septentrionem Oceano quoque alluuntur. Ad Alpes jacent Allobroges, Helvetii, qui ad Celtas rejiciuntur. Secus littus Mediterranei freti porrigitur Brachata Gallia, quæ poſtea Narbonenſis eſt dicta à Narbona colonia: quo in tractu Forum Julii colonia eſt, & Maſſilia à Phocenſibus condita: de cujus inſtitutis & moribus ita refert M. Tullius in *Flacciana Oratione: Neque vero te, Maſſilia, præterto, quæ L. Flaccum militem, quæſtoremque cognoſti. Cujus ego civitatis diſciplinam, atque gravitatem non ſolum Græcia, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam jure: quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis, linguaque diviſa, cum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus barbaris fluctibus alluatur, ſic optimatum conſilio gubernatur, ut omnes ejus inſtituta laudare facilius poſſint, quam amulari.*

Tunc Buſca, contracta fere fronte, Caſtillionee, inquit, niſi tua nimis ad Maſſiliæ laudes feſtinaſſet oratio, non te audiviſſem, quod Helvetios ad Celtas rejiceris.

Facit hoc, inquit Caſtillioneus, C. Cæſaris auctoritas, qui de Helvetiis ſcribens, ait*: *Qua de cauſa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt: quod fere quotidianis præliis cum Germanis contendant: cum aut ſuis finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt.* Cornelius præterea Tacitus †: *Irritaverant*, inquit, *turbidum ingenium Helvetii Gallica gens.* Sed redeo ad Gallos, à quibus me, Buſca, protraxiſti. Sunt hi quidem omnes bellaces, & ſtudio Martis exardent: ſumptis armis, quam primum animorum fervent impetu, conſerendæ pugnæ alacritate impigri: alioqui ſimplices, & nulla morum malignitate degentes: idcircoirritati exaſperantur maxime, & pugnas ineunt *pro ſtipendiariis*: nullo tamen negotio fere placantur. Hæc noſtra tempeſtate ad diſciplinas maxime excoluere ingenia: & agrum habent frumenti præcipue & pabuli feracem, amœnum ſaltibus, venationibus, quibus maxime Galli oblectantur, idoneum, noxio animalium genere minime evitandum, fluminibus & fontibus irriguum, omnium denique ad uſum animantium fœtu beatiſſimum. Totius autem Galliæ longitudo eſt cccexx. mill. paſſ. latitudo vero ccexiii. mill. paſſ. non excedit. Gallias porro cingit Germania ab Oriente. Hæc à Pannoniis, Rhæticis jugis, & Danubio, à Sarmatis, Getiſque montibus, & mutuo metu finitur. Oceanus majore ex parte anni ibi ſæviſſimus cæteri (ut aliqui volunt) ambit. Verum hæc ætate deprehenſum eſt ſinus tantum eſſe, quos terra continens excipiat. Suetia enim & Norvegia cum Dacia conjunguntur: cui finitimi ſunt Lapones, fere ſub exordio Arctici Circuli: qui omnium gentium commercia adhuc evitant, Regi tamen Daciæ tributa dant annua. Sunt, ſi forte quæritis, Germani bellaciſſimi. Unde de his Virgilius inquit, *Georg.* lib. 1.

Armorum ſonitum toto Germania cælo
Audit.

Et infra:

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.

Facile Germani frigora ſuſtinent: & hyeme quam æſtate ad omnia belli ſunt præſtantiores. Bella autem cum finitimis nun avaritiæ, aut imperandi ſtudio tractant: ſed ut circum ſe vaſtæ ſint ſolitudines. Sunt hoſpitibus boni, & ſupplicibus mites. Dat Germania cryſtalli, ſuccini, ceruunii candidi, & viridis gallaci copiam. Germanico Cæſare, eum hyemaret exercitus Italorum in Germania, miræ virulentiæ fons repertus eſt, ex quo qui bibiſſet, deutium jacturam intra biennium, & genualium compaginum diſſolutionem ſubibat, ut ſtandi nulla facultas daretur. Huic peſti remedio eſſe herbam ſolam, quæ Britannica dicitur, compertum eſt. Habet item hæc regio Viſontem, mirabili pernicitate animal: & Uros fere forma tauri, quorum vis eſt & celeritas extra fidem. Alces ſimiles eſſent capris, niſi eſſent majores, pellibus variis, & cruribus ſine internodiis: idcirco ſi quo caſu concidunt, ſublevandi ſe nulla eſt poteſtas.

In Germania quoque ſylva eſt Hercynia, tantæ magnitudinis, ut in ea plures hoſtium exercitus commode caſtrametentur. In cujus meditullio planicies ſertiliſſima eſt: quam qui incolunt Cheruſci infidi ſunt, propter locorum cum ad inſidias, tum ad fugam idoneam opportunitatem. Ab his cum tribus legionibus deletus eſt Quintilius Varus. Tanta autem & ſic immenſa eſt ejus ſylvæ vaſtitas arborum, ut immortali ſorte fere poſita eſſe videatur. Manifeſtum eſt enim occurſantium inter ſe radicum repercuſſu colles elevari, aut ubi tellus non ſubſecuta ſit, arcus ad ramos uſque, & ipſos inter ſe rixantes curvari patentium portarum modo: ut erectis haſtilibus cum curribus, impedimentis, & tormentis bellicis copiæ ſine difficultate pertranſeant. Habet hic ſaltus Hercynius alites, quibus nuſquam gentium ſimiles reperiuntur. Harum enim volucrum pennæ per noctem ita emicant, & interlucent, ut ejus regionis homines plerunque nocturnos excurſus deſtinent, atque illis utantur ad præſidium itineris dirigendi: præjactis enim per opaca callium pinnulis rationem viæ plumarum refulgentium moderantur indicio. Fulgent & in obſcuro lampyrides: quarum fulgoris rationem Soſigenes eſt conatus adducere, ſcribens flammulenta animalia naturam ætheris habere, & quinti elementi portionem participare, & ea cognatione fieri, ut illucęſcant. Quod tantum id eveniat noctu, ub id dicit accidere, quod minus lumen à majore ſoleat obumbrari. Vemo nunc omnibus (quod ajunt) remis, veliſque in Citeriorem Galliam.

CAP. II.

De populis Galliæ Citerioris, ejuſque diviſione.

Inter Apenninum vero, & Alpes, & ſinum Adriaticum interjacens plantics Citerior Gallia nominatur: non Italiæ modo, verum & totius orbis Scriptorum omnium cum Latinorum, tum Græcorum ſuffragiis beatiſſima. Hanc rurſus bifariam dividimus, in Tranſpadanam videlicet, & Ciſpadanam. Tranſpadana ad Alpes extenditur, & ad Apeuninum Ciſpadana: fluiturque Pado, Rubicone, & Apennino, diciturque Togata Gallia, quod ejus tractus homines toga Romanorum paſſim uterentur.

Bis, inquit Crucejus, per loca illa circa Arimimum, mihi tranſitus evenit, nunquam tamen Rubiconem (quod ſciam) tranavi: quanquam diligens exſtiterim in inquirendu hoc tam celebri fluvio.

Ad hæc Caſtillioneus inquit, Rubicon non procul à Sarſinna, Plauti patria, fontes habet: vocaturque hæc ætate à circumvicinis populis materno idiomate *Alturrugum*, paulo inferius *Rugezum*, noviſſime non procul à ſinu, in quem influit, Adriatico, *Piſciatellum* ingreditur perduo millia juxta Ciſennam. Non eſt audiendus Vibius Sequeſter, qui Rubiconem putat eum eſſe fluvium, qui Varus appellatur inter Aviuionetum & Nicæam in extremis Liguriæ finibus. Nou eſt hoc loco ſilentio involvenda, quæ in ponte Rubiconis ſuit Inſcriptio: ut intelligant omnes, Gallos Ciſalpinos & Italos mutua concurdia fuiſſe disjunctos:

* *De Bello Gall.* lib. 1. ab initio.
† Lib. 1. *Hiſtor.* cap. LXVII.

IMP. MILES, TIRO, ARMATE QVISQVIS ES, HEIC SISTITO: VEXILLVM SINITO: ARMA DEPONITO: NEC CITRA HVNC AMNEM RVBICONIS SIGNA, ARMA, EXERCITVMVE TRADVCITO. SI QVIS ERGO ADVERSVS PRAECEPTA IERIT, FECERITVE, ADIVDICATVS HOSTIS ESTO P R. AC SI CONTRA PATRIAM ARMA TVLERIT, SACROSQ PENATES E PENETRALIBVS ASPORTAVERIT. SANCTIO PLEBISCITI S. VEC. VLTRA HOS FINES ARMA PROFERRE LICEAT NEMINI.

Baſim trianguli littus Adriatici maris efficit ab Arimino, ſive, ut vult Pomponius Mela, ab Ancona uſque ad Polam. Campi autem ſunt patentes, rerum omnium copia fœcundiſſimi. Qui ſic opimi ſunt & fertiles, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & abundantia earum rerum, quæ ad victum hominis ſpectant, & exportantur, facile omnibus terris antecellat. Medium Padus amnis ſecat, fluvius terrarum arbiter, & rerum diſcrimen, ut is demum cæteris imperet, qui ſub ſua poteſtate ſubjectum habeat Padum. Hoc cum Senatus Romanus aſpiceret, hinc Cremonam, illinc Placentiam colonias deduxit: quarum opportunitate gentem Ciſalpinorum Celtarum bellandi ſtudio inflammatam, & ad ſingula momenta rebellantem, à multis illatis, acceptiſque cladibus in amicitia continuit. Hunc fluvium Veſulus mons inter Alpina faſtigia eminentiſſimus emittit: & eum dicunt Ligures *Bendicum*, Tuſci *Bottgon*, hoc eſt, fundo carentem, Græci *Eridanum*, majores noſtri, hoc eſt, Ciſalpini Galli, *Padum*, à copia piceæ arboris, quæ eorum idiomate, ut auctor eſt Metrodorus Sceptius, *Padus* tunc appellabatur. Per fines Salaſſorum modico fluctu dilabitur: mox augetur à duabus Doriis & Morgo fluminibus per agrum Taurinorum. Fallitur hoc loco Plinius, qui ait *, *Padum extra pte ſibi nihil vendicare*: quando certum ſit ante Ticini & Abduæ ingreſſum plurimis in locis equo vadari poſſe. Ab Alexandria ad Vitellianum oppidum uſque, quod nunc *Viadanam* vocant, Carolus ejus nominis quintus Imperator obtinet: mox aquarum illuvione ſtagnantem Dux Mantuanus excipit: quem poſtmodum in ramos diviſim Ferrariæ Dux Hercules aſpicit: diſcurſuque ſuo in mare Adriaticum uſque Deltam facit.

Cæterum Græci ante Polybium, qui de hoc fluvio aliquid poſteritati tradidere, ubinam gentium ſit Eridanus maxime dubitarunt. Siquidem Strabo Eridanum nuſquam reperiri, aut inſulas electra ferentes, in quibus ſint aves Meleagrides, atteſtatur. Æſchylus in Iberia Eridanum eſſe prodidit, appellarique Rhodanum. Dii boni quas nugas? Apollonius Padum & Eridanum in Adriam confluere ſcripſit. Ex his Euripides ſcopum veritatis attigit, cum inquit: Κρᾶναι δ' ἵνα νύμφαι λιγυρὰν ἀδολωῆτ' ἀοιδὰν Ἠελιάδων ὀλοᾶς Ἠελιάδων δ' ὕδωρ ἵησι πορφύρεον πελάσαι ἐσ αἴθρην πυκνὰς νιφάδος πάρα Φαέθοντος αἴγλᾳ· αἱ δὲ χρυσοβαφῆ κόμαν Τὰς ἐλατροφόρους αὔρας †. Id eſt, *Delegebat uti-*

* *Hiſt. Natur.* lib. 111. cap. xvi.

† Hic locus ex *Hippol. Coron. v.* 735. & ſeq. non uno ac ſimplici modo corruptus, ſic emendandus.

Κρᾶναι δ' ἵνα νύμφαι λιγυρὰν ἀδολωῆτ' ἀοιδὰν
Τὰς Ἠελιάδων ὀλοᾶς,
Ἠελιάδων δ' ὕδωρ
Ἵησι πορφύρεον πελάσαι
Εἰς αἴθρην πυκνὰς νιφάδος
Εἰς αἴθρην πυκνὰς νιφάδος πάρα Φαέθοντος αἴγλᾳ,
Αἱ δὲ χρυσοβαφῆ κόμαν
Τὰς ἐλατροφόρους αὔρας.
Tollerent enim ſupra mortalium ſtultam
Adriatici littoris,
Eridanique aquam,
Ubi purpuream ſtillant

A *que in marinam undam Adriatici littoris Eridani aqua, ubi purpuream ſtillant ex undam patris miſera puella Phaethontis miſeratione lachrymarum electri lucidi ſplendores.* Cum igitur Græcorum pauci admodum ſciverint quonam in tractu ſit Padus *fluviorum* (ut inquit Poeta †) *rex*, non mirum, ſi tam diſſona, & inter ſe repugnantia ſcripſere. Hæcque faciliorem ignorati ſuccini veniam facit ignorantia. Ariſtoteles auctor (ut ſcitis) & graviſſimus, & eloquentiſſimus, penes Padum paludem quandam fuiſſe atteſtatur, calidis & dirum exhalantibus odorem aquis refertam, adeo ut ex eis nullum animal

B biberet: nec volucres ejus regionis ſupervolarent, quod in illam Mephitim deciderent. Paludis latitudinem denûm ſtadiorum, ambitum vero ducentorum exſtitiſſe idem ſcribit: circa autem marginem crebras fuiſſe & altiſſimas populos, quibus omnis Circumpadanus tractus abundat in memoriam Phaethontis, & ab iis lachrymas verno tempore diſtillantes inter aquas ejus paludis duriciem lapidis imbibere, quas poſtmodum loci illius accolæ per univerſam Italiam & Græciam collectas comportant, & venaleis habent. Illius vero è regiona (ſi eidem credimus) inſulæ, quas Græci Electrides vocant, exſtitere: has autem Padus longa ſeculo-

C rum intercapedine cœnoſa colluvie continenti appliquit. Ad has Dædalum cum filio Icaro Minoem fugientem, deveniſſe, ſunt ex Græcis qui ſcribant: & in illarum una æneam ſtatuam ſibi, & in altera ſtanneam filio erexiſſe: ſed ſuperveniemibus Pelaſgis ab inſulis Electridibus auſugiſſe in inſulam inter Sardum Siculumque pontum, quam ab Icaro ibi vita functo Icarum vocavit: & in ea poſt & ipſum extremum diem clauſiſſe. Non deſunt igitur qui putent in ea palude Phaethontem obruiſſe, & iccirco male etiam olere: certatim tamen cæteri Græcorum ſcriptores ajunt, in Pado temeritatis pœnas dediſſe: & quæ circa ſunt Padum populos ſuccinum emittere. Dioſcorides à nigra populo id diffluere, cadenſque in Padum durari, ac coire in lapidem precioſi generis: & idem fere ſcribit Paulus Ægineta. Solinus à Barbaris in Ciſalpinam Galliam ſuccinum primo deportatum dicit: & quod in ea Itali & Græci inſpexerint, ibi etiam ortum ſuccinum ſunt arbitrati, cum ſit certiſſimum non aquis illud, ſed ut cryſtallum vehementioribus frigoribus in Gleſſaria, quæ inſula eſt in Septentrionali

D Oceano, durari. *Germanico enim*, ut ipſe inquit, *Cæſare omnes Germaniæ oras ſcrutante comperta arbor eſt pinei generis, cujus medicale Autumni tempore ſuccino lachrymat.* Rude primo naſci affirmat, & corticoſum, mox ad expoſitionem incoqui adipe lacteatis ſuis. Pro ingenioli mei facultate conatus ſum vobis obſequi, non quod ſperarim omnino, ad amuſſim (quod ajunt) Topographiam hanc vobis

E aperire: præſertim cum parciſſima admodum apud Coſmographos hujus habeatur mentio. Nunc tuæ erunt humanitatis partes, princeps optime, vacationem dare huic meo labori: idque facturum te libentius ſpero, quando adeſſe videas hic viros longe me doctiores. Hæc cum dixiſſet Caſtillioneus, conticuit.

Tunc Landulphus, Quando, inquit, iſta merito vacatio debeatur tibi, non poſſum non eam tibi concedere, atque etiam gratias agere, qui ſic penſum humaniſſime tuum abſolveris. Nunc, Blaſi,

F ſitum & populos, qui primi ſunt ex Ulteriore Gallia in hanc Citeriorem venienti, declarabis: præſertim cum tu ſis ex Montecalerio, quod oppidum eſt licet in Apennino, non procul tamen ab Alpibus Coctiarum.

In aquam patris ter miſeræ
Puellæ, Phaethontis miſeratione, lacrymarum
Electri pellucidi ſplendores.

† Virgilius *Georg.* lib. 1. v. 482.

Cona-

Conabor, inquit Blaſius, manum ponere inalienam meſſem, fretus tua & horum humanitate: felicius tamen canonem Galeni aliquem impoſuiſſes mihi, ſi adagii illius, quo admonetur Sutor, *ne andeat ultra crepidam*, memor exſtitiſſes. Quando igitur referre pedem non liceat mihi, arenam ingredior. Primi inter Padum & Alpes ſunt Salaſſi, ut his ferme verbis atteſtatur Strabo *libro* quarto: *Contraria vero de parte Durias ſeſe immiſcet Pado per Salaſſet intra Alpes illabens Gallia.* Si ergo Durias, qui per agrum Taurinorum fluit, per Salaſſos illabitur, cum tractum, qui Pedamontanus hac tempeſtate nominatur, ad Salaſſos rejiciam: quorum ſunt urbes Mons Regalis, Auguſta Salaſſorum, Seguſinm, Auguſta Taurinorum: citra Padum Aſta eſt colonia Romanorum, Bobium, & Pollentia, quarum meminit his verſibus † Claudianus Poeta celeberrimus:

——— *nec plus Pollentia rebus*
Contulit Auſonitis, aut mœnia vindicis Aſta.

Erat autem Pollentia urbs olim eximia, inter Alexandriam & Aſtam, ad ripas Tanari: nunc pagus eſt exiguus. Pollentinas lanas his verbis Columella *lib.* VII. *cap.* II commendat: *Sunt etiam ſuapte natura pretio commendabiles pullus atque fuſcus, quos prebent, in Italia Pollentia, in Batica Corduba.* Volaterranus id municipium putavit eſſe, quæ Pallantia eſt in margine Verbani lacus: in cujus agro Cn. Plancumà M. Antonio triumviro & bello ſuperatum, & interfectum ſcribit. Ubi hæc Volaterranus expiſcatus ſit, viderint alii. Fuere Gotthi in Pollentino agro à Stilicone fortunatiſſimo prælio devicti: cujus victoriam Aurelius Prudentius * plurimis carminibus proſecutus eſt, è quibus hæc:

Tentavit Getieus nuper delere Tyrannus
Italiam, patrio veniens juratus ab Iſtro:
Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
Solvere, maſtrucis proceres veſtire togatos.
Jamque ruens Venetos turmis protiverat agros:
Et Ligurum vaſtarat opes & amœna profundi
Rura Padi, Tuſcumque ſolum victo amne premebat.
Depulit hos equitum nimbos non pervigil auſer
Proditor occulti tenebroſa nocte peracti:
Sed vis erudita virum, perfractaque congredientum
Pectora, nec trepidans animus ſuccumbere lesbo
Properat ira, & pulcram per vulnera quærere mortem.
Nunquid & ille dies fovet contulit auſpice tantum
Virtutis pretium? dux agminis imperiique
Chriſtipotens nobis juvenis fuit, & comes ejus,
Atque parens Stilico: Deus unus Chriſtus utrique.
Hujus adoratis altaribus, & cruce fronte
Inſcripta cecinere tubæ: prima haſta Dracones
Præcurrit, qua Chriſti aſpicem ſublimior effert:
Illic ter denis gens exſtabilis annis
Pannonia pœnas tandem doleta pependit.
Corpora famoſis olim data rapinis
In cumulos congeſta jacent: mirabere ſeris
Seclis poſteritas inhumata cadavera late,
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros. †
O celebranda mihi cunctis Pollentia ſeclis!
O meritum nomen, felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum, memorabile buſtum
Barbaræ: nam ſæpe locis ex ſimbus illis
Plena lacoſitu redit vindicta Quirino.

A Pollentia abeſt duobus fere millibus paſſ. vetuſtiſſimum Triennorum ſorum: quod hac ætate *Bertonorium* vocamus. In Alpibus Cottiis eſt Bobium: ad maritimas Alpes jacet Ceva, titulo Marchionatus illuſtre municipium: ex his locis oritur Tanarus. Fuere olim gentes iſtæ Salaſſorum (quanquam ex majoribus ſuis nunc habeant nihil) maxime bellaces. Ab eis D. Brutus cum Marcum Antonium ad Mutinam victum inſequeretur, interceptus eſt: nec prius dimiſſus, quam data virtim drachma. Meſſala quoque cum penes iſtos hyemaret, pro raptis à populatoribus lignis ad comburendum pretium pendere coactus eſt: & C. Cæſaris pecunias ſemel diripuerunt. Eos tamen Auguſtus Cæſar delevit: & qui ſuperfuerunt ad Hipporrhediam deportatos ſub corona venundedit. Auguſtam Taurinorum Pœnus Annibal delevit, cum in deditionem volentis venire nollet.

Salaſſos, quos Polybius Ἀσὶς appellat, Lebui Galli ſequuntur: quorum urbes ſunt Auguſta Prætorum in faucibus Grajarum, Pœninarumque: Hipporrhedia à Romanis condita verſuum Sibyllinorum juſſu. Has duas urbes Romani excoluere, quod ſubitas montanorum excurſiones reprimerent. Auguſtam enim Prætorum D. Cæſar ampliavit, additis tribus Rom. millibus. Mox ſunt Vercellæ ad ripas Sicciæ, quem Plinius Seſitem vocat. In quarum agro auriſodinæ fuerant patrum Rom. liberalitate ſublatæ, Italiæ viſceribus parcere jubentium. In hac urbe commoratus eſt D. Brutus cum egentiſſimis tironibus. Tycionum familia non tam antiqua, quam antiquiſſima, eſt apud Vercellenſes, quando ejus meminerit M. Tullius in *Epiſtolis ad D. Brutum.* Juxta Vercellas Caſtinus Joannis adulterini Imperatoris copiarum Dux, & ſuperatus, & captus eſt ab Ardaburio Orientis Præfecto ſub Valentiniano tertio. Tempeſtate Divi Hieronymi ſemideſerta erat urbs Vercellarum, & inter Liguſticas urbes ab eodem recenſetur. Conditam refert Plinius à Salis Libycorum. Sed animadvertendum, textum Plinianum mendis non vacare, quas vir oculatiſſimus Hermolaus Barbarus non vidit. Potius enim legerem *Lebuorum* cum T. Livio, aut cum Polybio *Libetiorum*, ſive *Lebetiorum*, quam Libycorum. Nec vos moveat lectio Ptolomæi, quando & ipſe eadem macula ſit inſperſus. Sunt autem Salii ultra Nicæam populi montes incolentes.

Decimo à Vercellis lapide Orientem verſus Novaria eſt urbs vetuſtiſſima: eam, ſi Plinio id referenti credimus, condidere Vocontii: tametſi Novarienſes fama, quæ plerunque vim teſtimoniorum habet, conditorem Herculem jactent. Nobilitata eſt ea civitas cum literarum, tum armorum viris illuſtribus: L. Albutium Silonem rhetores celebrant: qui ſub Piſone Mediolanenſium prætor fuit: & Romæ ſub Auguſto Cæſare Rhetoricen publice docuit, ut auctor eſt Suetonius: & Theologi Petrum Sententiarum magiſtrum: cujus vigilis omnis debebit, quæ Chriſtianum nomen profitebitur, poſteritas. Fuit & Dulcinus ex nobiliſſima Torniellorum familia, hæreſiarcha, in quem cum Clemens quintus Pontifex Romanæ Eccleſiæ animadvertendum cenſuiſſet, ipſe in Summas Alpes, quæ Novarienſi agro imminent, ſe cum ſectatoribus recepit. Quos crepidinum & altitudo & difficultas rutatæ fuiſſent, niſi ſuperveniens nix ſolito copioſior plurimam eorum partem & fame & frigore confeciſſet. Dulcinus Monachus cum Margarita conjuge in juſtitiæ poteſtatem decidere, qui perſiſtentes in, quam excitaverant, hæreſi inter cruciatus animam efflarunt. Ioventus eſt & Novarienſis alter hæreticus, cujus miram pertinaciam ad mortem uſque celebrat frater Baptiſta Mantuanus. Hoc evenit Novarienſibus propter nativum ingenii acumen. Novariæ cum eſſem, hanc in Pario marmore inſculptam memoriam legi: quæ cum non mediocrem antiquitatis fragrantiam maxime redoleret, hic adſcribendam cenſui:

TERENTIA Q. F. POSTVMINA SIBI
ET C. VETVRI LVCVMONIS VIRI
SVI

† *De* VI. *Conſ. Honorii*, *v.* 202.
* *Contra Symm.* lib. II.
‡ Hucuſque Prudentius; reliqua ſunt Claudiani, *de Bello Get.* ſub finem.

SVI ET C. VETVRI F. POSTVMINI F. SVI NOMINE BALINEVM ET LAVATIONEM SOLO PRIVATO GRATVITAM IN PERPETVVM DEDIT.

Hoc in elogio illud obſervatione dignum exiſtimavi, quod ubique *Poſtuminus* ſine ſtatili inſculptus eſt: quod iccirco Veteres factitarunt, aurium judicio conſulentes, propter pingue quoddam, quo & repletur, & dictio illa exaſperatur: habet enim aſpiratio medium inter conſonantem & vocalem gradum. Floret adhuc Novariæ vetuſta illa Albuciorum familia: cujus Mediolani videre licuit innumera monomenta, è quibus unum adjunxiſſe ſat fuerit, in Buleuterio veteri, qui locus eſt judiciis adſcriptus:

D. M. V. F. T. ALBVCIVS FIRMVS VI. VIR IVN. ALBVCILLI. T. C.

Catiorum Novarienſium familia, quod nuper effoſſum eſt Mediolani, quam vetuſta ſit, hoc mnemoſynon indicat: quod cum Baſim præſtaret & à fronte, & à tergo hiſdem notis inſcriptum legitur: quod hic ideo tanto libentius adnotavi, quanto in eo & illorum & Quadratorum præclara ſit mentio: quæ Voluſenum Quadratum à C. Julio celebratum habuit: & hinc conjectari poſſumus illum Inſubrem fuiſſe, quando horum opera plurimum Cæſar uteretur. Accipe igitur, Roche Quadrate, tuæ familiæ æternam memoriam, licet imperfectam:

L. L. QVADRATVS VI. VIR SENSIBI ET GRATAE L. ET C. CAECILIO C. L. MERKATORI AMICO ET T. CATIO T. L. EROT. AMICO.

Sunt in eadem urbe Porcii, ſola Catonum memoria celebres. Irrigatur paſſim Novarienſia agri maouaris foſſis, quibus copioſiori fluctu major eſt Maura, Sfore. Ducum opus memorabile: qui navium capax eſſet, niſi plurimo ſpatio celeriori curſu iotuentium oculos ſubterfugeret. Habet Novaria fere in ſuburbiis fluviolos miræ jucunditatis duos, Aconiam videlicet ab Occaſu, & Terduplum ab Ortu: qui ambo per Lacmellinum agrum ſe exonerant in Padum. In extremo agri Novarienſis margine municipium eſt, Forum Lebuorum, ſive Libetiorum, aut Lebetiorum, credibile eſt à majoribus noſtris vocatum. Hac ætate *Burgum Lavizarium* nominant: quod lebes vaſis ſit genus, ut ſcitis, ad obſonia coquenda: & ideo ad vernarum linguam deſcendens ſuperiorum temporum ignavia, ſive potius tabellionum infantia, Lavizarius dici pagus ille cœptus eſt. Floruit pluribus viris literarum politia illuſtribus, Domitio Calcato, & Jacobo Majeto, qui merito Latinæ ſirenes appellari poſſunt. Ibi quoque familiæ Merularum ſunt reliquæ: quæ quanto in honore fuerit apud Romanos, Vetetum declarant hiſtoriæ. Apud Inſubres etiam quantæ auctoritatis exſtiterit, marmoreus lapis in turri cognomento Imperatoris Mediolani hic ſatis oſtendit:

TREBIA C. F. FILVMENA SIBI ET L. TIVTIO MERVLAE VI. VIR III. VIR IV. VIR TESTAMENTO FIERI JVSSIT.

Hinc ad primum lapidem Syllævenium Syllanæ pietatis rarum profecto monumentum. A Foro Lebuorum rurſus ad ſolis occaſum, ad quintum vix lapidem, Rhaudium eſt, & qui adjacet campus Rhaudius appellatur, in quo C. Marius prælio fortunatiſſimo Cimbros delevit: & quod hoc in loco eſt oppidum, quibuſdam immutatis & additis literis, *Rhodobium* nominatur. Nec vos moveat L. Florus, qui Cimbros in Veronenſi planitie devictos commemorat. Argumento ſunt certiſſimo contra L. Florum Caſtra Mariana octavo à Novaria lapide ſecundum ripas Seſitis. Euſebius præterea, annalium diligentiſſimus obſervator, memoriæ prodidit, inter Padum & Alpes à Romanis Cimbros non longe ab urbe Vercellarum fuiſſe profligatos. Et idem ſcribit Plutarchus in *Vita C. Marii*.

Non interrupiſſem te, inquit Landulphus, Blaſi, ſi paulo diffuſius mihi declaraſſes, & Sallyum, & Vocontiorum ſirum: & qui Libyci ſint in Ciſalpina Gallia apud Ptol. Hos quoniam oe è domo quidem (quod ajunt) ut viderentur, eduxiſti.

Sallyes ſunt, inquit Blaſius, populi Narbonenſis Galliæ citra Rhodanum, quibus ab Occaſu oppoſiti ſunt Volcæ ultra Rhodanum, ubi is deltam facit. Blondus, cujus aliquando opinionem ſim ſecutus, Sallyes ponit in montibus, qui Nicææ imminent. Plinius *libro* (ni fallor) tertio Sallyes inter Ligures Tranſalpinos enumerat: nec decipitur, quando ea Galliæ pars, quam Bracharam vocant, aliàs ad Italos Ligures ſpectaret. Poſt Sallyes tenent Albieoſes & Albœci, ut auctor eſt Strabo *lib.* IV. mox Vocontii montana in Septentrionem vergentia, quorum regio ad Allobrogas uſque protenditur per profundas vallcis. Quorum præcipuus pagus olim fuit Vertacomatora. Cujus incolæ, ut vult Plinius, inter Ticioum & Seſitem Novariam condidere. Venio ad Libyeos, quos nuſquam Carolus Imperator in hac Ciſalpina Gallia reperit, ſed in Africa, cum expulſo Caradino Rubrobarbo, M. Turcæ archipirata celebratiſſimo, Tunetum prædæ expoſuit. Corruptam autem eſſe cum apud Ptol. tum apud Plinium dictionem, facilis eſt conjectura. Apud T. Livium *Lebous* legiſſe vos puto, quos Polybius *Lebetios* appellat.

Redeo nunc, quo citius vos expediam, ad penſum meum. Ad ripas Ticini Vergemmum eſt olim oppidum, ouoe Franciſci Sforciæ Ducis Inſubrum civitas. Qui hanc condiderint, legiſſe me nuſquam memini. Ante Gotthorum illuvionem, hujus ne mentio quidem (quod ipſe ſciam) facta eſt. Viglebanum Hermolaus Barbarus nominat. In Vergemoatum agro villa eſt Sforciaca, ab eodem his verſibus celebrata:

Vilis gleba fui: nunc ſum ditiſſima tellus:
Cur? quia Sforciadum me pia dextra colit.
Mutata eſt facies: mutavi nomina, vilis
Dicebar: dicor nunc ego Sforciaca.
Littavicus agros tulit hos: nec panitet eſſe,
Auctorem pacis convenit agricolam.

A Vergemino, ſive mavultis quoque vos Viglebanum dicere, propter decurſum Ticini Caſilinum vetus eſt, & novum verſus Septentrionem. His in locis formæ caſtrorum quadratæ adhuc viſuntur, quæ alii Annibalis caſtra eſſe contendunt, quod hoc in tractu erga patrem jamjam ab Annibale occidendum prima Scipio, cui poſtea Africano cognomen fuit, expetimenta certiſſima & pietatis & virtutis ediderit. Secundo aut paulo plus à Vergemino lapide verſus Meridiem ſunt Geminæ columnæ, municipium ſane vetuſtiſſimum, & ob venationes Principibus gratiſſimum: quod nunc *Gambalorum* vocatis. Habeo ſuper hac re, quo meam vobis opinionem probem, Ammianum Marcellinum libro, ſi tamen recte memini, decimo quinto: *Deinde*, inquit, *diebus paucis ex Helena Conſtantii ſorore eidem Cæſari conjugali fœdere copulata, paratiſque univerſis, qua maturitas proficiſcendi poſcebat, comitatu parvo ſaſorpto, Calend. Decembribus egreſſus eſt, deductuſque ab Auguſto adusque locum duabus columnis inſignem, quas Lacmellum interja-*

urjacet, & Ticinum, itineribus rectis Taurinum pervenit: ubi nuntio perculſus gravis, qui nuper in comitatum Auguſti perlatus de induſtria filebatur, ne parata deſtituerent. Poſtrema Lebetiorum urbs eſt • Lacmellum, ita enim eam cum Ammiano Marc. appellaviſſe placuit: non autem cum Ptolomæo *Ganmellam*, aut *Laumellum* cum Antonino Pio. Hoc tempore pagus eſt ſatis contractus, nec quicquam oſtentans antiquæ nobilitatis, præter nomen.

Hoc in loco Theodelinda, Garibaldi Regis filia, mulierum omnium ſuæ ætatis & morum ſanctitate, & animi & corporis dotibus præſtantiſſima, defuncto Chilitberto, ſive (ut aliis placet) Antbari Deiphonis filio, Longobardorum Rege, Agilulphum cum forma, tum ingenii & corporis viribus illuſtrem præfectum Longobardorum, qui in Auguſta Taurinotum hyemabat, in maritum elegit. Quem poſtmodum à nefaria Arrianorum hæreſi ad ſinceram Chriſti fidem revocavit. Quibus florentibus Maomethes Arabs, à quo contaminatiſſimum adjuvante Sylvio Monacho dogma primitus emanavit. Agilulphus Longobardorum diademate redimitus neceſſitate ductus, contra Romanos arma movit, eoſque aperto Marte devicit: & Cremonam, Mantuamque, quæ adhuc pro Romanis ſtabant, vi cepit. Per Lacmellinum agrum dilabuntur Terduplus & Aconis piſculenta flumina. Nunc, tametſi metas Salaſſotum pertranſierim, tyranne humaniſſime, ut conquieſcam, tandem impera, quando Inſubrum regio patentiſſima mihi perſpecta ſit minus.

Tunc Landulphus ad Bonaventuram Caſtillioneum converſus, inquit: Quando & Inſuber ſis, & patrii honoris ſtudioſiſſimus, eruditiſſimuſque, & ſermonis elegantia candidiſſimus, non pro mea quæ in vos eſt poteſtate, impero, ſed te miræ humanitatis virum obſecro, ut Inſubrum tractum nobis exoptantibus exponas.

Ad hæc Caſtillioneus, Ne aliis contumaciæ ſim, inquit, exemplo, quæ ſcio, & quæ fortaſſe etiam neſcio, dicam. Verum *ſi vos citius quam* (ut dicebat Auguſtus) *coquantur aſparagi, expediero*, ne mihi, ſed ingenioſo, quod parvis admodum velis navigat, adſcribatis obſecro. Nunc attendite, velocius opinione veſtra vos dimittam.

Cap. III.

De Inſubribus populis, eorumque origine.

Qvicqvid terrarum & urbium intra Ticinum & Abduam, Padum & Alpeis clauditur, Inſubria nominatur, *potens* (ut inquit ille †) *armis, atque ubere gleba.* Campi ſunt patentes, & ad radices Alpium colles beatiſſimi rerum omnium, quas victus neceſſitas exigit: & quoniam Inſubrum vincta ſolem, & orientem, & occidentem vident, Dii boni quæ preciosa vina generantur? Inſubrum urbes ſunt Mediolanum, & Galliæ Ciſalpinæ totius metropolis, & Europæ omnis Emporium. Quod à Belloveſo conditum referunt Hiſtorici, eodem fere tempore, quo & Romam. Trogus & alii nonnulli monumentis tradidere Mediolanum ab his Gallis ædificatum, qui Duce Brenno Romam igne conſumpſerunt. Sed conſtat inter probatos auctores ec. prope annos antequam Brennus eſſet, Celtas ſuperatis Alpibus per Julium ſaltum, qui à Triceſtinis incipiens, in Cottias Alpes deſinit, Citeriorem hanc Galliam, Tuſcis acie devictis ad Ticinum amnem, occupaviſſe. M. Cato (ſi tamen illæ, quæ circumferuntur, reliquiæ Catonis ſunt) ſcribit, Olanum Lucumonum Tuſcorum Principem deductis Orobiorum Coloniis Mediolanenſis orbis prima jeciſſe fundamenta, & ita longo temporum intervallo Olanum dictum. Poſtremo à Medo Inſubrum Duce Mediolanum vocatum. Plinius ab Inſubribus refert hanc urbem fuiſſe conditam. Hæc auctorum diſcrepans opinio facit, ut nullo negotio credam Mediolanum à Tuſcis, qui tunc late dominabantur, prima ſumpſiſſe primordia, & ut ita dicam, in lucem editum, mox Inſubrum lacte alitum, noviſſime à Gallis Duce Belloveſo ad virilitatem deductum. Claudianus Poeta non incelebris à ſue lanata Mediolanum nomenclaturam his verſibus • deduxiſſe declarat:

Continuo ſublime volans ad mœnia Gallis
Condita, lanigeræ ſuis oſtentantia pellem
Pervenit: adventu Veneris ſpiſſata recedunt
Nubila: rareſcunt puris Aquilonibus Alpes.

Adhuc Mediolani in fornicem Bulenterii veteris ſus inſculpta viſitur ovini velleris. Facile autem (ut atteſtatur Georgius Merula) quiſque mediocriter eruditus perſuaſerit ſibi tantum Poetam vel gravem aliquem auctorem ſecutum, aut famæ perſeverantis, quæ plerumque vim teſtimonii habet, opinionem.

Tunc Hieremias Landus ex adſtantibus unus: Ab Inſubribus, inquit, Mediolanum conditum magis putarem, quam vel à Gallis, aut à Tuſcis. Non erant tamen & ipſi Inſubres hujus regionis indigenæ: ſed aliunde profecti. Cujus nominis (ut tu putas, Jovie) utpote barbari, etymologia prorſus ignoratur, quemadmodum & Mediolani: quod ante propagatam lingoam Latinam procul dubio conditum fuit, ut propterea Inſubres ab imbribus (ut nonnullorum opinio eſt) deducere, Mediolanum à ſuo lanata tam ridiculum ſit, quam falſum. Nec audiendi ſunt Græci, qui talia nomina pro linguæ ſuæ commodo depravarunt, ſicut & alia multa, auſi barbaris nominibus Græcas etymologias apponere.

Non aſſim, inquit Bonaventura, tecum, Lande, ſuper etymologiis contendere: ſcio enim quantum poſſis, valeaſque, præſertim in arenam provocatus: data igitur venia, unde diſceſſit, mea feſtinabit oratio. Eſt ſane hæc noſtra urbs metropolitana cum cœli temperie, tum ſoli fertilitate, & affluenti cæterarum rerum copia, urbium omnium, quas cœli convexitas tegit, & beatiſſima & præſtantiſſima. Ideirco Lernæa velut Hydra à damnis acceptis potentior ſemper à cineribus conſurrexit in boſtes. Invenio enim (ut vetuſtiora conticeam) poſt regiam Longobardorum poteſtatem Mediolanum, quanquam bellis vaſtatum, & ſenticote adhuc diverſa populo, tamen tam præclara per majores noſtros geſta fuiſſe, ut adfirmare ferme & auſim, & poſſim, potentiſſimas urbes & regiones, quarum regna & opes celebrantur, non dico pares, ſed Mediolano longe cedere. Semper enim populum habuit florentem, bellacem, numeroſum: qui vel facile aut nullo (quod ajunt) magiſtro armis exerceatur. Atque ea ſemper ita tractavit, ut nunc ſola, nunc adjunctis finitimorum auxiliis effundentes ſe Germanos, aut Helvetios, vel Tranſalpinos Gallos in Italiam, aut, ut inquit ille, auſpicius repulit ſecundis, aut penitus delevit. Sed illud maxime mirandum eſt, & vix credibile, quod ſexto anno, quo à Friderico Rubrobarbo civitas hæc exciſa eſt, adeo opibus potens & populo frequens inſurrexit, ut aperto Marte cum hoſte potentiſſimo, ferociſſimoque & ſecundis prælis elato, dimicare auſa ſit, illum devictum & caſtris ſpoliatum deſiderata prope ſuarum copiarum parte majori ſupplicem coegerit ab Alexandro

• *Laumellum* habent probæ Editiones.
† Virgilius *Æneid.* 1. v. 535.
• *Epithal.* in Nuptias Honor. & Mariæ, v. 182.

xandro Pontifice Rom. qui Anagniæ tunc exulabat, & ab ſocietate, quæ inter Ciſalpinos Gallos præter Ticinenſes contracta fuerat contra vim & potentiam Rubrobarbi Imper. turpiſſimis conditionibus pacem petere. Cujus conficiundæ gratia Comitia in Ciſalpina Gallia peracta ſunt. Duo obſervavit Georgius Merula annalium diligentiſſimus excuſſor, quæ nec Blondus ſupprimit, auctoritatem ſcilicet maximam Rom. Epiſcopo acceſſiſſe: ex quo illi Mediolanenſis Eccleſia, quæ per cc. an. libera, nullius obnoxia imperio, ſui juris (ut ita dicam) fuerat, ſe ſubjecit. Cujus auctoritatem ſecutæ & Gallorum, & Hiſpanorum Eccleſiæ Petri claves agnovere. Alterum, quod debellato Rubrobarbo tandem Pontifici exuli, & bellis acribus oppreſſo arma Mediolanenſium & ſedem dederint, & libertatem. Fuere tamen Rubrobarbicis, & noſtræ hujus urbis, & hominum ſtrages longe truculentiores, & tragicis julatibus miſerabiliores. Ante enim Longobardorum adventum atrociorem ſub Attila Gothorum rege cladem acceperat. Et ne Boſſianis innuti diurnis judicer, Suidam adducam, & exterum, & Chriſtianum auctorem: Μεδίλανον, inquit, πλουσίαν Γωτλίας πόλιν, ὑφ' ἧσαν πᾶσαι ἐπαρχίαι, ἐς ἣν ἄδυσε χαφῆ, εἶτα μὲν Ῥωμαίων βασιλεὺς, ὅτι χρυσῶν θρόνων καθῆμενος, εἶτα ἢ Σκύθης ἀναμιμνήσκει, ἢ σταῦ Ἕ σφῶν αὐτῶν καμήλοις, ζητήσας ζωγράφον ἐκέλευσεν αὐτὸν μὲν χαίρειν ὅτι θρόνου. εἶτα ἢ Ῥωμαίων βασιλεὺς καλύπας φέρειν ὅπι Ἕ ὤμων, καὶ χρυσὸν σφῆ Ἕ αὐτῷ χλαν σφῶν. Id eſt: *Mediolanum, populoſa Italæ civitas, quam cum Attilas captivam feciſſet, vaſtaſſetque depictum, Romanos quidem reges in thronis aureis ſedentes, Scythas autem interfectos, ad pedes ipſorum proſtratos, pictorem quærens, juſſit loco interfectorum pingi Romanos reges ſaccules ferentes ad collum, & aurum fundentes ad pedes ipſius.*

Nunquam auditam hiſtoriam, Bonaventura, inquit Blaſius, nobis enarraſti: nunc pro tua, quæ profecto ſingularis eſt, humanitate deſiderarem, ut ſi non bis, quibus omnes ſcientiæ, tam tibi ſunt notæ, quam mihi domus eſt mea, ſaltem, quinam videlicet Scythæ ſint, quos Mediolani depictos Attilas inſpexerit, mihi exponas.

Hæc, Blaſi, inquit Bonaventura, Suidæ verba faciunt, ut credam Gotthos eſſe Getas, altera addita, & una immutata litera. Fidem non modo faciunt Aurelii Prudentii, cujus tu carmina recitaſti: ſed & Paulus Diaconus verior, quam elegantior Hiſtoricus, cujus hæc ſunt verba: *Sub Valentiniano patre Theodoſii gens Hunnorum diu inacceſſis recluſa montibus repentina rabie pereita exarſit in Gothos, eoſque conturbatos ab antiquis ſedibus expulit. Gothi tranſito Danubio fugientes a Valente ſine ulla foederis pactione ſuſcepti ſunt. Deindepropter intolerabilem avaritiam Maximi Ducis, fame compulſi in arma ſurgentes, ville Valentis exercitu, ſeſe per Thracias infudere, omnia cadibus, incendiſque vaſtantes.* Hæc ille. Scitis itaque Getas & Sarmatas, qui citra & ultra ſunt Iſtrum, qui per Pannonias dilabens Danubius appellatur, eſſe in ea Scythiæ parte, quæ in Europa eſt uſque ad Tanaim. Nec ſuper hoc negotio opinione ſcriptorum varia moveor. Me tamen inter hos admiratione maxima Callimachus Poloniæ Regis à ſecretis afficit, qui ſcribit Gotthos ſive inopia agri, ſive clementiorem cœlo terram quærentes è Scandia, patriiſque inſulis advectos eſſe, exceptoſque à littore Oceani, cui hodie quoque nomen eſt *Gothiſcantia*. Poſſem, ſi daretur narrandi locus, auctoritate Plinii vobis probare, Scandiam inſulam eſſe in Britannico freto, quæ prima ex Albio ſolventibus occurrit: inde Dumna, poſtmodum Bergus, mox omnium maxima Nerigos: ex qua noviſſime itur in Thulen. Si ergo vel à nominis ſimilitudine argumentum, vel ab auctoritate declinandum eſt, dicam utroque modo Gothos fuiſſe Ponti Euxini accolas, quos Getas veteſtiores appellarunt. Hæc mea de Gothis eſt opinio, rurſus ad cothurnos me recipio, ut vel facile judicent omnes, Mediolanum non modo cladibus opprimi, ſed ab iis, velut ab igne phœnicem, renovari.

Regentibus pro libidine Gothis Ciſalpinam Galliam populus Mediolanenſis ſervitutis impatiens cum auſpiciis Decii Archiepiſcopi, tum, qui plurimum potuerat in aula Vitigindis Gothorum Regis, Felicis, qui & ipſe Mediolanenſis erat, auctoritate motus Gothos, qui præſidii cauſſa relicti fuerant, obtruncat. Illi intellecta & ſuorum clade, & populi defectione ad partes Imperatoris, reparato exercitu urbem valida obſidione cinxerunt: quæ cum in longum nimis protracta eſſet, quod Belliſarii, cujus auxilio Mediolanenſes defecerant, conatibus clam Narſes Eunuchus obſtaret: non armis, ſed fame edomiti, quacunque conditione coacti ſunt intra urbem Gotthos admittere. Gladio eo die xxx. civium cecidiſſe millia monumentis proditum eſt. Et ex plebe in rationem Libitinæ ob famem Lxxx. mil. veniſſe. Mulieres ætate florentes Burgundionibus, qui auxilio Gothis affuerant, omnes in prædam datas, & trans Alpes advectas eſſe: Urbem ipſam incendio paſſim fœdatam fuiſſe. Eodem naufragio ſubmerſæ ſunt Vercellæ, Novaria, Bergomum, & Novocomum: quæ & ipſæ Mediolanenſium auctoritatem ſecutæ Gotthorum præſidia obtruncarant. Pancis poſt tamen annis adeo ferox populus acceſſit, ut Longobardis victoria elatis ob ſtragem Gotthorum auſus ſit occurrere: à quibus graviſſimis etiam damnis affectus eſt. Erat ea tempeſtate omnis Italia ob diſceſſum Imperatoris in Thracias, obvia quibuſcunque latronibus, cuicunque etiam Barbarorum ex infimo grege libidini expoſita. Ne mirum ſit ergo, ſi patria hæc noſtra Gotthorum, Wandalorum, Pannonum, Marcomanorum, & Longobardorum excurſionibus patuerit, quando & ab eiſdem non fere ſolum Roma, ſed & omnis Italia flammis conſumpta fuerit. Noviſſime ſupervenit Fridericus Rubrobarbus, qui pattem urbis ſolo æquavit, actis in exilium civibus, qui gladio ſuperfuerant. Si mirabitur veſtrum fortaſſe aliquis, ex tot & tantis cladibus, quin hæc urbs radicitus evulſa ſit; ſatis illi factum putabo, ſi dixero, cur non & Roma conſumpta, quæ pares ærumnas perpeſſa eſt. Ad hæc volo etiam hæc damna noſtratia fuiſſe majora & diuturniora. Quæ regio eſt, in qua facilius coaleſcat mortalium tam numeroſa multitudo? nulla, quam ſciam, certe. Intercapedo enim quatuor graduum & quadraginta ab Æquinoctiali facit, ut injuriæ ſolis minime ſit expoſita. Nec intenſiſſimis frigoribus uſtuletur. Argumento ſunt omnium rerum beatiſſima copia, corpora hominum pulcherrima, & innumera: quæ omnino deſiderarentur, ſi vel ſolis, aut Borealis frigoris vehementia Galliam hanc noſtram vexaret. *Nam*, ut inquit Pacuvius, *ſol ſi perpetuo ſit, aut nox flammeo vapore, aut frigore, terra fructus omnes interimat.* Ex copia igitur fructuum conjectura facilis eſt, quam temperatiſſimus hic ſit tractus; ad quem omnes velut ad ſalubritatis aſylum confluunt.

CAP. IV.

De Familiis Inſubrum, & antiquiſſimis, & clariſſimis.

SUNT apud Inſubres familiæ ſola antiquitate nobiles: ſunt & novæ, quarum gloriæ fulgor illas obtenebravit: ut Sforciæ Vicecomites, Barbiani, Trivultii, Caſtilionei, Taurelli, Mayni, Cribelli, Alciati, & alii plures.

Ante

Ante Sforcias præcipua auctoritas penes Vicecomites fuit. De quibus hoc in monumentis lectum eſt Andreæ Alciati : Angleriæ nobile agri noſtri propter Verbanum lacum oppidum non modici nominis apud Veteres fuiſſe creditur : in eo enim paſſim cernere eſt vetuſta monumenta, elaboratos tumulos, urnas, templa, cryptas, porticus, columnas, idque genus & venuſtatis, & vetuſtatis inſignia. Alpinarum (puto) gentium præfectura fuit, in qua ſub Carolis, Berengariſque Imp. jus dicere, qui à Comite Mediolanenſi ad hunc magiſtratum delectus eſſet, ſolebat : & ideo Vicecomes dictus. Unde ortam nobiliſſimam Mediolani familiam, & veriſimile eſt, & credibile. Barbianorum familiæ (pace hoc aliorum dicere liceat mihi) omnis magis debet Italia, quam ſuo Romana civitas Camillo. Albricus enim Comes Barbianus Iralorum arma, quæ Barbarorum metu longo ſeculorum intervallo non intonuerant, primus excitavit. Verum ut Poeticis bellariis defeſſos vos reficiam, audite unius Poetæ novam cantilenam :

Optima quaque dies ſeclis properantibus etas
Obruit, & longa fortia facta die.
Ne qua tuas igitur tegerent oblivia laudes,
Neve forent eſtuſis invida ſecla tuis :
Hos ego perpetuis mandabo, Albrice, libellis :
Si veniet votis dexter Apollo meis.
Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,
Obruerat tanti prænе trophæa Ducis.
Pierides igitur noſtro adſpirate labori :
Suſtineatque meam Pegaſis nuda ratem.
Fama volubilibus quatiens obſcurior annis
Lucidior veſtro ſemper ab ore venit.
Bellica temporibus ſqualebat gloria noſtris
Ceſſabat longo tempore Martis honos.
Omne erat in Venerem ſtudium nocturnaque bella :
Qualibet & cenſus arte parare novos.
Proh pudor Italiæ, mundo gens nata regendo,
Nec pede, nec celeri bella regebat equo.
Uſque adeo turpe languebant corda veterno :
Uſque adeo nullus militiæ uſus erat.
Dux aberat tumidos qui ſigna inferret in hoſtes,
Duceret & certo agmen equeſtre modo.
Armorum ſi quando aliqui exarſere tumultus,
Geſta peregrina bella fuere manu.
Hinc tibi ab occiduo inſultabat miles Ibero.
Jactabat vires Teutonus inde ſuas :
Hic ſua & extremi jactabant tela Britanni,
Et ferus ardentes Belga premebat equos.
Candida ſed poſtis cum pax ſuccederet armis,
Et patrios pateret barbara turba lares :
Vitiores nullo & vitios diſcrimine paſſim,
Et miſeros cives quis ſpoliaret, erat.
Non puduit matris gremio abduxiſſe puellam,
Uxoremque ſuo ſubripuiſſe viro.
Nemo fuit quem raptus bonis, quem damna moverent,
Tantus in Italidum pectore torpor erat.
Ut perbibent Libycos armenta horrere leones,
Ut lepus ad rapidæ contremit ora canis :
Non aliter Martis detrectavere labores,
Funderet horribiles buccina ſi qua ſonos.
Non tulit hanc labem, nec tantum dedecus evi
Albricus Latiæ gloria militiæ.
Agmina jampridem claris deſuета triumphis,
Et reſidet animos primus in arma rapit.
Attonito tandem pulſi de corde timores :
Et durum Martis dextra reſumit opus.
Non tuba, non enſes ſtrictis, nec tela, nec ignes,
Nec vaga ſpumoſis flumina vorticibus,
Ardua nec triplici circundata mœnia foſſa,
Nec quoque præruptis oppida ſtructa jugis
Auſonias terrent, vana formidine pubem,
Pendentem auſpiciis, Barbiniane, tuis.

Hæc metro protulimus, quo facilius à vobis hujus inſulſi taedium ſermonis levarem : maxime enim poteſt in rebus humanis varietas. Ex hujus officina tot prodiere, quot ex equo Trojano illuſtres bello Duces. Quod ſi mihi creditis minus, Sforcias ipſos interrogate, quorum Proavus Jacomutius ſub Albrico ex frumentatore factus eſt armiger Baldoini equitis, paucis poſt annis deinde occiſo in bellis domino dignitatem illius aſſecutus eſt : noviſſime turmarum Comitis Albrici Barbiani præfectus.

Ex Jacomutio natus eſt Franciſcus Sforcia, qui Philippo Vicecomite vira functo, auxiliantibus Venetis, Inſubrum principatum invaſit.

Quantum bello valeant Trivultii, novit Transalpina Gallia : cujus vana eſſe arma, ſublato ab humanis Jacobo Trivultio, ſæpenumero vidimus. Caſtillioneos apud vos Caſtillioneos celebrare non licet mihi : ne adagio illo, quo ajunt *mules mentum ſcabere*, inurar à vobis.

Maynorum gloriam ſatius eſt (ut inquit ille) hoc loco tacere, quam de illis pauca dicere.

Archioti, Stampæ, Tonſi, Cribelli ſilentio magis, quam eloquentia, laudantur. Caymorum cum viris virtute clariſſimis, tum hiſtoricorum monumentis illuſtrem inter Inſubres familiam ſilentio involvendam cenſeo : quod cum eam inter quæ altàs Mediolani florebant nomina, Raphael Volaterranus annumerarit, celeberrimam ſatis arbitror : verum celebrior multo nunc eſt, atque erit olim, cum ex ea prodierit M. Antonius Caymus, qui præter legum peritiam, adeo literarum politia conſpicuus eſt, ut non minor ſit apud Bituriges, ubi cum ſumma omnium admiratione legum nodos aperit, quam inter Inſubres ipſius gratia. Ferrarios celebrat Demoſthenes *in ψηφίσμα ini**, cum inquit : *Ἐπὶ χιλιάδο ἐχρυσῶ ἀργυρῶ γεγωλίω & ἐτερῳ ἀπείρῳ, φυλῆς πεντακόσιοι λειτυργῶ ἀφεψίμῳ Φερρίμῳ ἄπαν.*

Vetuſti ſunt & Pectii, qui nunc Peggii mutatis C & T in duplici GG : hi Horatiano carmine † nobilitati ſunt :

Pecti, nihil me ſicut antea juvat
Scribere verſiculos, amore percuſſum gravi.

Valeriorum, qui nunc *de Vale* dici malunt, Mediolani plures obviam fiunt Inſcriptiones. Qualis eſt illa, quam ex Sancto Simpliciano Gabriel Florentius ad exornationem ædium ſuarum apud ſe transferendam curavit. Ex qua jam certiſſima conjectura Mediolanenſes lætari poſſunt Valerio Maximo hiſtoriographo præſtantiſſimo communicipe, velut in patriam longo poſtliminio tandem reverſo : cum apud claſſicos auctores nihil certi prorſus legatur de vita, moribus, & morte ipſius. Gaudeamus igitur Mediolanenſes tam eruditiſſimo, veriſſimo, candidiſſimo ſcriptore nobilitati, gaudeamus. Nec terreamini, quod aſtrologiæ ſtudioſus hic legatur. Quando etiam aſtrologo liceat hiſtoriam conficere.

M. VALERIVS
MAXIMVS
SACERDOS
D. S. I. M. STVD.
ASTROLOGIAE
SIBI ET
SEVERIAE APR
VXORI
H. M. H. N. S.

* Orat. *pro Corona*, ubi nulla mentio *Ferrariorum* ; locus quippe in vulgatis Demoſth. libris ſic legitur : *Ἐπὶ χιλιάδι ἡμιγωλίοις ἀργυροῦς, Ταραντίνοις ὕστερ αὐτοῖσιν, φυλῆς πρυτανευούσης Λεοντίδος, Ἀριστίωνος ἡγεμόνος τότε.*

† *Epod.* ode 12.

Surarum familiam apud Inſubres, ut nunc eſt quoque, fuiſſe clariſſimam Mediolani in ſancto Carpophoro vetuſtiſſimus ſtylobates indicat: quem hic exſcriptum in gratiam Bernardi Suræ annectendum curavi:

ATILIVS MACRINVS SECVNDVS ATILIO MACRINO PATRI ET SVRAE PVPAE MATRI ET MACRINO PRIMO FRAT. ET MACRINAE SECVNDIN.

Ex hac Surarum, qui *Sola* nunc appellantur, familia Palphurius fuit orator inſignis, & cauſſidicus. Qui ob ſuſpicionem, quod cum Vitellianis conſentiſſet, Senatu à Domitiano fuit amotus.

Magiorum quoque familia, quæ in hunc uſque diem apud nos illuſtris eſt, habet quo ſuam antiquitatem tueatur, tum ex vetuſtiſſimis ſtylobatibus, tum apud M. Tullium Ciceronem: Mediolani ſiquidem apud Cœnobitas Divi Ambroſii hoc adhuc monumentum Magiorum clariſſimum, vetuſtiſſimumque inſpici poteſt:

SEX. MAGIVS SEX. L. LICIN. SIBI ET SEX. MAGIO SEX. L. TVRPIO PATRONO ET BASSO ET CELERI LIB. TESTAMENTO FIERI IVS.

Magios ſimiliter (ut dixi) & Rabios Cicero nominis æternitate donavit, tertia *in C. Verrem actione*, cum ait: *Ipſe myoparonem pulcherrimum de decem Mileſiorum navibus electum L. Magio, & L. Rabio, qui Myndi habitabant, vendidit: hi ſunt homines, quos nuper Senatus in hoſtium numero cenſuit habendos.* In eadem quoque *actione* Curtios celebrat, his verbis: *Cum tot tibi nominibus Curtii referrent.* Idem alibi in eadem *oratione: Per ſodalem*, inquit, *ſuum Q. Curtium judicem queſtienſ.* Curtiorum quoque non inelegans mnemoſynon viſitur Mediolani in domo Philippi Archinti Juriſconſulti, quod ipſe ab Angleria in domum ſuam transferendum operam dedit:

P. QVRTIVS P. F. VICTORI
P. QVRTIVS P. F. PRIMVS
VI JVN.

Tuas, Catellane Cotta, vetuſtas origines recenſerem, niſi M. Tullius illas primo & ſecundo *de Oratore* libro celebraret: in his enim C. Cotta à Cicerone interlocutor cum M. Antonio, P. Sulpitio, & Craſſo introducitur. Dictos autem puta Cottas (ſi tamen Grammaticorum canonibus ſtandum eſt) ab iracundia & oris torvitate. Unde Fabius *libro* primo: *Jam Cottæ, Scipiones, Lentates Serrani ſunt, & ex variis cauſſis.* Habes tu quoque, Franciſce Criſpe, ſtylobatem, quo tuam tutari antiquitatem poſſis, qui occurrit aliud indaganti mihi in privata domo vici Biliorum: atque cum in tuam & totius familiæ tuæ gratiam hic adnotavi: ut liquido cognoſcas eſſe me tui ſtudioſiſſimum:

P. ATILIO
CRISPO
AD

Cætera attritu pedum deleta ſunt.

Nec carent Petræ ſanctæ ſuo mnemoſyno, ſi diligentius (ut inquit Alciatus noſter) illud examinaverint, & quanto voluerint ſuorum ſtemmatum annalcis producere, tanto cum apud auctores, tum in vetuſtis marmoribus eis licebit: atque etiam ad Herculem ſuum genus referre. Ad Petram enim ſacram in Euxino Ponto adpulſi Argonautæ ſunt, inter quos Hercules præcellebat. Hujus Petræ ſactæ meminit Apollonius Rhodius *Argonaut.* primo: ἦ ῥα νύ τοι, cum inquit, ἶδον πέτρας. Eamque ſic appellatam Interpres ait, ἀπὸ δυσφημίας, qua mala magna ſacra dicimus. Unde Virgilius, *Auri*, inquit, *ſacra fames.* Mediolani vero Petræ ſacræ familiæ memoria vetuſtiſſima inſpici poteſt in loco, qui Veneri publicæ adſcriptus eſt in ſemidiruta ædicula:

HERCVLI IN PETRA SACR.
C. CALVISIVS SECVNDINVS
VI. VIR JVN. DECVR.
ITEMQ. ARAM
V. S. L. M.

In ædicula Divæ Teglæ reperiet Andreas Calvus bibliopola rumulum antiquitatis teſtem ſuæ, his notis inſculptum:

V. F.
C. CALVIVS
CALVI F. O. V. F.
PRISCVS VI. VIR.

Sunt Macri marmoreis & ipſi antiquitatibus inſignes, ſicut & Andovartoni, qui nunc *Andevarte*, à quibus & vicus in regione ejus portæ, quæ nova dicitur, adpellatur. Accipe igitur, mi Petre Maeer, tuorum natalium præclariſſimam memoriam, quam in pauperum ſancti Martini xenodochio inſpexi:

MACRINAE
C. ATILIO C. F. MACRO
M. ATILIO C. F. ADIVTORI
Q. ALBVCIO Q. F.
ANDOVARTONI TERTI.

Novelliorum familiam exſtinctam prorſus eſſe exiſtimo, quando (quod ſciam) Novellii nulli reperiantur: indicant tamen (ut interim taceam Torquatum Novellium à C. Plinio Novocomenſi celebratum) vetuſta marmora alicujus hanc familiam nominis fuiſſe. Verum ex bis unum adduxiſſe ſat, ſuperque fuerit. Mediolani in ſancto Franciſco:

P. NOVELLII PVB. FIL. L. NOVELLII P. F. TE CILLONI FRATRI RVBRO FRATRI.

Eandem quoque jacturam paſſi ſunt Sentii, ſive Sentiones, è quibus fuit Sentio ille Germanici ultor ſanguinis, ſi per Tiberium Cæſarem ei licuiſſet, ut refert Corn. Tacitus. Quod autem Sentii Inſubres exſtiterint, indicio pagus eſt inter Inſubres non procul à Caſtilliono, quem *Morafentum* vocant, eo quod Sentiones ibi morarentur. In cujus ſano marmorea in Tabula hæc adhuc viſuntur:

L. SENTIVS L. F. O. V. F.
NIGER. SIGNIF. LEG. IIII
SCYTHICAE HIC NATVS
HIC SITVS EST.

Ibidem in eadem Tabula:

M. SENTIVS L. F. O. V. F. MACER VETERAN. LEG. IIII SCYTHICAE SIBI ET FRATRI SVO V. F.

Nec his Martinioni carent originibus, qui vetuſtioribus erant Martiniani: ut videre eſt in monumento ſacrata in æde Divi Victoris, cujus templum olim Marti dedicatum fuerat. Ea autem Inſcriptio vel barbara prorſus eſt, vel vernacula ejus ætatis: qualiſcunque tamen ea ſit, hic adnotabitur;

D. M.

D. M.
BONAE MEMORIAE DOMVI
MARTINIAN. EX P.
ROTECTORIBVS INTERNAM SEQV-
RITATEM CER MENDACIS QVIS IV-
STVS PIENTISSIMVS BENEMERETVS
IN SEQVLVM ANVS MILITAVIT XLV.
ET VIVET ANN. N. LX. ET SPERO
ME VIVERE ADVCANVS N.LXXXXVIII.
MESES SEX. DIES III. ET N. DEIN AR-
CE HIC SICIS REMOVERE VOS QVE-
RET AVT APERIRE AVT VELLET A-
LIVM QVRPVS DAVID IN FESCV AV-
RI P. I.

In altera fronte ejuſdem tumuli:

Θ ω ✠ A
ET LVNA PERIMA VERTVTEM ET
GELORIAM FELICE MARTININNO
EREDES FACOLETATEM VIVOS SI-
BI FECET HOC.

In Divi Auguſtini fano monumentum eſt Rociæ gentis: qui nunc contempta ſuorum natalium vetuſtate *Rozons* dici malunt: id eſt hujuſmodi:

V. F. D. M.
MAXIMVS MAXIMINVS PRIMITIVVS
VIVIR MEDIOLANI SIBI ET ROCIAE
SECVNDINAE CONIVGI INCOMPA-
RAB. QVI VIXIT AN. XXI. ET ROCIO
MAX. MAXIMINI FIL. QVI VIXIT AN.
VNVM. M. VI. ET ROCIAE PRIMITI-
VAE FIL. PIENTISSIMAE. QVI TIBI
DVM STARET PATER AD TORVM
SIC AIT: O MISER QVID GEMIS ET
LACRIMAS? QVOD TE MISERANDE
RELINQVO? TE NON TVRBEMVS.
ISTA FATALIA DANTVR. QVI VIX.
ANN. XVIII. M. VI. IN AGR. P. XIX.
INFR.

Aruni ſimiliter hujus urbis cives non tam vetuſti ſunt, quam vetuſtiſſimi, ut ex elogio conſpici datur, quod eſt in templo Deiparæ Virginis, cui Secretæ nomen eſt. Sed optarem ut unum adderent, alterum immutarent elementum: ita ut Aruleni, non autem Arluni dicantur. Fuit & Ruſticus Arulenus à Corn. Tacito & C. Plinio haud vulgariter celebratus:

L. ARVLENVS ANOPTES
APOLLINI.

Mandellorum gentem eſſe exiſtimaverim, quos vetuſtiores Manduillos converſa V & l, temporum incuria, in E. Poſthac igitur Jacobum Juriſconſultum præſtantiſſimum à te, Blaſi, tuum admoneri velim, ut Manduillum ſe, non autem *Mandellum* vocet: quod ſi hujuſce rei te cauſas efflagitaret, propone homini humaniſſimo vetuſtum marmor, quod hac in urbe viſitur apud Veſtales ſancti Bernardini. Ex quo fortaſſe etiam Cacuriorum, qui nunc *Cazali* dicuntur, agnoſces affinitatem:

V. F.
M. CASSIVS M. F. O. V. F. CACVRIVS
SIBI ET ATILIAE MANDVILLAE
VXORI ET M. CASSIO BROCCHO
FIL. ET L. CASSIO DONATO FIL. IN-
FR. P. XX. IN AGR. P. XX.

Nonne & Mocitii ſimili ornamento illuſtres ſunt? accipe igitur, Franciſce Mocitie, muſices decus immortale, memoriam familiæ tuæ celebrem, quam Medæ (Inſubrum oppidum eſt) inſpexi:

V. F. D. M.
CANTIVS MOCITIVS VETER. LEG.
VIII. AVG. VI. VIR DECVR. SIBI ET
CANTIO MAGIO PATRI VETER. LEG.
EIVSDEM VI. VIR COMI ET SVRAE
MESSORIS FIL. ET CVLTVRIO LA-
VANDO ET CVLTVRIO MAXIMO NE-
POTIB. SVIS ET LIBERTIS. IN AGR.
P. IX. INFR. P. L.

Suam & Elli * habent antiquitatem, etiam nunc in urbe hac noſtra non exſtincta nomina: eam in pariete privatæ domus Capellarum ſecundum viam è regione ædis fere ſancti Petri in lintre proſpexi: ea eſt hujuſmodi:

ω ✠ A
HIC QVIESCIT IN PACE SEVERIA-
NVS FILLVS CRISPINI ET INNO-
CENTIAE QVI VIX. ANNVM MEN.
III. D. VI. RECESSIT K. NOV.

Perſuaſiſſem facile mihi Ruſcas non eſſe antiquos: ſed cum legerem ſecundum *de Oratore* Ciceronis volumen, invenio hos antiquiſſimis antiquiores: *Ex immutatione*, inquit, *ut olim* RVSCA *cum legem ferret annalem, diſſuaſor M. Servilius, dic mihi, inquit, M. Pinnari, num ſi contra te dixero, mihi male diſturus es, ut ceteris feciſti? Ut ſementem feceris, ita metes*, inquit.

Capellæ genus ſuum referre poſſunt, & ſolent, ad Marcianum Capellam ſcriptorem & eruditiſſimum, & candidiſſimum: nihilque referre arbitror, quod Marcianus ex Africa fuerit. Quando ante Gothicam rabiem Africani frequentes in Italia diverſarentur: ut legitur de Divo Auguſtino, qui Mediolani publice Rhetoricen profeſſus eſt.

Capriliorum etiam meminit M. Varro. Bebulcorum gentem, quæ adhuc floret, T. Livius æternitate donavit. Si otium mihi daretur, & ſi vobis audiendi commoditas, plura de antiquitate Mediolanenſium familiarum adduxiſſem: ſed cum videam averſa fronte eſſe nonnullos ad oppida Inſubrum aliqua nunc ipſe divertam.

Cap. V.

De vicis nonnullis, qui in Mediolanenſi ſunt agro.

Vicos, qui in Ciſalpina ſunt Gallia partim incolæ condidere, & partim Barbari, qui hoc in tractu gravia bella geſſere. In agro Inſubrum Moguntiacum eſt oppidum, in quo ſceptra accipere, & primos attollere faſces omen erat Longobardorum Regibus. Moguntiam doctiſſimus Alciatus adpellat, Modoetiam alii. Ego una tantum antiquitate fretus, quæ eodem in oppido eſt in templo ſancti Mauricii, Moguntiacum appellare non dubitabo:

C. SERTORIVS L. F. O. V. F.
T C V S
VETERANVS LEGIONIS XVI.
CVRATOR CIVIVM OMN
MOGVNTIACI.

Inter egregia oppida Caſtillionum quoque numera-

* *Suam & Elli, &c.*] Quas *Elles* Merula vocat. *Ællos* eſſe frequentiori calculo receptum eſt: nec quicquam movet me veteris alius inſcriptionis teſtimonium; quandoquidem in ea non EILLVS, ſed FILIVS legere eſt: ut poſt Andream Alciatum, cujus autographa monumenta cuſtodimus, & nos non ſemel vidimus: ea igitur eſt hujuſmodi: HIC. QVIESCIT. IN. PACE. SEVERIANVS. FILIVS CRISPINI. &c.

ri poteſt: quod caſtrum Stiliconis, ſi per aliquos licuiſſet, appellaſſem. Quis eſt enim qui neſciat ab Arcadio & Honorio Impp. Mediolani Stiliconem rei bellicæ virum peritiſſimum, ſed perfidum, ut poſtea exitus declaravit, collocatum, ut Romanum Imperium vendicaret à Gothis, in dies ſingulos per Pannonias irruentibus in Italiam? Quis eſt præterea qui non vel facile perſuadeat ſibi talem virum locum non felegiſſe ad obtrectationem? & caſtrum hoc condidiſſe, quod à ſuo nomine dixerit? Dii boni quid ridetis? an conatus ſum imponere Pelio Oſſam? audite obſecro quod adhuc in templo Divi Ambroſii legere eſt hujus rei mnemoſynon: quod tametſi inelegans ſit, audiri tamen poteſt ob hanc rem ſolum:

Hic jacet Anſpertus noſtra clariſſimus urbis
Antiſtes, vita, voce, pudore, fide.
Æqui ſectator, turbæ prælargus egenæ
Effector voti, propoſitique tenax.
Mœnia ſollicitus commiſſa reddidit urbi
Diruta, reſtituit de Stilicone domum.
Quos ſacras ædes quanto ſudore refecit?
Atria vicinas ſtruxit & ante fores.
Tum ſancto Satyro templumque, domumque dicavit
Dans ſua ſacrato prædia cuncta loco.
Ut Monachos paſcant, æternis oſtia diebus
Ambroſium pro ſe, qui Satyrumque regent.

Si ergo ſimilitudo nominis firmat argumentum, dicere non verebor Caſtillionum quaſi caſtrum Stiliconis. Hinc non procul eſt Vedanus pagus, qui valde aridum ſignificat: aquarum enim uſque adeo indigens eſt, ut nulli ſint putei, & fontes nulli. Sexto Calendas vetuſtiſſimo nomine pagus appellatur, qua Verbano Ticinus exit: dictum ſic opinor, quod eo menſis die olim ruſtici illuc confluerent vel ad nundinas, vel ad ſacrificia. In eo enim templum eſt antiquioribus literis inſculptum: quibus ſignificabatur illic & Herculi, & Mercurio, & Sylvano, & Divo Pantheo Paganos vota perſolviſſe. † Voſſium cum præfectura oppidum eſt adhuc celebre ad eorum collium radices ſitum, per quos ad Verbanum, Lucanumque, & Larium lacus iter eſt. Meminit certe Stephanus Περὶ πόλεων, Varatinæ regionis, quam Theopompus *libro* LII. verſus Adriaticum conſtituit: quo nomine cum eo in tractu nullum fuiſſe oppidum conſtet, nec eſſe, facile adducor, ut putem Βαρίνον eſſe Vaſiſium, quod alii ab exitu vallium, Valeſium nominant: & Varitium alii more Græco. Brebia vicus inter Verbanum & Varitium ab his Orobiorum populis habitatur, qui ad Mediolanenſes pertinent: ibi in colle Minervæ remplum fuit cum ſaltu Tibronano, ut liquido apparet ex antiquitate, quæ eo in pago adhuc viſitur:

D. M.
L. COELI F. O. V. F. BARONIS VI. VIR PONTIFICI * IIII VIR A. P. CVRATORI SALT. TIBRONANI ITEM TEMPLI MINERVAE ET ALBVCIAE VIRILLIONIS F. VXORI EIVS COELI IVVEN ET SEVERVS PARENTIB. OPTIM.

Vicus Martis nunc Vicomercatus Brigantiorum collium metrocomia pluribus vetuſtis Inſcriptionibus illuſtris, quæ cum ad negotium præſens faciunt minus, à me ſilentio involvuntur. Caſtrum Sepriі putat Alciatus noſter dictum, quod Severi olim exſtiterit: ego Seprium (pace tamen Alciati) quaſi Inſubrium denominatum magis crediderim: præſertim cum eo in tractu meditullium fere ſit Inſubrum. Ab hoc caſtro agri Mediolanenſis pars non mediocris nomen adſumpſit. Id antiquiſſimum eſſe oppidum cum noſtri Cbronographi atteſtantur, qui etiam Mediolani Imperii ſumpſit & depoſuit inſignia, velut hoc negotio paniam illuſtraturus: tum etiam monumenta vetuſtiſſima ſunt indicio, è quibus unum dixiſſe ſufficiat vobis:

I. O. M.
L. CAECILIVS NYMPHEROS V. S. L. M. POSVIT C. FONTEIO CAPITON COS.

Nec Galerato vico, qui urbeculæ ſpeciem oſtentat, in agro Inſubrum deſunt antiquitatis veſtigia: verum cum hæc faſtidium peperiſſe potuerint, parcius poſthac has memoriolas adducam. Tranſeo igitur in Albiciatum pagum, qui cultores habuit nomine Montunates, quorum præclara ſit mentio in quadam baſi vetuſtiſſima, quæ ibi viſitur:

I. O. M.
MONTVNATES
VICANI LOVANIVS
V. S. L. M.

Inter Mediolanum & Ticinum medio itinere Binæ ſunt oppidum vetuſtiſſimum, *Binaſcum* nunc appellatur. Marlianum, ſi Alciato credimus id referenti, Marianum antiqui, vel Manlianum dixere, conditoris nomen ſervans. Mons orphanus pagi nomen eſt (ut ſcitis) inter Inſubres, quo loco arx fuit fere inexpugnabilis: quæ quoniam viarum obſeſſiones recipiebat, & exulibus erat aſylum, Inſubrum cæterorum armis ſubverſum eſt. Siderianum in via, qua recta itur Novariam, pagus eſt. Deſiderianum (puto) ab antiquioribus vocatum, velut à Deſiderio Longobardorum Rege ultimo conditum. Maxentiam quoque ſi à Maxentio Tyranno deducerem, quis mihi vitio daret, niſi ineruditus aliquis?

Parabiagum Mediolanenſium victoria Divo Ambroſio favente in Helvetios illuſtravit: vicus ipſe ſatis contractus eſt: genialis tamen gratiæ & ruralis amœnitatis non expers. Pontirolus non procul à Mediolano rus eſt ultra Abduam hiſtoriis celebratiſſimus: verum pons Aureoli, non Pontirolus, ab his nuncupatur. Aureolus enim (ut refert Julius Capitolinus) unus fuit è Tyrannis, qui Imperium Rom. invadere conati ſunt, cum Gallienus Imper. non viris modo, ſed & mulieribus neglectui eſſet. Præerat Aureolus Illyricianis exercitibus, qui venientem Macrianum cum filio contra Gallienum maxime deterruit, captis plurimis ex copus illius, & nonnullis ad fidem ipſius pretio corruptis. Interfecto tandem Gallieno cum fratre Mediolani Claudius in Aureolum caſtra movit, & conflictu habito in agro Mediolanenſi apud vicum, quem à ſe denominaverat Aureolus, cum aperto Marte devicit. Atque illic Tyrannum ſepulchro humiliore donavit. De Aureolo etiam hæc Trebellius Pollio memoriæ tradidit, de Claudio loquens: *Qui primum ut factus eſt Imperator Aureolum, qui gravis Reſp. fuerat, qui Gallieno multum placebat, conflictu habito a Reſp. gubernaculis expulit Tyrannum, quem miſ-*

† *Voſſium cum præfectura oppidum* &c.] His verbis Merula infert Voſſium, Valeſium, & Varitium tynonyma eſſe. Nos vero ejus ſententiæ tumus, ut Voſſium id quod recentiores *Voſſium* vocant, in Brigantes collibus ſitum. Parro quidquid ſit, puto ab edulionum copia ſic dictum fuiſſe; quandoquidem *Βόσις* edulia ſignificat.

* IIII VIR A. P. Quodnam munus hoc eſſet, non ſatis manifeſtum eſt: plures enim eruditiſſimi viri in hiſce notis *A. P.* explanandis nequidquam inſudarunt. Non reprobarem tamen amici mei interpretationem, qui *Quæſtorem Vicum Annonæ Procurando* per eas ſignificari, ait, fretus verbis Alciati, qui Decurionibus varia fuiſſe officia dicit, & inter alia Annonæ Procurande. Sed in hac re non modicum hæreo: quippe qui ſciam eos, qui Annonæ præeſſent, prius Ædiles Cereales, mox etiam Præfectos Annonæ vocatos fuiſſe; ut habemus in lege ſecunda Digeſtor. *de Origine juris*. Fateor tamen fieri poſſe, ut Ædiles Cereales, & Præfecti Annonæ in Urbe Romana eſſent, apud Inſubres vero Quæſtores Vici Annonæ Procurandæ.

missis ad populum edictis Aatis etiam ad Senatum orationibus hostem judicavit. His accedit, quod arrogantem Aureolum, & fœdus petentem, Imperator gravis & severus non audivit, responso tali repudiatum: Hæc a Gallo repetenda fuerant, qui consentire moribus poterat, & timere. Exstat adhuc Claudii liberalitas in Aureolum furore militum oppressum, tumulus cum inscriptione Græcanica:

Κλαυδ. Αυρηλιω μετα θειον αρεα, Καισαρ
Τω κτιστη, Στητον τε Θρασι, νεϊδος
Τω ζαχ και ζωλω. Απ' ουκ εθελησε φρενημα
Πλειν τυραννις τε φατις αντιξειν.
Καιτ' δε σωτηριων και σωμαλ' εσχατι σπιζω
Αυρηλιω χθονιοις σωστο τιν τε τυφλω.

Quod Alciato interprete Latine sic habetur:

Claudius Aureole post Martia prælia Cæsar
Pro mortali hominum jure sepulchra dedit.
Hunc quoque vel vitam: sed non contraria pravis
Omnibus hoc prudens multatus ira tulit.
Ille igitur clemens, dum corporis ultima servat,
Qui pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Interprete quodam Grammatico per tempora Julii Capitolini:

Dona sepulchrorum victor post multa tyranni
Prælia jam felix Claudius Aureolum
Munere prosequitur mortali, & jure superstes
Vivere quem vellet si pateretur amor.
Militis egregii vitam qui jure negavit
Omnibus indignis & magis Aureolo.
Ille tamen clemens qui corporis ultima servans
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Sane in capite tumuli inscriptus Hippopotamus ferox & dirum animal, & intra serpentem inclusus, orbiculari forma caudam mordicus tenentem, notat Aureoli tyrannidem & sævitiem per omne tempus duraturam, cujus rei ratio ab Horo Apolline repetenda est.

Cap. VI.

De Orobiis populis, qui ad Insubres attinent.

Qva Mediolanensis ager (ut verbis utar Alciati) ad Alpes vergit, Græcæ nationis populos incoluisse Orobios Cornelius Alexander, & Plinius auctores sunt: quo in tractu etiam nunc sunt ejus gentis pleraque nomina, ut lacus ipse Larius à suavitate amœnitateque Sicrenus, quasi *σιρ υδωλιον*, seu *sacrum fontem* dicas. Fluvius Addua, quod ab adya, id est, inaccessis montibus: Orona quod ab iis collibus defluat, quos Orobii tenent, *ὀρονὶ τ' ὄρων*. Eandem quoque originem & oppida ostendunt, ut Comum, *ὀρονὶ τ' κώμης*, hoc est, *villa*, sive *pagus*, & *κωμηδὸν vicatim*: sive *ὀρονὶ ἓ κώμης*, qui Deus erat Veteribus commessationum, nocturnarumque saltationum: inde *κωμάζω*, *petulanssum*. Leucum similiter à candore montium dictum puto. Canthurium, Canthiumque *ὀρονὶ τ' καυθήρων*, hoc est, *a copia*, vel *præstantia asinorum*. Itemque Onium ab eisdem. Orsinicum à victoria in montibus habita, quasi *ὀρσινικιον*. Macreum ab augusta forma, longitudineque. Phegium à fagi arboris copia. Eugion, non longe ab Addua, à bonitate soli. Eupylis, qui nunc Pulisianus appellatur, à porta, & accessu, qua in montes tenditur, unde & lacui nomen. Mons Orphanus, ceu quod orphanus & destitutus sit ab aliis collibus. Alciatum, quasi Alsiatum, hoc est, frigidum: Veteres enim quod erat frigidum vocabant alsiosum: & pocula alsiosa, quæ dantur ad soporem provocandum. Verum quid de Alciato vico Alciatus ipse scripserit, audite: *Alciatus vicus, cujus nominis & alter in Bergomatibus est, ab Alcatho Parthaonis Ætolia Regis filio auctore colonia in has regiones deducenda: qui postea cum unus ex Hippodamia procis esset, ab Œnomao interfectus: quapropter inhabitavit tumulum ejus*

Genius, equitantibus infestus, ut ad eum accurrentes equi terrore afficerentur, & procederent. Cujus res Pausanias libro sexto auctor est.

Cap. VII.

De cæteris Insubribus.

His sunt Insubres montani, qui à Græcis Orobii dicuntur, de quibus illa dixisse sufficiat. Redeo nunc ad reliquos Insubres, qui per Adduam & Ticinum ad Padum jacent: quorum urbes sunt Ticinum & Laus Pompeja. Ticinum ab Insubribus & Bojis condtum refert Eutropius *libro* IV. à Salis autem, quos Saluvios alii nominant, Titus Livius ait ædificatum *libro* V. *decadis* I. Plinius à Levis & Maricis Liguribus. Inquirendum esset, quomodo & quo tempore Ticini nomen in Papiæ mutatum sit. Verum hoc onus Petro Francisco Buscæ, & qui adest, & qui Ticinensis est, relinquo. Non gravabor tamen in gratiam ipsius, quid super hac re notaverim dicere. Sunt qui scribant à quadam Longobardorum Regina hoc nomen derivasse, sed de hoc tantummodo famam habeo. Jacobus Gualla, qui *Chronicam* ejus civitatis edidit, de hujus nominis origine ne verbum quidem fecit. Hanc urbem per tempora Annibalis exstitisse sunt qui negant, Titum Livium adducentes, qui *libro* XXI. Ticini tantum amnis meminit: *Jam tamen*, inquit, *Scipio Padum trajecerat ad Ticinum amnem*. Quod si ea tempestate Ticini urbs exstitisset, non tam sicco pede credibile est auctorem tantam urbem silentio involvisse. Hanc quoque urbem cum vi expugnasset Attilas Rex Hunnorum subvertit. Nec fortasse minora damna passi sunt Ticinenses sub Odoacro Herulorum Rege, nova Tureilingorum manu freto. Orestes enim Patricius ex Liguria cum ei occurrisset, nec impetum Barbarorum sustinuisset, Ticinum se recepit: verum antequam auxilia præstarentur obsessis, urbem expugnavit, captam ferro, flammaque consumpsit. Orestes Placentiam protractus capite mulctatur. Vitellio quoque ex ulteriore Gallia contra Othonem Imper. irruente, in eadem urbe eum desedissent Valentis & Cinnæ legiones, orta est inter Cisalpinos Gallos, qui Vitellio auxiliares venerant, ingens seditio, & inter Romanos milites. Hinc cædes & civium & militum vehemens. Pannones itidem tempestate Stephani Rom. Pont. VII. Italiam ingressi Ticinum depopulati sunt. In socialibus etiam belli graves clades à Mediolanensibus accepere.

Septimo ab hac urbe lapide secundum Padi decursum Belzojosum, oppidum sane elegans, & ad venationes idoneum. Id condidit Joann. Galeacius Vicecomes primus Insubrum Dux, cui *Virtutum* cognomen fuit: mox donatum Barbiani Comites accepere. Ager hic est irriguus ob multos Nilos, quos Carolus Comes Barbianus in eas partes ab usque Mediolano deducendos curavit. In Ticinensi tractu, ut refert Plinius, fabulum nigrum reperitur, quod cementatum, calceque diligenter repastinatum durescit in lapidem.

Transeo nunc in Laudensem agrum, cujus urbs hac ætate in ripis Adduæ, quem Abduam alii etiam vocant. Eam Pompejus Strabo Magni Pompeji pater coloniam deduxit, & à nomine suo Laudem Pompejam vocavit: quemadmodum & Julia pietas in Foro Julio, & alia ns similia. Fide caret quod M. Pompejus eam urbem condiderit, velauxerit, piratis à se devictis, cum in locum in coloniam deductis: cum sciatis Pompejopolim in Cilicia eam ob caussam conditam. Sed ea quæ nunc visitur Laus Pompeja non fuit à Strabone deducta colonia: eam enim Mediolanenses vastarunt: verum cives profugi in margine Abduæ auspicijs Fridderici

deriei Rubrobarbi Imp. condiderunt. Laudem vero credibile eſt à Bojis Transalpinis primo conditam; qui Duce Belloveſo Alpes tranſcenderunt, mox bellis vaſtatam, ſicut & Novariam, à Romanis in colonias deductas. Ager Laudenſis adeo omnium finitimorum fertiliſſimus eſt, ut ſumen Ciſalpinæ Galliæ dici poſſit. Et cum Ciſalpina Gallia omnium ſcriptorum calculo cæteris Europæ partibus antecellat, & hæc Africæ & Aſiæ, merito dicere poſſumus, agrum Laudenſem omnium quos cœli declivitas tegit, beatiſſimum.

Acerrarum urbis olim florentiſſimæ inter Inſubres veſtigia ne viſuntur quidem: ut quo in loco fuerit, illud Horatii poſſum dicere,

Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

De qua tamen quid Alciatus ſcripſerit, audite: *Quod ſi*, inquit, *verum eſt, falluntur, qui Acerras id appellant, quod Inſubrum vicum inter Padum & Alpes fuiſſe Polybius affirmat: ut veriſimilius ſit, Acerras eſſe, quæ nunc Agerola dicitur, verſus Derthonem. Falluntur & civis meus Raymundus Marlianus, qui Heloretiam prius diſſam Angleriam in Paraphraſi Gallicæ Topographiæ ſcripſit. Ego Angleriam non Heloretiam dixerim ab Anglis Saxonibus, qui cum Longobardis in Italiam venerunt.* Hæc Alciatus. Verum ego non ultra Padum, ſed citra potius, hoc eſt, inter Eridanum & Alpes, potius fuiſſe crediderim: præſertim cum lectum ſit eam urbem non procul à Mediolano fuiſſe, quam cum Romani obſiderent C. Cornelio Merula & M. Claudio Marcello Coſſ. & obſeſſis Inſubres auxilium ferre non poſſent, conjuncto ſtatim ratibus Pado Duce Viridomaro, qui ex Transalpino genere auxiliares copias Inſubribus contra Romanos adduxerat, Claſtidium, quod Romani tenebant, adorti ſunt, putantes fore, ut deſtitutis Acerris, Romani ad Claſtidium liberandum feſtinarent. In agro Mediolanenſi non procul à Liviano vicus eſt, cui Acerræ adhuc nomen eſt. Facile adducor, ut putem ibi civitatem Acerrarum exſtitiſſe, & adhuc Acerranus tractus ultra Reſcardinam dicitur.

CAP. VIII.

De Orobiis cæteris, qui ad Inſubres minime pertinent.

OROBIORVM gentem Zanchius longis ambagibus & originem proſequitur. Ego iis omiſſis, ea tantum amplectar, quæ apud vetuſtos auctores ſcripta reperi. M. Cato, auctore Plinio, Orobiorum originem ignorare ſe profeſſus eſt. Eos Cor. Alexander Græcos fuiſſe exiſtimat: quod ea vox in montibus degentes ſignificet. Orobiorum civitas præcipua eſt Novocomum, trium Pliniorum patria, in margine Lariano. Hanc urbem non Græci, ſed Galli (ſi Trogo credimus) condidere, quam cum Rhæti vaſtaſſent, Romani quater eam repararunt: ſed ne ſuper hæc re hallucinari nova videar vobis, Strabonem ipſum *libro* v. ſi placet, audite de Como loquentem: *Hec mediocris*, inquit, *erat colonia: cæterum Pompejus Strabo, Pompeji Magni pater, colonos in eam reſtituit: quam incumbentes Rhætis vaſtaverant. In qua C. Scipio tria hominum millia inſuper adjecit: poſtmodum Ceſar quinque inquilinorum millia ad inhabitandum deduxit, è quibus quingenti illuſtriſſimi fuere Græci. Hos etiam civitate donatos in habitatorum numero deſcripſit. Haud tamen ibidem domicilium habuere, ſed oppido nomen relinquentes, & Novocommum appellantes, Novocomenſes oppidanos vocavere.* Octavo ab hac urbe lapide fons eſt Plinianus, qui ſingulis horis, & labrum fere alvei excedit, & fere ita reſidet, ut illotis fere pedibus vadari poſſit. In proximis montibus ad excoquenda obſonia Lebeteus lapis excavatur, nec alibi, quod ſciam. Deinde eſt Licinioſurum, quod Leucum alii fruſtra eſſe contendunt, municipium ſane elegans, ea in parte riparum lacus, qua Adduæ flumen erumpit. Sunt item qui dicant, & iis magis aſſentior, Incinum eſſe, qui pagus eſt Inſubrum eorum, qui ad Mediolanenſes ſpectant. Forum Diuguntorum ubinam locorum fuerit, hactenus conjecturis aſſequi non potui. Melpum opulentiſſimum olim oppidum Boji & Inſubres eo die flammis conſumpſerunt, quo Vejos Romani auſpiciis Fur. Camilli ſub poteſtate redegere. Sunt qui arbitrentur eſſe Meleium municipium nobile & ditiſſimum: co nunc potiur Comes Firmus Trivultius, & natalium ſplendore, & animi dotibus vir ornatiſſimus. Hoc in tractu interiit etiam Barra oppidum, unde Bergomates ortos putavit Cato. Non deſunt quoque qui monumentis tradiderint ab his Gallis conditos, à quibus & Veronenſes, & Brixianos. Inter Orobios nec Spina reperitur. Sunt autem Orobii altius quam fortunatius ſiti.

CAP. IX.

De Cenomanis.

OROBIOS ſecundum Alpium crepidines Cenomani ſequuntur, qui ex Transalpina Gallia in hanc Citeriorem (ut refert Polybius) acceſſere. In quorum vicinia erant Lemovices, Rhedones, & Andegavenſes. Cenomanorum metrocomia eſt Brixia, quæ ab iis Gallis condita dicitur à Juſtino, qui Duce Brenno non Romam modo, ſed & Italiam incendiis fœdarunt. Titus autem Livius *libro* v. *Arcadii*, Germanorum manum, ait, Elitovio Duce veſtigia priorum ſequutam eodem æſtu, annuente tamen Belloveſo, Alpes tranſcendiſſe, & ubi nunc Brixia, & Verona urbes ſunt, deſcendiſſe. Fuere cum Venetis Cenomani fere ſemper Gallis finitimis infeſti, & rebelles. Præclaram enim Romanis victoriam Cenomani à ſocietate, quæ inter Ciſalpinos Gallos conſtata fuerat, in Romanos tribuere. Cujus rei meminit his verbis Livius: *L. Æmilius imperator effuſum agmen ad Mutinam ducit, & in ſylvis, qua tunc circa Mutinam erant, ceſſ ſunt Romanorum* LXXX. *Cæteri Tametum petiſrunt, ſex ſigna militaria adempta. Fuere tunc auxilio Romanis Brixiani Galli adverſus alios Gallos & Bojos.*

Cremonam ſcitis veterem eſſe Romanorum coloniam, deductamque fuiſſe T. Sempronio & Cornelio Coſſ. tanquam Roma, propugnaculum contra irruentes Inſubres. Cum autem à Flavianis militibus præda expoſita eſt, annum agebat ætatis ſuæ CCI.XXXVII. & ante hanc cladem tempore etiam Divi Auguſti in gravidiſſimas ærumnas incidit, quod Antonianis partibus faviſſet. Non ab re igitur Poetarum eminentiſſimus * Cremonam inſelicem his verbis appellavit:

Mantua væ miſere nimium vicina Cremonæ.

Gotthorum quoque ætate, mox Longobardorum, variis ruinis affecta eſt. Noviſſime à Rubrobarbo quoque fere everſa eſt. Non longe à Cremona Caſtrorum locus eſt, à Tacito celebratus: quem Caſtoris Paulus Oroſius nominat. Utra harum verior ſit lectio, cum Alciatus aderit, excutiet.

Bedriacum vicus eſt agri Cremonenſis ſtragi Othoniani exercitus illuſtris, cum Brixelli ultra Padum eventum pugnæ Otho Imperator exſpectaret. Ad ripas Serii Crema eſt, à Rubrobarbo poſt proſtratos Cremonenſes condita. Oppidum citra clepſydram (quod ajunt) & opulentiſſimum & inexpugnabile, ſub Venetorum ditione.

Mantua ab Hetruſcis condita dicitur, urbs & vetuſtiſſima, & Virgilio, omnium Poetarum Latinorum, quot ſunt, quotque fuere, quotque poſt aliis erunt in annis principe, per totum terrarum orbem celebratiſſima. Hanc urbem Mintius amnis undi-

* Virgilius *Ecloga* IX.

que

TATVS
LANENSIS
ONFINIIS SVIS.
Garda
Lago di Garda
PARTE
DEL
MANTOVANO.
PARTE
DEL
REGIANO.
Mantoua
Parma
Regio

que circumfundit, efficitque lacum, qui carpiones expetiti ſaporis gignit: puto autem in Benaco lacu generari, quem Sarca fluvius ex Tridentinis montibus influit, & ex lacu piſces illos per Mintium Mantuam enatare. Hanc civitatem Attila, & hoc prior Auguſtus, mox Longobardi, & his truculentior Cacanus Avarorum Rex, mox Eccelinus Patavinorum Tyrannus, graviſſimis damnis affecere. Non procul à Mantua Riva oppidum eſt, juxta quod Grimoaldus Longobardorum præfectus Tranſalpinos Gallos crudeliſſima ſtrage trucidavit.

Cap. X.

De Venetis.

Venetis etiam Gallica eſt origo: ſciunt enim omnes in ulteriore Gallia ſecus littus Oceani Venetos eſſe proximos Unellis, Oſiſſinis, Curioſolitis, Seſuvis, Aulercis, & Rhedonibus. Qui cum & ipſi Duce Belloveſo Alpes exſuperaſſent, quod eſſent in patria fluctibus aſſueti, Adriaticum littus occuparunt. Verum de hac re Strabonem audiamus: *Hos ego Venetos eſſe opinor, à quibus Veneti finum colentes Adriaticum in coloniam deducti ſunt. Reliqui enim fere omnes in Italia Galli è Tranſalpina Gallia commigrarunt, ſicuti Boji & Senones. Verum propter nominis ſimilitudinem Paphlagonas eſſe dicitant. Hæc autem non adfirmaverim, de hujus enim generis rebus ipſa ſatis eſt conjectura.* Hæc ille. Servius in primo *Æneidos* libro ab Heneto Rege, qui ex Illyrico veniens ea loca tenuit, ubi nunc Venetia eſt, Venetos dictos innuere videtur: Henetoſque primo, & Henetiam vocatam. Veneti olim, quod etiam ætate Strabonis prorſus exoleverant, ſtudium impendebant ad creandos ex equabus mulos: cujus rei meminit Homerus:

Ἐξ Ἐυετῶν ὄθεν ἡμίονοι ἀγριόφωνοι.

Id eſt:

Mularum genus è Venetis quod robore præſtat.

Dionyſius quoque (ut atteſtatur Strabo) Siciliæ Tyrannus hunc alendorum ſemen equorum conſtituit, quos ad equeſtre certamen tollebat: adeo ut per Græcos equinæ prolis Venetæ nobilitas manaret.

Patavio antiquitus Venetarum urbium præcipuus honos fuerat: per tempora enim Strabonis cenſi ſunt in ea urbe quingenti equeſtris ordinis viri, antiquis autem annis *c.* & xx. militum millia miſiſſe conſtat. Dictum autem eſt Patavium vel quaſi Padsvium à Padi vicinitate, vel Ἀπὸ τῆ πίπτειν, id eſt, *à volando*, quod *captato augurio*, ut Servius ſcribit, *conditum ſit*. Virgilius primo *Æneidos* libro ab Antenore conditum Patavium refert his verſibus:

Hic tamen ille urbem Patavi, ſedeſque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia: nunc placida compoſtus pace quieſcit.

Nobilitata eſt maxime T. Livio & Hiſtorico, & Oratore facundiſſimo. Quem acerrimi vir ille ingenii Fab. Quintilianus Hiſtoricis omnibus & Græcis, & Latinis præponere videtur.

Tarviſium urbs Venetæ regionis, unde Tarviſani tractus fluxit appellatio, Totilam quintum Gothorum Regem in Italia genuit, qui magno exercitu conflato univerſam Italiam armis ſubegit, Romamque copiis infeſtis ingreſſus vaſtavit, incenditque. Hanc urbem interfluit Silis amnis placidiſſimus.

Tridentum ſunt qui velint ab his Gallis eſſe conditum, à quibus & Veronam. Hoc in loco tranſitus eſt Alpium, quæ Tridentinæ vocantur. Quarum meminit Plinius *libro* tertio. Inter Venetas urbes Vocentia & ipſa recenſetur, à Senonibus Gallis (ut Trogus refert) condita. Per Vocentinum agrum Rharonus & Bachilio amnes dilabuntur. Qui ubi ad Vocentiæ mœnia confluere, nec ille Rharonus eſt, nec hic Bachilio: ſed uno nomine Medoacus appellatus in mare Adriaticum defertur. Vocentinus Palæmon omnium hominum ſuæ ætatis arrogantiſſimus. Hic ille eſt, quem in ſuis carminibus Virgilius dignatus eſt inſerere, cum inquit:

—— *vel qui venit ecce Palamon.*

M. Varronem idem *porcum literarum* nominabat, verum *literas & ſecum natas, & ſecum periturus eſſe* dicebat. Interrogatus, quid inter ſtillam & guttam differt? *Stat*, inquit, *ſtilla, gutta cadit.*

Qui Veronam primitus habuerint ſatis eſt dictum: eam Atheſis interſecat. Hanc urbem tres maxime viri illuſtrarunt: Catullus ſcilicet, à quo & Julius Cæſar proſciſſus eſt: Vitruvius per tempora Auguſti *Architectura* ſcriptor: & Æmilius Macer, qui *de herbarum virtute* elegantiſſime ſcripſit. Sed hic libellus qui ſub Macri nomine circumfertur, non hujus eſt, ſed Odonis cujuſdam Medici, ut ipſe vidi in codice quodam antiquiſſimo. Verum ut gratior exiret in lucem, Macri titulo inſcriptus eſt. Qui ad Veronenſes Plinium *Naturalis Hiſtoria* ſcriptorem rejiciunt, pluribus fortaſſe, quam opus ſit, argumentis convicti ſunt. In Veronenſi agro Benacus eſt lacuum omnium amœniſſimus. In hac urbe occiſus eſt Philippus Imperator, quem ex Impp. primum cum filio ſacro baptiſmate nonnulli unctum fuiſſe contendunt. In Annalibus reperio eum tamen voluiſſe, ut antea etiam fruſtra tentaverant Tiberius & Adrianus Impp. aram Chriſto Redemptori dicare. Hujus ætate floruit Origenes, vir Chriſtianiſſimus, & quæ in ſacris Bibliis edidit, ſcriptis celebratiſſimus.

Feltrum item & Bellunum Veneti tractus civitates exſtitere. Opitergium quoque celebrati nominis apud Antiquos civitas fuit. Opiterginos enim lectum eſt Julio Cæſari contra Pompejanos auxilio veniſſe: infauſtoque pugnæ eventu diſceſiſſe, qui ne in Pompejanorum poteſtatem venirent, claſſe jam ab illis circumventa in Adriatico Sinu, inter ſe gladiis eductis concurrentes occubuere. Hujus rei meminit Quintilianus bis verbis *libro* tertio: *Denique non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergini circumventi.* Hanc urbem à fundamentis poſt longam obſidionem Longobardorum Rex Rhotaris evertit, cujus loco Heraclea condita eſt à Magno Opiterginorum Eccleſiæ Epiſcopo; & ab Heraclio Imperatore Heracleam dixit.

Sunt & in Venetorum tractu Acedum, Ateſte, & Alginum vetuſta oppida. Venetiarum urbs clariſſima, & totius Orientis emporium anno ſalutis LV. ſupra quadringenteſimum, ut Palmerio placet, in intimo Adriatici maris ſinu condita eſt, poſt vaſtatam ab Attila Rege Aquilejam. Cæterarum enim urbium primates Aquilejenſium ruinis & fremitu terrefacti, collectis ditiore ſupellectili in illas paludes ſalutis gratia ſe recepere. Cæterum cum calamitates in dies magis novis ſupervenientibus Tyrannis conduplicarentur, factum eſt, ut ibi ſedes firmarentur. Itaque crevit urbs ipſa brevi temporum intervallo. Hac autem ætate adeo opum & palatiorum excellentia, & recto conſilio pollet, ut facile Italicarum non modo urbium, ſed & totius orbis, princeps dicatur.

Aquileja ex antiqua nobilitate & potentia aliud habet nihil quam inane nomen. Hæc inter ſe colloquentibus, ecce ſuperveniens nuntius palam Galeacium Capellam agere animam retulit. Quamobrem conſternati omnes illico conſurtexere. Dii boni quæ ſuſpiria? quæ lamentationes ea hora non exſtitere? Quis dolore non exarſit? Quis tunc non exclamavit, impia fata, fata impia? quæ patriam hanc tam acerbo funere contaminaſtis. O Dii immortales, cur hoc lumen tam cito exſtinctum eſſe voluiſtis? Hæc ubi ſeorſum conqueſti eſſent, omnes lachrymis confuſi, inſalutato (quod ajunt) hoſpite diſceſſere.

GAVDENTII MERVLAE DE GALLORVM CISALPINORVM ANTIQVITATE AC ORIGINE

LIBER II.

POSTRIDIE Galeacii Capellæ viri ſubacti ingenio parta lia conventum impediverre: dilatum eſt itaque ratiocinandi tempus in alteram diem: quæ cum illuxiſſet, præſto omnes aſſuere, præter Landulphum & Phyletum, quos Ticinum traxit neceſſitas. Accepit eos autem in muſcum ſuum Bonaventura Caſtillioneus, hujus vir ætatis politiſſimus. Aderant primi veris delitiæ roſæ pro aulæis, pictiſque tapetibus: quæ ob Capellam mœſtus depoſuerat. Adfuit Otho vir cum ſingularis humanitatis, rum eruditionis, & cum eo Jacobus Majetus, de quo ſatius eſt tacere, quam pauca dicere: qui cum in hemicyclis omnes deſediſſent, præter omnium opinionem Bernardus Feliciauus acceſſit: quo viſo, omnes ſtatim aſſurgentes, amplexi ſunt hominem, non Cremonenſium modo, ſed & Ciſalpinæ Galliæ decus immortale. Omnibus itaque deſidentibus, omnium nomine Othonem orarum nonnulli, ut partem Ciſpadanæ Galliæ, qua fieri brevitate poſſet, abſolveret. Difficilem provinciam mihi, Otho inquit, impoſuiſtis, utpote quæ ab auctoribus celebrata ſit minus: veſtra tamen humanitas, non modo ut bono ſim animo facit, verum fortaſſe ex tirone me triarium, & ex gregario legionarium militem efficiet. Aggrediar igitur onus hoc nobis impoſitum, non tam ſpe perficiundi, quam vobis obſequendi. Si quid igitur in hiſtoria titubatum fuerit, aut ſi Latine quid dictum minus effluxerit, putatote obſecro eſſe me in tragœdia (quod ajunt) Comicum: & aliquando inter delitias habere me Grammatiſtis adverſari. Sed dum rem ipſam vobis breviter expono, precor, audite.

CAP. I.

Ciſalpinæ Galliæ compendioſa deſcriptio.

INTER Padum & Apenninum uſque ad Rubiconem quicquid terrarum jacet, Ciſpadana Gallia nominatur: & primi ſunt Anancs, poſt Boji, inde Eganes, mox Senones, deinde ad litus Adriaticum Geſatæ. Anancs ſunt, teſte Polybio, qui non longe habitant à Maſſilia.

Bojorum regio & ipſa ampliſſima eſt, quorum metrocomia fuit Tannetum, nunc Bononia eſt. Eganes eſſe arbitror, qui nunc Tanarum, & Trebiam, Padumque per Apenninum jacent. Inter Anancs Aſtam colooiam, & Alexandriam urbes celeberrimas numeraverim.

Ad Eganes Pollentinos, Albam Pompejam, Aquas Statiellorum, Derthonam, Caſale ſancti Evaſii, & Bobianam urbem rejiciam. Tunc Nicolaus Caſtillioncus, *Amicus Plato eſt*, inquit, *amicus Socrates, magis tamen amica veritas:* Invenio ipſe Bobium eſſe in Coctiis inter Anancs Alpibus, non autem in Apennino inter Eganes. Et vitula tu dignus, & ego, inquit Otho. Bobium enim, de quo ipſe loqueris, non inficias eo eſſe in Coctiis Alpibus: alterum vero, de quo ipſe ſentio, medio fere eſt inter Genuam & Placentiam itinere. Hæque rès Alciatum, miræ cum eruditionis, tum candoris virum, in errorem traxit: qui Georgium Merulam ſingularis ingenii virum ignorati loci infantia inurere conatus eſt; quod dixerit Alpes Coctias eas eſſe, in quibus eſt Bobium, cum Merula intellexerit Bobium in illis Alpibus, ubi eſt monaſterium (ni fallor) ſancti Columbani, quod à Theodelinda adjuvante Addoaldo Longobardorum Rege conditum fertur. Iſtud vero quod in Apennino eſt Bobium, Vermianæ ditioni ſuppoſitum eſt.

In ipſa via Æmilia erant Cuſtodia & Lellia municipia olim florentiſſima, quorum veſtigia hac ætate ne inſpiciuntur quidem. Viſu pulcherrima ſunt per hæc loca Apennini juga, nunc ſe ſubtrahentis, nunc in cubitum ſe curvantis. Huic monti exordia dat Polybius fere uſque ſub Maſſilia. Alii initium faciunt ſub Vadis Sabbatis, quæ Plinius portum fecit. Paludes autem cum plures per ea loca ſint, Vada dicta eſſe exiſtimandum eſt à Sabbatis fortaſſe populis. Exiſtimant autem non male plerique Sabaudiæ Duces hinc dici, & regionem Sabaudiam quaſi Sabbatiam. Sunt qui contendant eam nunc urbem eſſe, quæ *Savona* dicitur: in qua Pertinax Imperator (ut refert Julius Capitolinus) mercaturam per ſuos homines exercuit, non aliter quam privatus ſolebat. Sunt per hæc loca oppida nobiliſſima, quorum ingrata eſſet enumeratio.

In Apennino erat olim Libarna, quam Inciſam Georgius Merula pluribus argumentis eſſe contendit. Alexandria olim, ut quibuſdam placet, vicus fuit, nomine Caſarea, qui deinde actus à Mediolanenſibus, ut facilius Ticinenſibus & Rubrobarbo reſiſterent, Alexandria eſt appellata ab Alexandro Romanorum ea ætate Pontifice. Eam interfluit amnis Tanarus. In Alexandrino agro Quadringentum pagus eſt: à Quadringenta, ut inquit idem Merula, Romanorum familia.

Decimo ab Alexandria lapide Auguſta Bacienorum eſt in ripis Padi municipium & elegans, & veruſtiſſimum, utpote quod & à Plinio celebretur: nunc *Baſſignana* dicitur ſub ditione Comitis Hippolyti Mayni florenti adoleſcentis ingenio. Mox eſt Forum Fulvii, quod etiam per tempora Plinii Valentinuoi dicebatur; nunc eſt Valentia: ſane hoc in loco preciosa vina generantur. Derthona Romana colonia inter Inſubres & Lagures, quorum arma ſemper fere conjuncta fuerunt, deducta: ne alteris alteri auxilio eſſent. Sublatis Rom. armis & Senatus poteſtate in Inſubrum amicitiam declinavit, quam cum Rubrobarbus, ut Ticinenſibus gratificaretur, vaſtaſſet, immiſſis novis inquilinis Mediolanenſes repararunt anno à Virgineo partu MCLV. ut ſcribit Acerbus Muræna. In agro Derthonienſi Tyrus reptilium ſæviſſimus, ut vult Leoniceus, tantum oritur: ex cujus paſtillis fit tyriaca omnium fere venenorum antidotus efficaciſſima.

ciſſima. Quæ nec alibi (ut atteſtatur idem) præſtantior reperitur.

Inter Æmiliam viam & Padum Sale, & Caſtrum novum occurrunt, Gothorum (ut multi volunt) opera. In quibus illi ſtativa habuere, ne vicatim diſperſi trucidarentur. Antiliæ urbis non procul à Sarravale ruinæ vix inſpiciuntur. In quam Tiberius Cæſar (ut Suetonius eſt auctor) virum equeſtris ordinis, matriſque familiarem, & cui ea moriens curam funeris demandaverat, miſere condemnavit. Sita autem erat Antilia ſecundum ripas fluvii, qui Iria à vetuſtioribus eſt dictus, nunc *Scrivia* nominatur. Interit & in hoc tractu Iria, quam inter Cumillum & Dertbonam ponit Antoninus Pius, cujus etiam meminit Ptolomæus. Non abſurdum eſſet putare pro ea reparatum fuiſſe municipium, quod nunc * *Vecheriam* vocant, quaſi Vicem Iriæ præſtans. Mox eſt Claſtidium in agro Ticinenſi, horreum Annibalis cum ad Trebiam caſtrametaretur. In vicinia hac Viridomarum Gallorum Regem M. Marcellus ſingulari prælio devicit, Jovi Feretrio opima ſpolia in Capitolio dedicavit. Noviſſime Bobium eſt Vermianorum, de quo fortaſſe plura quam oportuit, diximus.

CAP. II.

De Bojis populis.

BOjos ſcitis omnes Galliæ Ciſalpinæ populos eſſe intra Padum & Apenninum à Trebia flumine uſque Bononiam, quæ Felſina ab Antiquis eſt dicta, & ab Hetruſcis condita: cæterum bellis vaſtatam Boji Galli Tranſalpini, qui nunc Borboni nominantur, reſtaurarunt, & ab eorum nomenclatura Bononiam, quaſi Bojoniam dixere. Hanc urbem Rhenus alluit. Bononiam alteram reperies inter Celtas ad littus Oceani. Verum ut ad Bojos regrediar, *Priſcis* (ut Strabonis Interpretis utar verbis) *temporibus plurima Gallorum gentes fluvium incolebant, è quibus ampliſſimi fuerant Boji, Inſubres, & qui olim cum Geſſatis Senones Romana per impetum urbe ſunt potiti. Hos Romani poſterioribus annis funditus deletos perdiderunt. Bojos vero è ſuis ejecerunt. Inde migrantes circumjacentes Iſtro locos cum Tauriſcis habitarunt, bellum aſſidue contra Dacas gerentes, donec ea gens fundituſ exſtincta eſt. Agrum vero qui ad Illyricum ſpectat, paſcendis ovibus idoneum vicinis reliquerunt. Inſubres hac etiam ætate ſunt, qui Mediolanum metropolim habuere: ea quidem pridem vicus erat, omnes enim vicatim habitabant, hac vero tempeſtate eximia dignitatis trans Padum civitas eſt, quodam modo Alpibus finitima.* Hæc ille.

Verſus Inſubres eſt Placentia Rom. colonia: quam Aſconius Pædianus tradit ordine quinquageſimam & tertiam. Fuit autem deducta pridie Kal. Januarii primo anno Primi belli ſecundi, Corn. Scipione patre Africani prioris, & T. Sempronio Longo Coſſ. Fuere autem miſſa Rom. generis hominum ſex millia, quæ Bojis opponerentur, & Inſubribus. Deduxerunt triumviri P. Cornelius Aſina, P. Papyrius Maſo, Gn. Pompejus, & Gn. Cornelius Scipio. Hæc colonia (ut vetera damna conticeam, poſt mortem Jo. Galeacii Vicecomitis, cui *Virtutum* cognomen fuit, fere ab Inſubribus ſemper octies prædæ expoſita eſt.

Coloniarum à te (inquit Bonaventura) ſæpius eſt facta mentio: quid autem colonia ſit, quos habere præceptores contigit, me non docuere.

Duo, mi Bonaventura candidiſſime, inquit Otho, fuere coloniarum apud Rom. genera: quarum præſtantior erat, quæ Latina dicebatur. Itaque cum eis Alpes Galli in fide Rom. vi cladium contineri minime poſſent, Gn. Pompejus Strabo

A M. Pompeji pater, ut Gallos, præſertim qui ad Alpeis jacent, clementia retineret, legem tulit ad populum, qua veteribus incolis Tranſpadanis Gallis jus Latinæ coloniæ dedit: quo poſſent in urbe magiſtratus petere, comitia inter ſe declarare. Quod jure Latii donati ſint majores noſtri, *libro* quinto his verbis Strabo declarat: *Optari vere cuipiam licet priſcos Italos felicitate florentes in communionem devocaſſe finitimos: atque hunc in modum auctis deinde viribus in Rom. Imperium devenisse. Tandem vero atque ex quo Romani in regni ſocietatem & in civitatem Italos vocavere, decretum eſt & Gallis Ciſalpinis, & Venetis idem honoris impertiri, univerſos Italos Romanos vocare.* Non longe à Placentia eſt Nura

B fluvius. In via Æmilia adhuc eſt Fidentiola, vetuſtiſſimum oppidum & celebre Carbonis clade, ut his ferme verbis Lavius oſtendit: *Sylla Carbonem exercitu ad Clauſinos, ad Faventiam, Fidentiolamque caſo Italia expulit.*

Inter Fidentiolam & Tarum duo ſunt ignobiles fluvii Occa, & Conus. A Taro Parmam itur, quæ & ipſa vetus eſt Rom. colonia. Eam autem ejuſdem nominis fluvius interfluit. Quam truculenter vexata ſit ab Antonianis militibus Cicero *Philippica* XIV. atteſtatur: *Declaravit*, inquit, *in calamitate Parmenſium, quos optimos viros, honeſtiſſimoſque homines maxima cum auctoritate hujus ordinis*

C *R. Q. P. dignitate conjunctos crudeliſſimis pœnis interfecit.* Et paulo infra: *Qua L. Antonius in Parmenſium liberis & conjugibus effecerit, refugit animus dicere P. C. eaque reformidat. Qua enim in urbe tam immanis Annibal capta, quam in Parma ſubrepta Antonius?* Abundabat alias Parmenſis tractus plurimum vellere, cujus meminit Martialis, cum inquit, *lib.* V. *epigr.* XIII.

Tondes & innumeres Gallica Parma greges.

Nobilitata eſt hæc urbs præclaris ingenio viris, C. Caſſio ſciliret, qui ab epiſtolis fuit C. Caſſii, qui C. Cæſarem interfecit; Caſſio altero centurione, & Caſſio poeta. Falſo autem Macrobium, qui *Saturnalia* ſcripſit, Parmenſes adſcribunt ſibi. Quando ipſemet in ſuorum librorum *Præfatione* non Italum ſe, ſed peregrinum fatetur, cum ait: *Se ſub alio ortum cælo, quem Rom. ſermonis vena non adjuvet.* Parma & Mutina coloniæ Cos. M. Marcello deductæ ſunt, adſcriptaque ſingulis bina millia hominum in agrum qui proxime Bojorum, ante Tuſcorum fuerat. Octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Deduxerunt triumviri M. Æmilius Lepidus, T. Ebutius Carus, & L. Quintius Criſpinus. In Parmenſi agro mons eſt Ceritus cum caſtro munitiſſimo. Montem Ceruchum vocant; cui dominatur Comes Paulus Taurellus cum

E natalium ſplendore, tum litterarum & morum elegantia celebratiſſimus. Guido huic tritavus fuit rei bellicæ ſcientiſſimus. Hic enim Genuates Vicecomitum Imperio ſubegit. Tametſi partem laudis Franciſcus Carmancola eripere conatus ſit. Conditiones enim pacis, & fœdera per Guidonem Taurellum incepta Carmancola à Philippo Vicecomite miſſus perfecit. Verum repudiato rurſus Carmancola Liguſticæ claſſi Taurellus ſecundo præfectur in Alphonſum. Qui triremibus prætervectus quanquam aſpera & fere intractabili hyeme Cajetanum ſinum invaſit. Mox urbes omnes & Neapolim ipſam, quæ Tyrrheno mari alluuntur, ejectis inde Hiſpanorum præſidiis occupavit, & Vi-

F eccomiti ſtipendiarias fecit. Carmancola poſtquam palatium illud, in quo Mediolani annona venalis exponitur, fere perfeciſſet, à Vicecomite ad Venetos transfugit: & Venetiis tandem proditionis ſuſpectus capite mulctatur, vir bello & pace præſtantiſſimus.

Inter Placentinum & Parmenſem agrum ſal à puteis hauritur, & in uſus quotidianos excoquitur,

* Reſtius fortaſſe Vicheria diceretur Vicus Iriæ.

loco nomen est Salsulæ: hinc etiam statis quibusdam temporibus Naphta reperitur. Secundum Padum Guastalla est oppidum præcipuum cum castro munitissimo. Mox est Brixellum, quod Autharis Longobardorum Rex fere vastavit, mœnia à fundamentis disjecta sunt: quod Docirupbum Longobardum cum manu satis valida recepisset. Qui inde fugiens Ravennam profectus est.

Inter Brixellum, & viam Æmilium Tannetum, fuit olim Bojorum civitas metropolitana: nunc vicus satis contractus. Cujus præclara mentio certatim fit ab auctoribus, præsertim à T. Livio libro suarum *Historiarum* primo & vigesimo: *Ita*, inquit, *divisa copia, Bojisque in agrum suum Tannetum profectis.* Hoc in loco Bucellinus præfectus copiarum Theudeberti Regis ulteriorum Gallorum, qui auxilio Getis sive Gotthis contra Insubres accesserat, post vastatam Mediolanum à Narsete gravi bello, & superatus est, & exstinctus. In Tannetano etiam agro Longobardorum equirum decem millia Totilam Gotthorum Regem cum universo exercitu trucidarunt.

Transeo nunc ad Rhegium Lepidi, triomviratus illius, quo omnis Italorum nobilitas pene sublata est, monumentum luctuosissimum non procul à Crustulo amne. Quæ loca qualia fuerint per tempora Annibalis, Strabonem audite: *Magna*, inquit, *intra Padum pars paludibus obtinebatur, per quas Annibal magnis difficultatibus iter fecit in Tusciam. Caterum M. Scaurus deductis ex Pade usque in Parmensium agrum fossis navigationibus commodis, paludes ipsas exsiccavit è campis. Per Placentina siquidem arva Trebia Padum influens, aliique item complures ante fluvii ultra modum pleniis stagnant.* Hæc Strabo.

Secus Padum Hostilia est: cujus incolæ apibus olim maxime oblectabantur: & pabulo illis in vicinia deficiente navibus imponebant alvearia, atque inde solventes per Padum, qui (ut jam dixi) proximus illabitur, ad quina millia passuum noctibus contrario fluctu procedebant: aurora adventante lintrem sistebant, donec dies illuxisceret. Illæ visa luce egrediebantur ad pabulum, pastæque ad naves redibant. Eo tractu depasto noctu semper locum mutabant, nec ad propria revertebantur, nisi navibus pressis pondere mellis plena alvearia intelligebant: & hac ratione domum revectis, mella eximebantur & copiosa, & optima.

CAP. III.

De Gessatis populis.

QVI nunc Romanioli dicuntur, fuere olim Gessatæ: quorum origo defluxit à Transalpinis, habitabantque non procul (ut Polybius attestatur) à Rhodano: qui cum Bellovesо in hanc Citeriorem Galliam irruperunt, & expulsis Toscis, quicquid telluris inter Adriaticum littus & Rhenum Bononiensem jacet, occuparunt. His peculiare fuerat suo periculo bella conficiunda suscipere: & ut nudi in certamen prodirent. Iccirco Gessatæ dicti: quæ vox *fortem* significabat. Gessatarum meminerunt Strabo & Polybius.

Urbium Gessatarum nulla habetur mentio: verum quæ nunc sunt, fere à Romanis & aliis Italiæ populis conditæ sunt. Ferraria enim, ut scitis, à Smaragdo Italiæ Exarcho post translatum in Thraciam Rom. Imperium ædificata est: quæ nunc Estensium Ducum & ingenio & opibus adeo exculta est, ut inter urbes Italiæ primarias nunc haberi possit. Non procul à Bononia Forum Gallorum fuerat, & fortasse inter Bojos: ut colligere potui ex verbis Appiani Alexandrini: *Mansit*, inquit, *itaque juxta campum in villa quadam nullo circumsepta vallo, qua Celtarum Forum nuncupatur.* Hujus etiam vici meminit Sergius Galba, cum inquit: *Antonius ad Forum Gallorum suas copias continebat.* Ubi nunc hic vicus sit, alibi dicetur. Non procul ab hoc pago M. Antonius Pansam Cos. suis abditis per sylvestria viæ Æmiliæ fudit, quo in prælio Cos. vulnere affectus intra paucos dies naturæ concessit.

Versus Adriam Ravenna est urbs à Thessalis condita: quæ diu Gotthis & Longobardis obstitit: circa Ravennam Hispani à Gallis devicti sunt, & Gallorum vires adeo protritæ, ut à paucis diebus ultra Alpes amissis Dncibus se receperint. Plinius Sabinorum oppidum Ravennam vocat. Umbrorum alii esse coloniam volunt: quod Thessali Tuscorum injuriis contra jus gentium sæpius lacessiti introductis Umbris illorum hostibus discessere.

Ariminum colonia Cisalpinam ab Italia Galliam separat: iccirco ambarum terminus: non sum tamen nescius Galliam ad Anconam usque à Pomponio Mela produci. Cesenna & ipsa urbs antiqua vino optimo nobilis. In hoc tractu esse ait Strabo vasa vinaria adeo magna, ut domos altitudine videantur æquare. Sarsina vel solo Plauto, cui palma inter Comicos daretur, nisi Cæcilius Mediolanensis eam arripuisset, celeberrima est. Forum Cornelii nunc Imola dicitur. Haec recto ordine sequitur Faventia, quam Totilas à fundamentis evertit. Forum Livii Gallo Poeta Virgilii amicissimo nobilitata est. Hinc non longe fuit Adria: de qua hæc Strabo: *Adriam quidem inclytam civitatem fuisse memoria proditum est, à cujus nomine modica transpositione sumpta, & sinus appellatus est Adriaticus.* Tametsi nomen hoc Ἀπὸ τῆ ἀνδρὸς, hoc est, *à viro*, Theopompus descendere testetur. Adriam vero vicino fluvio dictam putat. Idem Strabo juxta Adriam ponit Epiterpum, Ordiam, & Ucetiam, quæ omnes bellis protritæ interiere. Butrium Ravennatum castellum fuit. Altinum inter paludes est. Spina tempore Strabonis vicus etiam erat: at quondam Græca civitas, & quidem celebris in Delphis Spinensium thesaurus commonstratur: aliaque de ipsis memoriæ mandata sunt, nempe apud quos maris erat imperium. Eam (ut traditur) unda maris alluerat, nunc locus LIX. à mari stadiis distans in mediterraneo jacet. Quæ interiesint gentes per Gessatarum & Bojorum tractum, conjectari facile possumus ex Plinio: qui has gentes per hæc loca recenset, quæ hoc tempore deletæ sunt, ut Forodoclienses *, Livienses, Pompilii, Truentinoni, qui cognominantur Aquinates, Tannetani, Veliates, & ipsi Boji, præter Bononiam: quorum tribus exit. fuisse auctore est Cato. Plutarchus in *Vita Claudii Marcelli* in hac Citeriore Gallia Iberos etiam ponit. Ejus hæc sunt verba: *Iberi gens Gallica est, qui vicinam Alpibus pascuntur Italiam: qui quamquam potentes essent, & fortes per se, Gallorum tamen alterum auxilium, utrisque implorabant, quos mercium agentes mercede Gessatæ appellabant.*

CAP. IV.

De Senonibus populis.

SENONES & ipsi sub signis Bellovesi Alpes transcuntes extremum Cisalpinæ Galliæ angulum, qui Tuscia est proximus, occuparunt, diuque in Italia sub Regibus fuere: è quibus Brennus fuit; cujus auspiciis Cisalpina Gallia Romam, præter Capitolium, incendiis consumpsit. Horum agrum, qui ab Ancona principium habet, primo Siculi, & Liburni tenuere: in primis Palmensem, Prætutianum, Adrianum. Umbri eos expulere: hos Hetruria, hanc Galli. Senonum in Citeriori Gal-

* Haud dubie rescribendum, *Forocliensis*: vide Plinium *lib. III. cap. XV.*

lia

lia metrocomia fuit Senogallia, quaſi Senones Galli. Hac ætate urbecula eſt. Non procul hine eſt Metaurus fluvius. Deinde eſt Piſaurum cum amne. Fanum Fortunæ colonia: nunc Marchia Anconitana, olim Picenum. Hæc ſunt, eruditiſſimi viri ſimul & humaniſſimi, quæ ut vobis obſequerer, de Ciſpadana Gallia ab auctoribus excerpſi.

CAP. V.

De Alpibus.

HAEC cum dixiſſet Otho, decurſo velut ſui laboris ſpatio, ſubticuit. Tunc Bonaventura, Quoniam, inquit, eſtis in regno meo, videor mihi pro facilitate veſtra poſſe me tyrannidem exercere.

Id cum ſilentio omnes affirmaſſent, Puellam hue formoſiſſimam, inquit Caſtillioncus, ſine veſtibus adduxiſtis: cum itaque ipſe myſta ſim, nolo ipſam intueri, ni ab aliquo veſtrum veſtiatur prius. Quamobrem pro mea, quæ in te ſemper fuit ſingularis, obſervantia, cum propter neceſſitudinem ſanguinis, tum propter eruditionis candorem obſecro te, Nicolae Caſtillionee, ut Alpium, quibus hæc noſtra Gallia indui videtur, nomenclaturam nobis abſolvas.

Locum, inquit Caſtillioncus, precibus non relinquam tuis, qui mihi eſcha riſſimis charior: verum, ut brevitatis imitator ſim tuæ, tem ipſam aggrediar. Alpes, quarum pro disjunctione locorum diverſa ſunt nomina apud Latinos, Græci ſola appellatione Cimenios montes vocant. Ab eodem autem loco & Alpes & Apenninus initium capiunt. Strabo ad Genuam Liguriæ metropolim, & Occidentis emporium frequentiſſimum, Alpium & Apennini exordium rejicit. D. autem Brutus ad Vada Sabbatia: & hallucinari ne videar vobis, ejus verba ſubjungam: *Ille enim it paſſim, ego ordinatim, quacunque ivit ergaſtula ſolvit, hominee arripuit, conſtitit nuſquam priuſquam ad Vada venit: quem locum volo tibi eſſe notum. facet inter Apenninum & Alpes impeditiſſimus ad iter faciendum.* Videtis ergo harum regionum loca à Latinis, quam à Græcis, diligentius excuti. Ipſum autem Apenninum a boum vel copia, vel præſtantia dictum ctediderim. Apis enim Ægyptiorum lingua (ut vult Solinus) bovem ſignificat. Titus autem Livius ab Hercule, quem in ſummo montis vertice cultum majores noſtri Penninum vocabant, nominatum putat. Explodenda eſt enrum opinio, qui à Pœnorum tranſitu, tanquam hic mons ante Annibalis adventum in Italiam nomine caruerit, hæc juga dicta arbitrantur. Sed id Grammatici viderint, quibus mos eſt contendere de lana (quod ajunt) ſæpe caprina. Dionyſius Afer hunc montem ſic deſcribit:

Μέσσα δ' ἀμφοτέρων ὀχθήσατο Λίγυος ἄκρη
Παλλήνης. Τῶν μὲν τε μέλαν ὕδωρ ἀνάλκεα τέμνει,
Οἳ δὲ καὶ ἐν σάλπιγξι ἰῇ μάλα. Οὐκ ἂν ὀνεῖο
Ἴδμεν μαιμήσιν σφῶϊν ὑπερχόμενοι Λίγυσσιν.
Οὐ γὰρ Ἀπεννῖνον πυκάσουσιν.

Id eſt: *Hunc vero ſequitur Auſonia ora: quam mons quidem elatus admodum & extenſus ut ſtatera per medium ſecans, atque illum ab omni latere circumſeptus miro quodam ornamento, & inſuperabili prope munimine vallavit. Nullus unquam architectus videri negare poterit, quin fuerit Minerva opus. Illum incolæ Apenninum vocant.* Hæc de Apennino dicta ſint: ad Alpes, quibus à Gallia, Germaniaque, & Pannonia dividimur, accedo. Verum quoniam omnis mea de Alpibus futura eſt oratio, placet ante diffinire, unde Alpes dicantur: *Omnis enim*, (ut inquit Cicero) *qua à ratione ſuſcipitur de aliqua re diſputatio, debet a definitione proficiſci, ut facilius intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur.* Hi igitur, quos in vicinia videtis, montes, Alpes nominantur: quod majores noſtri (ut Servius atteſtatur in quarto *Æneidos*) montes altos Alpes vocarent. Quæ appellatio hac etiam tempeſtate Apennino, qua per Calphurnianum ſaltum in Tuſciam tranſitur, indita eſt. Cœlius Calcagninus Alpes dictas putat à perpetuo nivium candore: Ἀλφὸς enim *maculam albam* in corpore ſignificat. Feſtus *Vitiligmem* vertit, & alio nomine Ἀδνὴ dicitur, tametſi λάδνη profundius deſcendat: Ἀλφὸς autem tantum ſuperficiem immutat. Cæterum (ut me ad prima recipiam) Alpes vel à vicinia ut Maritimæ, vel à Regibus ut Coctiæ, vel ab altitudine ut Summæ, vel à populis ut Rhæticæ, & Lepontiæ, nomina ſunt ſortitæ.

CAP. VI.

De Maritimis Alpibus.

ERVNT igitur Marinmæ Alpes, quæ à Vadis Sabbatiis ad Monœci portum, & hinc & ad Vari fluminis oſtia longis anfractibus, & lunatis cornibus extenduntur. Inter Genuam & Vada cc. & LX. ſtadia interſunt. Inde ad CCC. & LXX. ſtadia Albigaunum eſt oppidum: quod Merula flumine abluitur: hac autem tempeſtate Centa, quod centum rivis augeſcat, nominatur. Hinc ad Monœci portum ſtadia CCC. & LXXX. In quorum medio Albion eſt Intemelium Hiſtoricorum monumentis celebratiſſimum, cum quod per tempora Ciceronis Intemelii Bellienum Demetrii vernam in vincula conjecere, quod Domitium quendam virum adprime nobilem, & C. Cæſaris hoſpitem à contraria factione nummis acceptis ſtrangulaverat, ut auctor eſt Cœlius: tum quod fortunas hujus oppidi Othoniana claſſis per mare Liguſticum excurrens prædæ expoſuit: cumque torqueretur mulier à militibus, ut quem ipſa inter latebras abdiderat, filium proderet, uterum tortoribus oſtendens, *In hoc*, inquit, *latuit.* Itaque mors parentis filio vitam tulit. Ab hujus oppidi nomenclatura nonnulli arguunt: quod à Sabbatiis Alpes initium capiant. Alpia enim prioribus ſeculis dicebatur Albia Intemelia: ſicut & Alpiona. *Nunque hoc tempore* (verbis utor Interpretis Strabonis) *in Japodes, mons exceſſu horum ultima attingens, & Alpes ipſas Albium nominant, perinde ac eo uſque extendantur Alpes.*

Monœci autem portus nec magnarum, nec multarum navium capax eſt. Hic olim venerabatur Hercules: & ab eo nomen oppido inditum eſt. Hinc recto itinere ibatur ad Auguſti trophæa: quam nunc *Villam Francam* vocant. Mox eſt Sallyium Nicæa. Ab hac urbe brevis eſt tranſitus ad Viſionem, & binc Anaonem, mox Antipolim: deinde ad Forum Julii Octavianorum coloniam Paulino Suetonio, & Julio Agricola celebratiſſimam. A Foro rurſus Julii navigatur per Sambraeitanum ſinum Cithariſtam, Imatras, & Maſſiliam. Hue uſque Liguria protenditur, ſi Trogo & Euſtathio id ſcribentibus credimus.

Inter Maſſiliam & Antipolim Sallyes Alpes tenent. Alciatus tam de re litteraria, quam quis alius unquam, bene mentus, putat Alpes Maritimas etiam Grajas dici, quod per eas Hercule Duce Græci tranſierint. Ego (pace tamen tanti viri dixerim) Alpes Grajas eſſe putaverim, quæ à Seguſio in Auguſtam Prætoriam protenduntur, auctore Plinio, qui ait eam urbem in ſaucibus Grajarum, Penninarumque Alpium ſitam eſſe: per quas petimus Genevam in ripis Lemanni lacus, unde Alemanni dicti ſunt.

CAP. VII.

De Coëtiis Alpibus.

INTER Grajas & Maritimas Coëtiæ ſunt Alpes, in quarum exitu verſus Italiam Seguſium eſt. Eas Amm. Marcellinus ita deſcribit †: *Hanc Galliarum plagam ob ſuggeſtus montium ardnos, & horroro nivali ſemper obductos, orbi reſidui incolis antehac pene ignotam, (niſi qua littoribus eſt vicina) munimina claudunt undique, naturâ velut arte circumdata. Et a latere quidem Auſtrali Tyrrheno alluntur, & Gallice mari: * qua cæleſto ſuſcipit plauſtrum, a feris gentibus fluentis diſtinguitur Rheni: ubi Occidentali ſubjecta eſt ſideri, oceano & altitudine Pyrenæi ſurgit: unde ad ſolis ortus attollitur, aggeribus Coëtiarum Alpium, quas Rex Coëtius perdomitis Gallis ſolus in anguſtiis latens, inviaque locorum aſperitate confiſus lenire tandem timore in amicitiam Octaviani recepit Principis, molibus magnis exſtruxit ad vicem memorabilis muneris, compendiarias, & viantibus opportunas, mediasque inter alias Alpes vetuſtas, ſuper quibus comperta paulo poſtea referemus. In iis Alpibus Coëtiis, quarum a Seguſio oppido initium eſt, præceſſum erigitur jugum, unde fere ſine diſcrimine pene trabile. Eſt enim a Gallis venientibus prona humilitate devexum, pendentium ſaxorum altrinſecus viſu terribile, præſertim verno tempore, cum linquente gelu, nivibuſque ſolutis flatu calidiore ventorum per diruptas utrimque anguſtias, & lacunas pruinarum congerie latebroſas, deſcendentes cautibus planctis homines, & jumenta procidunt, & carpenta. Idque remedium ad arcendum exitum repertum ſolum, quod pleraque vehicula vaſtis ſunibus colligata pone cohibeme virorum vel boum niſi valide vix greſſu repente paule tutius devolvuntur. Hyeme vero humus cruſtata frigoribus, & tanquam levigata: ideoque labilis ingreſſum præcipitantem impellit, & paula valles per ſpatia plana glacie perfida vorant nonnunquam tranſeuntes: ob quæ callidi eminentes ligneos ſtyles per cautera loca deſignant, ut eorum ſeries viatorem ducat innoxium: qui ſi nivibus operti latuerint, montanis deſluentibus rurſus everſi graves agreſtibus pravis difficile pervadantur.* Hæc Ammianus. Ex quibus verbis explodenda eſt nonnullorum, præſertim Baptiſtæ Egnatii, opinio, qui arbitrati ſunt, Alpes Coëtias eas eſſe in quibus Genua Ligurum nunc Metropolis continetur.

CAP. VIII.

De Saltu Julia Alpis.

SALTVS Alpis Juliæ non in Italiam deſcendit, ſed à Coëtiis Alpibus exeipitur. Incipit autem à Tricaſtinis & in Tricorios deſcendens viatorem ſiſtit in Coëtiis. Per hunc Saltum ſcribit Titus Livius in Citeriorem Galliam Belloveſum ſe receptiſſe; fugaſſeque Tuſcos acie victos ad Ticinum amnem. Hicque nodus cauſæ fuit multis erroris, putantibus Juliæ Alpis Saltum, & Julias Alpes eandem eſſe per Alpes viam. Quis enim eſt, qui non ſciat Tricaſtinorum Auguſtam inter Narbonenſis Galliæ urbes à Plinio ‡ numerari inter Albam Heluorum & Anatilium non procul ab Apta Julia?

† *Lib.* XV *cap.* X.

* Hudie legitur. *quà cæleſte ſuſpexit.* Σκάμμαθα alia, quæ hic occurrunt bene multa, corrigenda juxta Editionem Clariſſ. Jac. Gronovii.

‡ *Lib.* III. *cap.* IV.

CAP. IX.

De Grajis Alpibus, quæ & Graia dicuntur ab aliquibus.

GRAJÆ Alpes à Coëtiis initium capiunt, & extenduntur uſque ad Auguſtam Prætoriam. Paulus Jovius, vir cum miri candoris, tum eruditionis, has Penninas eſſe contendit. Cujus auctoritati non audeo refragari, quando fere conſtet ex lectione Ptolomæi, Caturiges eſſe in Grajis Alpibus. Verum ex lectione Titi Livii ſecus apparet, ut mox dicemus. Ex *Itinerario* Antonini Pii habemus Tarantaſiam & Octodurum eſſe in Grajis Penninisque Alpibus: cujus incolas alii Ceutrones, Centrones alii nominant: quos Strabo poſt Salaſſos collocat his verbis: *Poſt Salaſſos ſunt Centrones, & Caturiges, & Veragri, & Nantuata.* Octodurus pagus nunc eſt Sancti Mauricii non procul à Rhodano, ubi is ſe in Lemannum lacum exonerat.

CAP. X.

De Penninis Alpibus.

TITVM Livium ſi ſequimur, facilis erit conjectura Penninas Alpes exordium ſumere, & finiri ad Sefitem fluvium: cujus hæc ſunt verba *: *Id cum inter omnes conſtet, eo magis mirer ambigi, quanam Alpes tranſierit (Annibal): & vulgo credere Penninæ, atque inde nomen & jugo Alpium inditum, tranſgreſſum. Cælius per Cremonis jugum dicit tranſiſſe. Qui ambe ſaltus eum non in Taurinos, ſed per † ſaltus montanos ad Libues Gallos deduxiſſent. Nec veriſimile eſt, ea tum ad Gallum patuiſſe itinera: utique cum qua ad Penninum feram, obſepta gentibus ſemi-Germanis fuiſſent.* Hæc ille. Si ergo Pennina juga ſepta ſunt ſemi-Germanis gentibus, quæ Helvetii ſunt, quis dubitat Penninas crepidines initium capere ab Auguſta Prætoria? fallique Jovium virum alioqui doctiſſimum? Omnes ſere tamen auctores ajunt Annibalem in Italiam penetraviſſe per Penninas Alpes. Vt Servius in illo Virgilii carmine, *Æneid.* X.

——— *Alpes immittet apertas.*

Quas patefecit non ſibi tantum, ſed omnibus gentibus, quæ ſecundum Catonem & Livium muris vico inebantur Italiam. Eaſque Annibal (poſt bella Hiſpaniæ, quæ decem & ſeptem annis conſecit) *aceto rupit. Juvenalis, Qui montem rupit acoto. Denique loca ipſa qua rupit, Pennina Alpes vocantur.* Quam liquido hanc controverſiam Servius tollat, nemo eſt ex vobis qui non agnoſcat. Cujus opinioni calculum adjecit Am. Marcellinus ‡: *Quæ Annibal, inquit, doctus a perfugis, ut erat expedita mentis & callida,* (loquitur enim de Penninis Alpibus) *Taurinis ducentibus accolis per Tricaſtinos & oram Vocontiorum extremam ad ſaltus Tricorios venit: indeque exerſus aliud iter intolerabile inſuperabile ſecit: excisâque rupe in immenſum elata, quam cremando vi magna flammarum, aceteque infuſo ** qua in ſolidis ſolent per Druentiam flumen gurgitibus vagi †† in totum regionem occupavit Hetruſcam.* Cur autem Penninæ Alpes dicantur, diverſa eſt opinio. Alii ſiquidem à tranſitu Pœnorum dictas putant. Plures ab uno vel acri incola jugi ejus, norunt nomen inditum. Plurimi vero ab eo, quem in ſummo ſacratum vertice Herculem Penninum montani appellant. Quorum opinionem Petronius Arbiter his verſibus affirmat:

* *Lib.* XXI. *cap.* XXXVIII.

† Lege, *Salaſſos.*

‡ *Lib.* XV. *cap.* X.

** Legendum omnino, *diſſolvit*, pro, *qua in ſolidis ſolvit.*

†† Repone, *autumn.*

— *exuit*

——— exuit omnis
Quippe moras Cæsar, vindictaque actus amore
Gallica projecit, Civilia sustulit arma
Alpibus asriis: ubi Graio nomine pulsa
Descendunt rupes, & se patiuntur adiri.
Est locus Herculeos sacer aris, hunc nive dura
Claudit hyems, eanoque ad sydera vertice surgit:
Cælum illine cecidisse putes, nen soles adusti
Mansuescunt radis: nen vernis temporis aura,
Sed glacie concreta rigens, hyemisque pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.

Per has Alpes transisse C. Cæsarem idem refert Arbiter: & quanta difficultate is per Pennina loca evaserit, his versibus expressit:

Sed postquam turma nimbos fregere legatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere nives: mox flumina montibus altis
Undabant mode nata: sed hæc quoque missa putares:
Stabant, & junsta fluctus stupuere pruina,
Et paule ante lues jam concidenda jacebat.
Tum vero malesida prius vestigia lusit,
Decepitque pedes: passim turmæque virique
Armaque congesta strue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concussa flamine nubes
Exonerabantur: nec rupti turbine venti
Deerant: ac tumida confractum grandine cælum.
Ipsa jam nubes rupta super arma cadebant,
Et concreta gelu ponti volut unda ruebat.
Vsilia erat ingens tellus nive; vsilaque cœli
Sydera; vsita sunt harentia flumina rapis.
Nondum Cesar erat: sed magnam nixus in hastam
Horrida securis frangebat gressibus arva.

Cap. XI.

De Summis Alpibus.

Meminit Summarum Alpium Raymondus Marlianus: sed quæ sint, non satis aperte declarat: ait tamen has aperire voluisse C. Cæsarem, ut commodiore itinere à Citeriore Gallia in Veragros esset transitus. Hac igitur conjectura ducti alii eas esse arbitrantur, quibus est initium à Sesite, & finis ad Verbanum. Inque iis esse ajunt Vallæ Alpinarum gentium celebris præfecturæ municipium, & Ocellum, quæ nunc Ocellana domus appellatur. Ambo in Novariensi agro sita. Juxta Ocellum amnis Athiso dilabitur, exoneratque se in lacum Verbanum.

Non silentio involvendus est & Titi Livii, & L. Flori error: qui decepti similitudine nominis & Athisonis, & Athesis, Cimbros à Romanis in agro Veronensi devictos fuisse, scripsere. Et si qui ex vobis hoc mihi credit minus, pedem referat (ut interim taceam Castra Mariana pagum in agro Novariensi, & Diaria Eusebii Cæsariensis) ad monumenta Plutarchi: qui ait Cimbros à Leopontiis & Rhætis ulterius evagari prohibitos, per Alpes descendisse, in quibus est Athiso. Qua præterea ratione Sicciani populi, quorum metrocomia est Vallis, inter Alpes Teutonum regulos interceptos ad C. Marium victos adduxissent, si hæc apud Athesim gesta exstitissent?

Sed redeo ad Alpes rursus quamvis defessus vestram tamen in gratiam, ut intelligatis apud me esse antiquius nihil, quam amicorum desiderio pro viribus obsequi. In eisdem Alpibus est Mastaleo fluvius, qui in Sesitem penes Vallem precipitatur. Non procul hinc est Bormanicum oppidum, à Gallis (ut non absurdum est credere) Narbonensibus conditum: quando apud Plinium legatur Bormanicum in ea Gallia, non procul à Caballione inter Aream, & Macinam.

Cap. XII.

De Leopontiis Alpibus.

Has recto tramite Orientem versus Leopontiorum Alpes sequuntur: quas ex sententia doctissimi Alciati eas esse diffinimus, ubi sunt Suitenses: quibus ex Bilitionis castro in ripis Ticini antequam Verbanum ingrediatur, Claronam recte tendimus. Bilitio hac tempestate *Belinzona* dicitur; quæ alias Insubrum parebat Imperio, verum Sforciacorum ignavia Ducum cum pluribus aliis castris in jus Helvetiorum redit. Leopontiis Græcam esse originem Plinius fatetur.

Cap. XIII.

De Rhæticis Alpibus.

Leopontiarvm Alpium finis Rhæticus est initium: fuere autem Rhæti ex his Tuscis vetustioribus, qui Galliam Citeriorem ante Romanorum arma incolebant, & postmodum pulsi à Bellovesо Celtarum Rege in præruptas Alpium crepidines se recepere. Rhætorum metropolis est Curia. Celebrantur vina Rhætica à Virgilio, cum inquit *:

——— *& quo te carmine dicam Rhætica?*

Rhæticis enim præcipuus honor fuerat, ut Plinius scribit, ante Tiberium Cæsarem, qui ob nimiam vini ingurgitationem dictus est Biberius Mero. Rhæti hac tempestate *Grisones* appellantur: & quanquam fuerint Duce Rhæto, à quo & nomen accepere, Tuscorum coloni in linguam tamen & mores Helvetiorum transierunt.

In exordio Rhæticarum Alpium Vallis est Volturena Catonis commendatione celebratissima. Per eam in Larium se fluvius Addua exonerat. Quanta sit harum Alpium altitudo, mira ingenii ubertate Claudianus his versibus † expressit:

Sed luxus Hesperia, quo Rhætia jungitur ora,
Præruptis ferus astra jugis, pandique ‡ tremendam
Vix astute viam: multis eem Gorgone visa
Obriguere gelu; multos hausere profunda
Vasta mole nives; eumque ipsis sape juvencis
Naufragu candenti mergunter sape barathro.

Cap. XIV.

De Tridentinis, Juliis, & Carnicis Alpibus.

Tridentinas Alpes recenset Plinius in libris *Naturalis Hysteria*, quas esse constat, ubi est Tridentum. In Tridentino tractu urbem condidit Anastasius Constantin. Imperator. Hujus rei testem habeo ipsius Anastasii edictum ad circumvicinos Tridentinæ regionis in hanc sententiam scriptum: *NECESSITAS PVBLICA multorum debet devotione compleri. Quia non decet paucos suscipere, quod constat plurimis expedire, ne regia jussa tepefacta lenescant, dum res utilis delegatur infirmis. In Tridentina ergo regione civitatem construi nostra præcipit auctoritas: sed quia terruerit parvitas magnitudinem operis non potest sustinere: hoc solicitudo nostra prospexit, ut acceptis mercedibus competentibus podaturam murorum omnes in commune subvehatis, quis vicinitate jungimini, ut accommodate solatio securius complentur, quod paucis inexplicabile forte cognoscitur. Hac scilicet conditione definita, ut nullus ab his oneribus excusetur, unde nec omnia domus excipit.* Hæc ille. Verum, quæ fuerit hæc urbs, quam condi mandaverit in Tridentina regione, adhuc ignoro.

Transeo igitur ad Julias Alpes, quibus ex Foro Julii transitur in Noricum. Eas iis verbis Amm.

* Lib. 11. *Georg.* 2. 96.
† *De Bello Get.* 2. 340. & seq.
‡ Alii legunt, *arendam.*

Mar-

Marcellinus deſcribit †: *Poſtea res Latio patefactæ ſunt carentes aditibus: qua aliquoties dant magnorum Ducum repellere conatus, & pars quæ Illyricum ſpectat mollius edita, velut incanta ſubinde ſuperatur. Latus verò è regione oppoſitum Thracius prona humilitate diruptum, hincque & inde fragoſis tramitibus impeditum difficile ſcanditur, & nullo vetante. Sub hac altitudine aggerum nitrobræque ſpatioſa camporum planities jacet ſuperior, adusque Julias Alpes extenta ita reſupina & panda ut nullis haberetur obſtaculis, adusque fretum & Propontidem.*

Alpium extremæ ſunt Carnicæ, unde Julius Carnicus. Quanm Rom. ſanguine hæc loca per tempora Divi Hieronymi adſperſa ſint, ipſe declarat iis verbis: *Horret animus temporum noſtrorum ruinas perſequi. Viginti & eo amplius anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim, & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur: Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctaſque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunus, Wandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, & rapiunt.* Miror non adjeciſſe illum Ciſalpinam Galliam, quam à Marcomannis vaſtatam fuiſſe, præſertim Inſubrum agrum circa Mediolanum, refert Flavius Vopiſcus, qui poſtmodum Aurcliano imperante tanta clade Romanos ad Placentiam affecere, ut pene Romanum ſolveretur Imperium.

Gignunt Alpes plures feras. Polybius auctor eſt belluam in eis gigni, quæ habitu quidem eſt ad cervi ſtaturam collo duntaxat excepto, & villis, quibus capro perquam ſimiliseſt: geritque ſub mento carnis globum ad palmi magnitudinem capilloſum: huic caudam equini pulli eſſe tradit Polybius. Habent & Alpes lepores candidos, quos hybernis menſibus pro cibatu nivem credunt eſſe: certe liqueſcente ea rutileſcunt annis omnibus. Item boves & equos agreſtes. Naſcitur quinetiam in Alpibus ſaliunca, herba verius quam flos. Pannonia gignit hanc quoque & Noricus, Alpinarumque apricæ urbium Hipporhedis tantæ ſoliditatis, ut metallum eſſe coeperit, veſtibus cam interponi gratiſſimum eſt.

CAP. XV.

De nonnullis fluminibus & lacubus Ciſalpina Galliæ.

E Montibus, quos Salaſſi colunt, duæ defluunt Duriæ: inter Auguſtam Taurinorum & Clavaſium Morgus eſt, qui nunc Orchus appellatur: & fluvius alter, quem Sturiam nominant. Inde eſt Seſites, quem Sicciam etiam vocant, unde Sicciani populi. Mox eſt Aconia inter Novariam, & Seſitem. Et inter hanc & Ticinum Terduplus. Ticinum Verbanus emittit: cui ob latitudinem Majoris cognomen eſt inditum. Forma ipſius lacus cochleæ ſimillima eſt lunaris quibuſdam cornibus biceps, alibi trigona: habet longitudinis ſtad. CCCLXIV. latitudinis vero XXXII. Quibuſdam in locis ita arctatur, ut vix mille paſſus excedat: aliis tria, aut bina paſſuum mdl. Natura interdum ita placidus eſt, ut etiam nautarum negligentiam ſuſtineat: ſæpenumero ita contractæ frontis eſt, & æſtuantis, ut eorundem peritam audaciam deterreat. Scopulos habet non Ceraunios, non Scyllaceis, aut Cyaneis inferiores, qui ventis & undis adeo oblatrant, ut Virgilianum illud * per eas partes tranſeuntibus occurrat:

Et gemitum ingentem pelagi, pulſataque ſaxa
Audimus longe, fractaſque ad littora voces:
Exſultantque vada, atque æſtu miſcentur arena.

† *Lib. XXI. cap.* X. Locus iſte miris modis eſt depravatus, qui omnino reſtituendus juxta Editionem ſupra citatam.
* *Lib. III. Æneid. v.* 556.

Huic lacui Ticinus ex Leopontinis Alpibus derivans immiſcetur: tantoque impetu per Verbanum fertur, ut multo ſpatio ſupernatet. Regio circumadjacens adeo felix eſt, ut verna temperie, & herbarum luxuria facile cæteris antecellat: & ideo non deſunt, qui Verbanum à verna temperie dictum putent. Huic exordium eſt ad Magadinum * vicum: mox paulatim arctatur, inde erumpens ut Propontis exſpatiatur: iterum premitur, & denuo panditur ut mare Euxinum. Tandem ad Sextas Calendas (vici nomen eſt, quem Sextium vocant) clauditur: atque illinc Ticinus erumpit.

Cæterum undique frequentiſſimis municipiis & portubus ornatur. Siquidem in ea parte, quæ Inſubribus eſt oppoſita, ſunt Locarnum, Aſcona & Inſulæ cuniculares duæ, à copia eorum animalium in illis ſtabulantium dictæ: mox eſt Briſagum, deinde Canobium coriaceæ mercis emporium. Non procul hinc in profundo lacu ruinæ, & disjecta fundamenta Caſtri Malpagi à præternavigantibus conſpiciuntur: *quod olim* (ut ſcribit Machanæus in *Coſmographia Verbani lacus*) *à quibuſdam piratis, quos Mazardas vocabant, ad injuriam & populationem Verbanicolarum, conditum feliciſſimo circumadjacentium populorum eventu Mediolanenſes ſubverterunt, piratis ad unum ſaxo ad collum appenſo ſubmerſis.* E regione Malpagi veſtigiorum Iſcllæ ſunt peninſulæ duæ vulgatiſſimum piſcatorum diverſorium. Ab Iſcllis Pallantiam tranſitur; quam Volaterranus Polentiam eſſe ſcripſit, fere nominum ſimilitudine deceptus. Hoc municipium ramus Verbani (ita nautæ appellant) longitudinis mil. paſſ. ambit. Illinc navigatur Intram, & ab ea mox Aronam: quam ſcitis cum natura loci, tum arte munitiſſimam Gallorum Tranſalpinorum exercitum excepiſſe ſub Armiralo: qui eam & claſſe, quam ad hoc opus præparaverat, & terra oppugnabat: & tentata infeliciter & ſæpius expugnatione eam dereliquit. Dictam ipſe crediderim Aronam, quaſi *oronam*, hoc eſt, montanam.

In littore autem quod Inſubres tenent, ſunt Machanum, ubi Machanæus vir eruditiſſimus, quem ipſe in Auguſta Taurinorum Plinium *Naturalis Hiſtoriæ* interpretantem audivi, natus eſt: Lovinium, Germignaca, Arx Travaliæ, Lavenum, Acerræ, Hiſprium quaſi aſperum ob ſaxorum difficultates, & noviſſime Angleria Vicecomitum titulo Comitatus inſignia: quam Philelphus in gratiam Philippi Vicecomitis ineptiſſime ſcripſit ab Anglo quodam ædificatam, eumque Hectoris fuiſſe filium comminiſcitur. Et hanc ob cauſam ipſe Philelpho dementior velut ab Hectore gentus Anglı cognomen aſſumpſit.

Hic cum ſubriſiſſent omnes, Caſtillioneus: Putemus, inquit, Marte potius Alciato ab Anglis Saxonibus, qui cum Longobardis in Italiam venerunt, eſſe & conditam, & denominatam Angleriam: vel ſaltem auctam. In hoc municipio cernere fuit (nam eorum partem Philippus Architurus ad exornationem ædium ſuarum Mediolanum transferri curavit) veteſta monumenta, elaboratos tumulos, urnas, templa, cryptas, porticus, columnas, idque genus veteſtatis inſignia. Alpinarum (puto) gentium præfectura olim fuit: in qua ſub Carolis, Berengariſque Impp. jus dicebat, qui delectus fuiſſet ad hunc magiſtratum à Comite Mediolanenſi, & hanc ob cauſam Vicecomes nominarus: à quo poſtmodum præclariſſima Vicecomitum fluxit appellatio. Declinante enim Imperio Romano, cum Anaſtaſius imperaret, invenio urbium & provinciarum alias per diverſos magiſtratus ſoltas regi. Provincias per Comites, Romanam urbem

* Magadinum puto ita nuncupatum ab ipſius vici congruenti ſitu, forma, & ſtructura. *Μάγαδις* enim muſicum eſt inſtrumentum, quadrata tabula conſtans leviter connexa.

per

per Præfectum, Neapolim, & Syracusas rursus à Comitibus administratas fuisse, epistolæ Anastasii Imperatoris ostendunt. Rhæticis Alpibus Dux præerat, qui ferocissimis gentibus & agrestibus obstaret: erantque Alpes illæ per ea tempora Italiæ portio minima. Lego præterea fuisse Comites sacrarum largitionum: quibus Provinciarum judices audiebant, & quibus imprimendarum pecuniarum suerat munus injunctum. Erant & privatarum actionum Comites, quibus demandabatur castitas juvenum, & securitas mortuorum. Reperietis quinetiam patrimonii Comites, quorum partes ostendit epistola Anastasii, cujus est initium, *Antiqua consuetudinis ratio persuadet.* Nec deerant domestico-
B rum Comites. Qui igitur Comitis alicujus eo absente vices gerebat Vicecomes dicebatur. Similis est Vicedominorum familiæ nomenclatura: quæ olim dignitatis potius, quam familiæ, fuerat appellatio.

Mercurium (ut redeam tandem unde discesseram) sb Angleriatibus cultum fuisse plura monumenta sunt indicio. Qualia hæc sunt:

M E R C V R I O
Q. VITALIS
QVINTIONIS FIL.
V. S. L. M.

Item alterum:

M E R C V R I O
C. ALBINVS C. F. O. V. F.
MASCELLIO IIII VIR. * A. P. *Vel potius* ALP.
PRAEP. D. IVDEX V. DEC.
NOMINE SVO ET IVLIAE
INGENVAE VXORIS ET
A L B I N I O R V M
IVLIANI MASCELLIONIS
INGENVAE MONTANAE
LIBERORVM SVORVM
V. S. L. M.

Porro Verbani accolæ Mercurium colebant, non tam quod mercibus, hortisque, quam quod aquis præesse putaretur à vetustioribus, & portuum custos. In Verbanum se lacum duo lacus exonerant; alter ab Occasu ex agro Novariensi, quem Ortæ lacum nominant; alter ab Oriente, cui Lucano ex adjacenti oppido nomen est: ambo autem pisculenti admodum. Medio autem Verbanus est velut Alpinarum aquarum rex & dominator.

Cap. XVI.

De Lario lacu, Adduæ, & aliis fluctibus Alpinis.

Verbanvm sequitur Larius eo major longitudine, latitudine autem minor longe: quem alii a fulicarum copia dictum putant: ἀλίσκω enim Græcis, nobis est *fulica*. Alciatus à suavitate larium denominatum existimat. Ego autem à Larone sive Larunte, quæ vox Hetruscorum lingua (ut auctor est Cato in *Originibus*) significat principem: ad quam significationem Virgilium allusisse facile quis mihi persuaserit, cum inquit†:

At ne lacus tantos? te Lari maxime, &c.

* Hic Litteratus quispiam in margine pro notis A. P. scripsit legendum potius ALP. ea forte conjectura ductus, quod Merula Alciatum & Castillionensem secutus Anglerianam Alpinarum gentium præfecturam fuisse putet. *ea* sequenti verbo PRAEF. Verum quilibet vel mediocriter in hac re versatus facile norit ex his etiam quæ supra dicta sunt, has notas A. P. sic legendas, & cum superioribus IIII VIR. conjungendas. Dictionem vero PRAEF. ad sequentes notas pertinere. Licet impressorum incuria omissa fuerit omnia, post hanc dictionem, hoc enim pacto legi debet PRAEF. I. D. id est. *Præfectus Juri Dicundo.*

† Lib. II. *Georg.* v. 159.

A Circa Larium sunt montes adspectu fontium, & olivetis, ac citrorum copia suavissimi: quorum delitias Claudianus his verbibus † expressit:

Proximus umbrosa vestit qua littus oliva
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu.

In hunc lacum descendit Addua ex Rhæticis (ut jam dixi) montibus præcipitatus: unde & Danubius, qui & Ister appellatur. Ipse autem fluvius hemicycleri forma agrum Insubrum circuit: ex quo Euripum Franciscus Sforcia, hujus nominis primus, Mediolanum deduxit. Inter quod & fluvium sunt populi Græcæ originis Orobii sub Insubribus. Adhuc exstat antiquitatis vestigium nominis corrup-
B tio: siquidem mons *Robius* aliud est nihil quam mons Orobiorum, qui nunc *Briantei* nominantur, quorum metrocomia nunc est Vicus Martis. Addua autem è Lario erumpens primo Glaream Adduæ afficit, quam antiqui Fulcherias insulas vocabant, ut attestatur Georgius Merula, mirus antiquitatis vir observator. Quo in loco me puero Vencti à Gallis Transalpinis & Insubribus, auspiciis Ludovici Gallorum Regis, funesta clade protriti sunt. Emicuere eo in prælio Comitis Ludovici Barbiani, qui Insubrum Dux erat, ut attestantur hæc carmina, & fortitudinis exempla, & rei bellicæ peritia:

C *Hoc mihi quo tenuis manant è paupere vena*
Fudit in Albrici nostra Thalia decus.
Cujus posteritas celebres mirata triumphos
Grandisona forsan tollet ad astra tuba.
Namque Sophocleo celebrari digna honore,
Digna & Andini carmine vatis erat.
Qualiacumque tamen non dedignabere: si te
Tangit honos avorum, fama, decusque tuum.
Hic Decios, alter Fabios miretur in armis,
Et geminos belli fulgura Scipiadas.
Ætatum quoscumque gradus percurreris, ille
Haroat ingenio, consilioque tuo.
Nam licet ad laudes nullo accendaris Achille,
D *Sæpe juvat celeri subdere calcar equo.*
Augurer, illius summos aquabis honores,
(Certa fides) votum pectora numen habent.
Addula non negat hoc, cujus tua dextera nuper
Sanguineas Veneto sanguine fecit aquas.
Flumina in ripa Veneti ulteriore superat
Metati fuerant ordine castra Duces.
Eminus hinc magno tormenta excussa fragore
Grandinis in morem regia castra petunt.
Sternuntur passim peditumque equitumque caterva,
Aerea & in trepidos machina sævit equos.
Haud tantam passus stragem spectare suorum
Rex pius, hinc subito territa castra movet.
E *Forte tripartito dum digerit ordine turmas,*
Et parat in tuto figere castra loco:
Incidit in Venetas acies, agmenque supremum:
Nec mora, pugnandi copia utrimque datur.
Tollitur in cælum clamor, pugna aspera surgit:
Terribili sonitu territat arva tuba.
Qualiter æthereo fulmen torquetur ab arce,
Justa Panompheum cum quatit ira Jovem.
Taliter adversis audaci pectore signis
Fulminat Adriaci dextra cruenta Ducis.
Pellitur ecce gradu turpi formidine pubes
Gallica, & attonito pectore Vasco fugit.
Vicimus, exclamat passim Lavianus: & inde
F *Pugnat ad exemplum cætera turba Ducis.*
Instat, & bertatur Latias in bella cohortes,
Atque alacer multa cæde cruentat humum.
Bis pulsi cessere equites, bis terga dedere:
Bis pallor visus Regis in ore fuit.
At tibi Barbiaca lux è clarissima gentis
Venit in Adriacas impetus ire manus.
Invictique Duces vim vi detrudere, & ore
Comminus intrepido conseruisse manus.

† *De Bello Get.* v. 319.

Horrifico nec te terrent tormenta boatu,
Quaque volant dicta spicula missa manu.
Nec quod pene puer dubium certamen inires,
Vsque adeo dulci laudis amore furis,
Vt ferrum ferro admotum, & dextera dextra,
Non referam dederis quot Ludovice nesi.
Talis in Hectoreas ibat furibundus Achilles,
Talis in Argolicas Hectoris ira manus.
Exemplum mirata tuum trepida agmina campis
In pugnam referunt victa pudore pedem.
Sic modo qua nimio vertebat terga timore
Pugnandi studio Gallus in arma ruit.
Ecce volat versis tandem Victoria pennis,
Vergit & in nostrum cade cruenta latus.
Turpiter en victis jam cedit victor: ubique
Et Veneto passim sanguine terra rubet.
Qui superant rari præda spoliantur & armis:
Cæsaque jam capto capta fuere Duce.
Rex bene pro meritis meritos dignetur honores,
Debetur capiti multa corona tuo.
Mallæ animo, mallæ ingenio, sic iure ad astra
O decus, ô patriæ præsidiumque. Vale.

Tunc Bonaventura, Oblectavit me, inquit, hæc tua cantio: sed optarem à te scire, quando è sacro Musarum fonte tam lueulenter biberis.

Non sunt (inquit Castil[illegible]ncus) domi nostræ hæc nata carmina: sed alunde accepta jucunditatis gratia vobis retuli, sed ne fas molestus, obsecro, ut quam primum ad metam ipse perveniam, & vos missos faciam. Longobardorum in historiis legi, & Gotthorum, in lacu Lario fuisse insulam, quam Comacinam vocant, in qua Francilio Romanorum Dux primo, postea Gotthorum, & mox Longobardorum Reges immensos thesauros condidere. Hunc lacum mirum est ciconias, quibus omnis Transpadanus tractus abundat, non transvolare. In Adduam ex Bergomatum montibus Brembus fluvius irrumpit, defert etiam secum ex eisdem fere Alpibus Serrium in Padum.

CAP. XVII.

De reliquis Cisalpina Gallia lacubus & fluviis, ex Alpibus in Padum influentibus.

INagro Insubrum XVII. lacus, flumina autem LXIII. esse Blondus attestatur, eorum tamen nomina non recensct. Non me tamen fugit esse Eupilim, qui Lambrum emittit, Umbronem ab aliis dictum. Est & Lambrus alter, quem Insubres Meridianum vocant, & Oronaltera, qui pariter excipiuntur à Lambro, quem emittere Eupilim diximus. In quorum confluentu Sanctus est Angelus oppidum elegantissimum: quod Ludovicus Barbianus expugnavit, cum illud valido præsidio Venceti tenerent. Deinde Sebunus est lacus, qui nunc *Iseus* appellatur, hic Ollium emittit fluvium. Ex Brixiano agro Mela Broccho & Morma torrentibus acceptis defertur in Padum. Ex Tridentinis Alpibus Sarca fluvius effluit. Benacus lacus est Veronensis agri, citrorum copia odoratissimus: ex eo Mintius egreditur. In cujus ripa oppidum est, quod nunc *Governum* vocamus, quo in loco Leo Ecclesiæ Romanæ Episcopus Attilam Hunnorum Regem, ne Italiam invaderet, precibus deflexit. Athesis fluvius ex Alpibus derivat: mox est Medoacus, quem nunc *Bachilionem* Veneti nominant: medio hic Vocentiam dividit. Novissimi fluviorum sunt Timavus, quem hac ætate *Brentam* vocari Blondus asserit, Sisinus, Musio, Anaxus qui nunc *Plavus*, Vayanus, nunc *Calorius*, Liquentia, ex Opiterginis montibus, nunc *Liventia*, in quem influit Meduna, Alsa, nunc *Liminius*. Hæc sunt flumina, quibus universa Cisalpina Gallia versus Alpes irrigatur: nunc ea, quæ Apenninus emittit, enumerabo.

CAP. XVIII.

Cispadanam Galliam qua flumina alluant.

CISPADANAM Galliam fluvii plures alluunt ex Apennino: & ita quandoque eam partem occupant, ut nisi summo cum periculo loca illa inter Padum & Apenninum peragrentur: & sæpenumero adeo stagnant, ut nullis viatoribus sit transitus. Plures enumerat Plinius, verumtamen multos prætermisit: ut Borbum torrentem, cujus fuit initium Aquæ Statyellorum Ligurum: mox est Tanarus, quem ajunt torrentium XII. illuvione augeri. Ratum Plinius appellat, quem nos Scriviam, Georgius Merula Iriam putat appellari: Serravalle oppidum fere alluit. Penes Vicheriam Coronus est torrens. Vicheriam autem dictam crediderim, quod frie, cujus meminit Antoninus Pius, urbis vices gerat.

Sed antequam ulterius progrediar, admonendos vos arbitror Ratum à Paulo Jovio Statolam dici: in cujus ostio est Albianum. Hunc sequitur Copa torrens, & illum Tunnus, à quo alluitur Sanctus Joannes agri Placentini oppidum. Illinc recta itur ad Trebiam Romanorum clade celebratissimum. Niciam à Plinio dici putarim, quem recentiores *Nuram* appellant apud Fidentiolam. Illum Tarus sequitur, ut interfluentes Rarum, Ardam, Ocham, Conum torrentesi præteream. Oritur Tarus ex colle Bardonis: in cujus cacumine monasterium est Luthprandi Longobardorum Regis liberalitatistypus. His in locis Gabellum fluvium Plinius collocat: qui sit, conjecturis non assequor. Adeo ob Gotthos, cæterosque Barbaros mutata fere sunt omnium rerum nomina, ut frustra Samnium quæramus in Samnio. Deinde Parma est, quem auget torrens Bagantianus. Lentiam non procul a Brixello Padus excipit. Rhegium versus Crustulus torrens medio fere stat viam Æmiliam. Paulo ulterius progredienti Sicla, qui Salcinum ingreditur, torrens occurrit. Huic fere inhæret Sculterna, qui nunc accolis est Panarus, in quem non procul à Mutina Formigo fluviolus ingreditur. Inter Sculternam & Samogiam torrentem fuit Forum Gallorum à Ser. Galba, clade Rom. celebratum. Ap. Alexandrinus Celtarum Forum nominat; nunc *Burgum Francum* appellant, non longe à Perticeto. Per hæc loca Claterna vetus oppidum est; *Quadernam* nunc appellari audio cum ejusdem nominis torrente: qui postmodum ad Caballos dilabitur: vicus sancti Petri Silere alluitur. Qui penes Bononiam fluvius præterfluit Rhenus est. Qui vero Imolam, quæ vetustioribus Forum Cornelii fuerat, quod constat à Narsetis militibus esse prædæ expositum, & subversum, Vatrenus est amnis.

Mox sit obviam Senius fluvius, in cujus ripis Cunium fuerat oppidum ditissimum, quod hac ætate adeo dirutum est, ut cum ubique aretur, ignoratur prorsus, ubi exstiterit: cujus fuit Comes Albricus Barbianus Italicæ militiæ reparator: qui tamenti adolescens esset, aecitus tamen est à Bernabone, qui tum in Insubribus primas parteisobtinebat. Electus cum fuisset igitur copiarum Bernabouis ductor, in Britones, Bavarosque & Anglos castra movit; qui eo tempore Italiam vastabant. Variante itaque fortuna cum profligati essent à Barbaris Insubres, inter multos quoque captus est à Barbaris Albricus: quem militari more, ut hostes dimitterent, nullis rationibus, aut legibus adducerentur, Bernabos Vicecomes argento (quoniam Barbaros hoc avaritiæ morbo maxime laborare cognoverat) ad trutinam, quanti ponderaret, appensi, fircut auro Hector à Priamo, redemit. Albricus ergo liber adeo Barbaros per universam Italiam exagitavit, ut XL. mill. equitum eorum truecidando ab Italia expulerit. Cineribus igitur hujus quicunque

Itali

Itali generis militiam agunt, adeo debent, ut qui eloquentiam exercent Ciceroni, aut Demostheni. Nemini enim dubium est, tot bellacissimos Duces ab ipsius disciplina, quot ex equo Trojano, prodisse. Sed hæc satis de his dicta sufficiant.

Hoc in tractu Anomi, Senii, & Vatreni fluminum confluenti sceleratissimum Octavii, M. Antonii, & Lepidi triumviratum, quo universæ Italiæ nobilitas sublata est, conflatum esse ajunt nonnulli. Non longe illinc est Tiberiacum oppidum, quod deinde Caballos alii dixere, modo *Bagnacavallum* nuncupatur, ut auctor est Blondus in suis *Historiis*. Inter Forum Livii & Salsubium à salso fonte olim ibi scatente denominatum, quod nunc *Cæsum* vocant, Montonus torrens interfluit, è cujus montis regione Tiberis oritur. Proxime huic Bedesis agri Ravennatis amnis accedit. Mox prætereunt duo fluvioli, quorum uni Avexa, Bevanus est nomen alteri. In Apennini colle Brintanorum Forum visitat: quod alii Forum Pompilii nominant: nunc *Bretenorium* vulgus appellat. Juxta quod constat à Visigothis Romanos truculentissima clade esse conscios: & mox Romam ab eisdem & prædæ expositam, & flammis multis in locis esse consumptam. Hanc novissime urbem Longobardi vastarunt. Ad Cerviam salinis celebrem Sapis defertur ex jugis Apennini. Ultimi sunt Ariminus, quem *Maridam* loci illius accolæ nominant, Crustumium, quod *Conchum*, & Rubicon Galliæ Cisalpinæ versus Italiam limes. Non procul à Metauro fluvio mons est Asdrubalis, nunc *Asdravallis* est, quo in loco victum constat Asdrubalem, & obtruncatum à Romanis.

Hæc fere habui, quæ de lacubus ac fluviis diceremus hujus nostræ almæ regionis: quos materna fere lingua potius dixisse placuit, quam eos silentio involvere. Nam hæc vocabula, quæ nunc sunt nova, fient olim vetera: nam & illa quæ nunc sunt vetusta, erant olim nova.

Non eram, inquit Bonaventura, sermonem tuum rupturus, nisi te prius inspexissem in portum vela deflectere. Quamobrem quo ex devinctis tuo nomini devinctiores efficiamur, te omnium horum verbis oro, ut nos certiores facias, cur sacro diademate Mogunciacis municipibus ornandi Imperatores Germanos concessa sit facultas.

Cap. XIX.

De translatione dignitatis coronandi Imperatores à Mediolanensibus ad Mogunciacos municipes.

Super hæc re, inquit Castillioneus, ne absolutius expediaris, verba doctissimi Alciati nunc adducam: Post Othonem secundum, inquit, filius & nepos rerum potiti sunt. Ex his nepos, qui Otho tertius est dictus, sua auctoritate Gregorium quintum origine Saxonem Pontificem creavit: quem cum Romani non ferrent, Crescentio auctore, quem honore Consulatus insigniverant, ceu adulterum ejiciunt, Joannemque Placentinum in Sede Apostolica collocant. Erat is doctrina, divitiisque perillustris. Accurrit statim è Germania Otho: & Gregorium restituit: Crescentium Joannemque fide data impune eos de Adriana arce elicit: & alterum vita, alterum oculis privavit. Gregorius, sive ut Romanos ulciscereturi, sive patriæ suæ & Othoni plurimum tribuere volens, sanctionem de Imperatorum comitiis tulit: in quibus dignitas eligendi Imperatorem ad Germanos translata est. Cæterum Othone tertio ex humanis sublato Gregoriana lege Henricus primus ex Gubelingo oppido Noricus primus suffectus est: sed eam legem nihili facientes majores nostri Longobardi Ardoinum Eporrhediensem Marchionem Italiæ Regem Mediolani coronant, & ungunt. Sunt qui convocatis finitimarum urbium principibus atque Episcopis Imperatorem quoque salutatum scribant. Is advenienti Henrico obviam factus ex itinere prælium committit, & egregie hostem vicit. Repulsus Henricus cum Heriperto Mediolanensium Archiepiscopo fœdere icto, reparatoque exercitu revertitur, & Ardoinum acie superat: & more majorum Mediolani coronatus in Germaniam, unde venerat, revertitur. Henricum secutus est Conradus Suevi generis. Adversus hunc, ne Rex salutaretur Italiæ, Longobardi conjurant. Cum ergo Mediolanum venisset, ingressu prohibitus est: cumque hanc urbem frustra aliquandiu obsedisset, tandem re infecta recessit: sive (ut ajunt) miraculo & ostentis territus, sive ut horum velamine suæ fugæ dedecus tegeret. Accepit is Modœtiæ (ita hoc municipium Alciatus frequenter vocat, quod nos Mogunciacum) agri Mediolanensis ad decimum lapidem imperialia insignia, parum referre existimans ubi corona redimeretur, dum in Insubribus hoc fieret. Cujus exemplo ut alii quidam ex Cæsaribus urbe Mediolano excluso coronam imperatoriam Mogunciæ accepere, & qui ulterius progredi non potuerunt, Alexandriæ eam sumpsere. Sed Mediolanenses has coronas in contemptum paleas vocant prisco loquendi more, quo vilis res & nihili palea dicitur: ex quo & Aristophanes inquilinos Atticos paleam civium nominat in antiqua Comœdia. Coronandi autem Imperatoris hic mos observabatur. Aotc aram pontificis vestibus indutus Antistes petentem se coronari Romanorum Regem sacro oleo dextro in humero perlinibat: in medico dextræ manus digito annulum mox collocabat: deinde ensem nudum tradebat: subinde capiti coronam, dextræque sceptrum imponebat. Hancque omnem solennitatem publicis documentis jubebat esse testatam. Sceptri fastigio pomum aureum stabat, quo Asiæ, Africæ, & Europæ inscriptio brevis inest. Supra pomum crux aurea inscritur, vel ut recordetur se Christianum esse, vel ut Christianos tutetur. Observatum quoque inquit Alciatus esse Mediolani, ut his peractis, qui ex Angleriæ Comitibus dignior sit, pedem dextrum, & qui ex Cottarum familia, quæ adhuc Mediolani clarissima est, finistrum osculo tangat, Imperatoremque humeris ferat uterque sublatum in prætorium. Qua in re fidem ipse suam Alciatus non obstringit, cum didicerit Cottarum ex genere fuisse Ardericum Archiepiscopum, & ab eo regni insignia Berengarium secundum suscepisse. Sublato ab humanis Conrado tres Henrici continua serie Impp. subsecuti sunt: qui licet Romam contenderint, & augustale diadema sumpserint, Mediolani tamen (quod equidem sciam) id ornamenti non accepere. Alciatus armis Rudolphi in Germania, & Matildis in Longobardia exercitos arbitratur non potuisse regni Italiæ coronam consequi. Successit Lotharius Henrico hostis ex professo Saxonum Dux: qui omnem Germaniam seditionibus vexavit. Iccirco ex Henrici Imperat. defuncti sorore genitus Conradus, Honorio Pontifice Romano favente, Imperatorem se dixit, & in Cisalpinam Galliam properans ab Anselmo Pusterlensi tunc Mediolanensium Antistite Modœtiæ regni Rom sceptra suscepit. Formidolosum opinor præsuli fuit intra urbem eum cum tanta Germanorum manu, juxta illud Plauti, *Barbarum hospitem qui suscepit, sat letum habet*, recipere.

Subsecutus est & Lotharius, atque per Rhætica juga Romam contendit. Scribit Otho Frisingensis Antistes, qui & Rubroharbi patruus fuit, sive copiarum parvitate, sive Conradi amore contemptui Italorum fuisse. Ab his putant Guelphorum & Gibellinorum pernicioſa nomina in Italia primum cœpisse.

Succeſſit Lothario Fridericus Rubrobarbus: inter quem, & Alexandrum Pont. vehemens exorta ſeditio eſt. Itaque ad arma ſi quando aliàs atrociſſime concurſum eſt. Raptim igitur, ut erat natura præceps & ferus Rubrobarbus maximo non ſolum Barbarorum exercitu, ſed etiam vicinorum populorum, ægre ferentium quod Inſubres longe lateque dominarentur, & eorum res florerent, ſuppetiis adjutus Mediolanum copiis cingit. Itaque cum neque à Pontifice, nec aliunde ſubſidium ſperaretur, adeo univerſam Italiam timor exterrefecerat, cives libertatem à Rubrobarbo redemere datis argenti libris ſex mill. Mox Mogunciaci imperatorio diademate redimitur: quod oppidum in ripis Lambri, quem Blondus Umbronem vocat, Redivicus, eorum temporum ſcriptor, Modoitium.

Erat Rubrobarbus lingua, ſtudiis, moribuſque ipſis plane barbarus, hoc eſt, ignavus, perfidus, ferus, implacabilis. Hujuſce rei indicio ſunt certiſſimo contra jus gentium vaſtatæ urbes opulentiſſimæ Aſta, Derthо, Cherium, Lacmelum, & Spoletum. Mediolanenſes igitur cum & adverſus pacem initam, & jura omnia, violari eorum, quam ab ipſo emerant, & libertatem viderent, Pontifice ſuadente in Fridericum rurſus arma capiunt, popularique tumultu nonnullas Germanorum copias obtruncant: & ita per univerſam Ciſalpinam Galliam bellum ſubito exarſit, quod ad plures annos geſtum, excidio tandem urbi fuit. Habuiſſe ferunt in caſtris contra Mediolanenſes ad centum millia bellatorum.

Nec hanc ob rem fida pax ſubſecuta eſt. Mediolanenſes enim ſociorum auxilio freti, patriam armis vindicant, ex qua fuerant expulſi, reparant, inſtaurant. Nec multo poſt advenientem Imperatorem ad Lenianum vicum aggrediuntur, fundunt, fugant. Qua clade afflictus Rubrobarbus, liquido cognovit Inſubrum non eſſe (ut prudenter admonebat L. Piſonem Galba ſenex) ut cæterarum gentium, quibus ſervitutis jugum injunctum eſt, ſervilia ingenia, ſed homines eſſe, qui nec totam libertatem ferre poſſint, nec totam ſervitutem. Pacem igitur Ciſalpinis Gallis, cum bello contra Inſubres non ſufficeret, invitus dedit, his conditionibus: in primis ut libertatem, qua ante adventum ſuum in Italiam utebantur, Inſubres haberent. Item jura regalia, ſi quæ antea poſſidebant, qualia ſunt vectigalia, portoria, juriſdictiones, palatia, mulctæ, pœnæ, flumina publica, ſalinæ, bona vacantia, jus ſignandi nummi, fabricandorum armorum, idque genus ſimilia; quæ ſupremis tantum Principibus competunt. De cæteris quæ more, uſuque civitatibus non pertinerent, idem juris eſſe: dum tamen cc. argenti beſſes (*marchas* vulgus appellat) bis mille annui penderentur. Ipſi vero Imperatori, ejuſque filio Henrico quinto hoc tributum, ut deſignatum à Rep. Conſules ejus auctoritate confirmarent, niſi qui ab antiſtitibus ſacerdotum eligi ſolerent, ut provocationum cauſas, is quem Proregem ipſe in Italis appellaſſet, nunciumve ſuum conſtituiſſet, agnoſceret. Ut cives à XVI. ad XVII. annum ſe imperatorio nomini fidos fore tactis ſacris jurarent. Ut quoties ipſe in Italiam veniret, conſuctum munus præſtaretur; *Fodrum* id Germanica voce nominatur: Latine *annuum coronarium* ex ſententia eruditiſſimi Alciati vocari poteſt. Et hæc ſunt jura, quæ in Liguribus, Inſubribus, Galliaque omni Ciſalpina Imperatores habent. Non enim eis ſumma uti poteſtate, ſicut in cæteras gentes, quæ regnantur Ducibus, aut Principibus, aut Imperatoribus, conceſſum eſt. Hocque differunt ab Imperatoribus Reges, quod hi ſupremum jus in cives obtinent, & pro arbitrio utuntur; Imperatores vero liberis civitatibus non niſi juſto moderamine præſident: atque ita nos Caroſo audimus, ut honeſta ſunt jura, quæ in Saxonia Rom. volentibus Tiberio, Adriano, & Philippo Impp. Redemptori CHRISTO aras dicare, tanquam novam religionem inducentibus non obtemperavit.

Sublato demum ab hominum numero Friderico, quem Rubrobarbum appellari diximus, infenſi Germanico nomini Inſubres quamplurimos Imperatores armis ab urbe rejecere: ut minime potuerint regali diademate coronari. Henricus tandem Luxemburgenſis fruſtra repugnantibus Gallis Ciſalpinis Mediolani primum à Caſtono Turredano Mediolanenſium antiſtite in templo ſancti Ambroſii, mox Romæ coronatus eſt.

At Mogunciaci (ut ad prima redeam) vetuſto ſe jure, debitoque honore fraudari exiſtimantes Henricum ordine ſeptimum ejus nominis adeunt, debuiſſe regni decora in Divi Joannis Baptiſtæ templo, & eo in loco Italici regni inſignia capere eum oportere exclamant. Idque dignitatis genus ſibi Rubrobarbi, aliorumque Cæſarum beneficio tributum, & conſuetudine confirmatum vociferantes. Ipſe quinque mill. aurcorum acceptis in poſterum conſenſu ſuo ratum fecit. Non repugnavere Mediolanenſes, quo minus Mogunciacum regni Italici ſedem eſſe Henricus declararet privilegio: quod ſæpius experti fuiſſent, id qualecunque honoris eſſet, ſemper in ſummam urbis calamitatem verti: quod intra mœnia receptæ Germanorum cohortes, cæteræque barbaræ nationes à rapina, incendio, cædibus temperare non didicerint. Conſultiuſque paci ſit, ſi exclufus ab urbe Cæſar in eo oppido imperialia ornamenta capiat, in quo cum præter loci anguſtiam, tum cenſus & victus inopiam diutius eſſe non poſſet. Optaſſet Galeacius Vicecomes eandem Ludovico Bavaro exſtitiſſe ſententiam, ut relicta urbe Mogunciacum petiſſet. Non enim ingratitudinis in ſe exempla fuiſſet expertus, ut ab eo, pro cujus tuenda dignitate etiam adverſus Romanum Epiſcopum arma ſumpſiſſet, ceu hoſtis, & perfidus, & infenſiſſimus in terrimum carcerem Caſtri Mogunciaci, quod ipſe ſtruxerat, tractus fuiſſet: ut merito vulgatum ſit apud Inſubres adagium: *Quas in Italiam calamitates Cæſares invehunt, non niſi tricennali præſcriptione obliterari.* Hæc cum Caſtilioneus dixiſſet, quod eſſet jam hora ſerior, conticuit. Tunc illico abiiſſent omnes, niſi eos ad cenam Bonaventura blanditiis ſuis apud ſe continuiſſet.

GAV-

GAVDENTII MERVLAE
DE
GALLORVM CISALPINORVM ANTIQVITATE AC ORIGINE
LIBER III.

SEQVENTIS dici omnium consensu apud Comitem Hippolytum Maynum, lectissimi ingenii adulescentem, confabulatio habita est: quod scirent apud ipsum divertisse hospitalitatis gratia Benedictum Jovium, & Petrum Candidum singulari cum eruditione tum acri ingenio viros. Ibique cum præter spem Gualterum Corbetem, Bernardum Felicianum, & Adrianum Cribellum offendissent, dii boni quæ tum lætitia non fuit! Accepti igitur cum perhumaniter singuli fuissent à generosissimo adulescente, inquit Cribellus, Desiderarem ex te, Jovi, intelligere, cur Celtæ à Græcis appellemur: cur item Insubres. Ne molestum sit igitur tibi, quod in Etymologiis scio præstantiorem hac ætate esse te neminem, hæc nobis exponere: ut Lariantis non modo nymphis, quæ ad nos tam expetiti saporis mittunt troctas, sed hominibus etiam debeamus.

Tunc Jovius, Tametsi, inquit, Γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, qui hæc vobis: tamen cum citra pudorem pensum hoc à vobis (ut arbitror) omnibus injunctum mihi rejicere non possim, obsecro vos, ut ubi ingenii mei vires, scio enim quam sint exiguæ, succubuerint oneri, vestrum aliquis statim subsidio sit mihi: ut mutuo fieri videmus à musicis, qui statim canentium velut lassatorum vocis laborem suscipiunt. Aggredior ergo, quando ab eo declinare minus liceat mihi, provinciam hac lege, ne in tam angustia temporis, negotiis enim impedior, Ἀκκισμοῦ vitio vertatur mihi. In omnibus, inquit Cribellus, ὁ σοφὸς δίψυχήσαι ὀκν.

CAP. I.

Celta, Galli, & Galata cur dicti?

GRAECIS fuere (inquit Jovius) nullæ gentes circa etymologias diligentiores. Hi ergo communi appellatione Gallos appellant, quicquid à Rheno per Oceanum, Pyrenæos montes, mare Mediterraneum, & Apenninum usque ad Anconam, terrarum clauditur. Cur autem Celtæ vocemur ad Merulam meum scripta Andreæ Alciati vobis satisfaciet epistola: *Quanto*, inquit, *propius vero est, quod cæteri ajunt, propria eos lingua dictos Celtas, qui cum male C & E, quod etiam nunc faciunt, pronunciarent: nempe pro C, G, pro E, A, a Græcis Galata, a Latinis Galli sunt dicti: quid autem Celtarum vox eorum lingua significaret, incompertum est, eum ea prorsus exstincta sit, Romanaque nunc Galli utantur.* Hæc Alciati (inquit Adrianus) interpretatio longe ingeniosior est, quam vera. Celtas enim ipse dictos crediderim, quod equo, curru, navigio vel oblectentur, aut valeant plurimum. Legere est enim apud App. Alexandrinum, C. Cæsarem usum maxime equitatu Celtico, cui Volusenus Quadratus præerat. Κελητίζω enim *equum exagito* significat, vel *curro*, aut *navigio decurro*, aut *vehor*. Κέλης, ὁ κελήτης, præterea *equum, currum, navigium* notat: hinc Κέλητες, hoc est, *equites*, dicti sunt.

Quid mihi (inquit Jovius) Græcos objicis? cum Celtas ipsi à Celto Herculis filio appellatos putant. Audi super hac re Parthenium Phocensem: Λέγεται, inquit, ὑπὸ Ἡρακλέα ὅτε ἀπ' Ἐρυθείας τὰς Γηρυόνου βόας ἤλαυνε, διὰμεσῶν ἔθνη τῶν Κελτῶν χώρας, ἀφικέσθαι αὐτὸν ἐπὶ Βρεττανόν. Τῶν δὲ ἄρα ἐπιχωρίων ἐρασθέντα, Κελτίνην ὄνομα. Ταύτην δὲ ἐφθαρκέναι ὑπὸ Ἡρακλέους, καταμαθοῦσαν τὰς βόας, μὴ θέλειν τὸν ἐκπλοῦν, εἰ μὴ πρότερον αὐτῇ μιχθῆναι. Τὸν δὲ Ἡρακλέα, τὸ μὲν πρῶτον ἀγνοοῦντα τὰς βόας ἐπιγράψαι ἀναπαύσασθαι, πολὺ μᾶλλον μὴ τι τῶν καθ' ἑαυτὸν ἐκπλαγέντα τῇ κόρῃ, συγγενέσθαι αὐτῇ. Καὶ αὐτὴν χρόνῳ τεκοῦσαν, θῆλυ παῖδα Κελτὸν, ἀφ' οὗ δὴ Κελτοὶ προσηγορεύθησαν. Id est: *Ferunt Herculem cum ab Erythia Geryonis boves abduceret, per Celtarum regionem penetrasse, ac pervenisse ad Britannum: cui filia fuerit, Celtina nomine. Eam autem Herculis amore incensam oculuisse boves illi, neque reddere voluisse, nisi prius cum ea coiret. Herculem autem boves suas recipere cupidum, multo vero magis puella forma concitatum, cum illa coivisse: natumque ejus post temporis revolutionem filium nomine Celtum, à quo fane postea Celta sunt vocati.* Vide quam fabulosa, & homine gravi minime digna hæc Græcorum opinio. Sequamur igitur Cæsaris definitionem, qui in limine pagina *Commentariorum* statim scribit, hos populos ipsorum lingua Celtas, nostra, id est, Latina, Gallos vocari. Quod autem Celtas dicat Alciatus mutatis quibusdam literis vocari, mihi plane non arridet. Sed Galatas à Græcis dictos magis putarim propter lacteum gentis colorem: γάλα enim eis est, quod nobis est *lac*. à quo nomine Latini Gallos deflexere. Id quod innuere aperte videtur iis versibus Virgilius †:

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opaca.
Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quisque Alpina coruscat
Gesa manu, scutis protecti corpora longis.

Quod Κέλητες dicantur equites non contendo: sed Cæsarem sequor, qui ait, *Gallos ipsorum lingua Celtas appellari.* Si ipsorum lingua, ergo non Græca: nam alia fuit Gallica lingua, alia Græca: cum Cæsar in alloquendis Gallis interprete uteretur. Et Servius in expositione illius versus Virgiliani *, *Tum scissa aerias Alpes*, dicit, à Gallis altos montes Alpes appellari. Item in carmine illo *Æneidos* ‡, *Direptumque ab equo dextra complectitur hostem*, dicit, quod Cæsar lingua Gallica significat dimittere.

† *Æneid.* lib. VIII. v. 657. & seq.
* *Georg.* lib III. v. 474.
‡ *Lib.* XI. v. 743.

CAP. II.

Insubres unde dicti?

SATISPECISTI, ut ipse arbitror, inquit Hermias Landus, qui proxime Corbetem stabat, Adrano: nunc velim, postquam typus es factus, in quem tela infantiæ nostræ conjicere possumus, à te scire, cur Insubres appellemur?

Præstantiorem laude me potuisses invenire, inquit Jovius, qui hæc clarius exponeret tibi: verum ne videar tibi nolle obsequi, audi quid de Insubribus sentiam: Γαισάται, inquit Suidas, ἔθνος Κελτικὸν παρὰ τῷ Πάδῳ, ὃς καὶ Γαισάγας φασίν. Id est: *Insubres Celtica gens ad Padum, quam etiam Insubres vocant.* Secutus est autem (ut puto) Dionysium Afrum, qui Gallos Cisalpinos inter Celtas connumerat his versibus:

——— τοὶ δύμαλοι Κελτῶν,
Λύγκῳ πηγαῖσι παρ᾽ ὠκεανῷ Ἠριδανοῖο.

Hoc est, ut interpretatur Rhemnius Fanins, non autem Prisc̃ianus, ut omnium ferme est opinio,

——— *post hunc est Celtica tellus,*
Eridani fontes contingens ranca fluenta

Suidas ergo, ut videtis, & Dionysius Celtarum gentem etiam ponunt in Italia. Insubres autem inter Celtas. Polybius etiam Insubrum meminit, eosque Italos facit: Γαισάται ἔθνος Γαλατικόν, id est, *Insubres gens Italica.* Eos autem dictos existimarem quasi *subimbres*, quod imbribus subjacerent. Facillime enim propter Alpium rigores, & Meridianum teporem pluvialibus aquis exundat: præterea quæ hoc Insubrum tractu fluminibus, & euripis, ac lacubus, regio copiosior? Qui item putarent Insubres per ἀντίφρασιν vocatos, quod imbribus, quibus omnis naturæ vultus oppressus est, superfuerint, omnino non errarent. Sic & Græci Umbrios dixere, qui à nobis Umbri dicuntur, quod inundatione terrarum imbribus superstites exstiterint. Plures etiam scribunt Insubres appellatos esse, quasi fastosos. Quod apud Græcos legatur ὑπερκόμιος καὶ ὑπερήφανος ἄνθρωπος, hoc est, *superciliosus & superbus homo.* Deinde ut sonus plenior ad aures veniret, additum est inter ο & σ, ν, & sic Γαισάται sunt vocati. Inter Insubres & Romanos (ut obiter aliquid dicatur extra terminos) olim fuere bella acerrima, in quorum compositione reperio inter cæteras pacis conventiones ictum fuisse hac conditione fœdus: Ne Romani civem ex Insubribus aliquem reciperent, neve Romanum Insubres. Hujus rei meminit M. Cicero in *Oratione*, quam habuit *pro Corn. Balbo*, cum inquit: *Etenim quædam fœdera exstant, ut Germanorum, Insubrum, Helvetiorum, Papidum, nonnullorum item ex Gallia Barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis a nobis civis recipiatur.*

CAP. III.

De Cenomanorum origine.

LVCVLENTISSIME unde Insubres, inquit Cribellus, dicantur, Benedicte, declarasti: nunc cur nobis vicini Brixienses Cenomani, & Bergomates cum Comensibus Orobii nominentur optarem scire.

Cenomanos, inquit ille, putat Zanchus quasi Cycnomanos à Cycno videlicet Rege, quem constat in hac Gallia, quæ à Pado ad Alpes vergit, regnasse, nomenclaturam sumpsisse: ut auctor est Pausanias in eo libro, cujus est titulus Ἐλλάδος ἐκφρασις, cum inquit *: Κύκνου Ἠριδανῷ περὶ ὄχθας ἐς Κελτοὺς βασιλεῦσαι, id est, *Cycnon apud Celtas, qui trans Padum sunt, regnasse.* Sunt igitur, qui dicant à Cycno Brixiam conditam fuisse, Catulli carmina illa † adducentes:

* In *Atticis*. cap. XXX.
† *Epigramm.* LXVIII.

At qui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia Cycnea supposítum in specula.
Flavum quam molli percurrit flumine Mela
Brixia, Verona mater amata sua.

Ajunt enim Phaethontem ex Libya in Italiam solvisse, applicuisseque ad Ligures, & ibi condita Genua Apenninum transcendisse, hancque Cisalpinæ Galliæ partem invasisse colonis vacuam. Accidisse item eo regnante maximum incendium per Italiam, & maximum calorem subsecutum: hacque aeris intemperie Phaethontem è vita excessisse, hinc esse locum fabulis datum, quod in Eridano sit submersus, & Heliades ejus sorores in alnos, sive, ut alii volunt, in populos esse conversas: ut legimus apud Dionysium Afrum his carminibus:

Οὕ ποτ᾽ ἐπὶ σφετέρων ἐφράσατο κῆδε νόοιο
Ἠλιάδες κάσιγνηται ὑδρηφόρα φαίθοντος.
Κλαῖον ἢ Κελτῶν ἐπιδὺς ὑφ᾽ ἁρμασι πόντου
Δακρυ ἠμέλγουσαι χρυσαγῆ ἠλέκτρου.

Quæ sic interpretantur à Rhemnio Fanio:

Hic Phaethonta suum chara luxere sorores:
Hinc electra legunt alnis stillantia Celta.

Verum cum hæc Fanii interpretatio non perfecte Dionysii sententiam exprimat, laborem attulit, hos non versus modo, sed & superiores interpretanti. Post hunc sunt Celtæ usque ad fluenta Eridani. Ubi dicunt Heliades sorores dolore compulsas Phaethontis fratris occasum adeo luxisse, ut mortuæ omnes in alnos tandem arbores lachrymantes adhuc converfæ sint, earumque lachrymas ab ipsis Celtarum puellis, quæ circumhabitant loca, sæpenumero emungi: cum in * aurem electorum vertantur, & tanquam lapides durescant.

Fuit vero Phaethon (ut revertar ad prima) unus ex nepotibus Noe, quem sermo est in Italiam ab illuvione aquarum venisse, appellatumque Janum à vino, quod primus invenit: *vinum* siquidem Hebræi יין *jain* vocant. Subsecuta deinde fecula, postquam & picturæ & sculpturæ in medium venere ingenia, bicipiti fronte Noam effigiarunt. Una quæ esset cano capillitio, & barba veneranda, qua ætas anni aquarum exundationem transacta indicabatur. Altera rursus quæ esset florentis juventutis, futura tempora prospectabat. Huic rei adstipulatur Athenæus Dracone Corcyræo auctore sane probato referente; cujus hæc sunt verba Latinitate à Leonico donata: *Celebris*, inquit, *fuit apud Romanos Deus, quem Patrem appellabant, & eas volventis anni adscripserant initia: fuitque coronarum inventor. Fama est autem bicipitem fuisse, ut & illa, qua ante, & qua post se essent, inspiceret. Ab hoc ipso & Janus fluvius, & mons in quo degere solitus fuerat, est appellatus. Nunc Janiculum vocant. Primus autem omnium coronam reperisse creditur: rates, & navigia, pecuniamque primus impressisse, & characteribus signasse. Iccirco apud Italos, & nonnullos Gracia, & Sicilia nummum signari mos erat: cujus ex altera quidem parte biceps facies visebatur, ex altera vero, non eodem tamen semper modo, sed navigium sape, sape corona esset insculpta. Hunc autem sororem Camisam nuptisse ferunt, ex qua filium (ut scribitur) Olisthenam nomine susceperit. Postea majora clarioraque animo volvens Janus, in Italiam navigasse dicitur: montemque nunc Rome propinquum habitasse, & qui ejus nomen in hodiernum usque diem Janiculum servat.* Hæc ille. Nonne etiam credibile est Jonum, quasi Janum esse dictum? Quid præterea sibi vult in numismate navigium illud insculptum, quam arcam illam, qua se aquis omnia submergentibus liberavit. Et Janiculam Italiam prius esse dictam refert Cato in *Originibus*.

* Hæc verba proculdubio ab Impressoribus depravata sunt; & pro *ejus aurem* rectius reponi debet: ut colligitur ex illis verbis Græcis χρυσαγῆς ἠλέκτρου.

Jano



cum ipso

Jano vita functo Gallum, cui Comero cognomen fuit, ſucceſſiſſe quoque lectum eſt: à quo etiam Italiam mox Galliam eſſe nominatam. Et adhuc hæc pars noſtra Gallia nomen ſervat, velut ætatis aureæ præclarum monumentum. Et fortaſſe Tranſalpini Galli à nobis originem traxere: ut à Cenomanis Brixianſibus Cenomani in Gallia Celtica: qui hodie eorum lingua *Lemans* appellantur, Andegavenſibus proximi, & Rhedonibus verſus Oceanum. Sic à Bojis olim populis ferociſſimis, quorum nunc metropolis eſt Bononia, Boji in Tranſalpina Gallia Heduis vicini, quos hac ætate *Borbonenſes* appellamus.

CAP. IV.

Gallus quid ſignificet, præter omnium opinionem?

SED rorſus redeo ad Jani nummiſma, in quo navigium ſuerat inſculptum. Quo ſignificari arcam diximus, qua Janus ab aquis vindicatus eſt. Id navigii Scythæ *gallum* & *galerum* vocant: ſic & *fluctus* Hebræi גלים *gallim* nominant, hinc *Galles*, qui fluctibus non ſunt oppreſſi: vel quod aquis oblectentur; aut quod navigio valeant; vel quod Gallorum regio maxime fluminibus irrigatur.

Hæc ſunt (inquit Bonaventura) Cucullatorum meræ inſomnia: & profecto in tuam opinionem nullo negotio declinaſſem, niſi contigiſſet mihi ad Merulam Alciati epiſtolam ſuper hac re ſcriptam inſpicere: in qua hæc verba ſcripta eſſe memini: *An veriſimile tibi ſit, veteres Gallos nimine caruiſſe, & legationem ad Judæos in Syriam, tunc hoc in cælo prorſus incognitos, miſiſſe nomina ſibi poſtulatum? Non ſunt hæc & hujuſmodi Hebræa in albo reponenda: cum præſertim ad hiſtoriam conducere poſſint nihil, obeſſe vero plurimum. Hebræorum enim aque in ſcriptis ut in verbis ſubleſta ſemper fuit auctoritas.* Gallos igitur interpretabor, ſicut prius & Galatas, non autem aquis ſuperſtites.

Quid eſt ergo (inquit Jovius) quod in *Timæo* apud Platonem legitur Solonem ab Ægyptio ſacerdote his ferme verbis argui? *O Solon, Solon, Graci ſemper eſtis pueri, nec quiſquam è Gracia ſenex repertus eſt. In vobis juvenis ſemper eſt animus: in quo nulla ſunt vetuſtatis reliquiæ, & nulla cana ſcientia. Nec mirum, quia apud vos multa, & varia hominum exterminationes exſtitere: eruntque, aut ab igne, aut aquarum vaſtitate. Sic tempeſtate Phaethontis, in qua conflagraſſe apud vos omnia: & ſub Deucalione diverſiſque aliis temporibus aquarum illuvionibus corrupta fuiſſe omnia memoratur eſt fabuloſum. Fit enim longe temporum intervallo quadam cæleſtis orbis permutatio*, quam vel inflammationis, aut aquarum populatur injuria. Nulus vero ab hac detrimento vos facit innoxios. Apud Ægyptios igitur monumenta ſunt antiquiſſima, quæ apud vos, & alias gentes certis temporum curriculis cultus, & neceſſario immiſſa vaſtat illuvies. Iccirce poſteritas & litteris, & muſis prorſus orbatur: quo fit, ut quaſi juvenes ſitis, & rudes, & præteritarum rerum penitus ignari.* Auctoritas igitur Platonis, qui fuit naturæ privilegium, facit ut Hebraicis monumentis, quæ ab Ægyptiis ad eos fluxere, aliquando inſiſtam: tametſi ea vitio det Alciatus, qui, ut mihi videtur, deus tuus.

CAP. V.

In Judæos invectio: de Longobardis & Gothis hiſtoria.

QVID habent (inquit Bonaventura) obſecro Ægyptiorum, Hebræorumve ſcripta fidei? Quid Beroſus, qui pluribus, præſertim nibi, ſacra eſt anchora? Quid demum Zanchi cuculla? qui Beroſum ſequitur & Megaſthenem Perſam: quorum auctoritas apud me eſt tanti, quanti ſunt apinæ, tricæque. Quid Ponticus Virunius, qui Hebræus fere videri poteſt? Quid auctoritatis habet delira illa Hieronymi Gavardi cuculla Auguſtiniana? cui omnia argumentationis typus eſt circa Judaica? Audi igitur non me, ſed Alciatum, cujus auctoritas hac in re mille cucullis anteponenda eſt. Is aliquando ſuper Hebraicis delirantem fere Merulam his ad ipſum ſcriptis litteris arguit: *Viterbum, inquit Joannes Annius, qui Beroſum illum fabuloſum commentatus eſt, quaſi vita herbum, a delitiis videlicet herbarum: alis quaſi vi Tibur, id eſt, parvum Tibur: quod in lingua Hetruſca (ut ipſe ſomniat) vi ſit parvum. Alii vi Tibla a Thebano Hercule. Raymundus Marlianus quaſi vita inermium. Blondus à vi turrium. Hermolaus Barbarus a vita Herorum. Vide quas nugas Merula. Ego tecto Defiderii Regis Longobardorum decreto, qui inquit, tria oppida Longulam, Vetulonium, & Volturnum ſub uno muro cingi juſſiſſe, totamque urbem Viterbum appellaſſe: facile ad etymum Germanicum reſpexi: (erant Longobardi majores noſtri Germani: imo, ut Corn. Tacitus atteſtatur, nobiliſſimi Germanorum, qui trucidatis Romanis & Gothis Italiam omnem tenuerunt) Viterbum enim eorum ſermone ampla ſtructura ſignificatur. Videsigitur, Merula, quam facile errent, qui alunde quam a Longobardis Longobardorum oppidorum nomina deducunt: eos autem maxime errare credendum eſt, qui a maxime remotis gentibus rem trahant. Habent Hunni, habent Angli, habent Gothi pleraque in Italia a ſe indita locis nomina, in ea enim diutius bellegrarunt. At Judæi quas bellicas laudes ipſi poſſunt prætendere? ſuperſtitioſa gens, & imbellis, & ad omnium ſervitium nata: adde quod & indoctiſſima. Exceptis enim ſacris Bibliis, qua ipſi invidia & livore in Chriſtianos corrupere, adeo ut ſatius ſit eo in argumento commentaria Græca perlegere: nullius doctrina quenquam ſua in lingua idoneum habet auctorem, non medicum, non philoſophum, non hiſtoricum. Apage igitur recutites hoſce & ſabbatarios, nec à majoribus noſtris Longobardis deficiar, ut alteriſſimos ſequaro.*

Potuiſſet (inquit Jovius) de Judæis Alciatus modeſtius ſentire, & caſtius loqui. Poſſem, ſi daretur narrandi locus, ſuper hac re Alciato, quem invito ſenatu, populoque grammatico, cognoſco eſſe tuiſſimum, adverſari: ſed cum facile animadvertam tam longam verborum ſeriem ab auribus veſtris non ſuſtineri, illud Ciceronis *pro L. Flacco* pro Judæis tuo, Bonaventura, ſatisfaciat Alciato: *Cum aurum*, inquit, *Judæorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris provinciis Hieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret.* Hæc ille.

Jam adſcendit (inquit Corbetes) hæc veſtra ad contentionem diſputatio, iccirco ne tempus, quo nihil eſt pretioſius, his nugis conteratur, obſecro te, Jovie, ut ſub compendio Longobardorum, & his priorum Gothorum hiſtoriam nobis enarres: & an Getarum & Gothorum eadem ſit natio. Getas & Gothos eoſdem eſſe populos non dubito plurimis conjecturis adductus, è quibus duas aut tres adduxiſſe ſufficiat vobis. Ælius Spartianus in *Pertinace* hæc de iis populis, quos vulgus Gothos vocat, poſteritati tradidit: *Helvius Pertinax filius Pertinacis dicitur joco dixiſſe, adde ſi placet etiam Geticus maximus: quod Getam occiderat fratrem, & Gothi Geta dicerentur: quos ille dum ad Orientem tranſit, tumultuarios pralios devicerat.* Is Geta à fratre occiſus, natus eſt Mediolani Severo & Vitellio Coſſ. VI. KAL. Junias. Aurelius quoque Prudentius Getas appellat, & eos ab Iſtro (qui alias eſt Danubius) patrio veniſſe teſtatur. Idem quoque ſcriptum legiſſe

* Hujus rei cauſſam præclare declarat Seneca *Nat. Quæſt.* lib. III. cap. XX. ex Beroſi ſententia, qui arſura terrena contendit, quando omnia ſydera, quæ nunc diverſos agunt curſus, in Cancrum convenerint, ſic ſub eadem poſita veſtigio, ut recta linea exire per orbes omnium poſſit. Inundationem futuram, quando eadem ſyderum turba in Capricorno convenerit.

giſſe vos puto apud Claudianum *libro* quarto decimo † his verſibus:

Aſpice, Roma, tuum jam vertice celſior oſtem,
Aſpice quam vaenum referens ingloria agmen
Italia detruſum eat, quantumque priori
Diſſimilis, qui cuncta ſibi ceſſura ruenti
Pollicitus, patrio numen juraverat Iſtro,
Nen niſi calcatu loricam ponere Reſtro.

Gothos enim intelligit, quos jam occupata majore ex parte Ciſalpina Gallia Stilico ad Atheſim in Veronenſi agro, ad Pollentiam, ad Aſtam fudit: ut *lib.* viii. * idem Claudianus his verſibus atteſtatur:

Tu quoque nonparvum Getico, Verona, triumpho
Adjungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſonias, aut maxima vindicis Aſta.

Tranſeo ad Longobardos majores noſtros: quibus ætas nulla bellaciores vidit. Quam rem ſi creditis minus, ne pigeat obſecro Cornelium Tacitum ‡ audire: *Contra*, inquit, *Longobardorum paucitas, ** nobilitaſque plurimos ac valentiſſimos nationibus cinget, non per obſequium, ſed prælia, & periclitando tuti ſunt.* Audite idem Vellejum ††: *Fratis Longobardi, gens etiam Germana ferocitate ferocior.* Miſnenſium hodie regionem Longobardorum ſedem antiquiſſimam fuiſſe plures volunt. Hos Tacitus Suevis attribuit, Weſtphalis alii, quod hos non procul à Rheno Ptolemæus ponat.

CAP. VI.

De moribus Ciſalpinorum Gallorum.

NEMINI igitur ſit mirum, ſi Ciſalpini Galli & pacis & belli muneribus ſunt idonei, quando tam præſtantes progenitores habeant, quibus nulla gens eſt ſub cœlo æque ferocior.

Tunc ſubridens Bernardus Felicianus, Facies nos, inquit, Benedicte, inſolentes nimis tanta origine. Qua longe Romanis feliciores ſumus, atque etiam ipſis Hetruſcis. Illis enim paſtores è Phrygia, his autem Lydus Volſus principia exſtitere. Verum Ciſalpinis Gallis diverſi ſunt mores. Siquidem Alpinis ſunt plane agreſtes: qui altiora montium feri, & prorſus inſociabiles: quales exiſtunt, qui Vervaſcam circa Verbanum Vallem tenent: hi enim Troglodytico pene more Alpium cavernas ſubeunt, ſparſimque per invia nemorum montanorum ritu ferarum vagantur. Qui vero ad lacuum vel fluviorum ripas jacent, ad fabrilia opera & agriculturam ſunt idonei; ad vaſa lignaria tornanda ſunt ſolertes. Alpini habitudine corporis firmiſſimi, ad multam ætatem degunt, & quanquam ſenectute premantur, à laboribus tamen non niſi decrepiti abſtinent. Errant autem plurimum ſicut Nomades cum gregibus vel in ſuis, aut alienis, aut conductis paſtionibus vigilias caſtrenſes agentes, ſupellectile ad Scytharum conſuetudinem plauſtro vel equis impoſita. Montanis multis, niſi quatenus in planiciem deſcendunt, aut in vicinam deficiunt uſus panis eſt incognitus. Veſcuntur autem caſtaneis, lacte, caſeo, & cæteris, quæ ſua ſponte dat terra, muneribus: reliqua gulæ irritamenta non novere. Horum mulieres quemadmodum & Jaxamatarum munia virorum egregie ſupplent, nec pugnam, ſi caſus tulerit, viris admixtæ detrectant. Inter aquas victus eſt plurimis, dum navibus ultro, citroque merces convehunt.

Salaſſi, quos hac ætate *Pedementanos* vocari audio, ſi per milites liceret, cuticulam ſtudioſe cu-

† Seu *de Bello Get.* v. 77.
* Seu *de* VI. *Conſ Honorii*, v. 201.
‡ *De Moribus Germ.* cap. 38.
** Lipſius juxta Farnesianum Cod. reposuit, *nobilitas*, *quod*, & *mox cincle* pro *cinget*.
†† *Lib.* II.

rarent, ad munia belli prorſus inhabiles. Cæteri vero Galli uſque ad Rubiconem ingenio tantum valent, ut illud ad omnia facile applicent. Corporis magnitudine ſunt Italis proceriores, Gallis vero Tranſalpinis & Germanis inferiores. Quantum bello valeant, dicant, qui eos ſunt experti aliquoties Iesli. Fere tamen credibile eſt prodigioſæ ſtaturæ homines hanc regionem genuiſſe.

Tacco quod Euſtathius memoriæ prodidit de Lyge gigante *in Dionyſium Afrum*, quem ait hanc tractum incoluiſſe: venio ad recentiora: tempore quo Ludovicus Sforcia rerum potiebatur apud Inſubres, & Lebuos, cum Lambrus aquis extenuatus laberetur, pars calvariæ, & dens magnitudinis immenſæ repertus in fundo alvei. Dens primo marmor exiſtimatus eſt, mox oſſea materia deprehenſa eſt. Per eadem fere tempora (ut Georgius Merula, qui ſe vidiſſe refert hæc omnia, ſcriptum reliquit) eodem in fluvio dentes item duo, & os informe effoſſi fuere: quod non ſatis poterat diſcerni, armi-ne fuerit, an coxendicis: niſi quod in extrema parte forma acetabuli inerat. Ex his ut Venetias deferretur Mauroceno Venetorum legato Bartholomæus Chalcus vir omnibus rebus ornatiſſimus, qui tunc à ſecretis erat Sforciæ, unum tradidit.

CAP. VII.

Quibus eduliis & rebus abundet Ciſalpina Gallia?

HABENT quinetiam (ut aliquid etiam à me dicatur extra lineam) noſtræ Ciſalpinæ Galliæ regiones ſingulæ ſuas dotes. Cereris enim copia fere omnis tractus frequentiſſimus eſt, nullus tamen Laemellino, aut Alexandrino anteponendus eſt. Rhætica vina, & quæ in Orobis Inſubrum, & apud Novarienſes ſunt, ferc paria in Italia tota non reperiuntur. Olenm Comenſe Venafrano non inferius eſt. Mella paſſim, iis exceptis duntaxat, quæ ad Alpes naſcuntur propter caſtaneanrum ſolia, Hymettius, Hyblæus, Calydneiſque ſunt ſimilima. Caſeum quis ſani intellectus Veſtinum Novarienſi, aut ei, qui intra Adduam & Ticinum ſale duratur, comparabit? Quo adeo oblectatus eſt Antoninus Pius, ut cum pro uſu Romam transferri curaret, ut his verbis Julius Capitolinus atteſtatur: *Cum Alpinum caſeum in cœna ediſſet avidius, nocte vejtlavit; atque alia die febre commotus eſt.* Coturnicem regio habet nulla ſapidiorem. Hœdos quoque Ambracienſibus petulciores reperiemus. Roſæ Mediolanenſes commendatione Carini Imperatoris, qui eas abuſque Mediolano Romam vehi curabat, cæteris ſunt gratiores, ut refert Fl. Vopiſcus.

Quanta ſit apud Inſubres rerum omnium, quæ ad hominis victum pertinent, felicitas, indicio ſunt ſuperioribus temporibus exercitus Imperatoris, Gallorum, Pontificis, Venetorum, & Franciſci Sforciæ non modo delitiis alti, ſed nummis, per decennium & opibus prope ditati: quos profecto tota Italia, addite etiam ſi placet Sicilia, non ſuſtinuiſſet. Lanas præterea fert optimas, de quibus ita ſcribit Strabo *: *Lanam vero mollem Mutinenſis ager, eaque regio, qua ad fluvium Scultanam pertinet, fert omnium longe optimam: hirtam vero Ligyſtica: & Mediolanenſis, ex qua bona pars Italia ſervitiorum veſtitur. Mediocrem autem, ea qua circa Patavium, ex qua pretioſiſſima tapeta, & Gauſapina fiunt.* Mulas Venetas *ſtiadas* B. Homerus extollit hoc carmine:

Ἐξ Ἐνετῶν ὅθεν ἡμίονοι γένος ἀγροτέρων.

Id eſt:

Mularum genus è Venetis quod robore præſtet.

Fructibus autem ſic referta eſt Gallia, ut pomarium tota videri poſſit. Eſt & huic regioni peculia-

* Lib. v. *Geogr.*

ris

ris arbor, quam betullam Gallicum vocant auctores, muro corticis candore: qua nulla ex plantis firmiores vasis vinariis circulos facit. Est & herba odoratissima, ea doctis est nardus Celtica, vulgo *lavanda*. Per Alpes item & Apenninum ex quadam arbore fungus enascitur, quod agaricum dicerem, nisi esset efficax minus. Ne Jovium vestrum aliquis tamen circa hæc sedulum, insanientem dicat: fecit hoc idem M. Varro, qui eduliûm genera in ea *Satyra*, quæ Περὶ ἐδεσμάτων inscripta est, celebravit his carminibus seneriis:

Pavus è Samo, attagena Phrygia,
Melica grues, hadus ex Ambracia,
Pelamis Chalcedonia, murena Tartessia,
Asellis Pessumtis, ostrea Tarentina,
Pectunculus Chius, helops Rhodius,
Scari Cilices, nuces Thasia,
Palma Ægyptia, glans Iberica.

Fecit hoc etiam Plutarchus, apud quem celebratum invenio fumen & fungos Italiæ, placentam Samiam, nivem apud Ægyptios. Præterea si mihi vitio dabitis non Varronem & Plutarchum, sed Pollucem quoque damnabitis celebrantem Tyrium thymum, cestreum ex Scyatho, bœdum ex Melo, conchas Pelorinas, teutlon ex Ascra, galeum Rhodium, ἄτενεν Methymnæum, pectas Eleusinas, apuas Phalericas, tryglas sive mulos ex Ionia, anguillas Bœoticas, calcum Cythnicum, salem Tragasæum, rapa apud Mantineam, fabas Ægyptias. Strabo quoque in Ascalonensium tractu præcipuas cæpas gigni memoriæ prodidit. Sed quid hæc? tanquam non pollicitus sim dicturum me aliquid extra lineam vobis.

Cap. VIII.

De Lapidicinis.

Quanto (inquit Felicianus) intervallo opinionem de te meam exsuperas? nunc ego te Varroniano illo Tricocle præstantiorem puto: & tantum cæteris præcellis ingenio, eruditione, *quantum* (ut inquit pastor ille apud Virgilium *) *lenta solent inter viburna cupressi.*

Tibi sunt (inquit Jovius) hæc laudum adscribenda præconia. Quis est enim hac ætate, qui litteras profitetur, vel felicissime, vel jejune, cui non sit cognitus Felicianus? Verum ne ab his adagio illo, quo ajunt *Mulos mutuum scabere*, inuramur: quod horum magis satisfaciat palato. Non vanum erit igitur huic nostræ fortasse narrationi immensas naturæ opes intra almæ parentis viscera reconditas annectere. Quas hominum ingenia ad luxum potius, quam ad utilitatem exquisivere. Sed quo fato id eveniat mali, prorsus ignoro: ut majores nostri de iis jampridem, & sæpe conquesti sint, & de nobis posteritas conqueratur.

Hæc, ô Benedicte candidissime, (inquit Felicianus) reprehendi à nobis, quam emendari magis possint: satius fuerit, omissis his temporum querelis, quamprimum, quod pollicitus es, absolvere.

Qui hanc nostram (inquit Jovius) Cisalpinam Galliam Bramantius senior, singularissimo & absolutissimo vir ingenio, perlustravit, carbunculos (quos ante ipsum sola mittebat India) Divi Galeacii Sforciæ patrum fere nostrorum memoria Insubrum Ducis effodit: ut morosissimarum mulierum desiderius obsequeretur. Hos argentarii Mediolanenses Rocchæ novæ Rubinos nominant. Clariores sunt Orientalibus, & summa cum difficultate è saxo cælo evelluntur. Unde sæpenumero impensa major est, quam lucri accessio. Mons, ubi exciduntur, ultra Bilitionem est recta tendentibus ad Leopontios, non procul ab Abiasco, qui pagus est, ubi Leopontina vallis Bregnanæ conjungitur.

Gemmas ordine sequuntur marmora ob quandam pene similem materiam, nisi quod hæc terrea sunt magis. Hæc duobus in locis prope Athisonem, Candiæ videlicet & Ornovasci, candida excavantur. Speculare marmor, quod est nigrum, à Romanis Luculleum dictum, in Novariensium Alpibus effoditur juxta Lacum Ortæ. His marmoribus usque ab anno MCCCLXXXVI. Mediolanenses Deiparæ Virgini templum, quod altitudinis fastigio, quanquam adhuc imperfectum, transcendere nubes videtur, construunt. Quod absolutum evincet omnino, quæcunque sub sole sunt hominum manu facta miracula. Alterum similiter matri Parthenicæ, quam ad Celsum vocant, in suburbiis construunt: cujus aspectus pulchritudinem olim posteritas mirabitur. Silices, quibus cœnosæ viæ per Insubres sternuntur in urbibus & oppidis ultra Angleriam, Buziratcs vicus copiose subministrat.

Cap. IX.

De euripis duobus, è quibus unus à Ticino, alter ab Adda Mediolanum deflectuntur.

Ticini decursu per cc. ferme stadia Majores nostri inediæ averruncandæ (voculis utor Catonianis) consulentes labentem pernicissimo impetu curipum usque ab Beatum Insubrum oppidum munitissimum, mox veluti fessum Mediolanum intra urbem ipsam deduxerunt, anno à Virgineo partu MCCLVII. per tempora Martini Turredani, qui mox inter Insubres primarias partes obtinuit, ubi egregie Senatorem Romæ egisset. Navigium à navium copia ultro citroque commeantium semper vulgus appellat. Utilitatem, quæ hunc emanat, cum ob rerum fere omnium copiam, tum ob salubritatem aeris, oratione quis amplecteretur? Hinc enim piscium sunt vivaria frequentissima: hinc per hortos Nili derivantur: hinc sub ipsu limine Nereidum chorum habent Mediolanenses adludentem. Non qualem Veneti, aut Genuates aspiciunt, insuavem scilicet & aspectu ipso formidabilem; sed qualem Ticinus emittit, blandum videlicet, & amœnissimum. Perfruimini ergo Mediolanenses aspectu Nympharum pulcherrimo, & Napearum cœtu florentissimo: & hac ætate præsertim navigio addito ex Addua altero, quod alterius aquarum sæpe penuriam excipit. Id cum Sforciæ Francisci primi liberalitas sub Triccio oppido munitissimo excavarit, gloriam ipsius, donec fluet, attestabitur: per quem multifaria merces ex Orobiis proximis, Cenomanis, & Venetis in urbis fere umbilicum devehitur.

Cap. X.

De idiomate Gallorum antiquissimo.

Quæstis venia merito daretur (inquit Cribellus) tibi, nisi solus nos torqueret articulus: quem ubi absolveris, tum tibi debebo, quam qui maxime.

Quid magis antiquius est (ait Jovius) mihi, quam amicorum votis obtequi? tibi præsertim, qui ob singularem animi candorem & litterarum politiam es mihi carissimus.

Diu (inquit Cribellus) hæsitavi, & adhuc in eadem versor rota, qui fuerint majoribus nostris sermo: hæsitantiam faciunt plures Græcorum voculæ, quibus materna lingua utimur, ne illa Græce locuti sint.

Puto (inquit Jovius) ante Romanorum tyrannidem ambabus idioma Gallis fuisse commune, cum propter originem, tum propter vicinitam. Græculas voces in hanc regionem per tempora C. Cæsaris

transi-

* Eclog. 1. v. 26.

transcripti Comum in colonism Græci attulere. Quod nobis à cæteris Italis sermo diversus exstiterit, declarant quædam vocum apud probatissimos auctores reperta discernicula. E quibus exempli gratia vobis pauca dixisse sufficiat juxta Virgilii illud, *Æneid.* 11.

——— *& crimine ab uno*
Disce omnes.

Acorus radix est notissima, esm Romani radicem nauticam vocabant, Galli vero majores nostri piper aqueum. Ploxemum, cujus meminit Catullus, Transpadanis Gallis capsa fuerat. Sic asarum radicis est genus; sed Latinis perpensa, Gallis baccbar. Virgam similiter Galli dicebant, quam purpuram alii: ad quod significatum in octavo *Æneid.* Virgilius allusit, cum inquit:

Virgatis lucent sagulis.

Argemonam quoque herbam scitis esse, Romani tamen eam concordialem, & Galli coronam vocabant. Nobis item subietes herba fuerat, quæ Romanis sylvæ mater, & Græcis *chrysocarpos*. Item qui nobis est equus, majoribus nostris erat marca: & actum ipsum equitandi materna lingua adhuc *marchiare* dicimus: unde Marcomani populi sunt dicti, quod equo, qui *marca* dicitur, aut valeant, aut oblectentur.

Non audiret te (inquit Bonaventura) vir doctissimus Vadianus: Marcomanos enim putat vocatos Germanice, quod *Mark* Germanorum idiomate *limes* significatur: unde Marchiones, qui ad tuendum Imperium Romanum cum militibus adversus barbaras nationes limitibus præerant, dicti sunt.

Plurimi (inquit Jnvius) est apud te Vadiani auctoritas, major apud quoscumque tamen Pausaniæ: apud quem † hæc legisse aliquando contigit: Τῶν δὲ ἐπιμάχων τὸ σύνοχον Τεκμησσίων τῇ θλιψιμῷ φωνῇ. Καὶ ὅπερ τὸ ἰδίωμα ἐστι τῆς Μαρκωμανῶν διαλέκτου. Hæc ille. Vides ergo, Castillionee, an Vadianus fallatur, an ipse decipiar. Ex his igitur liquido satis constat, non fuisse majoribus nostris cum cæteris Italis idioma commune. Nunc, postquam muneri ipse meo pro virili satisfeerim, obsecro vos, ut vestra omnium gratia tacere liceat mihi.

CAP. XI.

De magnificentia Mediolanensis Urbis, deque nonnullis scitu dignissimis Gallorum Cisalpinorum gestis.

HAEC cum dixisset Jovius, manu mento suppositа quiescebat. Tunc Felicianum omnibus intuentibus, inquit Castillioneus, Optarem, Feliciane candidissime juvenis, ut urbis nostræ, quando hæc nobis licebant minus, præconia dicerem: horum omnium silentium te loquentem expetit: in te uno nostra nunc vota suspensa sunt.

Unam (inquit Felicianus) ea in me sit ingenii felicitas, qua possim & desideriis vestris satisfacere, & existimationi apud vos meæ. Quamobrem vestrum fuerit munus, cum dixero, si in parte aliqua declinatum erit, vel me venia dignum existimare, aut tumultuario sermoni adscribere. Cæterum, ne à vestrum aliquo noter, ea tantum, quæ sunt in ore omnium, vel quæ ipsi vidimus: iccireo attendite. Maxima semper fuit apud quascunque nationes Gallorum Cisalpinorum & auctoritas, & virtus formidolosa: invenio siquidem in Græcorum monumentis ad Alexandrum Macedonem, quem ob res gestas Magnum cum cæteris auctoribus appellamus, Gallorum Cisalpinorum legatos hospitalitatis & amicitiæ gratia venisse: fuisseque in convivio, quo omnium fere gentium oratores acceperat, à Rege potentissimo interrogatos, *Quidnam esset, quod Galli maxime timerent*: tunc præter omnium opinionem respondisse, *Aliud*, inquam, *nihil, Rex præstantissime, quam ne supra nos cælum, aut Alpes ruant.* Quod responsum omnino sefellit animum Regis, cum esse se, quem formidarent, dicturos opinantis. Quibus verbis credibile est Alexandrum de Bello Gallis inferendo, quæ talium virorum essent alumnæ: sed per ea tempora contra Hetruscos, quorum opes terra marique late patebant, in armis erant: qui XII. urbibus conditis in Cisalpina Gallia universam Italiam tyrannide premebant. Nullus enim Rex citra eorum auctoritatem creabatur. Itaque cum per eosdem Romulus Rex declararus esset, captata Mithridates Ponti Rex occasione Romanos appellavit Hetruscorum vernas. Hos tamen quanquam potentissimos Galli Cisalpini non suis modo finibus ejecere, sed in eorum agro bella gessere, omnique dignitate & imperio privarunt.

Profligatis Hetruscis, pacis impatiens & ferox populus in finitimos Venetos, & Medoacos, arma convertit: eaque diu exercuit vario Marte. Cumque horum arma contemptui haberentur, utpote qui essent Paphlagones ejecti, in Hetruscos rursus Duce Brenno omnem belli impetum contulere, cum essent ab Arunte quodam ad id facinoris excitati. Clusium ergo tunc Hetruscorum metropolim eum majores nostri obsiderent, supervenere Romanorum legati, quorum auctoritate sedari posse bellum Tusci putabant. Verum eum res non succederet, aperto Marte Hetrusci Gallos aggressi sunt, quo in prælio cogniti sunt Romanorum legati. Clusio igitur relicto, Romam infensissimo agmine petentibus, ad Alliam fluvium exercitus Romanus occurrit: quem eum Galli viriliter excepissent, fere ad unum Romani interiere, eaque dies inter nefastos relata est.

Nec multo post defensoribus vacua, & capta, & incendio à Gallis Roma consumpta est. Hujus rei auctorem habeo Sex. Ruffum virum Consularem, qui hæc memoriæ prodidit: *Galli, qui Italia eam partem tenent, ubi est Mediolanum, usque ad Rubiconem amnem, suis viribus fretі Romam ipsam bello petere, cæsisque exercitibus Romanis ad Alliam fluvium, mœnia urbis intrarunt, Capitolium obsedere. Ad cujus arcem sexdecim senatores nobilissimi confugerant, qui mille auri libris se obsidione redemerunt.* Videtis ergo ab Insubribus urbem deletam: qui mox per Apuliam vagantes Gallipolim condidere: hinc solventes in Græciam delati eum fere omnem populati sunt.

Annis post aliquibus rursus in Romanos Galli insurrexere: quo in tumultu T. Quintium Dictatorem, qui nisi desperatus rebus creabatur, factum reperio, eum jam Galli ab urbe ad tertium lapidem vis Salaria trans pontem Anienis castra posuissent. Quorum timore & justitium indictum est, & juniores sacramento militari adacti. Tertius in Gallos Dictator fuit C. Sulpitius, M. Popilio Lænate & Cn. Manlio Coss. Post multas tandem acceptas, illataque clades vix arma deposita fuerant; quando majora inter Gallos Romanosque bellorum incendia exarsere: siquidem reparatis utrinque exerciubus, ut si quando alias, acriter ad arma itum est. Et cum Galli in agro Latino castrametati essent, juniores rursus ad militiam coacti sunt dare nomina: quod scirent Gallicam gentem & bellacem esse, & ingenii avidi ad pugnam. Quo in certamine Consul vulneratus in Romanos fugientes hac oratione usus traditur: *Quid fugis miles? non cum Latino, Sabinoque hoste res est tibi: quem vitam armis sedem facias ex hoste. In bellum struximus ferrum: hauriendus, aut dandus est sanguis.*

† In *Phocicis*, cap. XIX.

L. Vo-

L. Volumnio & Ap. Claudio Coss. cum Hetrusci, Samnites, & Umbri in Romanos conjurassent, reperio ab iis Gallica auxilia fuisse mercede conducta, quod cognoscerent Gallos & bellaces esse, & nomini Romano infensissimos. Decio item Decii filio Cos. acerrime pugnatum est contra Romanos: quos cum Decius fugientes nullis aut precibus, aut minis retardaret, Dis manibus se devovit, M. Livio Pontifice adstante: confectumest hoc certamen in agro Sentino, non procul ab Esi fluvio. Hanc urbem Longobardi vastarunt.

Erant Galli cum ob vicinitam, tum ob virtutem Romanis terrori: & tumultus Gallicus cum maxima formidine semper exceptus. Idem etiam Plutarchus affirmat his verbis in *Vita Marcelli: Faciebat id loci vicinia, & Gallorum dignitas: tanquam qui recordarentur se & ab iis ad Alliam casos, & urbe fusso dejectos.* Peracto primo Punico bello cladium & stragis faces ex hujusmodi caussa inter eosdem rursus emicuere. Irruperant more torrentis per agrum Hetruscum Galli, Aretiumque acriter obsidebant. Romani Tuscis auxilium ferentes in pugnam descenderunt: qua in pugna, si alias unquam, Gallorum virtus enituit. Nam & exercitus ad excidium deductus, & interfectus est Consul. Cum vero pro redimendis captivis Rom. oratores Mediolanum venissent, contra jus gentium interfecti sunt. Itaque Senatus hujusce facinoris indignatione commotus, delectu per Italiam habito, bellum reparavit in Gallos, quod ad multos annos gestum Senonibus, qui proxime Italos habitabant, excidio fuit. Sunt qui scribant hæc ante primum Punicum bellum fuisse gesta: quod eo confecto subsecutum sit Illyricum: mox rumultus Gallicus. Hanc ob caussam C. Flaminius ad populum legem tulit, ut ager, qui Senonibus ademptus fuerat per superiora bella, Romanis civibus divideretur. Id cum Boji intellexissent, qui Senonibus inhærebant, male ferebant hanc Romanorum vicinam. Super hac re igitur inter Cisalpinos Gallos conventus est habitus. Quibus in comitus contentio omnis consumpta est refricandis injuriarum vulneribus antiquis & recentioribus.

Tandem post longam consultationem ad arma succlamatum est. His pactis Congolitanum & Aneræstem Reges eligunt: quibus summa totius rei commissa est. Hæc ubi Romæ nunciata sunt, varie trepidatum est, discurrentibus aliis ad portas urbis, aliis ad mœnia, pernoctantibus aliis in foro. Omnia certatim deferri in oppidis validioribus ab agris: ac si adfuissent pro mœnibus Galli, qui domo nondum signa promoverant. Accusari ab aliis Patres conscripti, & à nonnullis civium avaricia assiduis jurgiis enimmari, & parum defuit, quin sævitum sit in belli auctores. Tanto igitur belli jam excitato incendio Consules per Italiam & proximas insulas habere delectum, parare arma, cogere juniores, vexillapræparare. Coacti sunt etiam sacerdotes, qui belli munere ex S. C. vacabant, ad militiam dare nomina. Romanorum autem formidinem vel apparatus ipse declarat: nunquam enim tot Italorum millia fuisse in armis proditum est. Veniebant enim in mentem Rom. urbis incendia, excercitus ad Alliam cæsus, tot Dis sæpenumero adversis contra Gallos susceptæ certamina; & hanc ob caussam velut fatalem Romanis Citeriores Gallos formidabant. Sic in urbe & apud socios impigre delectus habebatur: & quasi non semel pugnandum esset, tot copiæ conscriptæ sunt, quot antea, nec post (quas ipse legerim) nunquam. Siquidem Polybius refert fuisse in Romanorum excercitu DCCC. & L. mil. peditum, equitum autem III. & CC. mil. Plinius DCC. ped. mil. equitum vero tantum mil. LXXX. fuisse attestatur. Et antequam copiæ proficiscerentur, sacrificii genus facere coacti sunt, Sibyllinis cedentes monitis, quibus continebatur, Græcos homines, totidemque Gallos marem scilicet & fœminam vivos oportere tumulari: cum antea Græcanico more pii ac mites rem divinam facerent. Itum est tandem cum iis copiis in Gallos, qui Hetruriam omnem ferro, flammaque vastabant: & diu vario Marte pugnatum est usque ad C. Atilii Cos. ex Sardinia adventum, quem cum venisse Galli cognovissent ex crebris ignibus per noctem, totis viribus in aciem descenderunt, ut extremam belli aleam experirentur. Prævalebant virtute Galli, multitudine vero numerosiore Itali. Contra L. Æmilium Gesatæ, quibus mos erat, ut nudi pugnarent, cum Senonibus constitere & Cenomanis: adversus C. Atilium cum Bojis, Lebuis, & Salassis Insubres processere, collocatis prius plaustris, & impedimentis, omnique præda in proximum tumulum cum præsidio. Cum duas (ut dictum est) frontes Gallorum acies haberent, non solum terribiles aspectu, verum & efficaces ad certamen fuere: verum Insubres cum Salassis & Bojis lunatis sagulis & torquibus aureis maxime interluebant. Interea Gallis equitibus C. Atilium à rumulo arcere conantibus, pugnatum est nervis omnibus cum summa omnium alacritate. Quo in concursu cum Atilius Cos. in confertissimos cuneos pugnaret, ab equite Gallo hasta transfixus, occubuit: caputque hastæ infixum per castra delatum est. Hic ex morte Consulis major invasit Italos rabies, & rerum desperatio. Tandem fusa Gesatarum sagittis acie, ad cæteros Gallos omnis rerum difficultas rediit. Hic clamor, armorumque horror, hic equorum hinnitus, qualis antea nunquam, pro sociis & libertate Italis, pro gloria autem & virtute pugnantibus Gallis. Sic omnis ferri experientia à fronte & à tergo vehementius insurgebat. Insubribus & reliquis Gallis nulla jam salutis spes validiores vires dabat: Itali vero nisi tunc cum tanto excreitu vicissent, nunquam postbac fore ut vincerent, arbitrabantur. Cœpere tandem Italorum frontes pedem referre: quod cum Tribuni equitum inspexissent, ut fit in rebus proclamatis, procellam equestrem demissis hastilibus, & equis concitatis in Gallorum peditatum dedere. Tum demum turbati Galli, ac loco moti & repulsi sunt. Quanto animorum ardore runc pugnatum fuerit, Polybius his verbis ostendit: *Hic tandem bella Gallica finis, quo nullum usquo in hunc diem vel obstinatione animorum, vel militum audacia, vel atrocitate præliorum, vel multitudine interfectorum, vel numero copiarum majus, aut audivimus, aut legimus.* Hæc ille. Post hanc pugnam L. Æmilius Consul in Bojorum agrum cum exercitu venit, quo vastato Romam ad triumphum regressus est secum adducens Congolitanum ex fuga protractum. Aneræstes alter ibi mortem conscivcrat, ne foret hostibus spectosior triumphus.

Sequens annus Consules habuit Q. Fulvium & T. Manlium. Hi accepto exercitu Galliam ingressi sunt, Bojosque venire in dedirionem P. R. coegerunt: qui eum cæteros Gallos adoriri, aut eorum regionem vastare propositissent, crebris imbribus & oborta per exercitum pestilitate pedem referre coacti sunt. Hos secuti sunt Consules P. Fulvius & C. Flaminius. Galliam itaque Flaminus aggressus est, Ananesque Gallos subegit: hinc Insubres invasit incensis Taurinorum agris: & castra metatus est eo in loco, quo Addua in Padum influit: ibi hac ætate Castrum est novum, pagus. Insubres ubi hæc intellexere, armata multitudine ad prohibendos Romanos venere: ibi crebris certaminibus fatigati Romani in Cenomanorum agrum se recepere: inde per superiora loca vagantes equites Orobios populabantur. Insubres itaque agrorum vastationem ægre ferentes ferro quam primum decernere statuerunt. Facto igitur agmine

quinquagiota hominum mil. & ſublatis vexillis auretis è templo Minervæ, tanto animi ardore Romanos aggreſſi ſunt, ut vix ab oppugnatione caſtrorum primo adventu repulſi ſint: paucis poſt diebus in ripis Abduæ commiſſa pugna ſuperati ſunt.

Tot cladibus attriti Inſubres Romam pro pace legatos mittunt: quibus cum negata eſſet, rurſus ad bellum ſe alacrius comparant: præſertim cum jam Mediolanum ex Tranſalpinis Duce Viridomaro armatorum triginta millia in ſubſidium ſuperatis Alpibus acceſſiſſent. Conſules erant C. Cornelius Merula, & M. Claudius Marcellus, qui acceptis copiis à prioribus Conſulibus, Acerras inter Padum & Alpes urbem Inſubrum obſidione cinxerunt. Inſubres, quod auxiliom obſeſſis ferre non poterant, propterea quod media quædam loca à Romanis tenebantur, parte copiarum trans Padum miſſa, Claſtidium quod Romani præſidio firmaverant, obſederunt, rati ea difficultate coactos Romanos Acerras obſidione ſoluturos: eo igitur conſilio Claſtidium premebant. Romani bifariam diviſo exercitu ſtatuere obſeſſis opem ferre. Cornelio igitur onus injunctum, ut curaret, ne Acerranis ſubſidium præſtaretur: Marcello autem, ut Claſtidianis opem ferret. Quem ubi Padum Galli trajeciſſe intellexeruot, Conſuli obviam facti ſunt: inſtructaque acie Romanos adoriuntur: ibique Ducis Viridomari temeritate ſuot cæſi. Acerrani autem ſuorum ſtrage audita, urbem noctu deſeruere. Ita urbs Inſubrum clariſſima flammis conſumpta eſt.

Ultra Linianum miræ celebritatis oppidum in ripis Oronæ pagus viſitur, Acerris adhuc nomen eſt, cum adjacenti regione, quæ Acerrina dicitur. Hic fuiſſe vetuſtiſſimam Acerrarum Inſubrum illam urbem puto. Vaſtatis Acerris Cornelius Mediolano copias admovit. Quod cum ſe capere poſſe deſperaret, quod populi frequentia defenderetur, populato circum urbem agru copias reducebat. Iter facientem Inſubres aſſequuti extremum agmen adeo egregie invaſere, ut maximus timor ea in parte ſit Romanis injectus. Converſis igitur ſignis Conſul totis viribus Inſubres aggreſſus eſt, maximamque eorum partem concidit: qui pugnæ ſuperfuere in proximos montes aufugerunt. Cornelius re animadverſa infeſto exercitu Mediolanum revertitur: nactuſque urbem metu perculſam, & defenſoribus vacuam oullo negotio ea potitus eſt.

Quievere deinde Gallorum arma uſque ad Annibalis adventum, à quibus & copiis novis auctum (fere enim omnem exercitum in tranſitu Alpium amiſerat) ſatis conſtat, & ab his in Italiam accerſitum, cum illi in animo eſſet per Narbonenſem Galliam apertis Maritimis Alpibus in Ligores irrumpere, illinc in Hetruriam. Noviſſime in Italia ſoli qui rebellaverint, in armis remanſere contra Romanos pulſo Annibale: mox cum Liguribus, quorum arma fere ſemper conjuncta fuere, vario Marte cum Romanis belligerarunt. A variis tandem cladibus in amicitiam Romanorum ſunt recepti, privilegioque Latinæ coloniæ Tranſpadani, Romanorum more loquor, donati.

Sævientibos deinde bellorum Civilium procellis C. Cæſarem ſequuti totis viribus hoic bello incubuere, cæteris Gallis prope reclamantibus. Hujuſce rei teſtem habeo Ciceronis *Epiſtolam ad Terentum*: *Delectus enim*, inquit, *magnos habebamus, putabamuſque illum metuere, ſi ad urbem ire cœpiſſet, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimiciſſimas, præter Tranſpadanos.* Exſtincto Cæſare contra M. Antonium inſurrexere: libertatemque communem cum Republica Romanorum amplexi ſuot: quod unice M Brutom Cæſaris interfectorem colerent. Negotii hujus teſtis eſt Plutarchus: qui ait, *Mediolani ſtatuam auream M. Bruti in foro conſpectam ab Octavio: laudatoſque Mediolanenſes ab eodem, quod etiam in rebus adverſis amicorum eſſent amici.* Quod arma ſumpſerint in M. Antonium, auctorem habeo in *Philippicis* Ciceronem, apud quem hæc pridie legi: *Quid Galliam?* (de hac loquitur Citeriore, quam in M. Antonium D. Brutus armaverat) *Quo tandem animo hanc rem audituram putatis? Illa enim hujus belli propulſandi, adminiſtrandi, ſuſtinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutumque ſum, ne dicam imperium, ſecuta armis, virtute, pecunia, belli principia firmavit, eadem gradelinata M. Antonii ſuum totum corpus objecit, exhauritur, vaſtatur, uritur omnis, aquo animo belli patitur injuriam, dummodo repellat periculum ſervitutis.*

Optarem in L. Floro, & aliis nonnullis ſcriptoribus, loquendi modeſtiam: qui ut cartas expleant ambagibus, regiones aliquando citra verecundiam pro animi libidine plus æquo vel laudant, vel vituperant. Audite igitur quicunque eſtis ex hoc grege M. Tullium *Philip.* III. *Quodquo Galliam Provinciam Citeriorem optimorum, & fortiſſimorum virorum, amiciſſimorumque P. R. civium referiam, exercitumque eu Senatus poteſtate retineat.* Verum, ne ebrium Ciceronem hæc putet dixiſſe aliquis, audiat eundem *Philip.* IV. *Galliam totam hortatur ad bellum, ipſam ſua ſponte, ſuo quoque judicio excitatam.* Hæc ille. Nunc quanta fuerit, & ſit, hujus Galliæ Citerioris auctoritas, his verbis idem Cicero declarat *Philip.* III. *Nec vero de virtute, conſtantia, gravitate Provincia Gallia taceri poteſt. Eſt enim ille ſios Italia, illud firmamentum imperii P. R. illud ornamentum dignitatis, tantus autem conſuſus eſt municipierum, coloniarumque Provincia Gallia, ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majeſtatemque P. R. defendendam conſpiraſſe videantur.* Eundem rurſus audi in V. *Philipp. Galliaque qua ſemper præſidet atque præſidet huic Imperio, libertatique communi, merito vereque laudetur, quod ſe ſuaſque vires non tradidit, ſed oppoſuit.* Quod ſi uoi Ciceroni fides non adhibenda eſt, audite M. Antonium apud App. Alexandrinum ita loquentem: *Nam ſi a Celtis,* inquit, *abiero, neque hoſtis, neque Monarchiam dicar amplius.* Idem cum à Senatu deſtitueretur, petit Celtarum Provinciam inter Alpeis reſidentem: quam D. Brutus obtinebat, mente ſcilicet repetens, C. Cæſarem ex Celtis prodeuntem Cn. Pompejum ſuperaſſe. Senatus autem Celtarum gentem velut arcem in ſe præparari metuens, couturbari cœpit.

Ad hæc quibus copiis Ulteriorem Galliam C. Cæſar devicit, niſi noſtratibus? Primo in Helvetios duas legiones conſcripſit, quas per Ocellum cum tribus, quæ circum Aquilejam hyemabant, trans Alpes traduxit. Mox cum eſſet in hac noſtra Gallia, intellexiſſetque Cæſar Belgas inter ſe datis obſidibus conjurare, nonne legiones totidem conſcripſit ex noſtris militibus? quos Q. Pedio legato in Ulteriorem Galliam deducendos dedit. Deinde cum Cæſar majorem Galliæ motum exſpectaret, per M. Syllanum, C. Antiſtium Reginum, T. Sextium legatos delectum haberet ab Cn. Pompejo Proconſ. petiit, quoniam ipſe ad urbem cum Imperio reipublicæ cauſſa maneret, quos ex Ciſalpina Gallia Conſulis ſacramento rogaviſſet, ad ſigna convenire, & ad ſe proficiſci juberet.

Quid igitur oblatrat L. Florus eſſe nos nivibus noſtris ſimiles? quando hinc omnium firmiſſimus peditatus ſemper eductus ſit, ad quancumque belli aleam ſemper paratiſſimus. Verum non deerunt ex vobis, qui mihi jam vitio dederint, quod in ra ſole clariore morer nimis. Tranſeo igitur ad facinus aliud, quod conſtat à quatuor tantummodo Tranſpadanæ regionis urbibus, cæteris ſtatis reclamantibus, patratum fuiſſe. Hyemabat circa Padum

ala

ala Syllana: quæ cum ab Othone Imperatore nullo in pretio haberetur, cognoſceretque Mediolanenſibus, Novarienſibus, Vercellenſibus, & Hipporrhedienſibus Othonis imperium grave videri, eos ad defectionem nullo negotio ſollicitavit. Data itaque inter ſe fide, omnes in verba Vitellii abſentis jurarunt. Atque hæc cum Vitellius intellexiſſet, maturavit ex hybernis milites movere, & in hanc Citeriorem Galliam proficiſci tantarum urbium motus auctoritate, quas Corn. Tacitus *florentiſſimam Italiæ latus* appellat. Datas præterea à Senatu Romano literas in hanc ſententiam reperio: *S. R. ampliſſimus Curia Mediolanenſium ornatiſſimæ ſalutem. Vt eſtis liberi, & ſemper fuiſtis, latum vos credimus: ereandi Principes facultas Senatum readiit: ſimul etiam Præfecturæ urbanæ appellatio univerſa decreta eſt. Valete.* Hæ autem litteræ ad Mediolanenſes datæ functo vita Aureliano fuere.

Poſſem ſuper hoc negotio vobis plura adducere: verum cum his recentiora domi habeantur per Georgium Merulam virum candidiſſimum declarata, fere uſque ad memoriam noſtram, videor mihi cum gratia cuam veſtra poſſe me canere receptui. Hæc cum dixiſſet Felicianus, ſubticuit.

Tunc Hippolytus Maynus Aoguſtæ Bacienorum Comes Petrum Candidum Vergeminatem oravit, ne gravaretur ea, quæ in laudem Mediolanenſis urbis compoſuiſſet, recitare.

Cui Petrus, Turpe, inquit, mihi eſſet, Comes illuſtriſſime, precibus tuis locum relinquere: Incipiam igitur, & ſi quandoque prolixior vobis viſus fuero, date ſilentii ſignum mihi: nam ſenectutis hoc peculiare vitium eſt, ut ſint ſæpenumero plus quam deceat loquaciores. Sed nunc exordior, precor attendite. Admirabilis quædam res eſt eloquentia, & quam paucorum ingenia hucuſque aſſequi potuere. Quamobrem nonnullos & graves & doctos viros ſcimus, qui cum parum rebus, de quibus verba facturi ſunt, eloquentiam præſtare nequeant, ſtudio tamen & voluntate ducti ea dicant, ex quibus non tam laudem meo judicio, quam reprehenſionem, ſunt conſecuti. Moderanda igitur voluntas eſt, & cohibendus appetitus, ipſiſque voluptatibus fræna injicienda ſunt: nec ſolum quid poſſis, ſed quid debeas, cogitandum. Ita te tuarum rerum pulchritudo delectet, ut nihil laude digoum te auctore in earum comparatione veleſcat. Nuper cuim cum Leonardi Aretini viri in primis docti laudationem Florentiæ urbis lectitarem, non tam dicendi ornatum, qui uberrimus illi adeſt, quam ſententiarum vim ac diligentiam admiratus ſum. Tam luculenter enim & ornate ſcribit, ut niſi penitus attenderis, facile adduceas, vera eſſe, quæ ab illo referuntur. Sed nihil eſt veritate præſtantius: ſumma res eloquentia huic uni cedit, ab illa vincitur. Operæ pretium itaque credidi omnem noſtram hujuſcemodi laudatione ſententiam meam vobis exponere. Nam cum bonarum artium ſtudiis eruditi ſitis, tum iis potiſſimum otiis vacetis, quæ ſunt nonnunquam negotiis præferenda: æquiſſimum arbitror in omni re, quæ à nobis auſpicanda ſit, Deos præcipue faventeis optari: cum id demum feliciter evenire credatur, quod divina ope fultum ſit.

Itaque celeberrimi vates non ſine digna commemoratione Deorum laudes in eorum carminibus prætulere. Leonardus item noſter cum alia, tum iſtud in primis egregie, ſed nihil neque luculentius, neque ſplendidius in toto orbe terrarum Florentia urbe reperiri poſſe, haud equidem aſſentior. Quippe voluntatem ipſius extollendam, facultatem vero quam ampliſſimam fuiſſe, erudita ac pollens oſtentat oratio: quæ illi in exornanda urbe pulcherrima nequaquam defuit.

Sed ut ad rem aliquando veniamus. Principio quidem magnæ prudentiæ exiſtimo, nihil ad oſtentationem facere, nec periculoſam, ut idem ait, jactantiam ſequi potius, quam tranquillam ſtabilemque commoditatem. At quo pacto Florentium urbem id obſervaſſe cernimus? quæ inter convalles quaſdam ſita, nec præclare ſe montibus oſtentat: nec rurſum expeditiſſimis campis objecta, eminus iter aperit: Veſpertinus nempe viator longinqua ſedulus proſpectat hoſpitia, finem jam inde ingrati laboris autumans. Hæc autem convallium ſylveſtris opacitas non tantum urbium adſpectum eripit, verum etiam deſperationem quandam adeuntibus videtur præferre. Quippe urbes ſummis in montibus collocatæ, tum ad aſpectum magnificæ ſunt, tum ad uſum jocundæ. Extrorſum enim adſpicientibus incolis lætiſſimos campos, viridiſſimos colles, amœniſſimos maris tractus proſpiciunt: nec eſt quicquam quod cum tali ſpectaculo conferri poſſit. Quid aeris ſalubritatem commemorem? Quid aurarum ſuaviſſimos flatus, ſive æſtivis temporibus Boreali rigore frigeſcere, ſive hybernis auſtrali tempore mavis caleſcere? Ex quo ſummis in montibus habitare licet non ſolum, ſive adverſa cœli intemperie, ſive habitatorum incommoditate atque moleſtia, quinimo cum ſumma jucunditate & gratia: ſine ventis vero ac procellis nullam orbis regionem licet habitare. Adde quod ingenia his locis acutiora gigountur, ut non infacete dictum ſit, *Ex montibus ſapientiam prodire: planitiem vero fruges largiri.* Sed illa profecto fortunatior ſedes eſt urbis, quæ longe flumina, longe monteis excelſos proſpicit, eorumque commoditatibus, quantum ſat eſt, fruitur, incommoda vero non ſentit. Quæ ſi nulla eſt in toto terrarum orbe egregie condita, ea certe Mediolanenſium eſt civitas: ſic enim in latiſſimis, feracibuſque campis ſita, montibus altiſſimis procul ſepta eſt: ſic non longe decurrentium fluminum opportunitatem pereipit: ut nulla nedum inveniri, ſed ne utilius & commodius ædificata cogitari ullo modo poſſit. Nam per Deum immortalem, quænam eſt hac urbe præclarior? quæ populo frequentior? quæ ædificiorum magnificentia ditior? quæ denique viris, mulieribuſque illuſtribus ornatior? videre licet alias urbes, quibus præter inanem quandam vicorum mundiciem, ac decorem, nihil adſit, quod cum minima hujus urbis commoditate conferri merito queat. Jam vero ſi aeris temperiem ac nitorem contempleris, facile adduci poſſis, Comes optime, nec alibi purius cœlum, nec ſplendidiorem ſolem, nec aſtra magis ſulgentia te vidiſſe. Ipſam autem urbem viridantiſſima planicies undique circumdat, tam frugiſero, amœnoque æquore conſita, tam glandiferis, opaciſque nemoribus culta, tanta vitium ubertate lætifica, ut nihil aſpectu pulchrius, nihil proventu utilius, nihil ad animantium vitam accommodatius natura rerum omnium parens & alumna commenta videatur. Adde iis fontium perennes liquores, curſus amnium vitro lucidiores, pratorum viriditates, & camporum felicem, beatamque fertilitatem: tum volucrum copiam, ac ferarum: quarum ſtudio venandi incolæ mira voluptate afficiuntur.

Quid oppida in urbium formam deducta commemorem, ut Vergeminum, quod Viglevanum appellant, patriam meam? ut Bearum, Gallarate, Mortarium, Terdate, aliaque multa municipia, quorum frequentia hæc civitas ſic undique munita eſt, ut nihil videri poſſit illuſtrius. Itaque cum pluribus in locis magnificæ urbes ſint, ad quas viſendas multi mortales fama pulchritudinis allecti conveniant, cum plurima illis deeſſe conſpiciant, adeo hujus urbis magnificentiam, ornatum, copiam intuentur, ut illas veluti ſamulas quaſdam,

hanc vero cæterarum dominam esse fateantur: sic omnium rerum magnitudine obstupescunt, sic templorum fastigia & ornatum conspicantes, pulcherrima admiratione fatiari non possunt. Non enim urbs ejusmodi est, ut quæ optima & præcipua habeat, universa exponat ante oculos hominum inspicienda, ac veluti sollicita quædam meretrix superficiem solum curare cupiat, & culta nimis in publicum prodire: quod plerisque in urbibus fieri videmus. Cæterum ut diligentem matronam decet, cui dignitas magis peculiare bonum sit, hæc leviora haud multi facit: introrsus autem majora quædam, ac visu digniora domesticorum obtutibus referat fruenda. Ex quo fit, ut cum emisarius illius, ut ita dicam, vultum, cultumque prospexeris, minus formosa ac decens sit: tum vero si propius accesseris, omnia præ illius venustate vilescere, nec satis nativum splendorem habere videantur.

Quamobrem cum multa multis in partibus memoratu digna, aspectuque sint, nihil est ex omnibus hoc spectaculo pulchrius, nihil dignius. Quod igitur in omni re præcellentissima solet accidere, ut non facile sit exordium sumere, qua potissimum illius præstantiam recenseas, cum multa undique inter se quodam modo de dignitate contendere, & dubitationem afferre non minimam videantur. Id in hac urbe præclarissima exornanda, vel in primis mihi evenire sentio, ut quid prius, aut posterius expediam, non leviter addubitem, & ingenii mei periculum haud ansim facere. Experiundum tamen est, & quicquid studio & exercitatione dicendi consecutus sum, id omne in illius præconiis conferendum. At si parem vel ejus magnitudini, vel meæ potius erga illam voluntati eloquentiam præstare nequeam, nihil est quod deprecer, doleamve. Nam & urbs ejusceemodi est, ut nec à Ciceronis eloquentiæ principe, proipsius meritis satis digne commendari possit: & voluntas mea si minus laude, certe venia his primitiis digna est. Æquum est enim pro tam urbe celeberrima, quam in patriam mihi elegi, pro veritate verba facientem assensum promereri.

Unde igitur exordiar? an ut pictores solent? sic equidem existimo. Id erit quam aptissimum dicendi initium. Pictores enim cum pulcherrimas imagines studeat effingere, primum ideam quampiam excellentem ac venustam mente concipiunt, quod convenientissimum facto opus sit cogitantes, deinde stylo manus applicant, ac prius verticem, &, ut ita dicam, vultum coloribus liniunt: subinde notas in reliqua membra distinguunt. Itidem nos cum præstantissimam urbem describere avemus, ab ipso veluti capite fumemus exordium. Id autem quale erit? puto equidem si rerum publicarum administrationem recensuerimus. Cætera vero quæ plerique magni existimant, templa, basilicas, porticus, theatra non pluris faciam, quam si quis imaginibus illis, de quibus paulo ante dictum est, bullas, limbos, fimbrias aut hujusmodi decora cenſet addenda. Quippe ut propriori imagine utamur: sicut enim in homine ratio in primis suspicienda est, tum dignitas personæ, membrorumque æqualitas, sine qua pulchritudo esse non potest: sic vos civitatem, quæ optima futura sit, auspicantes, principio Reipublicæ curam intueri oportebit: tum civium dignitatem, æquitatemque vivendi, quæ membra sunt urbis: cætera quæ ad cultum pertinent haud multi putanda sunt. Unde fit, ut si qua urbs eximie munda & pulchra sit, reliquis vero destituatur bonis, non sit propterea huic, de qua loquimur, æquiparanda. Sed ut, unde sumpsit initium, referatur oratio, caput urbis & columen Respub. est. Hæc quibus regatur legibus haud parum anteceſt: leges autem & jura municipalia, quoniam à majoribus tradita sunt, haud ab re fuerit de urbis origine pauca præponere.

CAP. XII.

De origine Urbis Mediolanensis.

SATIS constat Ambigarum Celtarum Regem, (ea pars Galliæ tertia habetur ex descriptione Cæsaris) cum jam grandior natu regnum propagare cuperet, Belloveso ac Sicovesо sororis filiis nova loca, novasque sedes eligere, ubi Dii auguriis dedissent, fuasisse: assumptis regni viribus, ne qua gens extera advenientes finibus posset arcere. Ea gens populis abundabat: sedes antiquas destituere Biturriges, Arverni, Senones, Cenomani, Carnutes, Boji, Aulerci, Hedui. Tum Sicovesо sorte Hercynii saltus obvenere: Bellovesо autem Dii immortales felicius iter ostenderunt. Itaque per Taurinos saltus Alpis Juliæ in Italiam cum Cenomanis, Lebuis, qui in Gallia Ulteriore Hedui aliis discebantur, & Bojis irrupit. Fusisque acie Hetruscis non procul à Ticino & Novaria Hetruscorum pago flumen trajecit: & cum in agrum, quem Insubrium vocari ipse lexisset, forte pervenisset, omen secutus, quo itidem Heduorum pagus vocaretur, urbem condidit, quam Mediolanum appellavit: ab urbe ejus nominis in Gallia ad littus Oceani, cujus meminit Strabo. Nostram vero hanc T. Livius Prisco Tarquinio regnante conditam, anno ante Romam à Gallis incensam ducentesimo, memoriæ prodidit.

Ab iis igitur majoribus hæc urbs excellentissima sumpsit originem. Cæteras enim urbes aut pastores, ut Romam, aut profugi patriis sedibus, ut Tarentum, & Venetias condidere: hæc sola inventa est, quæ non agrestes, aut obscuros contioesse auctores: verum Diis auspiciibus clarissimam Regum Celtarum stirpem, & bellacium populorum, quos non arma Alexandri Magni, non Romanorum denique, si concordes animi Gallorum fuissent, subegere, præ se ferat.

Cæterum ut id, quod dicere instituimus, prosequamur. Utrum igitur Resp. unius consilio atque auctoritate, an plurium arbitrio aptius regatur, expenumero quæsitum est. Siquidem Plato Atheniensis Philosophorum omnium (ut quit Cicero) princeps quadrifariam principatuum species distinguit: unam honorabilem, quam Græco nomine *Timocratiam* appellat: aliam paucorum regentium *Oligocratiam*: tertiam *Democratiam*, hoc est, popularе regimen: quartam vero *Tyrannidem*: quintam deinde his omnibus præstantiorem adjicit, *Aristocratiam*. Verum cum ea non secus ac phœnix quingentesimo semel anno, vel potius nunquam exsitet, in præsentia omittatur. Et ad incepta redeamus.

Nulla igitur regnandi species potior visa est, quam *Timocratia*: ea nempe est, quam apud Lacedæmonas & Cretenses viguisse Plato asserit. Cum vit quispiam honoris, victoriæque avidus Principatum capit, non ut cupiam violentiam, aut necem inferat, sed ut ingenue belligerando Remp. diligenter & egregie tuendo sibi laudem, patriæ vero utilitatem, pariat. Qualis apud Romanos L. Brutus, & multis ante nos seculis præstantissimi Reges: ut Bellovesus & Brennus hujus inclytæ regionis propagatores exstiterunt: qui non tam opum acquisitione solliciti, quam gloriæ & posteritatis memores, omnia post Rempublicam habenda censuere: ut hac ætate Carolus quintus Rom. Imperator semper invictissimus & felicissimus, qui anno ante hunc secundo Tunetum totius Africæ urbem munitissimam aggredi non dubitavit: qua expugnata tantam gloriam assecutus est, ut proxime nunc ad

Deo

Deos accedat. Joannem etiam Galeacium Vicecomitem nominari ſcio vos intellexiſſe, cum quod Inſubrum Dux primus fuit, tum quod illi *Virtutum Comiti* cognomen fuit. Ab hoc tanta in Remp. hanc merita exſtant, ut dies me prius, aut vox tametſi ferrea eſſet, deficerent, quam dicendi materia.

Verum è multis, quo brevior fiam, unum ſubjiciam, quod ejus Principis magnanimitatem, prudentiam, fortitudinemque poſteris oſtendet. Geſſit hic Princeps bella quam plurima contra validiſſimas Italiæ urbes. Nec tamen quiſquam repertus eſt, qui conſilio, potentia, opibus hujuſce conatibus opponere, aut quæ animo conceperat, quominus ut exſequeretur, ullo pacto quiverit obſiſtere. Nempe cum adverſus Florentiam urbem bellum gereret, quæ inter cæteras Italiæ opulentiſſima quodam modo ac præclara habebatur; nec facile appareret ejus vim ac potentiam brevi poſſe proſternere, cum undique Romanorum, Venetorum, & finitimorum auxilio tuta eſſet, nec propinquas ſolum, ſed exteras quoque nationes in bellum excitet, adeo virtute, diligentia, labore urbem ſagaciſſimam eluſit atque proſtravit; nunc armis intonendo, nunc pacem oſtendendo, ut quæ multis ſeculis ferme toti Italiæ par eſſe videbatur, nec modicis prælis poſſe ſuperari, intra breve tempus pene ad excidium deleretur: nec ſe amplius tueri, aut rem ſuam incolumem ſervare, niſi ſub Vicecomitis tutela & dignitate putaretur. Cæterum hæc uberius ab aliis tractantur, & nos ſuo loco nonnulla retulimus. Iccireo ad alia iis ampliora me recipio, quæ non minus Principum noſtrorum magnanimitatem, quam urbis Inſubrum vim, potentiam, excellentiam declarent. Puto ego multos mortales ſatis mirari, unde huic civitati tantæ opes, tantæ copiæ, tanta denique omnium rerum facultas ſit, quemadmodum tot per annos, & noviſſime diebus noſtris graviſſima tot bella ſuſtinuerit: quam ſæpe infeſtis hoſtibus & innomeris reluctata ſit, & ſemper indefeſſa ac validior emerſerit. Quis enim non merito his rebus tam præſtantibus & dignis admiretur?

Sed hic omnis ſtupor apud eos eſt, qui urbis & opulentiam, & vires neſciunt, ejus magnificentiam nunquam inſpexerunt, auribus non facile credunt. Ut enim ab Ariſtotele poſitum eſt, ſi qui eſſent illuſtribus domiciliis ſub terra habitantes, eoſque picturis, ſignisque pulcherrimis, quibus beatorum domus ornari conſuevere, nec unquam ſupra terram exiviſſent, auditu autem & fama ſpecimen ac decorem omnium, quæ hic viſuntur, percepiſſent: nec facile his, quæ referrentur, fidem adhiberent. Deinde aliquo tempore patefactis ſedibus in hæc, quæ incolimus, loca emerſiſſent: cum repente cœlum, ſolemque vidiſſent, tum terras, mariaque patentia: præterea volucrum copiam, ac ferarum, urbiumque multitudinem & ornatum conſpexiſſent; profecto & earum rerum magnitudine obſtupeſcerent, nec ſatis pulcherrima admiratione fatiari poſſent. Ita ſi quis fortaſſe eſt, qui aliarum urbium ornamento aut amœnitate delinitus ſit, bujus autem excellentiam prorſus ignoret, aut negligat: cum ad hanc tandem aceeſſerit, ac prius quidem multitudinem populi lætiſſimam, urbis frequentiam, pulchritudinemque ſingularem inſpexerit: tum eorum, quæ ad victum hominum, cultumque pertinent, copiam ſimul, præſtantiamque cognoverit, quot artes, quot inventa, quanta in hac omnium ubertas & decor ſit, quot ditia & ornatiſſima templa, præclariſſimæ regiæ, antiquiſſimæ familiæ, pulcherrimæ & delicatiſſimæ nurus, ſplendidiſſimi juvenes, nitidiſſimi equi, & inſignia arma videantur: poſtremo totius urbis gratiam, nitoremque perceperit: nequaquam ab hac tam præclare bello, paceque facinora edita fuiſſe mirabitur, quinimo multo majora ab ea præſtari potuiſſe: & ad orbis imperium adipiſcendum idoneam potiua eſſe cenſebit. At vos aſſuetudine quadam oculorum imbuti, ut in aliis plerunque fit, mirari deſinitis.

Hic autem ſtupor, hæc admiratio urbem pervadenti ante oculos objicitur. Cum vero civitatem ipſam egreſſus ſis, & ſingula diligentius contemplatus fueris, Dii boni quæ oppidorum frequentia? quibus plurimæ ex civitatibus Italiæ longe cederent: quarum nomina propter ſcriptorum commendationem celeberrima ſunt. Quæ omnino apinæ, tricæque erunt, ſi noſtratibus oppidis comparentur. Præterea quæ amœnitas? quæ demum delitiæ occurrent? quam multa videas, quam præclara, quam magnifica? Non enim ut de nive ſcribit Homerus cecitus delapſam montes occupare, & colles, jugaque montium, & culta pinguia, ſic hæc ædificia univerſos circum colles & planiciem occupant. Verum omnes Italiæ urbes quaſi quodam fato in unum locum convenisſe videbuntur. Quippe Galliæ Ciſalpinæ oppida nequaquam cæteris æquanda ſunt, quæ in aliis plerunque videre regionibus contigit. Verum pro vicis ditiſſima hic oppida, pro oppidis opulentiſſimæ urbes adſunt. Quota etenim apud Ciſalpinos Gallos villula eſt, quæ non ejus ferme oppidi magnitudinem æquet, ex quibus exornari ſolet Italia? Quam enim habet Hetruria præter Florentiam, & Senas urbem, quæ noſtris oppidis vel magnitudinem æquet, aut ubertatem? Signia urbs eſt, ut ſcitis, ultra Romam, cujus Pontifex eſt Laurentius Grana, vir litterarum candore politiſſimus. Ea in urbe nec tonſor adeſt, nec medicus, imo nec qui calceos conficiat, aut caligas: igitur pro porticibus geſtationes hic cernas, pro viridariis conſita nemora, ac patentiſſimos terrarum ſitus cultos, quibus floridius nihil, nihil ſpecioſius, jucundius nihil denique natura commenta videatur. Jam vero ſi cubicula, ſi triclinia conſideres, quibus potiſſimum optimatum domus exornari ſolent, nihil eſt in urbe tam terſum, tam mundum, ſic elegans, quod cum horum nitore, aut politia conferri queat: ita omnia apta, diſtincta, ornata intueare. Quamobrem quamcunque in partem oculos admoveris, omnia nativo decore niteſcere, & quaſi lætitiam quandam ex ſe videntur effundere; tanta villarum amœnitas, camporum beata fertilitas, nemorum, pratorumque viriditas undique refulget.

Cap. XIII.

De ſitu Urbis Mediolanenſis.

Sed poſteaquam dicendo hucuſque progreſſi ſumus, aliquid & de ſitu urbis dicam, initium ejus paulo altius repetendo. Enimvero Mathematicorum dimenſionibus ſatis conſtat omnem terræ ambitum quinque Zonarum ſpatio eſſe diſtinctum, quarum primam ſolis ardore ſuccendi, ſpatioſioremque cæteris ajunt eſſe: extremas frigoribus intenſiſſimis inhabitatas, ſemper rigere autumant. Inter has autem duas interjectas eſſe, veluti medias: unam nos incolimus ſub axe Septentrionis ſitam; alteram vero ad Auſtrum protendi, ante patres noſtros non ſatis cognitam, nunc ita diutinis navigationibus Regis Luſitanorum oculis expoſitam, quam eſt hæc nobis Citerior Gallia. Sed ut quæ mihi ſunt nota, proſequar: Hæc ubi habitamus, licet à frigore & calore media ſit; non eadem ubique cœli tamen clementia & æquitate fovetur: quippe regiones, quæ Tropico Cancri ſunt viciniores, ut Parthia, Armenia, Libya, cæteræque finitimæ, propinquiore ſemper calore torrentur. Quæ vero polis

duobus

duobus ſunt obnoxiæ, frigoribus rigent regiones: & quæ his vicinæ ſunt, ut Germania, Albion, quæ nunc Britannia, Scotia, Thule, Dacia, Pannonia, Scythia, & quæ Riphæos montes gens habitat. Reliquæ intermediæ regiones velut ab utraque extremitate diſtantes temperatiore cœlo, ſalubrioreque ſtruuntur. Cum igitur hæc Ciſalpina Gallia in ſexto climate, quod Ἀφ' Ἑπτὰ Βορείων appellatur, cui Mercurium præeſſe ajunt, remota ſit ab æquinoctiali per XV. & XL. gradus, ambabus partibus fovetur, hinc Borcali frigore, iſtinc Auſtrali æſtu. Igitur velut regina montibus circumſepta, & gemino freto, Adria ſcilicet & Tyrrheno, ut amborum commoditatibus pro arbitratu gaudeat, incommoda nulla percipiat. Rite igitur Maro noſter, decus immortale Ciſalpinæ Galliæ, his verſibus * hunc tractum celebravit:

Hic ver perpetuum, atque alienis menſibus eſtas:
Bis gravida fruges: & pomis utilis arbos.

Situm nempe civitatis beatiſſimum reddit aeris ſalubritas, glebæ pinguioris ubertas, fontium, fluviorumque irriguitas, fructuum fertilitas, nemorum & paſcuorum viriditas, jumentorum & pecudum fœcunditas, quæ incolentium nutrimentum non levem præſtant utilitatem. Hæc autem noſtra regio hujuſmodi fertilitate adeo nobilis eſt, ut non modo ſuperiorem inveniat, ſed ne parem quidem: ea præſertim quæ intra Seſitem & Adduam continetur. Oppidis tam frequentibus & pagis referta eſt, ut fere ad ſingula ſtadia diverſoria reperiantur: præterea tam uberi ſolo eſt, ut populum, quem copioſiſſimum habet, ſine aliarum gentium auxilio facile nutriat. Tantus eſt autem ſolius urbis Mediolanenſis populus, ut tota Hetruria non tam numeroſum habeat. Tanti autem populi in cauſſa eſt fertilitas, fertilitatis autem humor, qui ex tot amnibus manat: toto præterea ſolo aquarum venis reſudante. A ſuperiore ſiquidem parte, quæ Marteſana à bellicis incolis appellata eſt, Lario ab lacu Adduæ, & ab Alpibus alia fluenta decurrunt. Ab inferiori vero Ticinus aquarum nitentium agmine rigat Inſubriam, à Verbano caput exerens: amboque diverſis itineribus Eridano infuſi fluviorum regi miſcentur, eumque ad mare comitantur. Non injuria itaque Veteres Mediolanum inde appellatum putant, quod inter amnes media, veluti Meſopotamiæ regio, ſita ſit.

Dico ergo hanc Provinciam præ cæteris ſalubriorem & amœniorem eſſe: nec minus feraciore ſolo præditam: tum his quæ ad humanum victum pertinent, felciorem haberi: ſummaque Dei providentia Mediolanenſium urbem in ea conſtitutam. Nec enim commodiore loco noſtra hæc metropolitana civitas, Orientis & Occidentis emporium, ædificari potuit: quæ totius orbis regimen eſſet habitura. Nempe ut arces præcipiti foſſa undique præcingi, & in eminentiore quodam urbis loco condi conſuevere, ut regentis ſedem, & ipſius caput urbis præ ſe ferant: ſic Mediolanenſium civitas altiſſimis ſepta fluminibus, altiore & tutiore provincia poſita eſt, exindeque univerſas quaſi inferiores urbes Italiæ velut ab altiſſima ſpecula proſpicit: ita ut Italiæ totius arx, imperii ſedes, & reliquarum domina urbium merito appareat. Ab hac ſiquidem arma, ab hac equi, & quicquid bellici uſpiam ſtrepit, egreditur. Hæc ſola eſt, quæ armatos Duces, lucidas equitum alas, peditumque catervas ſiſtit in acie. Ut enim ſi quis magnam lanificii & mercenariorum copiam aliqua ex urbe continuo efferri, biſque & currus impleri, & naves ſtipari, ac mari & terra convectari videat, facile & eam urbem mercibus plenam, multoſque ibi lanarios, qualium copiam eſſe ſcimus in Florentia, incolere, ſtatim cum lo-

* Lib. II. *Georg.* p. 149.

A cum judicabimus eſſe mercatoribus refertiſſimum; ita qui Duces, qui exercitus, qui arma, qui equos, qui currus, ſigna, vexilla, & reliquam belli ſupellectilem ex hac potiſſimum urbe prodire inſpiciat, & toti Italiæ formidinem incutere: nonne & armis, viriſque refertam & ad orbis imperium adipiſcendum idoneam eſſe fatebitur? Sive enim multitudinem populi conſideres, nihil eſt in toto terrarum orbe frequentius; ſive pulchritudinem, nihil ornatius, aut ditius. Si vero quæ ad commoditatem vitæ pertinent putaris præferenda, quid eſt ex optimis ac neceſſariis rebus, quod ab Inſubribus merito deſideretur?

B

CAP. XIV.

De opibus & potentia Mediolanenſium.

AT ſi rerum geſtarum mavis, Auguſtæ Bacicnorum Comes illuſtriſſime, patriæ tuæ gloriam contemplari, nullam invenies, quæ bellorum magnitudine ac diuturnitate latius propagarit imperium. Hæc veterum Regum ſedes, hæc Imperii Romani firmamentum, hæc Italiæ tutela: hinc illa immenſa effuſa ſunt agmina, quæ non ſolum Hetruriam vaſtarunt, Romanorum exercitus ad Allian obtruncarunt, mox incenſa Roma univerſam Italiam peragrarunt, deinde Græcia depopulata, majorem Aſiæ partem ruinis & incendiis conſumpſerunt. Florentiam autem Syllanæ fecis coloniam munditia vicorum, ædium lautitia non iis clariſſimis monumentis inſignem eſſe ſcimus: quæ quin vetuſta & perornata ſit, non equidem inficias eo: verum armis, viris, opibus ac geſtarum rerum gloria cum Mediolano conferendam nullo modo cenſeo: nec hac ætate urbem Romanam: ex qua ſi ſacerdotes, qui fere omnes alienigenæ ſunt, ejeceris, cultoribus vacua remanebit. Tua autem hæc patria ejuſmodi eſt, ut acceſſione gentium non augeſcat, & diſceſſu haud minuatur.

C

D Sed quoniam de tam excellenti ac præſtantiſſima urbe breviter à nobis, & quaſi curſim, hucuſque pertractatum eſt: tandem, ut eximius inquit orator, alio vela facienda ſunt, & quid in quaque re ejus præſtantia maxime eniteat latioribus paulo verbis, & rationibus explicandum eſt. Jam enim de templorum ornatibus, ac regali ſacrarum ædium ſplendore non ineptus diſſerendi locus relinquetur. Unde igitur dicere nunc exordiar? aut quid in primis præponendum ſit, haud facile intelligo. Velut enim ſi quis Helenam illam formoſiſſimam eximis laudibus ornare cupiat: priuſne nobilitatem generis expediet, quod Jove & Læda genita ſit; an pulchritudinem, quod à Venere præ omnibus formoſior ſit habita; an virtutem, quod eleganter canere & pſallere docta fuerit; an ornatu corporis præſtare contendat, quod purpureis, auratiſque ſegmentis uti aſſueverit; an leporem potius loquendi anteponat, quod ex ore narrantis ſuavitate quadam allecti penderent homines? Hæc, inquam, ſi quis animo volutet, quid convenientius dictu ſit, ignorat, ad eximiam pulchritudinem venuſtatemque demonſtrandam. Sic ipſe cum optimam ac pulcherrimam urbem celebrare inſtituerim, quæ in omni virtutis genere, laudiſque præſtantia cæteras anteeat, unde potiſſimum exordiar, ignoro. Nam & ipſa virtutum admiratio incertum me reddit, nec facilem deliberandi facultatem permittit. Ego tamen unde convenientiſſimum & aptiſſimum putabo, initium capeſſam.

E

F Primum igitur, ut de opum ac facultatum copia dicere ordiamur, in queis potiſſimum Reipſtatus inuti ſolet. Ubinam tu gentium urbem reperias, quæ tanta vectigalium copia abundet? tot exercitus ſumptibus ſuis alat? Memini à vim aude-

audiviſſe me quæſtorio, tot exactas ex hac urbe pecunias ad alendum per Leviana tempora exercitum, quot fere tota Italia, Venetis duntaxat exceptis, poſſet exigere. Joanne præterea Galeacio imperante apud Inſubres legi quinquies & quadragies decies centena millia aureorum ſine populi querela, & parvo admodum temporis ſpatio ab iis exacta, qui tunc quæſtores erant: hujus tertiam totius ſummæ Mediolanum impendiſſe, cum præter Ligurię populos omnes ferme Italię urbes, quæ ab Alpibus inter duo maria Illyrium, Flaminiamque continentur, in ejus poteſtate eſſent: in Hetruria Piſas, Senas, Peruſium, Aſſiſium teneret, Bononiam poſſideret. At vero quæ fere avi noſtri videre, & in oculis fere nepotum verſantur, nonne tamen incredibilia nobis apparent? unam hanc urbem tot per annos cum Venetis, Florentinisque de imperio certantem duarum validiſſimarum civitatum adeo impetum ſuſtinuiſſe, & adeo omnes eſrum conatus hocci feciſſe, ut audaciam non ſolum reprimeret, verum ad pacem ultro poſcendam poſt longum ac difficile bellum impulerit. Hæc autem acta fuiſſe ſcire vos arbitror, eo tempore, quo Philippus Maria Vicecomes rerum potiebatur apud Inſubres. Taceo Eccelinum Patavinorum tyrannum cum innumero exercitu à Mediolanenſibus juxta Soncinum, quod oppidum eſt in ripis Lollii agri Cremonenſis, obtruncatum: cujus cadaver eo in oppido ſepultura donatum eſt.

Venio ad navales, terreſtreſque copias; quibus felicisſimo eventu ſæpe cum Venetis & Florentinis decertavit, contra eorum opinionem: quod opinarentur Veneti Mediolanenſes cum ipſis, qui inter aquas & naſcuntur & educantur veluti puſces, congreſſuros nunquam. Obſtupuit ea tempeſtate univerſa Europa tam difficile bellum contra tot hoſtes terra & aqua ſine exteris auxiliis à Mediolanenſibus adminiſtratum. Admirabantur exteræ nationes unde tantæ opes, tantæ copiæ, tanta denique rerum omnium facultas eſſet: quibus non dicam theſauris, ſed auriferis fœta mineris immenſas ad tantum bellum diutinumque pecunias exponeret. Atque hæc Mediolanenſium civitas ſuis maxime reditibus effecit, nullis externis freta præſidiis, ſed propria virtute & probitate confiſa. Ex quo pereximiam ipſius præſtantiam licet agnoſcere, quæ per ſe bellum gerere, per ſe ſumptus omneis perferre quiverit; qua in re quid in primis extollendum ſit, haud facile cognitu eſt. An potentiam prius admirentur homines, quod graviſſimum & periculoſiſſimum bellum tot per annos enixiſſime pertulerit? an virtutem, quod hoſtiles vires ſæpenumero fregerit, atque deleverit? an opulentiam, quod propriis ſumptibus ingenteis adverſariorum opes funditus exhauſerit? Mihi quidem omnia non mediocri laude videntur commendanda. Sed ad majora mea feſtinat oratio; & de opibus ac facultatibus abunde dictum eſt à nobis: de nobilitate deinceps reſtat differendum.

Cap. XV.

De nobilitate conditorum.

Quanquam in hac parte neſcio, an virtutem contineri putem. Nam cum virtus per ſe clara & illuſtris ſit, nec ullis imaginibus magnopere indigeat: ita qui majorum ſuorum res geſtas prædicant, ipſi vero nullam in partem utiles ſunt, vani potius, quam generoſi cenſeri ſolent. Ut ſunt nunc Romani, qui tantum nunc poſſunt dicere, *Fumus Troes:* cum choreis, ventri, & gulæ dediti, tantum idonei ſunt ſtatis quibuſdam anni temporibus ad occidendos, veluti lanii, boves. Dii boni, quæ antiquitatis fragrantia? Quæ virtutis experimenta? Quæ facinorum admiratio? occiſos ſex boves ſinguli annis à populo Romano, quis non monumentis tradet? Quod ſi quis horum igitur proſapiam longe anteponat, pluriſque eorum dignitatem, Rempublicamque exiſtimet, quod ii cæteris nationibus olim imperitarint, medius fidius vehementer errat: nec ſatis vere nobilitatis vim, amplitudinemque intelligit. Romanorum enim veterum, quæ in novis eſt prorſus exſtincta, excellentia adeo ſua virtute cognita eſt, atque perſpecta, ut nullius laudibus egeat, quo dignior haberi poſſit, ac præſtantior. Si vero conditorum ſtirpem, claritatemque recenſeas, perobſcura videbitur eorum ſucceſſio, vilis, abjecta. Nihil ergo hæc hæreditas exiſtimanda eſt. Nonne virtute præclarum fieri, ac rebus geſtis eminere præſtiterit, non autem fumoſis ſtemmatibus, coloniſque excellere?

Traditum eſt in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, Placentiam coloniam deductam primo anno ejus belli, in quam ſex millia hominum deducta ſunt. In his equites deducendi fuit cauſſa ut opponerentur Gallis Inſubribus. Num quis propterea ex Placentinis civibus inventus eſt, qui populi Rom. Imperium jure hæreditario ad ſe vendicet? Num qui totam Italiam tribus & quinquaginta coloniis putet immunem, ut vel nulla ſupereſſe credantur Romanæ probitatis inſignia: adeo univerſa in unum quodammodo conjuncta ſunt, atque confuſa, vel ſi qua ætatem ſuperare potuere, omnis Italia hujuſmodi gloriam ad ſe dicat pertinere? Quod ſi majorum dignitas, aut ſplendor quæritur, quæ Byzantio nobilior colonia? quæ præclarior unquam fuit deducta? Hanc quippe Imperatores Rom. ita condidere, ut Imperii ſigna illo conferrent proſcripto totius Italiæ, Diis adverſis, à Conſtantino nobilitatis & juventutis flore.

Sed libet aliquantulum hic immorari, & quærere, uter hic populus origine prior ſit, atque nobilior? ut ſubinde ex hujuſmodi collatione virtutis cæteratum rerum amplitudo reſplendeat. Romanos Leonardus Aretinus Florentiæ urbis auctores eſſe aſſerit: ipſe ad Gallorum Tranſalpinorum, aut ad bello invictiſſimos Germanos Mediolanenſium, & reliquorum intra Alpes & Apenninum refero. Qui populus ex iis igitur ſublimius ortum ducit? Clariſſimos omnium Regum & populorum Romanos eſſe, Leonarde, profiteris. Non hoc nego: ſcio enim Romanos tantum fuiſſe belliceſ olim, & præclaros, quantum hac ætate ſunt imbelles & inglorii. Verumtamen nulla civitas adeo bene morata, aut inſtituta, quæ malorum hominum, ut ipſe profeſſus es, omnino careret. Itaque ſi non privatim de ſinguli civibus, ſed univerſa Rep. verba feciſti, quota eſt à Pop. Rom. deducta colonia, quæ non pari fiducia ac generoſitate polleat? iiſdem conditoribus originem ſuam acceptam referat? viciſſimque terrarum imperium ad ſe vendicet? ac ſi qua fortaſſe inter eas aut ſimultate, aut injuria, ut plerumque conſuevit, contentio exorta eſt, nequaquam id bellum juſtum, ſed potius civile, atque inteſtinum nominabitur. Maxime enim refert, an inter cives, an eos qui à civibus oriundi ſunt, acie certetur. Quid ergo? nonne Placentini cum Gallis Inſubribus & Germanis, Hiſpaniſque peditibus Florentinis arma intuliſſent, & ſub Philippo Vicecomite in coſdem irruiſſent, neſarium geſſiſſe bellum dicentur? Nec minus Florentini, cum veteris coloniæ ſedem reliquiſſent, conditorum fidem ſubleſtam habuiſſe?

At vero ſi magis virtute, aut opibus, aut rebus præclare geſtis Reſp. ſuperbit: quo tempore

Florentinorum gens à Romanis orta eſt, conſideremus: quod in Regum ſucceſſoribus obſervari ajunt, ut is Regis filius rectè appelletur, qui regnante patre ortus ſit; qui vero ante vel poſtea nati ſunt, hoc nomine indignos haberi cenſent. Attendite igitur Mediolanenſes, & ſtirpem veſtram recognoſcite: tum videbitis quantum cæteris gentibus præſtetis origine: & quantum Florentinis à Romano populo ortum ducentibus gloria & dignitate anteatis. Nunquid L. Sylla Remp. Romanam vi & armis obſidente, Feſulana colonia deducta eſt? Nec mirum ſi inter ſe ita debacchentur, & in alios tyrannidem exercent, ubi facultas datur: quia à perditiſſimo tyrannorum Sylla origines deducunt: cur ita ſeditioſior civitas? quia à ſicariis & gladiatoribus orti majoribus: quos haud ſecus quam juſti belli ſtipendia emeritos in coloniam Sylla deduxit. Ab iis illa ſceleratorum manus Duce Manlio ſociam ſe L. Catilinæ furori præſtitit: & ab iis Feſulana colonia deducta.

Sæpenumero itaque cogitanti mihi, quænam Florentinos cives cauſſa impulit, ut priſtina urbe deſtituta ad Arnum flumen potiſſimum incolerent, nunquid amœnioris cœli, aut uberioris ſoli gratia pellecti ſint? nihil potius occurrebat, quam vitanda eos loci ignominia ſedem mutaviſſe. Quis enim hujuſmodi Syllanas reliquias, ac veluti ſervilia quædam præſegmina non ſpernat, aut oderit? Quamobrem minime mirandum eſt, ſi Leonardus homo & diſertus, & elegans, cum Fabricios, Coruncanos, Dentatos, Publicolas, Decios, Romanæ urbis lumina referret, Syllam, Manlium, & Catilinam homines perditiſſimos, nequiſſimoſque ſciens ſilentio involverit. Norat enim quas clades, quæ ludibria populo Romano, quantas Florentino nomini ac decori ſceleratiſſimorum tyrannorum notas recordatio ac memoria indidiſſet.

Satis nunc arbitror ex iis quæ diximus, perſuaſum eſſe, nec principatus gratia, nec rerum & ſitus excellentia, nec opum, aut facultatum copia, aut nobilitate conditorum Florentiam, vel aliam ex Italis urbem Mediolano non ſolum præponendam, ſed ne eſſe comparandam quidem.

CAP. XVI.

De dignitate Urbis Mediolanenſis.

SEQVITVR de dignitate aliquid in medium addu-cere, quo urbis hujus præſtantia maxime abſolutior & præclarior cunctis appareat. Quanquam vereor, ne pluribus hæc noſtra ſtudia haud grata futura ſint: qui me fortaſſe jam exiſtimant aſſentando atque indulgendo inanem gloriam & popularem famam quærere: eamque a nobis provinciam iccirco ſuſceptam eſſe, ut hinc favor à Mediolanenſibus in me aliquis eluceſcat. Non deerunt alii, qui hoc onus putabunt impar humeris meis. Fateor eſſe me ingenio hebeti, obtuſo, & hac provincia prorſus impari: verum qua potero ratione his ſatisfaciam: & orationem longa non ntar. Ego nempe etſi cupiam quam plurimis obſequi: nſqueadeo tamen non ineptus ſum, ut favore multitudinis potius exiſtimem, quam doctorum auctoritate id conſequi poſſe.

Cæterum cum præſtantiam tantæ urbis intuerer, eorumque ingenia admirarer, maxime qui Florentiam præ cæteris Italiæ urbibus ad cœlum efferunt, eamque induſtria, fide, humanitate, magnitudine animorum putant præcellere; indoluit profecto noſtrorum vicem, quos nec patriæ charitas, nec honos, aut exercendi ingenii gratia ad ſcribendum poſſet allicere: quique facilius aliena reprehendere didiciſſent, quam ad laudem & decus alicujus præclaræ rei verba facere. Itaque profeſſioni meæ debitum credidi, præſertim à vobis rogatus: ſi quam ipſe in dicendo facultatem adeptus eſſem, eam potiſſimum in laudanda & extollenda præſtantiſſima urbe conferre, & velut pignus & teſtimonium quoddam pietatis & ſtudii in Mediolanenſes exponere: quod etiam noſtros, ſi modo verum fateri volent, non arbitror reprehenſuros. Quid enim minus dignum? aut quid à bonis moribus alienius eſt, quam cum ipſe nec patriam tueri, nec Rempublicam verbis defendere, aut honorem ipſius nec officio, nec oratione tutari queas, adverſari bis, aut ſuccenſere, qui communem cauſam ſponte ſuſceperint? Omnes enim, quibus pietas, religio, charitas odio eſt, hujuſmodi res negligunt. Qui vero & boni & liberales haberi volunt, haudquaquam patienter alarum urbium laudes ſuæ anteferri ſuſtinent. Quamobrem deſinant illi quidem, quicunque hi ſint, nos inſcitiæ, aut temeritatis expoſcere, ac prius ſeipſos levitatis, ſtultitiæque condemnent: tantum certe abeſt, ut hujuſmodi homines multi exiſtimem, ut eorum battologiam flocci faciam potius, atque contemnam. Verum his omiſſis ad penſum redeamus.

De dignitate igitur, quæ primas in omni Repub. partes habet, non inepte à nobis hoc loco præfari poſſe arbitror: præſertim cum hujus civitatis gloriam, claritatemque contineat. Quid ergo? nonne præcipuum, & quaſi peculiare hujus urbis, quam in patriam mihi elegi, munus eſt, neminem Rom. Imperio præfici ſolere, aut Cæſaris nomine dignum cenſeri, qui Mediolanenſi diademate non ante præditus ſit, & illuſtratus, & conſueta imperii inſignia? Præclare id quidem majoribus noſtris indignum omnino videbatur, eam civitatem, quæ præ cæteris ingenio, prudentia, bellicarum rerum peritia maxime polleret, meritis laudibus carere: ſed eam potius ornandam, decorandamque cenſuere. Itaque nulla cupiditate, nulla jactantia adductì, Mediolanenſibus id honoris nationes omnes detulere. Optimo itaque conſilio ac ſumma prudentia effectum videtur, ut hic honos, qui in primis Romanis erat attributus, hæreditario quodam jure ad Inſubres transferretur. Sola enim hæc in tota Italia civitas Mediolanenſium eſt, quæ cum Romanis, exteriſque gentibus de imperio, de dignitate, de omni denique virtutis laude certaverit: &, ſi occaſio daretur, certare poſſet. Cujus rei evidens ſignum eſt, quod omnes potiſſimum, qui Cæſaris nomen deinceps adepti ſunt, hinc primitias Rom. Imperii, hinc regia inſignia, hinc primos & attollere (ut inquit poeta) faſces, & auſpicari conſuevere: nec immerito. Nempe ut is militiæ ornamentis haud dignus videtur, qui prius arma & acies expertus non eſt, & quantus in hoc munere labor ſit, ignorat: ita qui potentiſſimæ urbis vires neſcit, aut cum ea de fortitudine, ingenio, prudentia nullum habuit certamen, nequaquam orbis Imperator dici, aut Cæſaris titulo inſigniri promeretur. Non injuria itaque ab Antiquis huic urbi ſecundæ Romæ nomen eſt inditum: qua gloria cæteræ urbes caruere. Mihi non ſolet videri hac etiam de cauſa præſtantiam Mediolanenſi populo attributam, ut is eſſet, qui languentis Imperii vires, & in alium labentem orbem propria virtute repararet: nec antiqua & paterna dignitate Italicum nomen defraudari pateretur. Quæ enim civitas, ſi Mediolanum exceperis, arceſcente ſenſim Romanorum, quæ nunc conclamata eſt, virtute, & langueſcente probitate, cum in dies noſtra hæc urbs magis & magis floreſceret, tantam Barbarorum illuvionem, tot bellorum fulmina, tantos Germanico-

nicorum motuum fluctus perferre & cohibere potuiſſet?

Exemplum quidem publicæ calamitatis Fridericus ille Barbaroſſa fuit: qui adeo dignitatem Mediolanenſem extinguere molitus eſt, nulla alia (ut opinor) ratione, quam quod unicam ſuis conatibus obſtare cognoviſſet: ut Italiæ dominatum, niſi perdita prius Mediolanenſium Rep. adepturum ſe diffideret. Comparatis itaque ingentibus copiis, nec ſuarum modo, ſed exterarum gentium fretus auxiliis, per Alpes irrupit: & ſic in Mediolanenſes furore æſtuans, totus rapiebatur, ut univerſæ Italiæ terrori eſſet. Dii immortales, qui tum pavor non fuit? qui mulierum ejulatus? quæ ſenum & puerorum lacryma? Hujus ergo temeritatis auſis nequaquam Mediolanenſis populus cedendum putavit, ſed adeo prudenter, adeo viriliter obſtitit, ut non modo illius ſuperbiam, audaciamque contemneret: verum etiam poſt longum certamen ad interitum fere illius innumeras copias aſſligeret. Sic omnis Italia hujus noſtræ urbis beneficio à ſervitute libera exſtitit.

Nolo diutius immorari, ac referre, quæ, & quanta hæc civitas, non antiquis modo temporibus, ſed ætate noſtra, pro tutela communis libertatis perpeſſa ſit: permulta etenim ac præclara exſtant exempla, ex quibus Mediolanenſium virtus & magnanimitas facillime perpendi poteſt. Uſque adeo autem hæc civitas contra æmulos Italiei nominis potens inſurrexit; ut nihil antiquius unquam habuerit, quam facultates & ſanguinem pro libertate totius Italiæ hoſtibus exponere: & manifeſtiſſima fidei ſuæ monumenta erga illos, qui pie, juſteque de imperio ſenſiſſent, declarare. Si qui ſecus auſi forent, eos quidem hoſtium numero cenſuit habendos. In qua re ſapienter illa certe videtur ſenſiſſe. Nam qui ambitione, aut inſolentia ducti, ditiones & tyrannides appetunt, & dum rem ſibi gratam conſequantur, ac inimicorum ſuorum acceptas ulciſcantur injurias, nihil penſi de ſociorum fortunis & ſalute habent: hi profecto omni fortuna indigni putari debent: ac pro viribus ab eorum neſariis conatibus arcendi ſunt.

Sed quorſum hæc tam multa? dicet ex vobis quiſpiam. Nempe ut oſtenderem primum hanc urbem pro imperio, pro ſalute, & dignitate Italici nominis aperto ſemper Marte certaſſe. Mox hæc gloria Florentinos caſſos eſſe & effectos. Nam ii, ut Galliam Ciſalpinam cum tota Liguria delerent, reliquamque Italiæ partem, quas artes non ſunt experti? quas Germanorum cohortes non excivere? Quis enim Gallorum Tranſalpinorum exercitus, ante Divum Galeacium Vicecomitem, cui *Virtutum* cognomen fuit, in Italiam traxit ſub auſpiciis infortunatiſſimis Armeniaci Comitis, nova loca, novaſque ſedes, quas incoleret, quærentis? Sed comprimam ipſe me, quando nulla efficacior ſit ad delenda injuriarum tam veterum quam recentium veſtigia antidotus oblivione. Commodum igitur ad alia ſtylum divertemus, ac de rebus his verba faciam, quæ avi fortaſſe noſtri vidiſſe potuere. Et ſane tam multa ac præcipua ſe oſtentant, ut ignorem quæ potiſſimum Mediolanenſium laus ſit anteponenda. Verum ut in reliquis à nobis pro temporis anguſtia factitatum eſt, ita nunc faciam.

Cap. XVII.

De navali pugna inter Venetos & Mediolanenſes ſub Cremona.

Galliae Ciſalpinæ condidere, ſicut ego accepi, Cremonam Romani in Padi ripis: hanc Venedi ſumma vi oppugnare adorti, hinc terreſtri exercitu, illinc validiſſimis navigiis undique premebant. Dux Philippus apud Inſubres rerum potiebatur, urbem bello & pace clariſſimam liberare ab obſidione cupiens, claſſem opinione omnium celerius inſtruxit, quam ſecundo Pado ſubductam in fronte hoſtium firmavit. Et jam medium lucis ſpatium ſol peregerat, cum ſe profluente Eridano utraque claſſis miro tormentorum tympanorumque fragore appropinquabat. Interea Franciſcus Sforcia, hujus, qui annis ſuperioribus eſt mortuus, avus, Mediolanenſium ductor, certamen velut detrectaret, aliquantulum ſubſtitit: donec terreſtres copiæ ſupervenirent. Noctu vero jam appetente coactus Sforcia adventu Venetæ claſſis, quæ adverſo flumine vehebatur, aciem inſtruit: viginti ex omni claſſe in fronte diſponit, duas in ſubſidiis alas, totidem navium numero eſſe juſſit. Has viris pugnaciſſimis inſtruetas vela facere imperat. Jamque intra teli jactum convenerant, & ſe quiſque ad certamen præparabat: cum ductor ipſe in omnium vultus oraque conſpicuus: *Quod multis*, inquit, *votis, multiſet preſtantiſſimi, jampridem expetiſtis, occaſionem fortuna attulit, ut vires, virtutemque veſtram in Venetos, quos toties majores veſtri parvis copiis ſuderunt, oſtendatis. Hic dies Inſubribus imperium & libertatem aut ſtatuet, aut finiet: utraque res in veſtra ſita eſt manu: recordemini obſcero quæ majores veſtri terra, marique pro gloria & libertate geſſerunt. Illi ſiquidem quoties Hetruſcos, quorum imperium late per Italiam ab Ancona propagabatur, aperto Marte ſuderunt? Ceſo ad Alliam ſluvium illi exercitu Romanis urbem conflagrarunt. Illi Medoacos, illi Venetos acie truncidarunt. Nobis tamen res eſt diverſiſſima. Illi etenim pro imperio tantum & gloria, nos autem pro vita & libertate certamus: quo minus vos decet hoſtium numeroſiores copias, & navium magnitudinem exſtimeſcere. Nullum vobis cum Italis certamen eſſe putavere, apud quos rei militaris peritia, navalis belli plurimum pollet, aut cum Gallis Tranſalpinis, & Germanis, apud quos pro diſciplina militari vires corporis firmiſſima adſunt: ſed cum barbaris Phrygibus, & Paphlagonibus, Græciſque, quibus dici, vel fingi poteſt imbecillius nihil, regeritur. Quibus nulla belli artes, animus ad fugam quam ad pugnam paratior ſemper fuit. Multitudinem innumeram, quibus longe nobis ſunt ſuperiores, quoties expertus ipſe ſum eſſe ad fugam quam ad victoriam, qua ſemper poſita eſt in virtute paucorum, propenſiores. Nos autem illis militum audacia & virtute præſtamus. Dii quoque pro juſtiore ſunt parte. Ultro enim nulla Veneti laceſſiti injuria Cremonenſium ſocierum agrum & Cenomanos populantur. Ite igitur alacres, ut ex hoſtibus non victoriam ſolum, quæ jam parata eſt, ſed ſpolia ditia referatis, & gloriam immortalem.* Hæc breviter effatus, totis remis, ventiſque progredi cepit.

At parte ex altera Veneti ex omni claſſe, quæ quinque & triginta numero conſtiterat, duodecim delectas naves in fronte ſtatuere. Dux exercitus Nicolaus Triviſanus primus acies regebat: reliquas viri præſtantiſſimi ejus imperio parere juſſi tuebantur. Has omnes inter ſe catenis vinxerant, haud dubie ſi major vis ingrueret, univerſam belli molem ſponte ſubituri, poſtremas in duas acies, velut alas, poſuere. Omnibus itaque ad prælium pro tempore inſtructis, utrinque ſigno dato concurritur. Remis undique colliſus amnis reſonat, acclamantium deinde voces, machinarum ſtridor, navium inter ſe concurrentium fragor, auras impleverat. Primus omnium Inſubrum ductor in adverſam claſſem magno impetu invectus, non recta fronte, ſed ſiniſtro latere congreditur, remorumque vi ac militum robore per medios

hoſtes veluti fulmen elapſus, cæteris iter aperit, ſeſeque infra alveum tota acie conſtituit. Hic acre bellum oritur, captis jam aliquot ex Venetis navibus: unamque ex his pugnæ initio validius obſtantem undis immerſit: reliquas trepidatione & metu fluctuantes hinc à latere, hinc à fronte conſecutus ex itinere ſiſtit. Clauſis igitur ab utraque parte hoſtilibus copiis, cum jam nox increbreſceret, pugnamque differre placuiſſet, ſuos inprimis firmat: robur denuo totius exercitus in fronte conſtituit: naves expeditas in lateribus locat, pro ſaucis integros reponit, ſuos hortari, monere, bono animo eſſe jubet, victoriam Diis faventibus partam eſſe oſtendit: & hoſtes, quibus cum jam pudeat pugnare, veluti lepores in cubiculis deprehenſos metu & deſperatione torpere.

Interim Veneti pugna diffiſi naves potiſſimum bellicas in unum conjunxerant, ex tribuſque duas acies effecerant. Nicolaus Triviſanus milites affatus, quanto periculo eorum ignavia res deducta ſit, admonet: ut decus amiſſum reparare velint hortatur. Viam edocet ferro & virtute ad Venetias aperiendam eſſe: & ſubſidii denique ſpem nullam. De ſalute & libertate certamen eſſe declarat, cum eis præſertim, qui nomini Veneto ab incunabulis hoſtes ſunt inſenſiſſimi. Tali oratione animos ſuorum jamdudum metu & inertia deſides ad certamen excitare conabatur.

Interea clarior dies illuxerat, ita omnes ad certamen rediere. Tunc acrior ad pugnam impetus fuit occurrentium inter ſe navium: denique militum clamor ad cælum ferebatur. Nuſquam horridior belli facies. Venetos ſalutis deſperatio, Inſubres urgebat partæ jam victoriæ gloria. Tandem perfracta belli acies prima eſt, quæ tribus millibus, & iis quidem bellicoſiſſimis, innixa fuerat: mox ad reliquam claſſem deventum medio in Pado arcem veluti firmatam: hic vario Marte diu pugnatum eſt. Interea Franciſcus Sforcia quid optimum factu cunctatus eſſet, duas cæteris eminentiores puppes, quas *Galeaceas* vocant, in mediam hoſtium aciem immittit. Haud aliàs acrius pugnatum eſt. Naves enim navibus ita conjunctæ erant, ut vir viro velint in firmo poſitus pugnaret & gladius gladium exciperet. Interim naves, quæ in Inſubrum ſubſidiis primas tuebantur, ſuorum cohortes circundare, ſaucios efferre, integros addere, hoſtes plerunque circumire, miſſilibus, teliſque inceſſere cœperunt. Hacque ratione Venetæ claſſes, quæ in prima fronte conſtitutæ depugnabant, magna undique telorum mole obruebantur. Poſtremo Mediolanenſium non ferentes impetum, dirutis quibus hæſerant vinculis, ſuæ quæque ſaluti conſulentes fugam arripuere: pleræque tamen nautis, armamentiſque dejectis, fluenti alveo immiſſæ vagabantur: multæ ex itinere retentæ. Ex his quatuor ductorem protegentes, cum arenis inhæſiſſent, non ſine magna utrinque ſtrage ſuperantur. Nicolaus, poſtquam Venetos ab omni parte cædi conſpicit, & nullam ſalutis ſpem ſupereſſe, honeſta morte baudquaquam inferiorem fugam ratus per medias acies incognitus evaſit. Veneta claſſis hinc inde debellata diripitur: captivi omnes in poteſtatem redacti ſunt. Ex his qui Barbari fuere in ſupplementum copiarum acciti undis obruti ſunt. Venetis veluti armis depoſitis ſociis vita conceſſa eſt. Sex ex claſſe Veneta rates tantum ſunt Venetias delatæ: & ſic Cremona obſidione liberata.

Hæc habui, quæ, ut tibi Auguſtæ Bacienorum Comes Hippolyte Mayne obſequerer, dicerem: quod ſi tuæ voluntati & meæ exiſtimationi minus eſt ſatisfactum, anguſtiæ temporis id omne precor adſcribe, & vale.

VALETE.

GAV-

GAVDENTII MERVLAE QVERELA APOLOGETICA,

QVA RESPONDETVR

MALEVOLIS QVIBVSDAM,

LIBRVM SVVM CARPENTIBVS:

SIMVLQVE OSTENDITVR

EORVMDEM REPREHENSIONES VANAS ESSE AC INEPTAS.

PERSVADEBAM ipſe mihi, ad majorum noſtrorum æmulationem, quorum vigiliæ ſi non exſtarent, pueri ſemper eſſemus, me quoque utilitatis aliquid in medium contuliſſe, & non hujus ætatis hominum modo, ſed & poſteritatis gratiam mihi conciliaſſe: cum quod rem novam, tum utilem mihi ſcribendam deſumpſiſſem. Verum aliter evenire multo intelligo: & ita intelligo, ut laboris me pigeat mei. Pro gratia enim, quæ ab iis præſertim, qui me convitiis inſectantur, merito debebatur mihi, Dii boni quam invidiam non excitavi! Quæ tragœdiæ non ſunt actæ! Vociferantur alii pedeſtrem non obſervaſſe me numerum: optarent alii ad quaſcunque dictiones accentuationes. Nonnulli falſæ me hiſtoriæ hallucinatorem prædicant. Scripſere plures, litterarum, quas ipſi bonas appellant, me prorſus expertem. Non defuere qui me Grammaticum & frigidum, & jejunum dicerent: nec poſuiſſe me pedem extra ſepta Priſciani. Hæc ego æquo animo patiebar, quod legerim hanc veterem alliciendæ veritatis gratia conſuetudinem fuiſſe. Sic Platonem ab Ariſtotele, Zenonem à Carneade, à Lælio Varronem, à Sulpitio Caſſelium, & Hilarium ab Divo Hieronymo reprehenſos eſſe: & hunc ab Auguſtino. Rurſus ætate fere noſtra Angelum Politianum, Domitium Calderinum, Georgium Trapezuntium, & Galeotum Narnienſem Georgius Merula acris vir ingenii notavit. Verum cum apertas contumelias legiſſem, non potui non eorum infantiam contundere, ne quandoque, ſi hæc indiſcuſſa, irreſutatasque relinquerem, anſam eorum loquacitati largiorem præberem. Itaque, ne te longiore exordio diſtraham, rem ipſam adgrediar, ſi te & adverſarios iſtos prius oravero, ne putetis hic maledixiſſe me, ſed reſpondiſſe. Vale. Mediolani Kalend. Julii M. D. XXXVII.

ZOILVS. Tanta nunc eſt hominum temeritas, ut audeant etiam illi, qui vix grammaticale opus Alexandri didicere, ſuas in lucem nugas edere: quorum turbam paſſim per Italiam, ambaſque Gallias, & Germaniam in dies videmus.

MERVLA. Tanta nunc eſt ingeniorum perverſitas, & malevolentia, eorum potiſſimum quæ premit ignavia, ut nulla ratione ſuſtineant, quod eruditorum ingenia peperere.

ZOIL. Oleum & operam, Merula, perdidiſti in hac tua topographia, & hiſtoria. Illam enim plenioremque, atque elegantiorem habeo apud Ptolomæum, Strabonem, Plinium: hanc vero apud Tum Livium, Salluſtium, & Cornelium Tacitum.

MER. Pudet me fere hoc loco tibi reſpondere, utpote qui ſic aperte deliras: dicam aliquid tamen, quo dementiam facilius agnoſcas tuam. Die, obſecro, hi-ne hiſtorici, quæ poſterioribus ſeculis ſunt geſta, ſcripſere? Enarravit-ne Titus Livius Caradioum Rubrobarbum & Tunetum Africæ urbem opulentiſſimam à Carolo quinto expugnatum? Aut Ludovicum Sforciam captivum in Gallias deductum? Vel Romam ſub Clemente ſeptimo à copiis Cæſaris prædæ expoſitam? Neapolim à Gallis obſeſſam? Sabaudienſem Ducem exulem? proditione à ſuis Alexandrum Medicem Florentiæ Ducem obtruncatum? Mirum ni quæras tot exercitus Gallorum noſtra ætate conſumptos apud Salluſtium, aut tot Helvetiorum copias in ſuburbiis Mediolani ferro contritas apud Tacitum? Hæc de hiſtoria dicta ſufficiant: venio ad topographiam, quam hujus Ciſalpinæ Galliæ (neſcio quo fato) auctores fere intactam reliquere. Plinius ſiquidem velut canis Niloticus majorem partem dereliquit: idem facit & Strabo: Ptolomæum bis aliquanto locupletiorem eſſe non diffiteor. Multa tamen oppida celeberrima ſublato ab humanis Ptolomæo, & urbes in lucem venere, exſtinctæ ſunt aliæ. Ne me putes tamen hæc dicere, quo meos de hac Ciſalpina Gallia libros commendem tibi, ſed ut in maximo eſſe te errore cognoſcas.

ZOIL. Si Tulliani Oratoris Merula per tranſennam ſaltem (quod ajunt) libros inſpexiſſet, numeroſior ipſius fuiſſet oratio: verum cum eos ne attigerit quidem, non mirum ſi vanida eſt ipſius oratio.

MER. Quorum oratio numeris careat, non video: nam ſi dictiones pedes efficiunt, & numeros pedes, quorum tandem ſcripta numeris vacant?

ZOIL. Triangularem cur ſcripſerit Merula Galliam eſſe Ciſalpinam, non video, cum ab urbe Mediolani latum (quod ajunt) unguem pedem ne quidem exſtulerit unquam.

MER. Quæ te, Zoile demens, agunt intemperiæ, ut hæc verba ſic inania deblaterare audeas? tu igitur Ptolomæo doctior es, qui omnium fere plateas urbium circumforaneus pharmacopola perluſtraſti. Adhæc tecum non ſentit Ptolomæus Marinum arguens: cujus contentiones, quoniam impreſſæ ſunt, ipſe legeris.

ZOIL. Lajos populos nuſquam legi cum apud Strabonem, tum Ptolomæum, Livium & Plinium: ſcio tamen generali nomine Λαοὺς populos ſignificare.

MER. Si hoc mihi non credis, cur non Polybium legis? qui gentes illas, quas Ananes & Salaſſos nominavi, ipſe Laios appellat.

ZOIL. Vix riſum continui, cum apud te legi Gallos fortitudine Romanis antecellere.

MER. Quod dixerim Romanos eſſe robore corporis Gallis inferiores, ne mirum ſit tibi: dixit hoc idem M. Cicero in *Oratione*, quam habuit *ad Aruſpices*, cujus hæc ſunt verba: *Quam volumus P. C. licet ipſi nos amemus: tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec callidıtate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo hujus gentes ac terra domeſtico, natıvoque ſenſu Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate ac religione ſuperavimus.* Quod ſi Ciceroni velut bujos regionis ſtudioſiſſimo, & omnia trahenti ad utilitatem cauſæ, ſtandom minus eſt: audi ipſius adverſarium Criſpum Salluſtium in fine *Belli Jugurthini: Per id tempus*, inquit, *adverſum Gallos ab Ducibus noſtris Q. Scipione, & M. Manlio male pugnatum eſt: quo metu Italia omnis contremuerat. Illique & inde uſque ad noſtram memoriam Romani ſic habuere: alia omnia virtutis ſuæ prona eſſe: cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certari.*

ZOIL. Piſaurum, Merula, interpretari debuiſſes à Piſis aureis, hoc eſt, à præſtantia Piſorum ibi naſcentium.

MER. Hanc tuam opinionem credant aniculæ, vel aliquis (ut inquit ille) Judæus Apella. Audi igitur Servium Honoratum Grammaticum in ſexto *Æneidos: Tum Camillus*, inquit, *Dictator abſens eſt factus, cum diu eſſet apud Ardeam in exilio propter Vejentanam prædam non aqua jure diviſam: & Gallos jam abeuntes ſecutus eſt, quibus interemptis, aurum omne recepit, & ſigna: qua cum illic appendiſſet, civitati nomen dedit: nam Piſaurum dicitur, quod illic aurum penſatum eſt.*

ZOIL. Coctias Alpes Noricum attingere præter Alciatum ex Caroli Bouilli ſententia, qui ait, *Gallos poſt everſam Romam per Alpes Cottias in Macedoniam penetraſſe*, certiſſimum eſt.

MER. Sic attingunt Coctiæ Alpes Noricum, ſicut Veſulus Indiam. Nodus omnis & difficultas (ut ipſe putas) circa Corn. Tacitum, quem ſi ſane intelligeres, ablata eſſet, verſatur. Cum Suetonio enim Tranquillo memoriæ tradidit Tacitus Fabium Valeotem itinerum venditorem per Coctianas Alpes cum exercitu, & Cecinnam cum xxx. millibus armatorum per Penina juga in Citeriorem Galliam contra Othonianos deſcendiſſe. Vellem nunc mihi diceres, qua ratione Valens potuiſſet conjungere ſe cum Cecinnæ copiis ad Ticinum urbem, ſi loca omnia præter Mediolanum, Novariam, Vercellas & Hipporrhediam ab Othonianis firmo præſidio tenebantur. Præterea in Norico, ubi Coctias Alpes ponis, Petronius urbis præfectus, qui facile Vitellianos per eas partes irrumpenteis rejeciſſet, concitatis auxiliis, & diſſolutis fluminum pontibus cum tractum occupaverat, Othonis ſic ſtudioſus, quam qui maxime. In Dalmatia præterea, Paononia & Myſia, quæ regiones ſunt Norico proximæ, pro Othone exercitus erant. Quonam igitur itinere Valentis copiæ Ticinum perveniſſent, ſi per Noricum iter faciendum fuiſſet? Sed non ne ego demens, qui in ſole caliginem quæro? lege Plinium †, & mecum ſenties, dicentem: *Alpium incola Octodurenſes, & finitimi Centrones, Cottiana urbes, Caturiges, & Caturigibus orti Vagenni & Ligures, qui Montani vocantur, Latio donati ſunt.* Qui non videt hoc in loco populos, qui vicini ſunt, à Plinio recenſeri, & Coctias Alpes non eas eſſe, ubi eſt Seguſium, velut Carneades alter helleboro purgandus eſt. Suot enim Octodurenſes ejus pagi inter Helvetios, qui nunc eſt Sanctus Mauricius, homines in valle non magna ſub Sedunenſi Epiſcopo. Centrones proximi ſuot Garocellis & Caturigibus, non procul à Vocontis Novariæ condi-

† Lib. III. *Hiſt. Natur.* cap. XX.

toribus. Jacent autem Vocontii inter convalles Grajarum Alpium, quæ nunc Cineſius appellantur: quibus iter eſt Genevam, ad lacumque Lemannum. Sed video hactenus eſſe à me confectum nihil, niſi pedem intra Coctias Alpes imulleris. Audi igitur Nazarium in *Panegyrico* ad Conſtantinum Imperat. *Differamus*, inquit, *parumper Italicas expeditiones, quibus Seguſienſium civitatem, quæ ſuperatis Alpibus Italia clauſtrum objecit, cum vi & virtute velut januam fregiſſes.* Quod autem Seguſium Suſa nunc ſit ab Auguſta Taurinorum ſtadia. distans, apparet ex ejuſdem Nazarii verbis paulo infra, cum ioquit: *Ecce jam apud Taurinos venientem pugna gravior exſpectat, nec Seguſienſium vaſtitas movet.* Hæc ille. Vides igitur adventum Conſtantini ex Ulteriore in Citeriorem Galliam, & primo à Seguſio in Auguſtam Taurinorum, & illinc Mediolanum. Habent autem Alpes Coctiæ miram latitudinem, & longitudinem: adeo ut à Bobio (ſi Georgium Merulam ſequimur) Seguſium uſque pertineant, & à Citeriore in Ulteriorem Galliam protendantor. *Ha functo vita Cottio in formam Provinciæ* (ut auctor eſt Suetonius) *a Nerone ſunt redacta.* Quod ad Citeriorem Galliam attinent, teſtes ſunt Annales ſacri: Comi ſiquidem legitur in *Vita Divarum Liberata & Fauſtina*, quod erant natæ patre Joannate apud Curiam Geneſinam inter Alpes Coctias habentem Padum fluv. à Septentrione, à Meridie Alpes ipſas. Quo loci Mercatores in Italia è Galliis via Claudia commeantes divertebant. Quo ſitu conſtat hanc Curiam fuiſſe (ut ex hoc loco loquar) Tranſpadanam, & Apenninum habuiſſe à Meridie, ubi appellantur Alpes Coctiæ. Falſo igitur Georgium Merulam criminatus eſt Alciatus. Præterea Divus Ambroſius, non Eccleſiæ Mediolanenſi modo, ſed & Liguriæ, Æmiliæ, Rhætiarum & Coctiarum Alpium ſacris præerat.

ZOIL. Quod Mediolanum caput Liguriæ ſit, ut ab ipſo Merula audivi, nuſquam legi apud probatum aliquem auctorem.

MER. Poſt inclinatum Rom. Imperium multarum urbium & populorum mutata ſunt, & varia nomina. Sicut quod quiſque etiam doctus facile non credat Ciſalpem Galliam per ejuſdem Ambroſii tempora, & Gothis in Italia poſtmodum regnantibus, Liguriæ nomen habuiſſe, ut legitur in libello ejuſdem ſuper hac re edito. Divus etiam Hieronymus Vercellarum urbem Liguſticam vocat. In *Itinerario* etiam Antonini legimus Mediolanum Liguriæ caput vocari. Et Caſſiodori exſtat *Epiſtola ad Gaudioſum* Theodorici Regis à ſecretis, ubi inter cæteras Comi laudes id appellat quendam quaſi morum planæ Liguriæ, & munimen clauſtrale Provinciæ: ita erunt duæ, planam nos incolimus, montoſam cæteri: ut Statyelles, & Gabienni Veſuli montis accolæ. Nec te moveat Servius *in* XI. *Æneid.* qui ait, *Liguriam majore ex parte ſui in Apennino ſitam eſſe.*

ZOIL. Coctias Alpes & Julias ſi diligentius & Alciatum, & Divum Hieronymum Merula perlegiſſet, eaſdem eſſe dixiſſet.

MER. Si Divum Hieronymum recte intelligeres, diverſas eſſe diceres à Coctiis Alpibus Julias. Lege igitur Latinum Pacatum ita dicentem: *Quo fugiam? bellum-ne tentabo? ut quem viribus totis ferre non potui, parte ſuſtineam? Alpes Cottias obſerabo, quia Julia profuerunt?* Ex iis verbis qui non videt Coctias, & Julias Alpes diverſas eſſe, ad magiſtros rejiciendus eſt. Verba Hieronymi aliud nihil videntur innuere, quam Vigilantium patria Hiſpanum per Adriaticum ſinum in hanc Ciſalpinam Galliam deſtituta Roma ſe contuliſſe: & hinc per Coctias Alpes in Galliam Ulteriorem, & illinc mox in Hiſpanias aufugiſſe. Quo in loco miror Deſid. Eraſmum

ſmum Coctias Alpes quaſi Gotthicas interpretatum fuiſſe: tanquam Gotthi his Alpibus nomen indiderint.

ZOIL. Falſo quoque Merula Venetos inter Ciſalpinos Gallos recenſuit, cum conſtet illos diverſum genus eſſe prorſus à Gallis.

MER. Quod Venetis ab auctoribus in Ciſalpina Gallia conſtituatur, teſtis eſt Serviius *in lib.* x. *Æneid.* carmine illo, *Sed non genus omnibus unum: Quia origo*, inquit, *Mantuanorum & a Tuſcis venit, & a Venetis: nam in Venetia poſita eſt: qua & Gallia Ciſalpina dicitur.*

ZOIL. Ubinam gentium ſint Alpes Summæ, quarum meminit Merula, nuſquam, quod ſciam, legi.

MER. Credo ad hanc contentionem me à te irritatum, ut hac ratione docearis: ſi ob hanc rem ingenioſus fuiſti, laudo ingenium tuum. Audi itaque & diſce quænam ſint Alpes Summæ à C. Cæſare libro *Commentariorum* tertio: *Cum in Italiam*, inquit, *proficiſceretur Cæſar, Ser. Galbam cum legione* XII. *& parte equitatus in Antuates, Veragros, Sedunoſque miſit: qui a finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad Summas Alpes pertinent. Cauſa mittendi fuit, quod iter per Alpes, quo magno cum periculo, magnisque portoriis mercatores ire conſueverant, patefieri volebat.* Eas autem eſſe arbitror, quæ ab Peninis ad Leopontiorum Alpes extenduntur.

ZOIL. Dii boni, cur ſic Gallis Tranſalpinis invidiſti, ut eorum originem ſubtrahere velis?

MER. Eorum primordia dixiſſe me ſatis arbitror: horum autem, qui nunc Franci nominantur, quia origines ignoras, in hanc rem ſedulus intendiſti, ut illæ à me tibi declarentur. Accipe igitur quid de his apud probatos auctores legerim: Francos prius Salios fuiſſe appellatos Amm. Marcellinus eſt auctor: quod etiam eorum leges arguunt, quæ Saliæ nominantur. Salios conſtituit Ptolomæus in Sarmatia vicinos Aorſis, Agathyrſis, & Alanis: qui ultra Riphæos ſunt montes, à quibus Tanais oritur. Salii igitur ſedibus egreſſi in Germanias penetrarunt: diuque cum Germanis per tempora Valentiniani Imper. belligerarunt: victores tandem adjunctis ſecum Arthuariis & Turingis ad Rhenum deſedere: brevique factum eſt, ut quicunque Germani Romanum Imperium detrectarent, Salios ſe ſociarent: unoque nomine ſe Francos appellarent. Horum opes deinde oppreſſa à Gotthis Italia adeo crevere, ut tranſacto Rheno Ulteriores Gallias occuparint, ſedeſque in eis conſtituerint. A quibus per longam ſeriem à Carolo illo, cui ob res geſtas Magno cognomen fuit, Francorum Reges fluxere. Hic Longobardorum Deſiderio Rege capto apud Ticinum regiam his dignitatem ſuſtulit, imperamnam ipſe aſſecutus eſt. Pipinus Imp. ex hujus ſanguine, qui Carolo Calvo ſucceſſit, ut Italiæ regia Mediolanum diceretur, inſtituit, quod urbs hæc Citerioris Galliæ metropolis ſemper exſtiterit: quodque velut arx & ſpecula totius Galliæ, Italiæ & Germaniæ habeatur. Pipini inſtitutum & cæteri ſecuti ſunt. Nam & Bernardus, cujus tumulus viſitur Mediolani in Ambroſiano templo, hic Rex ſalutari voluit, & ab Antiſtite Mediolanenſi coronari. Diſſidentibus inde inter ſe Ludovico Calvi filio, & ejus patruelibus, exſtinctum eſt Francorum regnum in Italia. Loco quorum Berengarium Foro-Julienſem Ducem, Italiæ Regem Mediolanenſes ſalutant, coronantque: qui à regno ſæpius expulſus, id tamen Ciſalpinis Gallia adjuvantibus ſemper invaſit: vix unum atque alterum reperies, in quem toties fortuna luſerit.

ZOIL. Debuiſſes hoc loco cur Brigantia nunc dicatur hic Orobiorum tractus exponere: ſi Polyhiſtoriam tuam ad unguem (quod ajunt) abſolvi cupiebas.

MER. Si ad ſingularum aut regionum, vel urbium interpretationem ſuiſſem unmoratus, Di boni finem hæc noſtra quando inveniſſet hiſtoria? quando extremam manum impoſuiſſem? Verum, ut hac in re quoque fim de te benemeritus, accipe quid de Brigantia ſentiam. Verbum eſt apud Græcos Βρεγὶν, id eſt, *extollo*, quod hæc regio collibus elata ſit, quaſi Briantia: vel quod incola ejus regionis ſit fortis velagreſtis, ἀπὸ τῆς βριαρᾶς. Quid altàs Bonaventura Caſtillioneus vir florentis ingenii de Brianteis collibus conſultus reſcripſerit, audi ipſius verba: *Fortaſſis nec inelegenum fuerit de Briantea monte vulgo Briantea eadem referre, qua aliquando audiviſſe me memini, & apud quendam, etſi nimis idoneum auctorem legiſſe, qui tamen paulo poſt Rubrobarbi ætatem vixerit. Totum tractum illum inter Abduam & Mogunciacum vini feracem ab ejus exercitu Germano montes Brigantia eſſe appellatum a ſimilitudine collium, qui ad lacum Brigantium hodie Conſtantienſem circumjacent, vitibus conſertorum. In his enim collibus longo tempore Germani caſtra habuere, dum bellum a Rubrobarbo contra Mediolanenſes geveretur.*

ZOIL. Juliarum Alpium ratio paulo diffuſius fuiſſet exponenda: nc hac in tua lectione lector, Merula, cogatur hæſitare.

MER. Aliud à me nihil intelliges, quam quod ſecundo libro legiſti. Quid de his Caſtillioneus ſentiat, non gravabor adducere: *Quamvis*, inquit, *ſcriptores conveniant Julias Alpes eas eſſe, per quas ex Foro-Julii tranſitur in Noricum, & adhuc tamen non ſatis conſtat, an a Foro-Julii, vel a Julio Carneo nomen ſumpſerint, & an eodem nomine appellentur: in hoc omnes hærent. Sed cum haud dubium ſit Ptolomæum Carnos & Julium Carnicum ſupra Concordiam & Forum-Julii locaſſe: ita credendum eſſet Julias Alpes à Julio Carnico nomenclaturam habuiſſe: & eas eſſe quibus à Tergeſto iter eſt in Carinthiam, qua & Carinthia vocatur ab eruditoribus. & paulo ultra Pannoniam verſus ſuperiorem, qua & Caenola dicitur. Qui quidem mons à Pomponio Melâ & Taurus appellatur. Nomen adhuc in Norico & Carinthia durat, hoc eſt, Taura. Anguſtiſſimi in his ſunt tramites, nulla curribus via. Mirum in pleriſque hoenm montium locis, cum paulo altius ſol ad Cancri tropicum perveneris, in ipſis nivibus vermiculos queſdam gigni, veluti tineas. Quorum meminit Vadianus vir doctiſſimus in Commentariis ſuis in Melam.*

ZOIL. Qua ratione Rhætiam Italiæ portiunculam Merula dixerit, non video: cum ſciant omnes Rhætos extra Italiam eſſe, & Germanorum idiomate uti; Griſoneſque hac tempeſtate nominari.

MER. Si in hoc ſum deceptus, aliquantula venia ab aliis ſaltem condonabor, ſi mihi, Zoile, inquus arbiter exſtiteris: ſecutus enim ſum Titum Livium, qui aut Tuſcos Duce Rhæto in iis locis deſediſſe acie victos à Belloveſo: in Rhæticis præterea Alpibus aliquando (verbis utor Caſtillionei) habitaſſe gentem Italicam: Rhætoſque lingua uſos Italica illud argumento eſt, quod apud illos etiamnum Latinorum lingua perdurat, tametſi prorſus nunc apud eos exſtincta ſit. Perſeverant tamen hujuſce rei nonnulla veſtigia. Jentare enim adhuc dicunt pro cœnare: eandem fidem faciunt multa circumloca, quorum Latina hodie nomina leguntur: veluti Rhætorum oppidulum *Magavilla*, quaſi Magna villa vocarum, & Vallis dulcis *Valtidule*: & non longe ab iis Monticulum quendam *Montiglum* vocant. Rochus etiam Quadratus multa vir experientia cum apud Rhætos nomine Franciſci Sforciæ eſſet, retulit inter illos vicum eſſe, cujus incolas

colas idiomate Italico uti aſſerit. Quod originem à Tuſcis duxerint, Juſtinus quoque *libro*, ni fallor, vigeſimo atteſtatur.

ZOIL. Si auctorem, Merula, mihi dederis idoneum, qui Vicomercatum Vicum Martis appellet, auctor ſum, ut me in piſtrinum dedas.

MER. Nullum fateor habere me, qui hæc dicat, auctorem: verum famam ſecutus ſum perennem, quæ plerumque vim teſtimonii habet. Deinde regio, cujus hic Vicus Martius caput eſt, Martiſana dicitur, quaſi quod ejus tractus homines inſani Martis deſiderio ardeant. Eo in vico præterea cujuſdam Martii tumulus eſt, quem hic non gravabor annectere. In Æde ſancti Stephani in Vico Martio, qui nunc *Vicomercatus* appellatur:

HERC. INVIC
VOT. MARTIVS
LVSOR ALBVCIVS
L. D. D. D.

Quaſi quod hæc Inſcriptio ex Vico Martio eum eſſe demonſtret.

ZOIL. Æque delirantem Merulam ſi dixero, quod fidem ſumat ex Inſcriptione ſaxorum, quis mihi vitio vortet?

MER. Omnes equidem, qui ſolidiores tuis nacti ſunt litteras. Nonne idem fecit T. Livius? & eo prior Polybius? quoties enim illi ad columnam Liciniam, qua Annibalis geſta continebantur, confugiunt, velut ad ſacram (quod ajunt) ancoram? Nonne Tranquillus inſcriptioni aræ, quæ in Treviris erat, fidem præſtat? Quintus quoque Curtius Erythræi maris nomen de ſepulchro quodam mutuari, quam vulgatæ ſtare ſententiæ, mavult Trebellius quin etiam Pollio Valerianum juniorem Imperatorio diademate decoratum exſtitiſſe declaravit, non alia ratione ductus, quam quod ejus tumulo, qui Mediolani ea tempeſtate viſebatur, Claudii juſſu illud vidiſſet inſculptum. Igitur ſi ſic vetuſtiſſimi factitarunt, cur me arguis? Quod autem Taciti ſit ſententia (nunc eruditiſſimo Caſtilhonco reſpondeo) Danubium à monte Arboni (quod quidem *Arnobi* legendum eſſet) oriri prope Hercyniam ſylvam, (vulgo ſylvæ nigræ nomen ſervat) ex adverſo Rauracum, quorum oppidum eſt Baſilea, (Arnobi Plinius & Ptolemæus meminerunt) ipſe non inficias eo: imo ipſius ingenium laudo. Danubium ſcribit Alciatus ex præcipiti & excelſo montis Arbonæ jugo ortum habere: cum tamen ab iis, quibus paulo compertiores ſunt ortus ipſi, referatur ex molli & clemeuter edito colle eum ſcaturire apud viculum, quem Eſchingiacum Danubii appellant, vulgo *Doneſchingen*. Hæc habui, vir ornatiſſime, quæ in defenſionem contra nonnullos, qui vix inſpecto opere ad maledicentiam prorupere, paravi, quorum dicta breviter attigi, recte-ne, an perperam ea diluta ſint, tuum ſit judicium. Bene vale. Mediolani VIII. Cal. Julii M.D. XXXVII.

FINIS.

BONAVENTVRAE CASTILLIONEI,

MEDIOLANENSIS,

DE

GALLORVM INSVBRVM ANTIQVIS SEDIBVS

LIBER.

ANTONIVS DE ANTONIIS,
BIBLIOPOLA MEDIOLANENSIS,

SECRETARIIS, ATQVE CANCELLARIIS

EXCELLENTISSIMI SENATVS MEDIOLANI

S. P. D.

VNIVERSVM orbis terræ globum, ejuſque partes inſignio-res nonnulli viri doctiſſimi tum veteres, tum recentio-res, cum non ſibi ſolum eſſe natos cognoſcerent, mi-rabili quidem induſtria & arte ita deſcripſerunt, ut, cum non omnibus datum ſit quocunque terrarum per-agrare, liceat tamen cuique locorum ſitum, & ipſo-rum inter ſe diſtantiam, longitudinem, atque latitu-dinem domi dignoſcere. Id quod apud eruditos plu-rimi ſemper fuit; quibus, ſi, ut ſæpe fit, de aliqua ſi-ve terræ, ſive aquæ parte ſermo incidat, omnia ſtatim non ſecus prompta ſunt, ac ſi ſingula (uti oculis ſubjecta) perſpecta haberent. Præter hos fue-re alii, qui operæ pretium ſe facturos exiſtimarunt, ſi ea omnia, & ſingula deſcriberent, quæ vel antiquitatem redolerent, vel familias illuſtrare poſ-ſent, vel quomodocunque laudem, honorem, & gloriam civibus ſuis, & ipſi in primis patriæ afferre valerent. Ex quibus unus eſt nequaquam ne-gligendus Bonaventura Caſtillioneus Mediolanenſis; qui in urbe Mediolani, & ejus Provincia deſcribendis operam navavit diligentem, atque ſedulam. Cujus opus alias editum, cum nunc vix reperiatur, iterum in lucem dare mihi in mentem venit: idque, ſi Diis placet, facere cogitavi vobis mihi fa-ventibus, Viri præſtantes & egregii; quorum auſpicio atque patrocinio nihil non bene ac felicitèr ceſſurum ſpero, atque confido: quando nemo à vobis unquam niſi voti compos diſceſſit. Itaque vos rogo, ut opus hoc elegans ſane, atque utile benigne ſuſcipiatis; & meum erga vos ſtudium memoria teneatis.

SECRETARII
EXCELLENTISS. SENATVS
PROVINCIAE MEDIOLANENSIS.

JO. FRANCISCVS LANDRIANVS.
JO. ANTONIVS POGGIVS.
JO. ANTONIVS MARCHESONIVS.
ALEXANDER BESVTIVS.
JACOBVS PHILIPPVS PAGANVS.

CANCELLARII
EJVSDEM SENATVS.

JO. JACOBVS GHILINVS.
JO. BAPTISTA ANNONVS.
M. AVRELIVS GLVRIANVS.
JOSEPHVS AMATVS.
JO. PETRVS CARCANVS.
CLAVDIVS POGGIVS.

AD
ORNATISSIMOS
AB EPISTOLIS
SENATVS MEDIOLANENSIS VIROS,
BERNARDINI BALDINI HEXASTICON.

Hoc vobis, conſulta quibus ſunt nota Senatus,
Bibliopola dicat CASTILIONIS opus;
Non contemnendum certe, ſi ponderet æquus
Judex Auctorem codicis, atque librum.
At vos, ANTONI quibus eſt perſpecta voluntas,
Non Arabum his donis anteferetis opus.

GAVDENTII MERVLAE
CARMEN
AD LECTOREM.

Si formidatas Romanis arcibus olim
Inſubrum gentes; oppida, caſtra, duces;
Paſcua, velivoloſque lacus, fonteſque perennes;
Caſtella arcui montibus impoſita;
Gramineas valles, ſi errantia montibus armenta;
Eruta marmoribus ſi monumenta virum.
Tramite vix Lector facili percurrere: Carta
Hæc monſtrabit iter quamlacunque tibi.

BONA-

BONAVENTVRAE CASTILLIONEI, *MEDIOLANENSIS*, DE GALLORVM INSVBRVM ANTIQVIS SEDIBVS *LIBER.*

OALLIAM Cisalpinam, quam nunc Longobardiam seu Lingobardiam vocamus, initio Hetruscos tenuisse omnes auctores tradunt, conditis in ea duodecim Urbibus. Cum iis ob vicinitatem Transalpini Galli, quos nonnullis Celtas nuncupavisse placuit, conversabantur. Qui postmodum sedibus fame expulsi, sive agrorum foecunditate allecti fuerint, Duce primum Bellovesо in Hetruscos impetum fecerunt, exiguam belli occasionem nacti: quibus ad Ticinum amnem agmine aperto fusis, quicquid camporum inter Apenninum & Alpes interjacet, & Hadriatici littoris partem maximam occuparunt; à quibus mox haec Italiae basis Gallia vocitata est. Inter Padum & Alpes Laji habitarunt, quos Orientem versus Labitii vel Lebetii, seu Lebui sequuntur. Post hos inter Ticinum & Abduam sunt Insubres, penes quos Cisalpinorum omnium auctoritas fuit. His postmodum recto ordine Cenomani inhaerent. Gallorum postremi Veneti à Paphlagonia profecti, vel ab extima Transalpinarum Galliarum plaga, quam Oceanus alluit Occidentalis.

Cispadanum tractum, ubi primum Apenninus ab Alpibus discedere incipit, primi tenuere Anares, post Boji, inde Eganes, Gallorum ultimi Senones. Hi post Bellovesum aliquot saeculis Italiam ingressi Bojorum iotima penetrarunt; ubi Senam urbem condiderunt, anno ante Christum Redemptorem natum octuagesimo septimo supra quingentesimum, regnante apud Romanos Tarquinio Prisco. Crescentibus itaque Gallorum & Romanorum rebus, inter Hetruscos & Gallos secundo bella sunt orta. Galli siquidem Senones superato Apennino, Hetruscos jampridem extra Galliam Cisalpinam ejectos, sedibus turbant; Clusium ea tempestate eorum metropolim obsidione cingunt, & late Hetruscorum agros populantur; qua ni obsidione irritati à Romanorum legatis, qui praetextu componendae pacis illuc se contulerant, & desiderio manus conserendae in aciem cum Hetruscis descenderant: omissa Clusii obsidione, Romam urbem invadunt. Hi sunt Galli, à quibus Roma capta praedicatur, & incendiis ac ruinis deformata, non à Gallia Transalpina tum primum venientibus: sed in Italia multis jam saeculis educatis.

Gallis igitur Insubribus tractus omnis (ut diximus) inter Ticinum & Abduam contigit. Hos praecipuae auctoritatis inter Cisalpinos Gallos fuisse omnes historiae tradunt; in primisque Polybius auctor gravissimus, qui eos villas habitasse nullis sepias moenibus, & super strato gramine dormitasse, ad posteros transmisit. Bellicas praeterea res atque agriculturam exercuisse, divitias in auro & armentis patrio more exercuisse, ut cum ferret necessitas facile transferri possent. Ultimos vero omnium Gallorum Senones, per ipta Romanorum rerum quasi incunabula, in Italiam per jam tritum iter inter nivosas Alpeis irrupisse verisimile est: cum multa jam ante tempora Hetrusci à Gallis Celtis Duce Bellovesо ultra Apenninum expulsi essent. Hujus rei argumento sunt certissimo sedes ab illis occupatae. Siquidem cum inter Alpeis & Apennioum omnia ante illos Galli jam tenerent, coacti sunt in collibus Apennini Hetruscis proximis sedes figere, quibus cum continuum certamen fere semper haberent, vel cum eos à finibus arcerent, aut irritati ipsi in eorum finibus bellum gererent. Caeterum Insubribus postquam sedes visae sunt satis firmatae, armenti adaucta copia, & hostibus procul expulsis ex montibus, in quibus vicatim habitabant, paulatim ad loca campestria descendere placuit: ubi minor hyemis asperitas, & longe laetiora pabula; quibus aestivo tempore collectis saeviente bruma eorum armenta pascerentur. Ejusmodi vero loca in plancie constituta, maxima anni parte virentia, haud dubie ea fuerunt, quae nunc incolimus, quibus in locis urbem condiderunt. Hic autem verisimile est per multos annos ad armenti, pastoriciaeque supellectilis commoda à Gallis palearea tuguriola, & ea quidem humilia Nomadico more fuisse constructa, paulatimque Pado flumine exsiccato, & ad justum fluminis decursum exanimito, qui propter angustiora in Hadriaticum sinum ostia late stagnans, lacus magis immensi quam fluminis effigiem praestabat, per Padoam, quae & Padusa est, & Volanam seu Nolanam, quae portum efficit, coepere Galli planiciem securius habitare. Et hac ratione Padus liberiori eruptione facta in Hadriam, loca, quae facile caeli ipsius salubritate, agrorum foecunditate, collium apricitate, sylvarum & fontium, fluminumque amoenitate, rerum ferme omnium, quae ad victum, vestitumque hominis spectant, beatissima copia omnibus antecelluot, Gallis incolenda reliquit. Unde non unmerito Virgilius in quarto *Georgicorum* de Pado, & locis his nostris cecinit:

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

Quod circa Padum magna agri pars paludibus & Padanis illuvionibus olim obruta fuerit, testis est Strabo, qui Aemilium Scaurum sequentibus saeculis, deductis ex Padu in Parmensem agrum fossis, navigantibus quidem commodis, paludes fluminis reliquas exsiccasse, prodidit. Cujus auctoritate satis probatur olim circa Padum paludes fuisse immensas, & his majores in Insubrum regione exstitisse credibile est, itagnantibus praesertim Umbrone & Orona, plurimisque alis fluminibus, quibus Insubrum agri plenus aestuant, io unum ferme locum illis cocuntibus. Argumento praeterea

hujuſce rei maximo ſunt colliculi juxta oppidum Divi Columbani Laudenſis agri, quos olim Padus alluebat. In plantandis enim vitibus, quibus colles ipſi maxime abundant, navium roſtra, anchoræ, & hujuſmodi reliqua navium inſtrumenta, ſingulis ferme annis effodiuntur: quorum reliquias eo in oppido aliquando mihi videſſe contigit: oſtrearum quinetiam & conchyliorum marinorum conchæ, quas paſſim ibi aliquando colligere eſt, nullo negotio arguunt, Padum illuvione olim ad colles iſtos adiciendiſſe.

Cum recepiſſet ergo dilatatis oſtiis, & deſiccatis paludibus, Eridanus (ita enim Græci Padum vocant) fluminis effigiem, ut recto tramite deferretur in Hadriam, vero ſimile eſt Inſubres in campeſtribus locis velut fertilioribus omnino ſedes locaſſe, quæ quoniam in medio amnium ſitæ eſſent Mediolanum primo adjecta littera, quam *longam* in *Aulul.* Act. 1. Sc. 1. ℣. 38. Plautus appellat, hiatus vocalium tollendi gratia, demum Mediolanum nuncupavere. Annis tamen quamplurimis poſt trajectas Alpes Italicis moribus inſtituti, (vicinia ſiquidem & morum & fortunæ ſimilitudinem adfert) cæterarum urbium exemplo, quas per Italiam belligerantes aſpexerant, urbem mœnibus cinxere; ut ſi qua vis hoſtilis ingrueret, facilius injurias propulſarent. Vicus haud dubie primo fuit, ſi Straboni credimus, ætate vero ſua eximiæ majeſtatis urbs.

Hoc in loco divorum opiniones non ſunt recenſendæ, tanquam ab hiſtoriarum fide alienæ. Ex antiquioribus nonnulli volunt à ſue inventa, quæ mediæ lanæ eſſet, urbem hanc noſtram nomen traxiſſe. Sunt item qui ſcribant Inſubriam primo vocitatam, & prius Albam, Peuteciam ſalu. Nec deſunt, qui nomen à Græcis deducant. Sed ſcite pro Catone contra Sempronium reſpondet Plinius, Italiæ rationem eos Græcis, aliſque gentibus falſo mutuari, qui propriam neſciant, & de ea altercentur: eo etiam dementiæ plures acceſſere, qui audeant ſcribere non à Græcis ſolum, à quibus veriſimilius eſt, ſed ab Hebræis civitatum, regionum, ac populorum nomenclaturas derivent. Iccirco qui Hebræa attigere, Gallos quaſi aquis non oppreſſos interpretantur: contenduntque Gallorum nomen ante eorum ex Ulteriore Gallia in hanc Citeriorem adventum, in Aſia, Græcia, & Italia exſtitiſſe: cum tamen Livius Gallo-Græcos, ſeu Galatas à Celtis originem traxiſſe, conſtantiſſime adfirmet. Et Trogus de Brenno ſcribens, qui in Italia cum tercentis Gallorum millibus irruperat in Hetruſcos, eorum centum millia non longe à Delphis, urbe oraculo Apollinis celebratiſſima, in ea Parnaſſi montis parte, quæ ad Auſtrum expoſita eſt, Græcorum gladus exſtincta; alia vero centum millia tractum in Aſia juxta Paphlagonas occupaſſe, eamque Galatiam dixiſſe: hoſque Gallo-Græcos primum, poſtea Galatas appellatos, monumentis prodidit. Hi ſunt, ad quos Gentium doctor Paulus *Epiſtolam* ſcripſit. Eoſdem quoque Trevirorum lingua, id eſt, Celtica, loquutos fuiſſe temporibus etiam ſuis Divus Hieronymus ſcriptum reliquit. Qui ſi ab Hebræis fluxiſſent, ut nonnullorum eſt opinio, non Celtica, ſed Hebræa, aut Chaldæa lingua fuiſſent uſi. Reliqua vero centum millia, quæ in Italia remanſerant, Mediolanum, Ticinum, Bergomum, & Brixiam condidiſſe. Hos vero, qui ſub Brenno militarunt, Galliæ Ciſalpinæ nomen indidiſſe haud facile crediderim: cum ante illius in Italiam adventum plurimi auctores tradant, Bellovefum Alpium iter primum in Italiam aperuiſſe.

Nec deſunt qui velint Brennum ipſum non in Ulteriore Gallia, ſed in Italia inter Gallos Senones Ciſalpinos natum. Catonem quoque damnant multi, qui Orobiorum originem ignoraſſe ſe fatearur; quin & Plinium Naturæ ſcriptorem accuſant, quod Catonis ſententiam fideliter non retulerit: quæ omnia eo tendunt, ut Orobiorum, & Cenomanorum; gentes Gallorum, quando etiam Ciſalpinorum interpretationes nominum & cognominum ab Hebræis fluxiſſe arbitrentur. Quæ quidem nomina, tametſi Hebræa, aut Græca eſſe reperiantur, non tamen ex iis ſatis probant, populos eos Græcos vel Hebræos exſtitiſſe. Siquidem inveniuntur plura Gentium vocabula, quæ Græcam præ ſe ferant etymologiam, quas tamen non Græcas, ſed Barbaras fuiſſe Strabo, Plinius, aliique probatiſſimi auctores tradidere: veluti Troglodytæ, Anthropophagi, Hamoxobii, Nomades, ejuſque generis quamplurima nomina. Tanta denique jactantia Trogi, Polybii, T. Livii, & Plinii auctoritates parvi pendunt, ut ſuam his præponere ſententiam impudentiſſime audeant, auctoribus, quorum paulo ante calculo fuerant innixi: contenduntque tantos viros Græcorum commentis fuiſſe deceptos, aperteque hallucinatos: & ne iis fides ulterius adhibenda ſit, ad Beroſum Chaldæum, qui ex antiquorum Annalibus omnia Aſſyriorum tempora digeſſit, & Metaſthenem rerum Perſicarum ſcriptorem, confugiunt velut ad ſacram ancoram, tanquam quod ii ſoli publica, probataque fide ſcripſerint. Et quamquam Cato ille, quicunque u fuerit (ſuſpectæ enim ſunt eruditis auribus *Origines* illæ) Mediolanum monumentis tranſmiſerit ab Olano, neſcio quo Hetruſcorum Duce, primum Olanum dictum, à Medo mox Inſubrum Principe auctum, Mediolanum nuncupatum, ſcriptum reliquerit: nos tamen cum cæteris cum Græcis tum Latinis auctoribus maximæ æſtimationis ſentimus: qui uno ore omnes affirmant, & primum Gallorum nomen in Italia & alibi auditum, à primo illorum cis Alpeis adventu, & ab eiſdem cum pluribus aliis urbibus conditum Mediolanum. Quis enim hiſtorieus cujuſque nationis exſtiterit ante Bellovefum Inſubrum aut Mediolani meminit unquam? Quod ſi obſtinatius contenderint, Orobiorum nomen non Celticum, ſed plane Græcum eſſe, judicioque ſuo affirmare velint, M. Catonem ob id nequaquam dixiſſe Orobiorum incertam originem eſſe, quod eam ipſe penitus ignoraret, ſed quod ipſum Orobiorum nomen incertam omnino & ambiguam etymologiæ rationem habere poſſet, Hebræam vel Græcam: ſatis nobis fuerit & Latinorum & Græcorum auctoritate probaſſe, Gallos Tranſalpinos, vel fame expulſos, vel ſedium novarum perquirendarum gratia citra Alpes irruptione facta expulſis Hetruſcis Mediolanum, Comum, Brixiam, Bergomum, & Veronam condidiſſe. Simpliciorem igitur hiſtoriæ ordinem proſequentes, adhibita pro viribus diligentia circa nominum interpretationes, quæ maximo ſunt ad veritatem alliciendam argumento, vetuſtiſſimorum quoque Lapidum Inſcriptionibus ſuffulti, de ſitu Inſubrum, & hujus noſtræ Metropolitanæ Urbis origine aliquid referemus.

INTER Inſubres olim oppidum fuit longe celeberrimum, quod ab eorum nomine Inſubrium vocarunt: quæ res pluribus errandi cauſſas præbuit, qui putarent Mediolanum Inſubrium dictum. Sed nos qui loca ferme omnia Inſubrum, qui ad colles jacent, perluſtravimus, in quibus præcipue eorum vetuſtæ ſedes exſtitere, pro comperto habemus eas fuiſſe, ubi Caſtri Sepri vulgo reliquiarum disjecta veſtigia viſuntur. Aberrantque tota (ut ajunt) via, qui Sepri Caſtrum, à quo plurima pars agrorum, qui intra Ticinum & Abduam con-

continentur, cognomentum retinet, ad Severi Imperatoris nomen adſcribunt, unico tantum argumento freti, quod materno idiomate Severi Caſtrum nuncupetur. Tradunt enim Severum ab Inſubribus originem traxiſſe. Nec tamen advertunt hac ferme frivola conjectura ducti, dictionem, quæ Latine ſonat Septrium, vulgo Seurium, non autem Severum dici. Ad hæc Federici, cognomento Rubrobarbi, Imperatoris plura diplomata, inſtrumenta quoque olim in Caſtro ipſo confecta Subrii, non Seprii, nec Severi meminerunt. Ex his itaque conjicimus Subrium fuiſſe, quod Septium dicimus. Huic noſtræ ſententiæ calculum adjecit teſtamentum Manicundæ Longobardorum Reginæ in Caſtro Cariatis conditum, quod ab humanis decedens Regina ipſa in cœnobium vertit, cui nunc ſoror Sophia præeſt: in quo legere eſt, Caſtrum ipſum Cariatis ab Inſubrum caſtro ſecundo lapide diſtare. Ex iis igitur omnibus colligimus, caſtrum ipſum primo Inſubrium, mox per contractionem literarum brevitatis gratia Subrium, noviſſime per negligentiam in Septrium tranſiiſſe. Quam dictionem corruptam & adhuc in dies ejus tractus accolæ magis adulterant, pro Septio Seurium pronunciantes. Plurima in Cariatis oppido antiqua monumenta viſuntur: quæ temporum injuria legi non poſſiunt. In ruinis tamen, Cœlii memoriola eſt hujuſmodi:

M C O E
LIVS CVM
S V I S
MERCVRIO
V S L M

In cœnobio quoque ipſo in lapide ſatis ornato in gradibus ſcalæ, Albuinorum, qui hac ætate, duabus per incuriam demptis literis, Buti nominantur, monumentum elegantiſſimum viſitur his characteribus inſculptum:

P ALBVTIA
N V S
PRIMITIVVS
ALBVTIAE
PIENTISSI
MAE
V F

NOn ab re eſſet putare, Cariate oppidum à copia nucum, quibus ager ille adeo abundat, ut lauris Parnaſſus, denominatum. Siquidem *καρία*, ſive *καρύα* dicitur *nux*. Quanquam non deſint, qui hoc vocabulo ſignificari etiam velint *caſtaneam*, & *avellanam*. Sed eſto, iis rebus omnibus copioſiſſimus eſt tractus ille. Hoc etiam tempore pueri Inſubrum nucleum ipſum nucis *Cariam* nuncupant. Quod oppidum ſi etiam dictum diceres, quod in ſummitate, aut vertice collis ſit, non inficias irem. Quando *Κάρηνον vertecem* & *ſummitatem* etiam ſignificet. Ab hoc oppido ad Alpes tendenti vicus occurrit, Viſeprium vocant, ac ſi dicas Septrii vicum; à quo ſtadiis quatuor tantum diſtat. Omnis autem regio interjacens tot ingentium ruinarum veſtigiis ſcatet, ut celeberrimæ urbis effigiem intuentibus objiciat.

Porro oppidi Inſubrum, ſeu Caſtri Seprii magnificam amplitudinem arguunt murorum latiſſimorum circuitus, foſſarum profunditas; tametſi illæ plurimis in locis aggerum ruinis ſint oppletæ. Quinque & adhuc templa conſpiciuntur plurima ex parte diruta, è quibus duo abſolutam Antiquorum ſymmetriam oſtentant. Omnium ſpectatiſſimum Divo Joanni Evangeliſtæ dicatum eſt, Longobardorum Regum regiam liberalitatem præ ſe ferens. Quæ omnia non levi admiratione prætereuntes viatores afficiunt. In Caſtro marmora ſunt characteribus (ut arbitror) Hetruſcis inſculpta, quæ nullum in præſentem uſque diem (quem ſciam ipſe, vel alius ſit interpretatus) intellectum admittunt. Non abſurdum eſſet fortaſſe credere ab aliquo Hetruſco aruſpice, quorum diſciplina percelebris fuerat ubique terrarum, appoſita fuiſſe. Quod ab illis, qui ante Bellovefum, Hetruſcis, hic regnabant, monumenta illa (ut aliquorum eſt opinio) inſculpta fuerint, nemo unquam mihi perſuaderet: quando fidem omnem excedat marmor ab illis ad hæc uſque tempora durare potuiſſe. Splendidam præterea oppidi hujus magnificentiam XXIV. pagi illuſtres, quibus præerat, ſatis ſuperque declarant, auctoritatis priſtinæ indicia maxima. Omnis denique tractus uſque ad ſextum lapidem ab urbe, Subrii vel Seprii hac etiam ætate ſervat appellationem. Illic duarum arcium veſtigia conſpiciuntur; è quibus altera eminentiori in parte ad collis verticem Mediolanum ſpectat; à quo in proximam Oronæ Vallem (nomen eſt fluvioli, qui collis radices alluit) per ſubterraneos fornices aquationis gratia cuniculus ducebatur. In fluminis vero ripa tertium quoque Caſtrum fuerat, quadrato lapide ſtructum, *Turbinis* titulo, in cœnobitarum Virginum uſus pios converſum. Arce demum everſa nomen tantum *Turbinis* retinuit. Nec tamen antiquitatis memoriolæ hoc in loco deſiderantur. In poſtico ſiquidem ædis vetuſtæ lapis exſtat, Barbarorum, vel imperitorum culpa, aut diuturnitate temporis ita fractus, ut quoties illum aſpiciam, illud Auſonii *epigr.* XXXIV. mihi toties occurrat:

Miraquor periiſſe homines, monumenta faciſcunt:
Mors etiam ſaxis nominibuſque venit.

Habuimus tamen Calphurniæ nomen politiſſimis, grandioribuſque literis inciſum; cujus etiam poſteritas apud Inſubres nunc belliſſime perdurat: ſed Caphurii literis quibuſdam negligenter abjectis appellantur:

C A L P H V R
N I A E
C A R I S S I
M A E
F E

Eadem in arce in fornice cujuſdam oſtioli Tabula marmorea affixa eſt, his ferme cubitalibus inſignis literis:

L C A S S I O
A V T E
L O I O
L F

INTRA circuitum oppidi olim Inſubrum, putei, ciſternæque, & cloacæ, reperiuntur. Adſunt quinetiam cryptæ, fornices elaboratiſſimi, & hujuſmodi antiquaria. Vigentibus demum bellis inter Vicecomites & Turredanos, penes quos ea tempeſtate Inſubrum ſumma auctoritas fuit, de Imperio Mediolanenſi diſceptantes, oppidum ipſum cum arcibus in illo rerum turbine ſolo æquatum fuit: legeque municipali ſancitum eſt, ne in id locorum colonia amplius duceretur. Quam quidem legem Prætores Mediolanenſis & Gallareatenſis, magiſtratuum initiis, jurejurando omni ſtudio, opere,

diligentia ſe curaturos pollicentur. Unum illud quoque animadvertimus, in meditullio fere Verbani & Larii lacuum oppidum ipſum ſitum fuiſſe, & in colle eminentiori, ut recto itinere ab urbe ad Alpeis proficiſcentibus primo ſe offerat aſpectu, ex quo velut è ſpecula Inſubrum patentes campi cum urbe ipſa videri poſſint. In eo monumenta prope infinita interierunt, nonnulla adhuc exſtant, ſed plurima à civibus Mediolanenſibus, poſt tantas & tot clades, inde abducta ſunt. Ex pluribus vero unum atque alterum adduxiſſe ſufficiat.

I O M
DIS MANIBVS
PRO SALVTE
MEMNIAE
PRISCAE
C F
MEMNIVS
ONESIMIANVS
PRO
FRVCTIBVS
V S L M

Ex hac Inſcriptione colligimus, morem fuiſſe noſtris majoribus pro ſalute ægrotantium amicorum, ut Dis manibus ſacra facerent & voverent. Fontei quoque Capitonis Conſulis, de quo meminit & Tacitus in bello Othoniano, mnemoſynon inſpicitur literis grandioribus candido in marmore inciſum:

I O M
C CAECILIVS
NIMPHEROS
VLSM
FONTEIO
CAPITONI
COS

Est & Veræ cujuſdam eulogium; ſed plurima ex parte mutilatum, reliquarum literarum prænomine & nomine duntaxat exceptis, intelligentiam non admittit. Hoc igitur in tractu Inſubrum Gallorum ſedes fuiſſe expulſis inde Hetruſcis facile comprehendi poteſt: Inſubriſque nomen oppido, non urbi noſtræ (ut multi falſo arbitrati ſunt) inditum fuiſſe. Fidem præterea faciunt vici, municipia ditiſſima, caſtella munitiſſima hujus regionis, ex quibus fere nobiliores familiæ Mediolanenſium antiquiſſimæ origines traxere.

Inter tot municipia & vicos, Occidentem verſus, ſecundo lapide oppidum Caroutum viſitur, vulgo *Carnagum* nuncupatum: eo in tractu Carnutes, Ulterioris Galliæ populos, olim conſediſſe, arguunt ſoli fertilitas, nominis cognatio, & Inſubrum Gallorum vicinia; facile enim cum Belloveſo, quem tot hominum millia in Italiam traduxiſſe conſtat, & Carnutum copiæ Alpes tranſcenderuot, & haud longe ab Inſubribus ſedes locarunt. Durat gens Carnutum in Celtica Galliæ Oceano proxima olim in clientela Remorum, & totius fere Galliæ media, eorum civitas Epiſcopalis vulgo *Chartres* nuncupatur. Tantæ præterea ædificiorum ruinæ in dies effodiuntur, tot exſculpti lapides, ut nonniſi inter cementa maceriaſque plantari vix poſſit vitis.

A Caſtro Inſubrum, Ticinum verſus, ad Meridiem quinto ferme milliario, Gallaræatum eſt oppidum, urbeculæ effigiem præſtans, ad extremam collium radicem in æquo ædificatum; à quo univerſa planities XXIV. milliariorum ſpacio ad urbem Mediolanenſem extenditur. Cujus oppidi nomenclaturam ſi attentius quiſpiam obſervaverit, Gallorum aream, hoc eſt, cooventum interpretabitur; ſicut & Novariam trans Ticinum, quaſi novam Gallorum aream. In hunc tractum ſiquidem, velut ad campeſtria loca, quæ fertiliora eſſe ſolent, Inſubres adhuc montium accolæ colligendorum fructuum vel Comitiorum habendorum gratia, priſco Gallorum more confluebant. Ad ultimum denique excidium redactum fuit oppidum Gallaræatum, dum Mediolanenſibus noſtris ex animo favens, copiis ingentibus Federici Imperatoris, cui Rubrobarbo cognomen fuiſſe jam diximus, pertinaciter nimis adverſatur. Viſuntur eo in oppido veteriſſimæ Inſcriptiones; quales hæ ſunt, quæ ſequuntur:

H E R C V L I
C VIR MAX
C V M S V I S
V S L M

Item alio in loco:

M E R C V R I O
O P V P V P

Ibidem in turri quadrata:

C POSTVMIO
PRISCO
POSTVMIVS
DROMO
LIBERTO
PIENTISSIMO
IN AGRI P XXX
INF PP XX

Votum quoque Severi Silvano perſolutum hæc indicat Inſcriptio:

S I L V A N O
SEVERVS
L F
A D I V T O R
V R B I C V S

Non procul à Gallaræato vicus eſt Inſubrum victoria adverſus Hetruſcos celeberrimus: *Buſtum Arſinum* vulgus appellat, ſed verius *Buſtacium*, quod ibi buſta hoſtium compleverint omnia. Ad dexteram paululum ſi deflexeris Meridiem verſus, Pictæ Curiæ occurres, *Corbetum* noſtrates appellant: oppidum dubio procul veteriſſimum, Longobardica ſymmetria conſtructum habens templum, cujus ruina, quæ facta eſt annis ſuperioribus, multas Sanctorum reliquias, quæ ignorabantur, & cum eis memoriolam, in qua mentio habetur, & qui eas reliquias illuc locorum portari curarit, & nominis ejus oppidi, quod in hanc uſque diem deſiderabatur, aperuit. Has tabulas ſe legiſſe Gaudentius Merula ejus metrocomiæ municeps, parieti templi Sancti Victoris affixas, atteſtatus eſt mihi. In filice non admodum polito in latere, quod occidentem ſolem intuetur, ejus ædis hos characteres eſſe idem adfirmat Merula:

I O M
SACRVM
C DOMITIVS
PHOEBVS
E T
P. VINIA CHIA

. . . . . .
. . . . . .

Sed ad Inſubres, qui Septentrionaliores ſunt, redeo: hos enim qui ad Meridiem & ad Ortum jacent in planicie inter Padum & urbem, Ticinum & Abduam, labor alter excipiet. Eos enim & urbis ſitum Deo favente proſequar, cum hic primus fuerit liber abſolutus. Remis igitur velisque (quod ajunt) omoibus ad colles recurro. A Gallaræato Alpes verſus miræ amœnitatis vallis incipit ad lacum uſque Givaratum, de quo alibi dicetur;

cetur: per quam fluviolus, cui Arno nomen eſt, limpidiſſimis aquis fluit, à dextra, lævaque (ut ait Poeta) caſtella in tumulis, & geniales vici. Crediderim ipſe fluvium hunc ab Hetruſcis hic olim dominantibus Arnum ab Arno altero in Thuſcis, qui nunc Florentiam interluit, propter quêndam vicorum ordinem, quibus uterque frequentiſſimus eſt, nomen ſumpſiſſe. In iis collibus Crena eſt pagus à fontibus per ea ſcatentibus, quaſi Κρήνη. Hunc ſequitur Oggiona, quaſi Eugeona à fertilitate ſoli. In hac exſtincta eſt Urſinorum familia. Hieracium deinde viſitur, quod ad ſacra ruſtici illuc vocarentur. Illinc Albizatum itur, vel potius Albuciatum ab Albuciorum familia veluſtiſſima. Crenæ Novellìorum Mediolanenſium, quorum meminit Plinius in *Hiſtoria Naturæ*, memoriola viſitur:

I O M
C NOVEL
LIVS
C F
FALLV
PIVS
VI VIR
JVNIOR
VSLM

Plurima quoque in Albuciato antiquariorum ſunt veſtigia:

I O M
MONIVNA
IESVLCANI
IOVANIVS
VSLLM

In calce Eulogii animadvertimus L L characteres geminatos, qui meo judicio pluralem numerum ſignant; & libera munera inde ſignificari.

A Joanne quoque Aluyſio Vicecomite inſigni Equite, ejus oppidi domino, proavorum ſuorum juſſu olim à caſtro Inſubrum, quod ſtadiis ferme abeſt ſexdecim, plurima ex hujuſmodi antiquariis aſportata fuiſſe intellexi. Ibidem:

CAMVRIVS
APVLONI
FECIT

Item in templo ejuſdem oppidi in aræ majoris crepidine:

CAVVS
APVLONI F
SIBI T MAR X
SSVIII: : : : :
: : : : : ALLV
CAVI F

Quæ tametſi interpretationem non admittant, indicio tamen ſunt hanc regionem alias, quam nunc, longe floruiſſe: cum paſſim reperiantur ſimilibus ornamentis inſculpta marmora. Paulo ſuperius colli imminet Caidatum oppidulum, in quo plura ſunt hujuſmodi antiquitatis monumenta. Arcem habet in ſummo colle poſitam univerſæ Arni valliculæ conſpicuam. In ea Herculis memoria in marmore Pario ſculpta viſitur:

H E R C V L I
INVICTO
DEO
CVLTORES
VSSLM

A LÆVA Caidati Occidentem verſus, quæ ad Verbanum lacum itur, Biſnatum oppidulum eſt, in quo hujuſmodi etiam veteſtatis monumenta conſpiciuntur: in quibus vir miræ ac prope ſingularis eruditionis Andreas Alciatus Mediolanenſis noſter cognomentum Græcum ineſſe annotavit. Cojuſmodi cognomina apud Inſubres paſſim ſunt legentibus obvia:

C TERENTIO C F
OVF PATRI
COMINIA EPF MATRI
C TERENT CFOVF
SILO FRATRI
Q TERENTIO CFOVF
FRATRI
C TERENTIO CL DIO
GHARI EX TESTA
MENTO
SVO
C TERENTIVS C F
FACIVNDVM
CVRAVIT

A BISNATO occidentem verſus hiemalem Sexto-Calendas oppidum veteſtiſſimum, quo in loco in Verbanum Ticinus ſe exonerat, tendenti occurrit. Hic ultimus Inſubrum terminus & deſcriptionis noſtræ. Non enim in animo eſt populos qui ultra Ticinum ſunt, quos Lebecios Polybius, Lebuos T. Livius appellat, deſcribere. Porro oppidum hoc à paganorum illuc concurſu, qui fiebat ſexto Calendarum cujuſcumque menſis, nomen ſumpſiſſe auctor eſt Alciatus. Plurima in eo ſunt antiquiſſima monumenta, quæ libens prætereo: cum quod ea idem Alciatus diligentiſſime annotaverit: tum quod noſtri non ſit præſentis inſtituti ſingulas locorum Inſcriptiones proſequi: hanc tamen ex plurimis ejus oppidi adjecimus filii erga patrem charitatis monumentum:

D O M I T I O
G N F I L O V F
P L A C I D O
V I V I R I V N I O R
C DOMITIVS
MODESTVS
MILES COH
VII PRAETORIAE
P A T R I
O P T I M O

QUONIAM paſſim in ripa Verbani lacus antiquiſſima Italorum monumenta viſuntur cum Inſcriptione cohortum & legionum, viſum eſt, quid de re hac ſentiam, opinionem meam hic exponere. Ante Auguſtum Cæſarem & Julium ab Inalpinis populis ſubitæ excurſiones in Ciſalpinos Gallos; qui jam pro Romanis ſentiebant, accepto Jure Latinæ Coloniæ. Ad hos igitur prohibendos diſpoſitæ fuerunt militum ſtationes in ipſis Alpium faucibus, qui Barbaros illos, qui jam Comum vaſtarant, temere irruentes exciperent. Itaque legiones eas eſſe conjicimus, quas C. Cæſar ad cuſtodiam illius ſaltus diſpoſuiſſe memorat initio *Commentariorum Belli Gallici*. Sunt etiam qui magis putent has militum ſtationes & colonias illic diſpoſitas, ne Inſubres clam contractis fœderibus cum Barbaris proximis in Romanos conſpirarent. Nihil enim eſt, quod magis firmuſque alienæ gentis Imperium faciat, quam cura illa, quæ à Romanis olim in deducendis Colonis impendebatur: facilius enim ſuis quam alienis mandabant. Hanc ob cauſſam ajunt Derthonam in Apenninis collibus à Romanis Coloniam eſſe deductam, quæ impedimento eſſet, ne Inſubres cum Liguribus convenirent. Sic Haſtam & Hipporrhediam Colonias arbitrantur, quæ conventum prohiberent inter Salaſſos & Ciſalpinos Gallos. Hac etiam de cauſſa Auguſtam Prætoriam, quæ media eſſet inter Salaſſos, & Veragros, & Allobrogas. Hæ ſiquidem

quidem gentes Romanos ægre dominos tolerabant, & ad quodque leve momentum ſumptis armis, & præfidiis trucidatis, à Romanis deficiebant. Unde in adulationem Romanorum Poeta *, quirtamen ex noſtratibus erat, dixit,

——— *Gallumque rebellem.*

Quod neque mirum eſſe debet; videmus enim perſæpe magnos Principes, longius egreſſos, pleroſque populos occupare, quos inetu magis violentiæ, quam prompta fide ſubjugant: qui ceſſante timore tanquam ab odioſo victore rebellant.

A Sexto-Kalendas ad Angleriam breviſſimus eſt curſus. Quæ tot elaboratiſſima vetuſtatis monumenta demonſtrat, ut merito Alpinarum gentium præfectura poſſit exiſtimari. Hæc igitur multis argumenta præbuere, ut urbis titulo eam decorarint, tantaque inter recentiores Hiſtoricos de Angleria orta eſt diſſenſio, ut non defuerint graves alioqui viri, qui oppidi cognomentum ad Anglum, neſcio quem, Hectoris filium referant. Hi tamen adulatione magis, ut Principum aures demulcerent, quam veritate adducti hæc poſteris tradiderunt. Oppidum omnino antiquiſſimum eſt & clariſſimum; magiſque ante Turredanorum & Vicecomitum arma: dictamque crediderim potius Angleriam, quaſi ad glaream Verbani ſitam; non autem ab Anglo, vel ab Anglis populis conditam, ut multi volunt. Hoc ex Annalibus noſtris conſtat, à Barbarorum irruptionibus in Italiam prædæ fuiſſe ſæpius expoſitam. Florente Vicecomitum imperio, maximæ etiam & celebritatis & auctoritatis fuit: præſertim cum JOANNES Vicecomes, Mediolanenſis Archiepiſcopus, totius fere Ciſalpinæ Galliæ imperium, & urbis noſtræ utriuſque gladii (ut ajunt) poteſtatem ſuſcepit. Eo enim in loco præfectum habuit, qui Alpinis gentibus ad Summas uſque Alpes, nunc Sancti Gothardi vulgo, jus diceret. Alterum quoque, quem legatum nuncupabat Archiepiſcopalem, qui eiſdem populis ſacra miniſtraret. Eodem in oppido Joannes idem arcem exuniam munitiſſimamque in amœniſſimo colle condidit: quæ nunc etiam maximam præ ſe fert magnificentiam. Ætate noſtra, cum reliqua fere Verbani regione Borrhomeorum imperio paret Angleria: quorum clariſſimam originem Alciatus in *Antiquitatibus* ſuis ſatis oſtendit. Iccirco in his diutius immorari ſuperfluum arbitror.

Sed antequam à Verbano pedem referam, non poſſum non eorum ſatis opinioni, tum imprimis Gaudentio Merulæ, aſſentiri, cum & ejuſdem ſemper fuerim ſententiæ; non eſſe veriſimile Poetarum principem, qui Mediolani literis operam dedit, & cui perfecta fuerat & cognita Gallia Ciſalpina Verbanum tantæ celebritatis lacum ſilentio involviſſe in *Georgicis* lib II. celebratis cæteris lacubus. Itaque cum Merula ipſe legere ſoleo:

Anne lacus tantos? te Lari? Maxime? teque
Fluctibus aſſurgens fremitu Benace marino?

Nonne fuiſſet turpe Virgilio tam vaſtum lacum, quem certatim & Græci, & Latini ſcriptores celebrarint, nulla de eo facta mentione prætermiſiſſe? Sed ſublatus errore temporum punctus interrogativus hanc creavit omnibus Interpretibus negligentiam. Diſtinguenda enim fuerat dictio *Lari* hoc puncto? ab illa dictione *maxime*: ut Poeta tres lacus, non duos tantum nominaverit. Velut & Strabo ipſe, qui *Geographia* quinto treis ingenteis lacus deſcribens, & Verbani, cujus longitudinem quadringentorum ſtadiorum eſſe ſcribit, meminit. Larium autem trecenta ſtadia non excedere. Nec veriſimile eſt Vergilium hujus regionis alumnum id ignoraſſe; quod Græci exteri intellexere: præſertim Strabo, qui eadem cum Poeta noſtro ætate

* Virgilius *Æneid.* VI. *p.* 878.

A floruit; & in eadem Imperatoris aula. Iccirco ut facile exiſtimem, hæc facinnt, Poetarum eximium haud dubie *Maximum* pro Verbano expreſſiſſe. Quod quidem epitheton nullo modo Lario convenit, cum de Benaco fiat mentio: cujus longitudo (ut idem Strabo refert) quingentorum exſtat ſtadiorum. Niſi potius dixeris Virgilium Polybii errorem ſequutum, qui ait Ticinum à Lario, & à Verbano Abduam erumpere. Sed hac in re magis Vatem Ciſalpinæ Galliæ conſuetudinem loquendi ſequutum arbitror, quam vulgatum Polybii errorem, cum dixerit *ſceleratum frigus*, & *Maximum* pro Verbano: idiomate noſtro Gallico *Majorem lacum*, Verbanum vocamus: qui vere major eſt iis lacubus, qui adjacent plurimi. Nunc unde noſtra digreſſa eſt, ſe recipit oratio.

B E regione Caſtri Inſubrum ultra Oronam, quem fluvium eſſe diximus, duo caſtella Novocomum cuntibus occurrunt, Venegona vulgo appellata Caſtillioncorum ditionis, quæ ſuperioris, & inferioris, ex loci ſitu, cognomento tantum differunt. His in vicis olim Veneris Agonalia, unde illis nomen eſt per contractionem literarum, celebrata fuiſſe, nominis cognatio non leve præſtat argumentum. Loca amœniſſima Veneri, vel Gratiis, aut Nymphis cæca Gentilitas conſecrabat. His enim in C locis acclivis adeo naturæ vultus arridet, ut de iis Virgilianum illud merito cantari poſſit, ●

Hic ver perpetuum.

Lauris enim colles ita abundant: ut eos nullo negotio poſſis dicere cum Parnaſſo contendere ſuper illarum viridantiſſima copia. Præterea tractus ipſe, ſic beatiſſimo omni pomorum genere, ut totus pomarium videri poſſit, & Pomonam ipſam illic habitare. Tanta denique aquarum vis, tot liquida fontes ſcatent in regione alioqui arida & ſiticuloſa; ut non ſine cauſſa in Agonalibus Veneri celebrandis Gentiles hujuſmodi loca ſelegerint. Caſtellis ipſis ab Orientali plaga vallicula inhæret molliter deſcendens, variis floribus etiam per brumam virens. Hic ortam Venerem diceres, ſi myrtum ferret regio. Per eam vallem paſſim ſiſtulæ miræ craſſitudinis effodiuntur, per quas (ut etiam Alciatus arbitratur) collectam undique aquarum influentiam Veteres ex Agonalibus derivarent ad oppidum Tradatis. Inter utrunque caſtellum, & adhuc prata toto ferme anno virentia Adonidis nomen ſervant. Univerſum hunc tractum carmine elegantiſſimo celebravit Baptiſta Caſtillioneus Juriſconſultus, ex dominis oppidi ſuperioris Agonalium.

Haud longe à pratis ipſis Quintieni cujuſdam memoria exſtat, marmoreo in ſaxo apud ædiculam ſacram literis inſculpta politiſſimis, ex quibus cognoſcitur Quintienus hic, Quintianus fani Fortunæ ædituus:

Q
QVIN
TIENI
QVINTIA
NI
HARVSPICIS
AEDITVI
TEMPLI
FORTV
NAE
FILII PATRI
PIISSIMO

TRADATE, cujus modo mentionem fecimus, oppidum eſt, in quo floret Puſterularum familia Mediolanenſis, hac ætate etiam percelebris. Porro oppidum ipſum amœniſſimum colli adhæret amœniori, ab Agonalibus Meridiem verſus. Quod vero aquæ, de quibus diximus, in unum collectæ

per

per ſubterraneos tubulos inde educerentur, fidem A
facit arca marmorea in oppido ipſo: in cujus capite
duo Delphines ſuſcitat, qua piſces occidi ſolent, im-
pliciti ſunt ſculpti. Quatuor præterea orbes eodem
in marmore conſpiciuntur: ex quibus teſtimonio
Bernardi Zenalii Architectonices peritiſſimi noſter
Alciatus exiſtimat aquas ab Agonalibus, vel alium-
de labentes, per cuniculos ex orbibus inſilicntes
copiam earum indigenti populo ſubminiſtraſſe.
Eodem præterea in oppido Parii elegans memorio-
la viſitur, iis notis Pario in marmore inſculpta:

VOTIS
OMNIBVS
COELESTI
BVS
CONSENTI
ENTI
BVS
BENEMEREN
TIBVS
QVE
L PARIVS
HERMES

HVnc ſtadiis duobus dc viginti Septentrionem
verſus in vallicula fluminis Oronæ ſitum eſt
Caſtillionum oppidum. Quod tametſi in valle ſit
conditum, ſubjectæ tamen planicici virenti amœ-
nitate fruitur. Cujus loci formam qui intuentur,
in Theatro eſſe ſe arbitrantur. Per prata virentia
Orona velut licentiore curſu fluens, collis, in quo
arx oppidata imminet, radices radit; à leva oppi-
di parte alluit, familiæ noſtræ Caſtillionææ le-
dis vetuſtiſſimæ; ſi urbis Annalibus credendum
eſt. Habuimus quingentis fere exactis annis Theal-
dum Mediolanenſem Pontificem hoc ex oppido,
& eadem familia natum. Hic Cœnobium Mona-
chorum in Alona oppido, quod Gaudentius Me-
rula Aronam, quaſi Oronam, vocat, à montibus
deſtectens nomine trans Verbanum è regione Angle-
riæ, ſuis ſumptibus ædificavit: quo in loco & tu-
mulari ſe voluit: oppidanæ magnificentiæ teſtes
ſunt inſanæ illæ ædium ſubſtructiones: quæ omni-
no loci dignitatem excederent, niſi eſſent Epiſco-
porum, Cardinalium, Summorumque Pontifi-
cum, quibus noſtra familia longe ſplendidiſſima
eſt, ſtructuræ. Templa quoque videre eſt artifi-
cum concinnitate perſpicua. Non ſunt auſtera
Longobardorum rudităte ſtructa, nec novitatis le-
nocinio minus venerabilia: medium quoddam tem-
peramentum tenent. Cernere quoque ibi fuerat ar-
cem Architecti diligentis ingenium præ ſe feren-
tem. Ea nunc vicinorum livore, vel magis ini-
quo ejus fato, ſemidiruta eſt. Quam quidem calà-
mitatem tametſi oppidum ipſum ſubierit, &c., ut
inquit poeta Gallicus in fecundo ſuæ divinæ Æ-
neidos,

——— *quæque ipſe miſerrima vidi,*
Et quorum pars magna fui.

Non ad id tamen infelicitatis acceſſit, ut omnem
majeſtatem priſtinam exuerit: floret adhuc cum
monumentis vetuſtiſſimis, tum mira ingeniorum
ubertate. Ex monumentis duo tantum affigemus
hic ad imuſſim effigiata. Ingenii, quoniam de iis
judicant Inſubres, prorſus taceho, ne in noſtra-
tibus diligens nimis, feris autem negligens vi-
dear. Turpiſſimum ſiquidem ſemper fore duxi
adagio illo tritiſſimo, quo ajunt, *Aſinus mutuum*
habere, merito inuri. In ædibus Nicolai Caſtil-
lionei, cognomento Romani, marmor adſpicitur,
manu & ingenio diligentiſſimi artificis cum iis cha-
racteribus elaboratum;

V F
PETRONIVS GE
MELLVS VIVIR
SIBI ET VIRIAE
L F LVCILLAE
VXORI
C PETRONIVS PRI
MIGEN PATRI
SAMONIAE C F LV
TVLLAE MATRI
PETRONIO MARTI
AL FRATRI ET SVIS

B Ab utroque candidiſſimi marmoris latere, duæ
vites nullis commendatæ arboribus, inſurgunt:
quarum pampinis diverſi generis aviculæ inſiden-
tes, mira artificis marmorarii diligentia; uvarum
acinos decerpunt. Literarum præterea characteri-
bus ita ad amuſſim accentus obſervati ſunt; ut
Petronius ipſe omnino non niſi vir ſplendidus olim
exiſtimatus fuerit. Qui vivens tam accuratiſſimam
ſui, & ſuorum memoriam reliquerit.

Summa quoque animi voluptate nobis ſe L.
Victulienus obtulit; qui memoriam adducit alte-
rius Nicolai Caſtillionei Juris conſultiſſimi; quem
C merito cum propter neceſſitudinem, quæ inter
nos eſt, tum ob ſingularem morum & eruditio-
nis eandorem, & amo & mirifice obſervo: in
ejus igitur ædibus hanc memoriam inſpexi:

L VICTV
LIENVS
VICTORI
NVS
VISV
MONITVS

In dextra lapidis elaboratiſſimi aquila viſitur
trunco inſidens, quæ in roſtro avis pennam te-
net: ad lævam altera aquila ſphæræ ſupereminet,
D ſerpentem mordicus tenens. Quid ſuper hac ſcul-
ptura conſulius Andreas Alciatus Gaudentio Me-
rulæ referſperit, accipe: *Quod petis*, inquit, *à*
me Hieroglypha illa tibi explicem, qua à Nicolao
Caſtillioneo acceptiſi, vix auſim ego quicquam ſcri-
bere; ne quod dicitur, noctuas Athenas? Addo, quod ſi
pictum ad me marmor ipſum miſiſſes, facilius aliquid
certi poſſem commentari. Scis enim quantum refert; ſi
ſuſpectum certe mihi eſt nomen illud Victulieni, & for-
te adeo abroſum eſt marmor; ut non poſſit intelligi. Recte
itaque feceris, ſi tu ipſe in rem præſentem eas adhibito pi-
ctore, mittaſque ad me Iconem. Interim ne nihil reſpon-
deam, quod Homerum Iliados xxi. Polydamas aquilam
augurem ferentem ſignificare ait rem infeliciter coptam;
E *& ex præſcripto omnes ſuccedentem. Habes hac de re*
longum poeta carmen. At Artemidorus libro Ονειροκρι-
τικῶν ii. aquilam indicium mortis eſſe Virorum illuſtrium
ait, quod Veterum morte fuerit, ut inſignes Viros mor-
tuos, & immortalitatem adeptos deprogerant ab aquila
orbi. Sed de hac re hactenus. Idem Alciatus Caſ-
ſtillionum puræ olim Caſtrum Stiliconis exiſtiti-
ſe; à quo & familia per longa temporum inter-
valla originem traxerit. Cujus quidem familiæ do-
mum, quæ ab Attila multos ante annos cum ur-
be ipſa Mediolani direpta, & ſolo æquata, repa-
ravit Anſpertus Mediolanenſis antiſtes. Hanc rem
F ſatis oſtendit marmorea Tabula ad ſiniſtram oran-
ti ad altare majus in templo Divi Ambroſii in ur-
be: in qua carmine, Muſis (ut inquit ille) & A-
polline nullo, & Stiliconis, & domus memoria le-
gitur.

Rurſus à Caſtillione ultra Oronam procedenti
ad occidentem ſolem recta in clivo velut in ſpecu-
la totus Giviratius lacus, quaſi (ut opinor) Gla-
reatus oculis ſubjicitur: mox Morafentium vicus
occurrit, Familiæ Sentiorum longæ celeberrimæ

M exter-

æternum fere monumentum: in ſacra ædicula duo ſaxa ingentia, quadratiſſimaque & litteris ſemicubitalibus exſculpta viſuntur. Horum, qui inſculpti ſunt, characteres tanto libentius hic adduco, quanto mihi videar familiam inter Inſubres inſignem hoc meo labore ab oblivione vindicare:

L SENTIVS
L F
OVFNIGER
SIGNIFLE
GIO IIII
SCYTICAE
HIC NATVS
HIC SITVS
EST

Ejuſdem magnitudinis lapis alter marmoreus fratris memoriam continet: in quo & Legionis quartæ, quæ Scythicis gentibus oppoſita fuerat, mentio non ingrata legitur:

M SENTIVS
L FOVF
MACER
VETERA
NVS LEGIO
NIS IIII
SCYTICAE
SIBI ET
FRATRI
V F.

Quod Sentii, quorum meminit Corn. Tacitus, Inſubres exſtiterint, etiam declarat lapis ille, in ædicula Divi Petri ad vineam Mediolani. Cujus Inſcriptionem non gravarer huc adducere, ni verearer *ligna* (quod ajunt) *in ſylvam ferre*: utpote in antiquariis Alciati adnotatam.

In eodem fano Moraſentiorum in pariete marmoreo in lapide, fractoque, litteræ viſuntur aliûs fortaſſe Sentii memoriam continentes. Conjecturam facit verſimilem mentio legionis quartæ, in qua Sentii militabant. Et quanquam imperfecta ſit, & injurias ætatis paſſa graviſſimas, eam tamen memoriolam hic annectam:

VETERANI
LEGI::::::
IOVI
VSSLM

Sane nobis arbitrari licet, propter Sentiorum militum pro Rep. vel ſub Imperatoribus egregie abſolutam, poſt multa pericula, exantlatoſque foris labores tandem domi in patria otium cum honeſtate & gloria ita fuiſſe conceſſum.

Eodem in tractu Verbanum verſus à Moraſentio vico milliario ferme tertio Actiatum eſt familiæ Boſſiorum oppidum ſane antiquiſſimum, eminentibus in collibus conſtructum, lacumque Glaretum ad Septentrionem ſpectans. Quod quidem Actiacum appellare non dubitarem, niſi vererer ad ſeveros hujus ætatis Grammaticos, velut ad Amphictyones Hiſtoricorum ordinem cauſſa mea trahi. Hoc enim tempore uſus inolevit, ut ſtatim quod non habetur à Coſmographis, vel Hiſtoricis, tanquam nullæ prorſus deſiderentur Hiſtoriæ, vel quod omnia Coſmographi diligentiſſime obſervarint, repudietur. Obganniant igitur quicquid velint noſtri temporis Ariſtarchi; quod ipſe ſentiam, ingenue ſemper fatebor. Arbitror ergo oppidum ego illud vel à Græcis, quos in coloniam C. Cæſar deſcriptos miſit, quos cum regione ejus propter aeris inamœnitatem tæderet, in apriciores Inſubrum colles rehcta colonia ſe recepere, eſſe conditum, denominatumque ab Actio Epiri promontorio; vel potius ab Inſubribus in gratiam Auguſti, ob victoriam contra M. Antonium (cui erant hoſtes infenſiſſimi, ut legere eſt in tertia, quarta, & quinta *Philippica* apud Ciceronem) & Cleopatram ad ipſum promontorium, de quo diximus, Epiri. Iccirco Populi ut favorem Imperatorum facilius aſſequerentur, vicos alii, alii aras, ludos, trophæa, & hujuſmodi aſſentationum genera certatim ædificabant, erigebant, vovebant. Unde Maximus Vates†:

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

Et Horatius*:

Jurandaſque tuum per numen ponimus aras

In Liguſtico item littore non procul à Nicæa urbe vicus eſt, oppidum olim florentiſſimum, quem Trophæa Auguſti Veteres nominabant, nunc audio ab iis Liguribus Villam Francam vocari. In Inſubribus item (ut infra dicemus) Cæſaris Ara fuerat. Nulla igitur aliquem detineat admiratio, ſi oppidum iſtud Actiacum nominavimus, nullum ſequuti auctorem, ſed ſolam conjecturam. Id autem fecimus, cum ob ſitus, tum ob nominis ſimilitudinem. Imminet enim Glareato lacui, quem Giviratum diximus appellari, velut Actium Epiri Ambracio mari, quod noſtra ætate Larte nuncupant. Fuerit igitur vel à Græcis in coloniam deductis à Cæſare Novocomum, à Rhætis vaſtatum: ſive ab Inſubribus in apertam erga Cæſarem Auguſtum adulationem conditum, oppidum eſt hac noſtra commemoratione digniſſimum. Gaudentii quoque Merulæ ſequor opinionem, qui in antiquitatibus ſuis Ciſalpinæ Galliæ montem Robium inter Brianteos colles, quos melius Briganteos diceremus, vini & copia & præſtantia celebrem, Orobiorum non Robium plurimis argumentis, quæ recenſendi non eſt locus, dici debere exiſtimat. Multa ipſe prætereo oppidorum nomina plane Græcanica inter Inſubres, hac tantum de cauſſa, quod in iis Andreas Alciatus fuit pluſquam oculatiſſimus. Poſſem, ſi Hiſtoriam vel Coſmographiam abſolutam ſcriberem, ſuper hac re centenas (ſi tamen otium mihi ſcribendi concederetur) Inſcriptiones adducere; in quibus nomina ſunt Pelaſga: qualis eſt illa, quam Lomacii haud longe à Novocomo nuper repertam in marmore Pario vidimus:

MATRON
V S
IESIXTIVS
AGATHON

Votum (ut ſuſpicor) Veneri & Junoni exſolutum. Crater inſculptus cum urceolo, è regione utriuſque ſacrificium notat. Hunc porro Jeſixtum non abſurdum eſſet arbitrari unum ex colonis, quos D. Cæſar Novocomum miſit. Credibile item Actiacum majoris cum amplitudinis, tum dignitatis, quam nunc ſit, oppidum exſtitiſſe. Hujus rei facili argumento eſt Buguiacum, illinc non procul pagus, ac ſi barbare diceres Burgum Actiaci: pauloque inferius in lacus ejuſdem margine Cactiacum jacet villula, & ipſa fatis exigua, ac ſi dixeris Caſtrum Actiaci. Non poſſum aliquando non plurimum admirari, cum plures Boſſiæ familiæ, quæ adhuc hac in urbe florent eſt, eruditiores viros, & qui fatis diligenter noſtræ urbis Annales conſcripſerunt, & circumadjacentium populorum (de iis maxime loquimur, quæ ad ejus familiæ honorem, gloriamque pertinebant) origines & nomenclaturas non obſervaſſe. In Caſtro Actiaci plurima antiquitatis monumenta fatis inſignia viſuntur. Sed pleraque in cæmentum & calcem ſoluta: accolarum quoque ignavia à viatoribus obtrita interpretationem non admittunt. Quorum primus eſt Tavius neſcio quis, loci

† Virgilius *Æneid.* III. v. 280.
* *Epiſt.* I. *lib.* 19.

Illius

illius accolæ *Tavum* pro Octavio pronunciant, ut pleraque alia nomina. *T. Avium* magis legerem. Et quicunque is Tavius fuit, & ab imperitis male habitus, cæteris tamen annectetur:

TAVIO TFSIM::::
ONTCONRTAVI
VSSVRVSRAP
:::IE::PIF::IVIRIX
IESALV::ET
SIBI:::::

A Ab oppido Actiaco ad Givirati lacus initium quindecim tantum ſtadia intercedunt. In lacus ortu celebre Monaſterium viſitur: quod à loci ſitu caput lacus, amœniſſimo in colle aquis undique ſcaturientibus, univerſæ circum regioni imminens, cognomentum ſervat. Sunt qui dicant templum cum Cœnobio à viro ejus regionis primario, Regibuſque Longobardorum cariſſimo, conditum fuiſſe: cui Cœnobio nunc præeſt Hermes Stampa Apoſtolicus Protonotarius, Cæſareus Senator, litteris ac ſingulari humanitate præditus.

Ad lævam lacus Glareati, cujus longitudo ſtadia LX. non excedit, occidentem ad hyemalem duo lacus minoris quidem longitudinis & latitudinis Glareato adhærent, in quem etiam ſe exonerant; à diverſis quidem pagis circum jacentibus nomina ſortiti: ab inſignioribus tamen, Anterior Monacii, ſeu Monecii, poſterior Ternati, vel Terlacus, & Marchalli oppidorum ſervant nomina. In lacuum ambitu & collium verticibus tot ſunt rumarum moles ingentes, quot alibi videre licuerit mihi. Hoc etiam in tractu Gallorum Inſubrum robur ad militiam expeditiſſimum fuiſſe frequentia disjectorum oppidorum veſtigia facile arguunt. Idem præterea notant quæ ſuperſunt oppidorum nomenclaturæ: veluti Marchallum, quæ quidem dictio Celticam magis, quam Latinam, vocem ſonat: *Marcam* etenim Celtæ equum dicunt; unde & *marcare*, hoc eſt, equitare. Tametſi doctiſſimus Vadianus Helvetius, in *Commentarios ſuos in Melam*, *Mark* Germanicam dictionem, quæ *limitem* exprimat, eſſe contendat: unde & Marchiones limitaneos Duces, vel limitum cuſtodes & defenſores dictos arbitratur.

A Marchallo haud longe abeſt Daverii vicus haud ignobilis. E regione Daverii Occidentem verſus collis in altum extollitur, ita ſenſim in acutum tendens, ut obeliſci magis, quam collis, effigiem præſtet intuentibus. In cujus vertice olim turris fuit altiſſima: cujus etiam nunc veſtigia & quidem ingentia viſuntur. Turberiam vulgo collem ipſum nuncupant: veriſimilius tamen Turrim aeream olim fuiſſe appellatam exiſtimamus.

Eo quoque in tractu verſus Ticinum, Cimbrorum eſt vicus, olim, ut arbitror, celeberrimus: nunc vero colonis ſemivacuus neglectui eſt: cujus tam manifeſta cognatione nominis arbitramur poſt inſignem illam C. Marii & Catuli de Cumbris in agro Novarienſi (ibi ſiquidem & victoriæ & conflictus typi ſunt Candium & Caſtra Mariana oppida intra Ticinum & Seſitem flumina adhuc celeberrima) patratam cædem, eorum reliquias ad Inſubres, qui nondum pacato erant in Romanos animo, ſe recepiſſe; & ab illis per id locorum ſedes fuiſſe conceſſas, facile crediderim. An magis eſt veriſimile, Cimbros illos in Inſubres nomini Romano hoſtes infenſiſſimos, ut ibi ſedes firmarent, & ſe mutuis cædibus conficerent, immiſſos eſſe? ut hujuſmodi Barbarorum colluvies adverſus Inſubrum conatus ipſis veluti propugnaculo eſſet. Traductionis facilitas, loci opportunitas, rei quam ſucceſſuram Romani arbitrabantur utilitas, nomen denique pagi ejus non procul à Ticino fluB mine, facile arguunt, atque etiam nichil capto perſuadent, Cimbrorum captivorum ſex myriadas, quas ſervatas à Romanis in *Vita C. Marii* Plutarchus refert, his in locis, Romanis concedentibus, deſediſſe. Credere enim debemus victis loca ad habitandum fuiſſe permiſſa, quibus victores vitam, quam jure belli poterant exſtinguere, condonarunt.

Sed poſtquam de Cimbris mentionem feeimus, (tametſi inſtituti non ſit noſtri limites Inſubrum tranſgredi) liber tamen referre. Paulo ultra Cimbrum Angleriam eſſe diximus: ab eoque oppido ad occiduam partem altius ad XV. millia paſſuum Thoſam fluvium in Verbanum influere. Amnis hic
C haud dubie olim Athiſo dictus eſt: cujus ripas Catulum C. Marii Collegam vallo & foſſa munviſſe legimus, ut Cimbros & Teutonas à tranſitu Alpium prohiberet, quos ab earum faltu arcere non poterat. Recentiores male Græcum Plutarchi coli-cem ſunt interpretati, dum pro Athuſone Atheſim fluvium, qui Veronam præterfluit, poſuere; Titi Livii errorem ſequuti, qui celebritatem Gallicam pertæſus, & Venetæ gloriæ ſtudioſiſſimus, Atheſim pro Athuſone ſcripſit, quod illud Veronenſis, hoc Novarienſis fluvius efficit agri. Conſtat ſiquidem inter Auctores omnes (illum unum ſemper excipio) flumen illud, apud quem ſuperatis Alpibus Cimbri conſedere, diuorum tantum dierum itinere ab eo loco, in quo ſuperati ſunt
D Cimbri, à Vercellis diſtare. C. enim Marius caſtrametatus fuerat citra Seſitem, non procul à Vercellarum urbe, in agro tamen Novarienſi, quem locum accolæ Camarianum vocant, pertiores Caſtra Mariana. Porro Candius ager nunc Candia dicitur, Lacmellum tractus oppidum non longe à Pado. Huic noſtræ opinioni calculum adjicit Euſebius Chronographus diligentiſſimus, qui Cimbros atteſtatur à Romanis profligatos, non procul ab urbe Vercellarum & Pado. Verum cum Caſtra Mariana, licet agri ſint Novarienſis, proxime tamen ſunt Vercellas, quam Novariam. Iccirco falſo
E hæc in Vercellenſi agro geſta produntur ab Auctoribus, qui hæc interſtitia prorſus ignorabant: hujuſmodique victoriæ nomina ſemper ſumunt à locis proximioribus. Porro Atheſim ex dierum ſpatio, cujuſcunque etiam exercitui expeditiſſimo, diſtare ab illis Alpibus, per quas Cimbri tranſivere, nemo eſt, qui ambigat. Thoſa igitur fluvius, ſeu Athuſo, à Summis Alpibus, à quibus & Ticinus ortum ducit, effluit: non tamen eodem, ut Ticinus in Auſtrum, curſu, ſed hyemalem in Orientem primo per Antigorium vallem præceps ruit: mox in vernalem Orientis plagam converſus ad Creolæ
F pontem, (ita Inalpini populi illi nominant) fluvio Veteri immiſcetur, hinc mox dilapſus Oſcellam oppidum, quæ & Domoſſula vocatur, quaſi Domus oſcellam, deinde præcipiti curſu Vogoniam alluit: cujus incolas miræ eruditionis vir, & diligentiæ, Ægidius Tſchudius in libello, quem edidit *de antiqua Rhætia*, Agones nuncupat. Univerſam igitur vallem duo flumina juncta in Verbanum ſinum influunt. Fluvius porro, quem ad Creolæ pontem Thoſæ diximus admiſceri, à valle, per quam curſus eſt illi, Veteris nomen ſumpſit: ab ejus Alpibus incipiens, quibus recta itur in SeduNos. Quas quidem Alpes eas eſſe crediderim, de quibus tertii *Commentariorum* libri initio Cæſar meminit: quas quoniam magno cum periculo, magniſque portoriis, mercatores adire conſueverant, patefieri volut. Quo quidem itinere eidem memoria noſtra utebantur, dum Nundinæ, quæ nunc Lugduni habentur, Genevæ exercerentur. Breviori etenim itinere, minoribus quoque impenſis, è Gallia per eum tranſitum in Italiam Lemanno & Verbano lacubus, demum per Ticinum & Padum apportabantur merces: hæ Al-

pes Transalpinorum lingua, Seduna videlicet, quam Tſchudius Celticam arbitratur, Graji vocitantur. In Ptolomæi annotationibus ex recentioribus ſunt, qui vocem hanc *Grana*, hoc eſt, faciles, interpretentur. Quæ res effecit, ut non defuerint qui Alpes ipſas, eas eſſe exiſtimarint, quas Priſci Grajas appellarint; quod omnino falſum eſt. Alpes enim Grajæ ſunt juxta Tarantaſiam, Ceutronum metropolim, ad vallem Auguſtæ Prætoriæ: porro inter Alpes Grajas, ubi Tarantaſia eſt, & vallem Oſcellæ, qua ad montem Sempronii in Sedunos itur, plurima regio interciputur. Itali materno fere idiomate *Sempioni*, eruditiores montem Sempronii appellant. Plerique & quidem docti (nomina eorum honoris gratia ſubticeo) falſo ex *Commentariorum* verbis arbitrati ſunt Alpes Summas hoc in loco eſſe.

Sed de hac re plura: redeo in Veterem Vallem, in qua propter itineris anguſtias, plurima ex parte mons operariorum manu inciſus viſitur, maximum omnino Cæſarianæ munificentiæ teſtimonium, niſi in montis exciſi fornice inſculptæ ſaxo literæ, notis quidem Græcis, ſed quæ tamen in hanc uſque diem intelligi nequeant, Gallorum, (ut reor) vel Germanorum opus eſſe indicarent. Quicquid ibi continetur, quando inſpicientibus non ſit obvium, barbarum arbitror; fortaſſeque Burgundionum idiomate confectum. Hi ſiquidem populi, quos Buguntas (ut exiſtimo) appellat Ptolomæus, olim ad Viſtulam uſque fluvium Germaniam incolebant, hoſque poſtera ætas Burgundos vocavit. Qui paulo poſt primam Gothorum in Gallias eruptionem, Sequanorum Provinciam occuparunt, cujus metropolis eſt Beſuntium, ab antiquioribus Veſuntium nuncupatum. Cum vero gentes Burgundionum bellaces in Italiam ad bella vocarentur, à Gothis præſertim contra Mediolanenſium vires rebelles, qui Bellifario adhæſerant: à quibus tandem poſt longam difficilemque obſidionem urbs ipſa ferro, fame, flamma vaſtata eſt, haud dubie in Italiam convolantibus eorum iter expeditius fuit à Beſuntio per vallem, quam Dubis fluvius alluit, in Ararim ſe exonerans: mox in Antuates populos, quorum meminit Cæſar, vulgo *Pays de Vaux*, deinde trajecto Lemanno lacu, vel Rhodano flumine, per Veragros & Sedunos, ſuperatis Alpibus, quas Sempronii eſſe diximus, vulgo *Mont Sempion*, per vallem Veterem, ubi mons exciſus viſitur, noviſſime in vallem Domoſſulæ deſcendiſſe crediderim. Trajecto poſtmodum Verbano in Inſubres irrupiſſe per Lavenum: qui portus eſt Verbani celeberrimus. Neque lectorem locus hic moveat quod Antuates ad latus Lemanni lacus pro *Pays de Vaux*, juxta Cæſaris ſententiam, locaverimus. Et quod idem Cæſar *libro* IV. Rheni fontem deſcribens, pet fines Nantuatum primo fluvium ipſum ferri aſſerat, qua è re Cæſaris deſcriptio integra eſſe non poſſet: Populos videlicet eoſdem ad Rheni ortum, & ad Lemannum lacum pertinere; locis haud dubio trium dierum itineris ſpatio inter ſe diſtantibus: animadvertat igitur prudens lector Cæſarem in nullo ſibi non conſtare: iccirco in quarto *Commentariorum* non Antuatium, ſed Ætuatium ipſe potius legerem. Populi etenim ipſi, teſte Strabone *libro* IV. ortum Rheni incolunt, cujus verba ſubjiciam: *Rhenus autem vicina omnium primus colunt Ætuatii. Quibus fluminis origo vicina eſt in Diadaella monte, quem alii Adulam vocant.* Hunc locum dominus Ægidius Tſchudius Helvetius diligentiſſime annotavit. Populos eos, qui anteriorem Rheni fontem habitant, (habet enim Rhenus duos fontes diverſos, & uterque Rhenus appellatur) etiamnum *Tuiſcher*, vel *Tuiſcha* nuncupari: corrupto, (ut ipſe exiſtimat) Ætuatiorum vocabulo.

Decimo à Laveno lapide verſus urbem Beſutium occurrit oppidum in apriciſſimo colle; unde Beſutiorum nobilis Familia traxit originem. Eo in oppido vetuſtiſſima Imperatorum & Regum privilegia leguntur. Et quoniam, everſa à Gothis Mediolanenſi urbe, lectum eſt apud idoneos auctores, octo millia mulierum Mediolanenſium dono à Gothis Burgundionibus datas, non abſurdum eſſet exiſtimare, cum farcinarum onere, tum mulierum lachrymis & precibus delinitos in illo amœniſſimo tractu Burgundiones ſubſtitiſſe: aut eorum ſaltem ibi ſedes firmaſſe, oppidumque ipſum ab eorum metropoli Beſuntio, Beſuntium nominaſſe. Cæterum cum *N* illud ante vulgi auribus nimis intonaret, paulatim ea ſubducta litera dixere Beſutium. Sed à diverticulo (quod ajunt) repetatur fabula.

Si qui ſunt, qui minus credant gentes iſtas Græcis characteribus uſas fuiſſe, conferant ſe ad *Commentaria* Cæſaris libro primo; & ibi aſpicient Tabulas in Caſtris Helvetiorum repertas notis Græcanicis ſcriptas: quos tamen conſtabat idiomate Græco non locutos: ſed quo & hodie utuntur Celtico, alioqui Cajo Cæſari, qui Græcam æque ut Latinam linguam noverat, cum Helvetiis & Germanis opus interprete non fuiſſet. Hæc obiter diximus, in Athiſonis ſeu Thoſæ, præter ſpem, mentionem incidentes. Nunc (ut dicitur) ad penſum redeo.

In agro Daverii antiquiſſima marmora non deſiderantur, quæ facile arguunt ejus pagi vetuſtam nobilitatem: qualia ſunt, quæ ſequuntur duo iſta:

MERCVRIO
VSLM
ANTONIVS
MAXIMVS

Eodem in oppido, ante fores Templi, in lapide duas in parteis fracto, in prima legere eſt:

V F
SEX
ATILIVS
SILENVS

DAVERIO vico Ternatus viculus ſuccedit; qui ſuperiori lacunculo nomen indidit: cui collis Divo Jacobo dicatus imminet: habens in vertice caſtri diruti veſtigia. Mirum eſt videre eas turrium & mœnium disjectas moles: quæ vel ſtulto poſſunt arguere, quanta fuerit caſtri ejus auctoritas. Ab eo montis cacumine brevi ſpacio tres lacus oculis ſubjiciuntur, Glareatus, Ternatius, qui oppido nomen indidit, & Monatius. Ternatum porro dictum arbitrarer à terna natatione, vel, ut quibuſdam placet, quaſi Trilacum: hoc in oppido alterius Atilii tumulus inſpicitur.

Apud Daverium, Veriorum ſedem vel domum, quamplures familias nobiliores olim habitaſſe, quæ penitus interierint, credibile eſt. Veriorum cognomento, ex pagi nomine tantum retento, argumento ſunt ſitus amœniſſimus & perſpicuus, tum & antiquorum monumentorum ſpiræ, & epiſtylia quamplurima: adſunt præterea Inſcriptiones, ex quibus duas tantum annotavimus, Antonium Maximum & Sex. Atilium: huic & alterum C. Atilium annectere libuit, ut ſimul opera noſtra (ſi quid tamen mea carmina poſſunt) viverent, cum accolarum incuria pedibus pene obtritæ, ac brevi omnino perituræ eſſent memoriolæ:

CATILIVS
LFPOLLIO

De

DE Monaco, ſeu Monctio vico, qui ulteriori laeui cognomen dedit, nihil eſt quod referam, præterquam quod ejus nominis oppidum inter Japides populos, cujus accolas Gallico more armari Strabo meminit. Nos lacum ipſum cum oppido à Mona, ſanctiſſimo Mediolanenſium Præſule, nomen traxiſſe exiſtimamus: qui primus in Vrbe noſtra CHRISTO HVMANI GENERIS REDEMPTORI (ut in Annalibus vetuſtiſſimis, quæ apud me ſunt, legere eſt) templum erexit: idemque Apoſtolis aliorum in Monato; quod quidem hac etiam tempeſtate Sacerdotum Collegio decoratum videmus. Floruit Monas poſt Virginem partum annum circa octuageſimum poſt centeſimum. A duobus lacubus, & Cimbris reſta in urbem tendentibus in colliculorum velut faucibus, objicitur Cloniola villula, olim Coloniola abſque dubio eo loci à Romanis deducta. Cum enim M. Claudio & C. Cornelio Coss. in Rom. ditionem à multis illatis, acceptiſque cladibus vi tandem Mediolanum deveniſſet: reliquumque Gallorum Inſubrum (qui ne ſervitutem ſubirent, exilium potius honeſtiſſimum ſibi elegere) robur in proximas Alpes ſe recepiſſet: huic nonnulla loca in montibus Romanos conceſſiſſe Polybius refert; quo, ne irruptionem molirentur, Coloniolam hanc fuiſſe deductam quis eſt, qui ſibi id non perſuadeat? Hujuſce rei nec leve præſtat argumentum, quod paulo ſuperius Angleriam ad Verbanum lacum, inter Beſuntium ſeu Beſutium, de quo mox dicemus, & Lavenum Verbani portum ad Cuviæ uſque ingreſſum Legiunum (ita oppido nomen eſt) adjacet. Cujus dictionis denominatio (ut in pleriſque aliis videmus) paululum detorta eſt, dempta *O* litera, & ultima *A* in *M* mutata, à Legione una factum eſt Legiunum. Porro ad cohibendos tam Gallorum quam Germanorum tumultus, à Romanis olim legionem unam locatam fuiſſe nominis ſimilitudo primum facit: tum oppidi antiquitas ex tot ruinarum congerie, & lapidum inſcriptionibus, loci quoque opportunitas: adjacet enim Laveno portui, ad quem ex Summis Alpibus, & à Venegris, Sedunenſique barbaræ gentes in Inſubres primum, mox in totam Italiam conflare aſſueverint. Et eo facilius ab una legione Legiunum oppidum nomen ſumpſiſſe crediderim, cum & in Tarraconenſi Hiſpania urbs celeberrima à Romanis legionibus, quæ diutius eo in loco ſubſtitere, nomen ſumpſiſſe, paſſim omnes auctores tradant. Quæ quidem pauca fere mutatis Legium nomen adhuc retinet. In Provincia quin etiam Narbonenſi Arelate urbs antiquiſſima Sextanorum, & Biterra Septimanorum, haud dubio à ſexta & ſeptima legione cognomenta obtinuere; veluti & Narbo, quam Decumanorum Coloniam appellat Pomponius Mela à decima legione, & Arauſio Secundanorum. A legionibus igitur ipſis in pleriſque regionibus urbes & oppida à militum ordinibus nomen deflexiſſe eſt clariſſimum. Capitolinus in *Clodio* legionis Quartanorum meminit. Tacitus quoque in primo *libro Annal.* de Quintanis & Undecimanis militibus mentionem facit.

Sciebant igitur Romani Inſubrum bellaces gentes, mortis contemptores, paratos potius quodcunque excidium, quam ſervitutem, pati. Iccirco ad cohibendos tumultuoſos eorum impetus legionem hanc ſtatutam eo in loco fuiſſe, & Colonioiam deductam, quæ eorundem pluſquam virilem audaciam exciperent, credere non eſt abſurdum: licet de hac re ne verbum quidem apud auctores reperies; ſi quis tamen hac in re negocium mihi faceſſeret, ei poſſem reſpondere, hiſtorias eorum præſertim temporum, quas habemus, mancas & mutilas non modo non exiſtere, ſed vitio temporum eorum partem maximam deſiderari. Ad hos igitur Gallorum Ciſalpinorum conatus, quorum nomine (ſi Salluſtio, Polybioque credimus) nihil à Romanis tetrius, horridiuſque audiebatur, credibile eſt Coloniolam hanc à Romanis conſtitutam fuiſſe, & legionem unam, ut diximus, ubi nunc Legiunum eſt, locatam: ex oppiduli ruinarum reliquiis, quanta olim ejus fuerit amplitudo, facile dignoſcitur. Ea in villula Nævii Secundini memoria viſitur in ſtylobate elaboratiſſimo:

SACRVM
NVMINI
APOLLINIS
LANAEIVIS
SECVNDINVS
PRO
SALVTE SVO
RVM
TVMVL
VSLM

In oppido Legiuno:

D M
VFC IVLIVS
GRATTIANVS

Eodem in Templo:

HIC SCI PRIMI MARTYRIS CORPVS VENERANDVM IN XPO HVMATVM QVIESCIT. QVOD DEO DIGNVS SERGIVS PAPA IVNIOR EREMBERTO INLVSTRI VIRO CONCESSIT AB VRBE ROMA CVM HYMNIS AC LAVDIBVS SPIRITVALIB. QZ CANTICIS DVM ESSET TRANSLATVM QVEM INTER SCTOS EIVS SPVS TENEAT PRIMATVM IN MVLTIS VIRTVTIB. ET SIGNIS EST DECLARATVM; RECONDITVM EST CORPVS BEATI PRIMI MARTYRIS CVM RELIQVIIS SCI FELICIANI ANNO INCARNATIONIS DNI NRI IHV XPI DCCCVI KL AVG. INDIC. VIIII. ORDINANTE DOM. ANGILBERTO ARCHIEPO ANNO XXIII. PASSIO SCTORVM VI ID. IVN.

PAULO infra Legiunum & Beſuntium ſeu Beſutium æqua in planitie, quæ tamen colliculis ſenſim aſſurgentibus adhæret, haud longe à Verbano lacu, Brebia oppidum viſitur, tot antiquiſſimis monimentis refertum, ut maximam ſui etiam nunc præ ſe ferat majeſtatem. In eo templum Minervæ fuit: cujus adhuc ingentia eernuntur veſtigia: Balnea quin etiam, lavationeſque eo in loco fuiſſe lapis vetuſtiſſimus inſcriptuſque docet. Templa quoque duo inſignia continet, in quibus maxima pars antiquariorum locata eſt. Oppidi nomenclatura (ut eruditioribus placet) Græcam refert dictionem Bræbium, quaſi victoriam, ſeu victoriæ præmium dicas; vel Βραβεῖον, quo nomine utitur Clitophon pro decoro & pulchritudine. Utraque interpretatio nobis arridet. Loci tamen ſitus indicat hoc in tractu inter duos lacus, Verbanum & Giviratum, circum vicinos populos olim Quinquatrios Ludos Minervæ celebraſſe: tametſi oli politiorem ſtructuræ formam oppidum ipſum à pulchritudine nomen ſumpſiſſe potuerit. Omnino olim maximum, nunc prope funditus dirutum, Vitelliano tamen ex Vicecomitibus illuſtri Comite, integerrimoque Viro gloriatur. Qui oppido ipſi, ut & pleriſque aliis vicis & caſtellis, ultra citraque Ticinum amnem paterna hæreditate dominatur. Ex eodem quoque oppido Brebiorum familia Mediolanenſis originem traxit; ex qua Hieronymus Bre-

bius noſter, cui ob ſingularem prudentiam & fidem à Carolo V. Imperatore in Inſubribus ſuprema Ærarii cura demandata eſt, originem ducit. Ex pluribus monumentis, quæ eo in oppido viſuntur, duo nec ſatis integra adduxiſſe ſat fuerit:

CN TERENTIO PRIMO IuI VIR TERENTIAE C IVCCV QVI VICIN. HABITANTIB. LAVATIONEM BALNEO : : : : OPTATISS.

Item:

D M
L COELIVS LFOVF
BARONIS
VIVIR PONTIFICII
IuI VIR ITEM TEMPLI
MINERVAE ET ALBVTIAE VXORI EIVS
COELIVS PAREN. OPTATISS.
M: : : :

AD montium rádices, quorum in vertice ſanum eſt totius fere Italiæ, Lauretano dumtaxat excepto, celeberrimum, DEIPARAE VIRGINI dedicatúm: ultra Glateatum lacum ad Septentrionem, quo in loco tum primum colles in altum extolluntur, Variſium jacet omnium Gentium Alpinarum, quæ inter Summas Alpeis, Lucumonem, & Adulam, ut Tichudio placet, ad nos attinent, præfectura frequentiſſima & opulenta. Non defuere ſumma eruditione viri, qui iſtud oppidum vicum Varronis appellarint, leviſſima admodum ſimilitudine nominis adducti. Ego ex Blondo didici, inter Æquicolos olim vicum Varronis exſtitiſſe, qui ætate ſua Amœnis diceretur. Sunt item, qui à Græca dictione Variſium deductum velint, Theopompi auctoritate moti: qui Varetinam regionem haud longe ab Hadria conſtituit. Cumque nullus locus ejus nominis per eas partes reperiatur, facile ad Variſium oculos adjecere. Sed ego loci ſitum iuſpiciens (ut interim taceam eruditorum nonnullorum opinionem) à Vallum exitu, quæ in id oppidi plurimæ ſiniunt, Vallexium ſive Vallexitum potius dixerim. A duobus enim lacubus, Verbano & Lucano, de quo mox dicendum erit, valles & circum jacentia itinera in Vallexitum recta extenduntur, & ab Alpibus ipſis ad lacus, & à lacubus, plurimi montes in Vallexitum procurrunt.

Sed poſtquam in id loci incidimus, ubi de earum Alpium tractu, quæ Ticinum emittunt, ſit mentio; unum & illud annotaſſe operæ precium fore duximus. Inter Leopontiorum Vallem, quæ hodie Leventina dicitur, per quam Ticinus amnis rapidiſſimus à Summis Alpibus (nunc Sancti Gothardi) decurrit, & Vallem vulgo Meſochi, quam Meſus fluvius alluit à culmine Ocelli, (vulgo Sancti Bernardini monte) deſcendens, tertia Vallis inter duas continetur, (Breuniam vocant) quæ & ipſa à Lucumone monte, nunc Sancti Barnabæ nuncupato, flumen evomit, quod ſupra Bilinzonam oppidum ſeu Bilitionis Caſtrum, ut recentiores volunt, apud Polegium vicum cum Ticino in unum coaleſcit: ut inquit Ovidius:

Majori perdit nomen in amne minor.

In valle ipſa habitare populos, qui Breunii vocentur, nominis cognatio declarat: ut interim taceam Plinium hoc loco, qui in eo Alpium latere, quod ad Inſubres ſpectat, penes Leopontios locat.

Sed cum de oppidi ipſius nomine inter eruditos non ſatis conveniat, (plurimis enim diverſiſque appellationibus nuncuparur) quid & nos de oppidi ipſius nomenclatura ſentiamus dicere non gravabimur. Sunt qui Birinzonam, Bellinzonam alii, ſeu Billinzonam vocent. Quo argumento recentiores Bilitionis caſtrum dixerint, nec illi aperuere, nec ipſe video. Nos oppidum à Breunis populis cognomentum obtinuiſſe facile crediderimus. Itaque non Bellinzonam, vel Billinzonam, vel cum neotericis Bilicionis caſtrum, ſed potius Breunorum caſtrum, vel Breunizonam dicerem, quaſi Breuni agri zonam, ſive ſectionem, aut finem: calculum huic opinioni addunt Alpium & vallis Breuniæ accolæ, à quibus ætate hac etiam *Bronzona* pronunciatur: quæ quidem vox cognatione ipſa ad priſcam populorum appellationem ſatis videtur alludere.

Nunc ad vallium topographiam, quibus à ducbus lacubus in Vallexitum iter eſſe diximus, noſtra feſtinet oratio. Plures à Verbano & Lucano lacubus valles in Vallexitum ſiniunt: ſed quinque ſunt inſigniores. Prima ad Lavenum Verbani portum extenditur; cui è regione ultra lacum eſt Intrium, & Pallantia, haud procul à Thoſæ ſive Athuſonis oſtiis in Verbanum; & quo in loco Sequanorum, ſeu Burgundionum iter, à Beſuntio eorum metropoli, in Inſubres deſcripſimus. Adhæret huic valli Cuvia, à vico olim, & nunc vallis præcipuo, nomen ſortita. Cujus ditio antiquiſſimæ Cottarum familiæ inter Inſubres paret. Hanc vallem carmine elegantiſſimo olim Jo. Stephánus Cotta, Poeta percelebris, vallis ipſius Regulus, quando deſcripſerit, ad Gannen hoc meo ordine tertiam redeo. Hæc aurifodinis & priſco æque ut & opulento Monachorum Cœnobio celeberrima eſt. Hæc in oppidum Lovinii juxta Verbani partem alteram viatorem ſiſtit. Sunt qui hoc Lavinium vocent, quamobrem viderint ipſi: ego communem uſum loquendi, quo planius intelligar, ſequor. Lovinio proximum eſt Germiniacum oppidum vulgo nuncupatum. Inter hoc & illud Triſſia fluvius, qui Lucanum lacum exonerat, in Verbanum dilabitur. Putarem autem hujus breviſſimi tractus fluviuni, quo abundat, à loſa piſce, qui à Græcis θύννος dicitur, denominatum. Lucanum porro lacum Aur. Albutius noſtri temporis Poeta inſignis, & qui olim magis nominabitur, partem Verbani exiſtimat Germiniaci nomenclatura motus, quaſi velit interpretari Geminum lacum: tam contracto enim curſu Triſſia Verbanum ingreditur, ut unus idemque lacus videatur; præſertim cum de Lucano, de quo & à nobis aliquid referetur, nulla ab antiquis auctoribus, quam ipſe viderim, facta ſit mentio. Quarta vallis per vicos Induni, Arciſatis, Viguvi civum uſque protenditur, indeque ad Lucanum excurrit lacum, & ad eam lacus partem maxime, quam portum vocant. Quinta & ultima à Stabio ad ripam Sancti Vitalis viculum, qui caput lacus appellatur, excurrit. In alteram mox Lucani partem recta tendentibus occurrit. Vallis hæc Novocomenſi urbi vicina eſt & proximior. Elegantiſſimæ in Vallexio, ſive Vallexito, antiquitatum Inſcriptiones leguntur. E quibus ne ſequentia perirent, hæc tria monumenta viva reddidit ſua commendatione Alciatus. Quartum in ordine nuper Ambroſii noſtri Calimeri opera, qui hujuſmodi deliciis oblectatur, apud nos vivit:

I O M
C C A N I A
N V S A R A M
V O T A M
F
L M

Alio quoque in loco:

M A X I M A
V E R A
I D E A
I O V I S

Id etiam antiquitatis ibidem viſitur:

S E X
P A E O N I S
M A R C E L L I
F I L

Hoc

Hoc Calimeri noſtri diligentia repertum eſt:

MACRINAE
VERINAE
VALERIVS
LVPIO
CONJVGI
CARISSIMAE

A Vallexio recta ad Lucanum lacum contendenti, in valle, cujus à nobis habita mentio eſt, Arciſate oppidum ſane (ut ipſe arbitror) vetuſtiſſimum eſt. Antiquitatem luce clarius arguunt elaboratiſſima plurimarum Inſcriptionum monumenta. Sunt qui arbitrentur, & pro certo habeant, municipium hoc à Priſcis Aram Cæſaris fuiſſe nuncupatum: ſed dictionem ajunt contaminatam à vulgo paſſim corrumpente omnia. Argumentum hujus rei trahunt à marmore, miræ cum vetuſtatis, tum elegantiæ, nuper à ruderibus ſterquilinii & oblivione extracto, diligentia Nicolai Caſtillionei Juriſconſulti, & mea: auxilio autem Mayni Moccioni, ejus vallis opum magnitudine primarii. Ex cujus Inſcriptione, qui aderant docti homines, argumentabantur id oppidi à vetuſtioribus Aram Cæſaris fuiſſe appellatum. Nihilque referre atteſtantur, Mercurio an Cæſari hæc dicata fuerint Inſcriptio à L. Cominio. Quando Auguſtum conſtet fuiſſe Mercurium appellatum à Romanis. Superque hoc negocio Horatii carmen celebratiſſimum illud adducebant, lib. 1. *Carm.* ode 11.

Sive mutata juvenem figura.
Ales in terras imoueris alma
Filius Maja patiens vocari
Cæſaris ultor.

Itaque ego, qui nolo in re tam tenui ſuperſticioſus notus videri, potius illis aſſentitus ſum, quam adverſarios in me concitare. Cum vero quid & ipſe de hoc ſentiam paulo poſt ſim dicturus, redeo ad L. Cominium. De quo ut plenior cognitio habeatur, ipſam prius Inſcriptionem adnectam, deinde quis fuerit, conabor explicare:

MERCVRIO
L COMINIVS
POLLIO
MILES LEG
XIII GEM
BENEFICIA
RIVS LEGATI
CONSVLA
ARAM ET
TECTVM
VSLM

Cum ex primo *Belli Gallici* commentario C. Cæſarem ex hac noſtra Ciſalpina Gallia delectum in Helvetios traduxiſſe exiſtimetur, non ab re aliqui L. hunc Cominium Inſubrem à Cæſare in militiam adſcriptum fuiſſe: deinde cum diu & feliciſſime rem navaſſet, vacatione militiæ non donatum modo, ſed privilegiis & muneribus à Galba, vel aliquo alio Cæſare, honeſtatum in patriam receſſiſſe in otium perpetuum. Huic opinioni nec refragabor, nec aſſentiar. Ipſe autem arbitror L. hunc Cominium, cujus & familia apud Inſubres aliquid nominis decoriſque retinet, non Cæſari, ſed Mercurio, qui Inſubribus maximo honori fuerat, cum quod mercibus & lucubus præeſſet, tum quod Matheſeos periti Clima hoc noſtrum ſub Mercurii tutela eſſe velint, aram dicaviſſe.

Cæterum cum hujus rei gratia in hanc arenam miſſime deſcenderim, ad tria illa elementa GEM. interpretanda me recipio. Verum hac in re ſciant omnes non dici à me, quod ſit certiſſimum, ſed quid ipſe ſentiam. Sunt qui *Geminata* interpretentur. Ego *Gemina* potius dixerim, velut ex duarum reliquis unam factam legionem. Cujus etiam mentionem habemus in *Commentariis de Bello civili*. Cornetiam Tacitus Hiſtoriarum auctor diligentiſſimus *libro* decimo nono, legionem hanc Geminam iis verbis celebrat: *Vulgata*, inquit, *victoria poſt principia belli ſecundum Flavianos duæ legiones* VII. *Galbiana*, XIII. *Gemina cum Vidio Aquila Legato Pataviam alacres veniunt.* Hæc ille. Ex iis itaque verbis colligimus Legionem XIII. agnomento *Geminam* fuiſſe.

Occurret hoc loco Sciolus mihi aliquis Gallico nomini infenſiſſimus, dicens, auctoritate T. Livii non emitti optimum peditatum à Gallia Ciſalpina. Huic autem ego Ciceronem, qui fide & auctoritate decem T. Liviis antecellit, fortiter oppoſuerim; qui tertia & quarta *Philipp.* Citeriorem hanc noſtram Galliam *Florem* vocat *Italiæ*, *Imperii Rom. præſidium*, *& pacis ornamentum.* Peditatui præterea Alpino palma datur ab Hiſtoricis. Lectum ad hæc eſt à Galba duas legiones has in Gallia ſcriptas eſſe. Arbitrantur ergo Legatum hunc multi, de quo in lapide fit mentio, cujus beneficiarium L. Cominius ſe fatetur, Vidium Aquilam fuiſſe.

Dum hæc memoriæ proderem, mea & Merulæ diligentia, in Herculeorum Thermarum fundamentis in urbe hac noſtra, ubi nunc Divi Laurentii fanum coitur, marmoreus lapis eſt inventus, in quo ejuſdem Leg. XIII. Geminæ memoria meſt: cui Rufinus non ſolum Tribuniciæ, ſed alius generis auctoritatis pollens præerat. Inſcriptio plurima ex parte confracta eſt, & tot ſuper aggeſtis ædificiis ita inter cæmenta fuerat obruta, ut niſi ruina eam aperuiſſet, lucem nunquam erat viſura. Utrunque marmor unius ejuſdemque lapidicinæ, qui Cominii memoriam ſculpſit, eandem præ ſe ferat manum. Ex iis porro Inſcriptionibus duabus, ignaviſſimus quiſque ſibi perſuaſerit, Legionem hanc inter Inſubres ſcriptam ab Imperatore; quando & milites, & Tribunus ipſe Mediolanenſis inveniatur. Curtiorum Familia ſiquidem, ex qua erat Rufinus, Mediolani egregie floret. Porro quot digutates apud Imperatorem (ut aliqui volunt) Galbam hic Rufinus obtinuerit, hæc declarat Inſcriptio: Tribunatum ejus XIII. Leg. Gem. VI. Viratum III. Viratum, ut equitum turmas duceret. Noviſſime ut monetis, monetariiſque præſſet, auri, argenti, & æris conflandis:

:::R:::RVFINO:::
TRIMIL LEG XIJI
VIVIR TVRMIS
DVCEN III VIR
AAAFF:I:C CVRTI
:::VSPATR:::
:::LDD:::

Sed jam ad ſuſceptam vallis, in qua Ara Cæſaris eſt, deſcriptionem redeamus. Porro cum Aram Cæſaris dico, oppidum intelligo, ut nonnullis placuit, quod nunc vocant *Arciſate*, tametſi quid de eo oppido certius ſentiamus infertus deſcribemus. Eo in oppido lapis quoque viſitur, in quo Martialis quidam Mercurio vovit. Omnino, ut jam dictum eſt, Inſubribus maximo fuit honori Mercurius, Tutelaris, ut opinor, Deus; quod mercium & lucrum, quorum magnus apud nos proventus eſt, cuſtos haberetur. Ejus lapidis hæc eſt Inſcriptio:

MERCVRIO
C F
MARTIALIS
MAR:::::

Innumera prope eo in oppido ſunt ſaxa litteris inſculpta, ſed omni ex parte contracta ac mutila. Quæ omnino à nobis compoſito prætereuntur. Lutevii tantum memoriola ſilentio à me non involvetur. Quod nomen adhuc noſtris Inſubribus gratiſſimum eſt. Characterum politia hunc antiquiſſimum eſſe declarat: non ut quidam volunt hominem Celticum, aut Germanum.

L LVTE

L LVTE
VIVS
LATER
NVS

IN eadem valle illinc quinto ferme ſtadio Biſuſti vicus accedit. Pagus omnino bis terque uſtus, ſi loci reliquiæ inſpiciantur. In eo, quod memoratu dignum ſit, reperitur nihil, præter ædes Maymi Mocciom ſatis ſumptuoſe ſtructas: quibus non vicus modo ille, ſed ea vallis ita ornatur; ut de iis illud merito dici poſſit,

Unaque jam tota ſtabat in urbe domus.

E regione orientem verſus æſtivum ſolem colli immunet Clivium: vicus eſt ſane conſpicuus, qui ſibi ipſi nomen indidit, in clivo conſtructus; à quo velut è ſpecula anterior poſteriorque vallis late proſpicitur. In poſteriore Stabula ſunt; oppiduli id nomen eſt, quod *Stabium* modo vulgus appellat. Arbitror autem ibi fuiſſe equorum ſtabula eorum militum, qui præſidu loco eas partes tutabantur ab excurſione Inalpinarum gentium; quæ ſubito agmine illum tractum populabantur. Ad collis dorſum, cui Clivium imminet, duo municipiola viſuntur, Pſaltrium lapicidinis percelebre, & Iſarſum, ubi antiquiſſimi populi Alpinarum gentium à C. Plinio Hiſarci appellati, ſedes habuerunt. Quod ſi quiſpiam oppidum Arciſate Hiſarcis populis pertinuiſſe exiſtimarit; nec incongruum fuerit, cum loci vicinia, tum nominis ſimilitudine arguere Arciſate dictum, vel Hiſarcorum aram, vel arcem, non autem, ut ſupra dictum eſt, Cæſaris Aram, ut multis placuit. In vico Clivii memoriolæ ſunt Albutiorum; qui mihi ſunt acceptiſſimi, quod ex iis tam antiquiſſimis natalibus orti ſint Aurelius poeta egregius ab Alciato etiam celebratus, & Jo. Jacobus harmonicæ muſices peritiſſimus, mihique non ob hanc cauſſam ſolum, ſed morum ſuavitate chariſſimus. In horum igitur gratium memoriolam hanc Albutiorum huc annectam:

L APICIO
BRVTTIDIO
SOTERICO
QVAESTORI
ANNI
PRIMI
CVR PRAESIDI
ET ALBVTIAE
SEX FIL
EXORATAE
EIVS CENT
CENTOR

Eodem quoque in oppido:

DOLOBRAR
SCALARIOR
L D D C

Magiſtratus hic, quem Fabrorum Præfectum vocant, non infimæ ſortis eſt in Caſtris: utpote cui cura non modo metandorum Caſtrorum, Fabrorum Lignariorum, Carpentariorum, Ferrariorum demandata fuerat: ſed etiam qui machinas belleas ad expugnationem urbium novas commentaretur, veteres reficeret, ſubterraneos cuniculos faceret, aquarum detrimentis occurreret. Porro ex notis illis quatuor L DDC intelligimus *locum dediſſe divum Cæſarem.*

In collis (ut à diverticulo repetatur fabula) radice, in quo Clivium imminere diximus, Vigluvium jacet, vicus olim Clivii. Id ergo magis Vicluvium, hoc eſt, vicus Clivii, dicerem, quam Vigluvium. In eo nulla, quæ ipſe viderim, vetuſta ſunt monumenta. Vallis quinta, & in noſtro ordine ultima, quæ plurimis oppidis, caſtellis, arcibus vaſtatis, eſt frequens. Ejus regionis incolæ, velut per manus acceperint à majoribus, conſtanter aſſerunt, eo in tractu fuiſſe equorum ſtabula, vel Inſubrum Principum, aut Rom. Cæſarum; unde Stabio adhuc nomen eſt oppido. Vallis ipſa aperta ſatis eſt, & herbidam habet planiciem, ad equorum greges alendos. Hic ferme tractus, qui memoria noſtra Inſubribus parebat, circum Alpes omnis, Principum negligentia, nunc Helvetiis paret. Plurima in Stabio antiquaria viſuntur, & ea quidem elegantiſſima: verum ne longior efficiar, ex multis unum dumtaxat adnotandum duximus, ut ex eo liquido cognoſcatur, quid antiquitatis, leporiſque ſit reliquum, vel ut inquit conterraneus Poeta * noſter,

——— *& crimina ab uno*
Diſce omnes.

Cæterum antequam ulterius progrediar, refellenda eorum opinio eſt, qui arbitrantur, quicquid eſt hujuſmodi ornamenti per orbem terrarum, à Romanis fluxiſſe. Intelligant igitur etiam noſtris Mediolanenſibus hanc cutam, vel ut ſignantius loquar, diligentem ſolicitudinem æternitatis exſtinſſe. Immo (ut ingenue fatear, quicquid de hac re ſentio) hujuſmodi opinionis ſum, ut quæ hic ſunt ab Inſubribus, non autem a Romanis, erectas fuiſſe arbitrer: niſi fortaſſe hujuſce rei præcipua mentio conſtiterit. Sed ipſam tandem Inſcriptionem legamus:

V F
C VIRIVS VERVS
OVF MED VIVIR
IVV PONTIFEX
DECVR ITEM
MANIBVS
FILIORVM SVORVM
C VRIO VERIANO
ET VIRIAE CF VERAE
QVI VIXERVNT
ANN
QVINOS DENOS

Dicet fortaſſe Virium hunc aliquis ex Romano cive factum Mediolanenſem: at nos reſpondebimus huic auctoritate Ciceronis in *Oratione pro Corn. Balbo*, (ſi tamen recte memini) lege cautum fuiſſe, ne quis Inſuber Romana Civitate, vel Romanus noſtra donaretur. Hæc Vallis noviſſima ad Lucanum lacum, & ad eam partem, quæ Caput lacus nomen tenet, terminat: quo in loco ab oppidi ejuſdem nominis vicinitate nomen ſortitus eſt mons Mindricius. Hunc Alpinæ gentes *Monzeroſum*, quaſi cum peritionibus dicere velint generoſum montem, nuncupant. Ad hunc herbipolæ, ſive mavis herbilegas appellare, per Maji menſem ſimplicium colligendorum gratia ex tota fere Ciſalpina Gallia certatim confluunt. Paulo inferius eſt ad Novocomum iter ſatis arduum & difficile, quod in montium radicibus & ad ripam Lucani lacus conſtitutum, per quod tamen à Vallexio ad eam urbem mercatores portoria difficillimis ire conſueverunt. Deſcriptus eſt tandem à me tractus univerſus, qui à Lario ad Verbanum, & ad Alpium crepidines extenditur. Inter hos autem lacus Lucanus eſt ab Oriente in Occidentem excurrens. Porro an Lucanum oppidum lacui nomen, an lacus oppido dederit, non dat ſcio. Satis vero aliquando admirati ſumus (hæc obiter dicta ſunto, poſtquam in hujus mentionem lacus incidimus) tot Geographiæ auctores, tam veteres quam neotericos, qui ut aliis diligentiores haberentur, quæque minima, & (ut inquit ille) Apinas Tricalſque ſunt ſectati, hujuſmodi lacus non meminiſſe: cum tamen à Prolitio illuſtris familiæ Trivultiorum ditionis, quod oppidum ad lacus initium ſtatim jacet, ad finem uſque ubi Triſia fluvius in Verbanum lacum ſe exonerat, xxv. paſſuum mil. intercedant, ejuſque latitudo alibi ſit xvi. alicubi xxiiii. ſtad. conſtet. Hi tamen Eupilis exigui

* Virgilius *Æneid.* 11. 7. 65.

admo-

admodum lacus, quem vulgo Puſiani nominant, unde Lambrus erumpit, inter Inſubres memine-
runt. Qui non procul abeſt à Licinoforo, quod à plenique Incinum inter Inſubres oppidum exiſti-
mari diximus. Lacus porro hujus originem, ratio-
nemque olim adoleſcentes audivimus à Joanne
Antonio Caſtillioneo fratre, inſigni Philoſopho &
Matheſeos peritiſſimo, qui demum Franciſci Gal-
lorum Regis Phyſicus, & quidem chariſſimus, apud
Lutetiam Pariſiorum fato functus eſt. Is Ariſtote-
lis ſententia ajebat: Non ſemper eadem loca terræ
aquoſa eſſe, aut arida; ſed permutari ſecundum
fluviorum generationes & defectus; & non ſemper
hoc quidem fieri mare, hoc autem terram perſe-
veraſſe: ſed fit, ut ubi nunc mare, olim arida,
& ubi nunc arida, olim fuerit mare. Hac Philoſo-
phi ſententia, fieri potuiſſe exiſtimabat eo in loco
lacunam quidem fuiſſe, vel paludes ad inferiora
vallium ſtagnantes: quæ demum erumpentibus per
ſubterraneos cuniculos aquis copioſioribus ſolito,
lacus formam recepernt. Hanc autem rem factam
credebat poſt Imperii Romani inclinationem undi-
que in Galliam hanc Ciſalpinam, velut in propu-
gnaculum totius Imperii firmiſſimum, invadenti-
bus Barbaris: quorum ætate literarum non modo,
ſed artium quoque ſtudia peſſum ierant, & omnia
ignorationis nebuli prorſus obducta; ut facile defue-
rint auctores, qui rem tanti momenti ad poſteros
tranſmiſerint.

Verum, ut ad rem redeam, omnino conſtat in
altiſſimis montibus magnas quoque & immenſas
ſpeluncas eſſe, & in eis aerem ob caverniarum hu-
miditatem in aquas reſolvi. Cum igitur immenſus
ſit aer, ac perpetuo agat, hinc fluviorum ſunt origi-
nes perpetuæ. Sic Anaximenes putabat ex aere
gigni omnia. Sunt qui has aquarum omnium ſca-
turigines Oceano potius attribuant, & io eundem
redire. Idemque teſtantur & Sacri Codices primo
Eccleſiaſtis. Quibus rationibus puto ſatis conſtare,
in maximis montibus ſubterraneos ſpecus crebris &
redundantibus adeo aquis oppleri, ut aliquando
montium latera erumpi ſit neceſſe, vel arva ſtag-
nari atque obrui; vel convalles aquis inſolitis ſu-
bito in paludes, & plerumque in lacus, converti.

Hunc fratris opinioni ſuffragatur res, quam ipſi
poſtea vidimus, dictu mirabilis, & quæ humanam
pene fidem videtur excedere: eam tamen hic an-
noſcere non gravabor. Dum Campilioni (vicus eſt
ad ripam Lucani lacus expoſitus, vulgus *Campio-
nem* vocat) bellis in patria ſævientibus agerem, an-
no Virginei partus XXVSIS. ſupra mille & quin-
gentos per Octobrem menſem, (niſi me fallat qua-
litas temporis) quarta ferme noctis vigilia, à mon-
tis latere, qui oppido ad orientalem plagam immi-
net, tantam aquarum illuvionem, ſubitamque
præter omnium opinionem terra evomuit, ouilis
pluviis, nulla ſæviente tempeſtate, terræve mo-
tum præcuntibus, unius diei & noctis & quinque
horarum ſpacio; ut jam de omnium ſalute deſpe-
raremus, univerſique lacus accolæ non de ventu-
ra univerſi orbis conflagratione, ſed de ſecunda
aquarum cataclyſmo verererentur. Tantus vero pa-
vor nos, qui hujuſmodi inundationibus vicinio-
res eramus, invaſit; ut ædibus derelictis, non ca-
cumina montium, quæ & aquis operiri hæſitaba-
mus, adſcendentes, ſed conſcenſis piſcatoris lem-
bis, quos caſus offerebat, aquarum procellas fu-
gientes, in aquis ſalutem ipſam conſtituerimus.
Eædem fere aquarum inundationes ſexto ferme
hinc anno, in ſuburbiis Novocomenſibus, à latere
montis, qui Templo divi Abondii immineat, ſu-
bito eruperunt; quæ brevi tamen temporis ſpatio
exſiccatæ ſunt. Ejus Templi Antiſtes, vel (ut
ajunt) *Commendatarius*, eſt Philippus Caſtillioneus
Inſubrum Senator integerrimus, vir omni ex par-
te reverendus, qui collabentes vetuſtate ejus Cœ-
nobii ædes magnificentiori forma anguſtiores red-
didit.

Ex iis colligi ouiio negocio poteſt, montes in-
ter lacus Larium & Lucanum exiſtantes aquis omni-
no prægnantes eſſe: & olim vel illic lacum fuiſſe
nullum, aut ſi fuerit, adeo anguſtum exſtitiſſe, ut
eum Coſmographi memoratu indignum duxerint.
In Lucanum lacum ſe, quem ipſe viderim, nullus
inſignis fluvius exonerat, & nihilominus Triſiam
emittit tanta aquarum copia, ut is navium capax
eſſet, niſi ſaxoſæ anguſtiæ, præcipiteſque catara-
ctæ penitus obſtarent. Hæc omnia facile probant
aquis montes prægnantes eſſe: fluvius ab exitu ad
oſtia inter Lovinum & Germiagum oppida ſtadus
ferme XLVIII. decurrit. Ex lacu igitur ipſo, quem
lacunam fuiſſe exiſtimamus, oppidum Lucanum,
quaſi Lacunum diceres, ſecunda vocali præpoſita,
nuncupatum arbitror. Neque nos latet ex recentio-
ribus, & quidem eruditiſſimis, vocabuli Lucani ſi-
militudine deceptos, hoc io tractu Gaunos populos
locaſſe: quorum tamen nulla apud Strabonem, &
Ptolomæum, & ipſum Plinium diligentiſſimum
antiquitatis obſervatorem, mentio. Porro videntur
innuere, Lucanum nunc dici, quod olim Ingu-
num mutatione I. in L. N. in V. G. in C. & abjecta
V. Verum ubi hi populi, nuſquam gentium repe-
ri. Niſi fortaſſe velint Gaunos eos populos eſſe,
quos (ut inferius dicemus) Plinius in recenſendis
Alpinis gentibus *libro* tertio *Naues* appellat, vel-
uti plurima apud auctorem hunc populorum no-
mina corrupte legantur. At nos Gaunos, vel ut
alii dicunt Gaunes in tertio inflexu, in regione
Vallis Gaunæ à nobis deſcriptæ nominis cognatio-
ne illecti verius collocabimus, quam apud Lucа-
num lacum. Sed jam à lacu ipſo paulo inferius re-
cedentes, ad Solbiatum vicum pervenimus, qui
Orobios ab Inſubribus ſeparat: vulgo Diœceſis
(tametſi dictio hæc plane Græca ſit, qua ſignifica-
tur *diſpoſitio*, ſive *diſpenſatio*, aut *adminiſtratio*, vel
jurisdictio) Novocomenſis dicitur. Sunt hujuſce
nominis plures apud Inſubres pagi. Hos Nicolaus
Caſtillioneus dictos atteſtatur, quod in ſolo ſint
beato, hoc eſt, diviti, opulentoque. Porro hoc,
quo ager Mediolanenſis à Novocomenſi dividitur,
ceteris longe beatius arbitror. Non modo quod
inter has urbes medium ſit, ſed quod ad agrum
Novocomenſem attineat, qui non tantum tribus
Plinii celebratiſſimus eſt, ſed etiam Benedicto Jo-
vio, qui ſi omnibus hujus ætatis viris doctiſſimis
conferretur, non erit hujuſmodi collatio iniqua;
quando ſit non minus omnium bonarum litera-
rum ſtudio, quam inculpatis moribus ſpectabilis.
Hunc igitur cum ſciam Orobiorum antiquitates,
tum maxime eas, quæ ad Novocomenſes ſpectant,
diligentiſſime annotaſſe, inde pedem refero, ne in
alienam (quod ajunt) meſſem manum inferam.
Cum tamen tractum omnem, qui agro Novoco-
menſi adhæret, inter utrumque lacus Larii cornu
adjacentem, jam dudum deſcripſerimus; in primi-
ſque Vallem, quam Aſcinam nuncupant ab an-
gulo videlicet terræ extremo, in quo Belaſium
olim (ut audio) Bilacum dictum oppidum Lon-
gobardorum viſitur, ad lacum Eupilim, qui in
fluvium Ombronem exonerat.

Mira ac prope incredibilia hoc in tractu ſunt Gal-
lorum Inſubrum monumenta; quæ ante me an annotata, & in lucem edita fuerint, non ſat ſcio. Unum vel illud tamen non omiſerim. In valle ipſa Aſcina, Franciſci Sfrondati omnis doctrinæ viri ſingularis, ampliſſimoque in Senatu Inſubrum Cæſareo in univerſo terrarum orbe celebratiſſimo, Senatoris, ejus vallis Principis, opera, lapis marmoreus grandioribus literis inciſus, in hanc uſque diem ſepultus, in lucem prodit. Cujus

antiquiſſima Inſcriptio, Inſubrum magnificentiam teſtatur, quorum opibus & animorum magnitudine, ac liberalitate, oppidis, regionibuſque ipſis cognomenta indita eſſe videmus. In eo ſiquidem Mediolanenſis familiæ Burrorum, quæ etiamnum in urbe floret, memoria legitur. Inſcriptio ea eſt:

GENIO ASCI : : :
P PLINIVS BVRRVS
ET C PLINIVS : : :
AETERNI : : :

Gaudentius Merula, vir doctus & diligens, Burros ipſos dictos exiſtimat, non quaſi Burrhos à colore videlicet tuffo, ſed quod pro gentilitiis inſigniis bovem habeant caudatum: meminiſſeque ait bujus ferme rei Servium Grammaticum in illo 1. *Georgicorum* carmine:

Continuo in ſylvis magna vi flexa domatur
In burim.

Martialem quoque *libro* (ni falleretur) v. *epigr.* vs. dicit Burrotum mentionem facere, cum inquit *ad Muſam*:

Sic Burrus citò ſeviat parentem.

Cujus carminis Interpretes ajunt Cornelium Tacitum Burri cujuſdam etiam memoriam commendaviſſe. Hæc dicta obiter etiam ſunto, ut intelligant Inſubres, hoc eſt, Mediolanenſes, eſſe ſe cum antiquitatis, tum ingenii gloria percelebres. Locus hic etiam me admonet, ut non poſſimus & nos doctiſſimorum hominum ſententiæ non acquieſcere: qui C. Plinium Naturæ ſcriptorem Veronæ, præclaræ alioqui & antiquiſſimæ urbi, non eſſe natum, ſed in Novocomo, aut potius in Inſubribus. Faciunt ad horum opinionem memoriolæ Pliniorum pene innumeræ, quæ paſſim Mediolani, & per oppida, vicoſque Inſubrum viatoribus ſunt obviæ. Singulis etiam ferme diebus adeo Pliniorum monumenta priſca effodiuntur inter Inſubres, ut ſit pene impium, cum tot Pliniorum nomina ſaxis inciſa paſſim reperiantur, Plinium ipſum ad Inſubres non pertinere. Nunc in patriam redeo.

Paulo ultra Caſtillionum ad vallículæ ingreſſum, quæ in Vallem Aræ Cæſaris, vel Hiſarcorum, ducit, collis objicitur, in cujus vertice vicus ſitus eſt, cui Malenato nomen eſt, latomiis non contemnendis inſignis. Collis ipſe aggeris effigiem oſtentans valli opponitur. Hujus radices radit Orona vorticoſus amnis: qui duobus millibus paſſ. à fontibus fluens vagus, vadoſuſque labitur: collectis mox in unum aquis, vallis faucibus ita coarctatur, ut hoc in loco nequaquam vadari poſſit ob aquarum periculoſam pernicitatem. Majores noſtri Inſubres ob publicum commodum fluvien ponte conjunxerunt: in cujus area, dum in fluminis ripa ego & Nicolaus Caſtillioncus equis inſederemus, pervetuſtam ſilici inſculptam Inſcriptionem animadvertimus: quæ tametſi interpretationem non admittat, gratiam tamen illam antiquam nonnullæ literarum notæ præ ſe ferebant. Porro crebris fluvii illuvionibus, & pluviarum procellis plurima ex parte abolita Inſcriptio eſt. Non poturnus non amanter dolere opus ipſum cum auctoris nomine fere conſumptum: etſi non pontibus modo, ſed urbibus quoque, & regnis florentibus, ſimile excidium eveniſſe legerimus. Hæc habuimus, quæ de Inſubrum Gallorum antiquis ſedibus ſcriberemus.

Quod ſi opinioni ſatis tuæ minus factum fuerit, aut ſi quid errati occurret, vel perperam dicti, tui fuerit muneris, Lector optime, clementius ignoſcere: hocque te facturum præſertim confidimus, ſi cogitabis quanta ſit difficultas exſoletis ſplendorem, novis auctoritatem, vilibus gratiam addere. Ex vetuſtioribus qui hæc aperuere, fuit nemo. Plinius, & eo prior Strabo, veluti canes Nilotici vix indicata urbe Metropolitana diſtinguunt: Novariæ ne quidem meminit Strabo: celebravit tamen Aſeram vicum viliſſimum, & Hippocrenen fontem. Sed quid ego Græcos inſimulo? Pomponius Mela, & Solinus, apud quos Apiolæ ſunt & Tricæ (ut jam dictum eſt) Mediolanum, urbem toto orbe celeberrimam, & lumen Italicarum urbium, ſilentio æterno involverunt. Hæc res efficit, ut cum ruſticarer vindemiarum tempore, & exhilarandi animi gratia eam Inſubrum regionem, quæ ad Alpes vergit, perluſtraſſem, hæc quantulacunque ſunt, annotarim, nulla captandæ gloriolæ aura, aut jactandi ingenii vires mei, quæ nullæ ſunt, gratia. Scito igitur hæc à me tantum congeſta fuiſſe, vel ut elegantiora ingenia ad id operis excitarem, vel ut aliis ſcribendi anſam pararem. Turpe enim fore arbitrabar, ut ſedes earum gentium, quæ univerſo poſt everſam urbem Romanam Orbi fuere terrori, prorſus ignorarentur.

At non defuerit aliquis, qui dicet fortaſſe, quid eſt cur ita à Gallis origines jactes Inſubrum; cum & Germani variis temporibus veſtri fuerint auctores? Scimus in Romani Imperii occaſu non modo Italiam, ſed Hiſpaniam, & Africam, Ciſalpinam præſertim Galliam barbaricæ libidini patuiſſe: nihilque propterea referre à Gallis ipſis, an à Gothis, vel Longobardis Germanica ferocitate ferocioribus, nobis ſint ſecunda incunabula: cum vere Romanus is ſit (ut à Romanis exordiamur) qui Romanorum artes, ſtudia, & mores tenet. Auctorum vero nomina, è quibus Topographia hæc noſtra emanavit, ex antiquis ferme nulla ſunt, cum de Gallorum adverſus Hetruſcos in Ciſalpina Gallia primo nullus, quem hactenus viderim, auctor ſcripſit: nec tum erant fortaſſe Latinæ literæ. Hetruſci vero ipſi, quorum opes ante Romanorum arma terra marique ſupero & infero late, ut Livius refert, patuere, non modo rerum ſuarum & geſtorum hiſtoriam poſteris non reliquerunt; ſed nec literarum ſeculi ſui characteres, quorum reliquiæ adhuc apud nos exſtant, interpretationem admittunt. Qui tamen noſtris rebus lucis aliquid attulere, Græci magis, quam Latini, fuere: hoſque ſequuti ſumus, Polybium ſcil. Scipionis Africani præceptorem, Trogum, & Plutarchum. T. Livius nomini Gallico, tametſi ipſe Gallus exſtiterit, plus æquo iniquus eſt: utinamque tam diligens (ut ipſum decebat hiſtoriam ſcribentem) fuiſſet in iis exquirendis, quæ in Ciſalpina Gallia oppreſſis indigenis Hetruſci geſſere, & quid Galli tumultus in Hetruſcos excitarint, Duce Belloveſo, quam eorum gloriæ & rebus geſtis fuit inſenſus. Memoriæ hæc æquiore animo (adſit verbo venia) Græci, quam Latini, prodidere. Ipſe autem ſub nube *Decadis* primæ *libro* quinto Gallorum tranſitum cis Alpes, & mox in Italiam, atteſtatur ſe ab aliis accepiſſe: neque contendit tum primam Gallorum profectionem in Italiam fuiſſe: ſed commentem de eis ſic eſſe memoriam. Fuere enim Galli ante Tarquinium Regem Romanis incogniti: cum regionum fines & imperium nondum dilataſſent; & ante primum contra Gallos bellum, (tametſi eorum nomen ad Romanos deveniſſet) nulla tamen prorſus cognitio eis erat, quando primum in Italiam ex Ulteriori Gallia protuperint: eoque minus Alpium notitiam habuere. De his vero, quæ à recentioribus nonnullis paſſim pro hiſtoriis circumferuntur, quotum nomina modeſtiæ gratia ſubticemus, bone Deus, quæ figmenta, quæ deliramenta, quæ mera ſomnia! Sane quæ ante Romanorum incunabula in Gallia Ciſalpina, & Italia poſt primam Gallorum irruptionem citra Alpeis, eoque magis regnantibus citra Apenninum Hetruſcis, tanta oblivione obducta ſunt, ut locorum & populorum nomina ſimul interierint. Itaque eorum geſta prorſus ignorantur.

Lectum

Lectum eſt ab Hetruſcis hoc in noſtro tractu urbes duodecim conditas eſſe. Quis harum nomina mihi recenſebit? Quid? quod & Alpinæ gentes, quæ à C. Plinio rerum antiquarum auctore diligentiſſimo enumerantur, à nullo, quem ego ſciam, certo recognitæ ſunt. Interiere cum populis & populorum nomina, paucis exceptis, quorum vel calamitates, vel virtutes ſcriptorum diligentia æternitati conſeratas ab oblivione vindicavit. In Alpibus ſiquidem, quæ verſo ad Italiam pectore Auſtrum ſpectant, Plinius populos enumerans ab Auguſto Cæſare devictos, hos ſigillatim recto ordine propriis nominibus deſcribit *, Triumpilinos, Camunos, Vennones, Vennonetes, Hiſarcos, Breunos, Naunes, & Focunates.

Triumpilini, qui primi ab ipſo recenſentur, à pleriſque, & quidem doctiſſimis viris, pro Euganeorum reliquiis habentur, qui juxta Larium lacum olim habitarunt. Quorum regio Vallemtellinam, quæ & Volturena à Catone dicitur, attingit. Horumque oppida eſſe præcipua opinantur, Gravedona, ſive Glebedona, Glarea, Suricum, Doncum, & Muſſinum, unicoque nomine Triplebem vocant, hacque nominis ſimilitudine ducti Triumpilinos dixere. Sed cum Camuni populi à Plinio poſt Triumpilinos recto ordine numerentur, veriſimileque ſit auctorem tam diligentiſſimum præpoſtere populos hos non deſcripſiſſe: exiſtimarim magis ipſe Triumpilinos eos eſſe, qui vallem, cui Triumpiæ nomen eſt, inhabitant. Quæ quidem vallis juxta Plinii deſcriptionem Camunorum valli proxime inhæret. At Camuni ipſi haud dubie Camonicam vallem vulgo dictam, per quam Ollius amnis ex Sebuno lacu labitur, incolunt: Camuli pro Camunis apud Strabonem leguntur.

Vennones populi hos ſequuntur, quos Strabo *lib.* IV. Rhætiæ populos vult eſſe apud Ventuſtam vallem ſitos. Cujus ſententiæ & ipſe Plinius adſtipulatur, dicens, Rhætorum gentes eas ortum Rheni fluminis tenere. Cujus quidem rei maxima nos ſæpe detinuit admiratio, quanam videlicet ratione Plinius Vennones inter Alpinas gentes ad oram Italiæ, è regioneque eoſdem in Septentrionem ad Rhætos ſpectare aſſeruerit. Ex recentioribus ſunt qui exiſtiment eos eſſe Vennones, qui hodie Hengadini vocitantur; apud quos Ænus fluvius ex Julis Alpibus ortum ducens per Curienſem diœceſim Æniponteum, vulgo *Inſpruck*, præterluit. Nobis vero hujuſce rei cauſſa ea eſſe videtur, quam & Plinius non ignoravit, Vennones videlicet ipſos olim ad Alpes uſque Tridentinorum late patuiſſe, meritoque Plinium eoſdem populos ad Rhætiæ & Italiæ oras collocaſſe; cum tamen unus idemque populus omnino eſſet. Idem quoque & de Leopontiis legimus, qui inter Helvetios, Sedunos, Salaſſos, Inſubres, & Rhætos ſiti ultra, citraque Alpium juga inter adjacentes valles habitant.

Ad Vennonetes tranſeo; quos affirmare non auſim eos eſſe, qui Ventonini primo, mox Valtellini ſunt nuncupati: neque nos movent Catonis *Origines* illæ, quæ, ut diximus, ſuſpectæ ſunt Latinis auctoribus: qui Volturenam vallem ipſam appellat, cujus nominis nec Plinius ipſe uſquam meminerit. Magis conſentaneum igitur erit exiſtimare, Vennonetes eoſdem fuiſſe & Volturenos, cum eorum regio ab Oriente Vennonibus adhæreat, à Meridie Camunos & Triumpilinos habeat.

Hiſarci populi lacum Lucanum attingunt, quorum oppida ſunt Hiſarcum, vel Hiſarſum, ut nunc dicunt, Pfaltrium, & Arciſate: nec eorum ſententia nobis ſatis arridet, qui Meſaucos populos pro Hiſarcis legendos eſſe apud Plinium putant, quorum ſedes hodie Meſochi vallis, ſive Myſochi, nominatur.

Breuni paucis fere mutatis & adjectis literis antiquum quoque nomen ſervantes, Bregnii dicuntur, inter Leopontios, Leventinos, & Meſochi vallem ſiti.

Naunes (ut diximus) haud dubio pro Gaunis apud Plinium leguntur. Hi partem alteram Lucani lacus ad pontem amnis Triſiæ, & præterea vallem totam, Gaunæ nuncupatam, in Vallexitum uſque occupant.

Noviſſimi ſuot horum populorum Focunates: qui quonam in Alpium latere, aut vallium angulo habitarint, hactenus, quod ipſe ſciam, ignoratur. Non deſunt tamen, qui diligentius Alpium intima perſcrutati ſunt, à quibus hi populi collocantur in ea valle, cui Maggiæ nomen eſt juxta Leopontios. Hæ gentes ergo recta ad Alpes Summas, & ad eam partem, quæ ad ortum Rhodani è regione vergunt, ſpectarent. Hæc de populis, quos Inalpinos Plinius appellat, hactenus dicta ſufficiant. Id autem à nobis libentiore animo factum eſt, ut intelligas, Lector optime, quam minimam nobis Alpinorum populorum cognitionem Veteres reliquerint.

Cæterum, quia cum Plinio ſemper ingenui animi eſſe duximus, per quem profecerimus libere profiteri, viſum eſt hac in parte tribus præcipue auctoribus hujus noſtri laboris primas laudum partes adſcribere: ANDREÆ videlicet ALCIATO, incomparabilis & candoris & eruditionis viro, qui primus vetuſtiora nobis hoc in negotio nomina in hanc uſque diem obſoleta & incognita in lucem revocavit. Poſt Alciatum Gaudentio Merulæ, qui felici pollens ingenio & doctrina ſingulari, Ciſalpinam Galliam omnem longa oblivione fere ſepultam, vivam reddidit. Tertiæ merito debentur Henrico Glareano, Joachimo Vadiano, & Ægidio Tſchudio, quos tamen domi, quam foris diligentiores arbitror. Horum exemplo plurimi (ut audio) loca propria perluſtrabunt, & ſingula diligentius contemplabuntur: ut & regionum & populorum nomina, quomodo interierint, plane nobis fiant cognita.

Et quoniam *quandoque bonus* (ut inquit ille) *dormitat Homerus*, & cum *non omnia poſſumus omnes*, tantoque magis uni non datum eſt ſcire omnia, horum noviſſimus accedo, qui locos ab iis prætermiſſos, vel intellectos perperam, hoc libello collegi, ſperans ſcilicet facturum me poſteritati operæ pretium, cum diligentius hunc ordinem inſpexerit, non tam ab hiſtoricis, quam à conjecturis veriſimilibus, lapidum Inſcriptionibus, & accolarum obſervatione deductum. Uſus ſum porro hac in re exactiſſimo Nicolai Caſtilhonei Legum Interpretis, & Ambroſii Calmeri conſilio; qui in mediis (ut ita dicam) Inſubrum viſceribus nati & educati, acri eorum ingenii acumine omnia exactiſſime perluſtrarunt: & ex ruinarum priſcarum veſtigiis, recentiorumque nominum interpretatione, pleraque nobis tradiderunt. Poterunt igitur hujuſmodi delitiarum ſtudioſi, tametſi levem præſiterimus operam, hiſce noſtris lucubratiunculis ſatis adjuvari: quando (ut inquit Fabius) continuo in motu omnia videantur, nihilque dum vivimus, quieſcat. Nam ſiquidem pereunt, & alia quotidie in lucem prodeunt. Forte autem ira anguramur. Continget enim ut ex recentioribus poſtiſſimum aliquod ingenium aliqua hujus generis antiquariorum certiora in ſtudioſorum gratiam effodiat, diligentioreque cura ad exemplum noſtrum, quod ad patriæ noſtræ & dignitatem & antiquitatem pertinere videbitur, libro ſuo ſit additurus. Laus Deo optimo max. Deiparæque Virgini.

* Lib. III. *Hiſt. Nat.* cap. XX.

JOANNI BAPTISTAE SPETIANO,

Cæſareo Senatori, & Primario Juſtitiæ Præfecto, viro doctiſſimo & integerrimo,

S. D.

OCELVM oppidum, cujus Cæſar primo *Commentariorum* meminit, (ut ingenue fatear) ex plurimis unus aliquando exiſtimavi eſſe, quod Ptolomæus Oſſellam inter Lepontios *libro* tertio vocat. Movebar non tam cognatione nominis, quam Cæſarianis verbis: qui eo in *libro* ait: *Tres legiones, quæ circum Aquilejam hiemabant, ex hibernis educit; & qua proximum iter erat, per Alpes in Ulteriorem Galliam ire contendit.* Cum itaque Cæſar ex Aquileja Carnorum legiones moveret, proximum illi iter nullum eſſe debuerat, ut in Gallias proficiſceretur, quam per Alpeis Lepontias, quæ proximiores Aquilejæ eſſent, quam Grajæ, Peninæ, aut Cottiæ: etenim ſi iter ipſum recte computetur, veriſimile eſt Cæſarem ab Aquileja in Inſubres, inde breviſſimo trajectu lacus Verbanini per Agones Oſcellam & vallem Veterem, de quibus diximus, ſuperato Sempronii monte, per quem in Sedunos iter eſt, legiones eas in Gallias traduxiſſe. Neque deſuere, qui noſtram hanc, imo quam plurium doctiſſimorum ſeculi noſtri ſententiam improbarunt; qui per Alpeis Grajas, ubi nunc Tarantaſiæ metropolis reliquiæ viſuntur, cum legionibus ipſis iter feciſſe volunt: hoc maxime argumento freti, quod Cæſari Alpeis ſuperanti occurrerint Caturiges, Garocelli, & Ceutrones, populi haud dubie hujuſmodi Alpium juga incolentes, qui locis ſuperioribus occupatis exercitum itinere prohibere conarentur: cognomentoque nominis oppidi Ocelli ad Chielanum vicum, haud longe ab Auguſta Prætoria Salaſſorum, oculos adjecere, quem Ocelum omnino eſſe affirmant. Ego vero tametſi auctoritati tantorum virorum, tum maxime eorum, quorum opera & ſtudio plurima vetuſtatum nomina obſoleta feliciter in lucem ſunt prolata, adverſari nolim, ſed ea tantum cauſa, ut quæ veritati conſona ſunt, tuear, quid & ipſe noviſſimus de oppido ipſo ſentiam veriſimili conjectura rationibuſque in medium afferre conabor. In primiſque doctiſſimi Glarcani, & diligentiſſimi Tſchudii Helvetiorum ſententiam ſequor, qui Ocelum, cujus Cæſar meminit, non inter Lepontios, eoque minus apud Salaſſos, ſed juxta munorem Duriam fluvium in Cottis Alpibus locant. Amnis hic à Genebro monte, (vulgo dicto) qui Cottius Alpibus adſcribitur, ortum ducens, *Ours* oppidulum (ut Itali vocant) attingit; Galli mutata R in L litera, non *Ours*, ſed *Oulx* nuncupant. Dictio ipſa omnino Celtica, haud dubie *oculum* ſonat, quam ut pleraſque alias ex Celticis more ſuo Latinas Cæſar fecit. Vicus ipſe *Ours*, vel *Oulx*, venienti in Citeriorem Galliam ex Ebrodunis, vulgo *Ambrun*, per Brigantios, hodie *Briançon*, primus ſe offert. Loci ſitus cum Ocelo Cæſaris conveniunt, qui Citerioris Provinciæ extremum oppidum eſſe vult. Quæ quidem ſententia cum Chielano vico Salaſſorum unnime quadrat: pleraque etenim poſt Chielanum ad Alpeis uſque Grajas oppida & municipia, & quidem antiquiſſima, numerantur, ut merito extremum Citerioris Provinciæ oppidum juxta Cæſaris ſententiam exiſtimari recte non poſſit. Poſt *Oulx*, ſeu *Ours*, amnis ipſe Durias minor Scingomagum vicum ambit, vulgo (ut nobis videtur) Sejuſianam, vel Suſinam; indeque Seguſium urbem alluens Ortum verſus, apud Auguſtam Taurinorum paulo poſt in Padum dilabitur. Oppidi igitur nomenclatura, quæ magis ad Ocelum, de quo Cæſar, quam ad Chielanum, alludit, & quod locus hic extremus ſit Citerioris Provinciæ, tum, quod Cæſar inde, id eſt, ab Ocelo, in fines Vocontiorum Ulterioris Galliæ pervenerit, hæc facile arguunt, videl. ipſas legiones per hujuſmodi Alpes, non autem per Grajas, à Cæſare trajectas. Vocontios Ptolomæus inter Iſaram & Rhodanum Allobrogibus vicinos ad Orientem deſcribit. Raymondus Marlianus, doctus idem & diligentiſſimus, ubi nunc Vaſatium Delphinatus oppidum ſitum eſt, Vocontios locat. Inter *Familiares* Ciceronis *Epiſtolas* illa Planci*, quæ incipit, *Antonius Idibus Majis ad Forum Julii cum primus copias venit*, Vocontiorum meminit: in eadem *Epiſtola* legitur, *Vercellas ſpatio bidui abeſt ab eo.* Item: *Lepidus ad Forum Vocontii; qui locus à Foro Julii* IV. *&* XX. *millia paſſus abeſt.* Cum vero Plancus dum hæc ſcriberet alio in loco teſtetur ſe in Cicerone oppido Allobrogum ultra Iſaram conſediſſe, (proculdubio hodie *Chiamuers*) facile colligi poteſt Forum Vocontiorum, in quo Lepidus conſederat, inter Ciceronem & Forum Julii Narbonenſis Provinciæ, vulgo *Frejus*, conſtitutum fuiſſe: à quo ſi Planco teſte Forum Vocontiorum XXIV. millibus paſſuum abeſt, abſurdum omnino Cæſari fuiſſet, per Alpes Grajas Legiones traduxiſſe, & ab eis in Meridiem, fines Vocontiorum attingere, qui per Ceutrones breviori admodum itinere ad Arctum, in Sebuſianos, ad quos iter dirigebat, pervenire valuiſſet. Vocontii igitur, ut dictum eſt, Ptolomæo teſte, quod & Cæſar innuere videtur, inter Iſaram & Druentiam flumina, quæ in Rhodanum exonerant, locati olim fuerunt. Et qui per Alpes Grajas, id eſt, per Tarantaſiam in Ulteriorem Galliam proficiſcuntur, Iſaræ fluenta vix attingunt: nemo ideo luculentius clariuſque Cæſare tranſitum ipſum deſcribere poteſt, qui inde à Vocontiorum finibus movens in Allobroges pervenit, & ab Allobrogibus in Sebuſianos populos, ultra Rhodanum ſupra Lugdunum, lacum Lemanum ad Ortum pertingentes, vulgo *Pays de Bourg in Breſſa* nuncupatos; à quibus (ut exiſtimo) Sabaudiæ Principes, quod populis ipſis primo imperitaverint, non autem à Vadis Sabatis, aut à Saluſtienſibus (ut nonnulli volunt) nomen ſortitos, facile crediderim. Non oportuiſſet, inquam, Cæſari in Vocontiorum fines perveniſſe; indeque per Allobroges, ut in Sebuſianos proficiſceretur, ſi (ut doctioribus noſtris placet) ejus tranſitus per Ocelum oppidum, id eſt, Chielanum, & per Alpes Grajas in Ulteriorem Galliam fuiſſet: breviori etenim inire, utpote bidui tantum ſpacio, à Grajis Alpibus Cæſar diſcedens, in Sebuſianos iter confecere potuiſſet, abſque eo quod Allobroges, eoque minus Vocontiorum fines, attigiſſet. Perinde ſiquidem Cæſar feciſſet, ac ſi quiſpiam à Mediolano Auguſtam Prætoriam peiturus, Derthonam primo, mox Statielenſium fines, ingreſſus, Albam Ligufticam & Auguſtam Taurinorum adiret. Vale, vir doctiſſime.

* *Lib.* X. *Epiſt.* XVII.

FINIS.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBRI XII.

AD

JO. ANDREAM AVRIAM

MELPHIAE PRINCIPEM,

CLASSISQVE PHILIPPI SECVNDI CATHOLICI

REGIS CVM SVMMO IMPERIO PRAEFECTVM

AD

JOA. ANDREAM AVRIAM

MELPHITENSIVM PRINCIPEM,

EVNDEMQVE SVMMVM MARIS PRAEFECTVM
PRO CATHOLICO HISPANIARVM REGE,

PAVLI FOLIETAE

IN VBERTI FRATRIS

HISTORIAM GENVENSIVM

PRAEFATIO.

EXIT jam tandem, Auria Princeps Illustrissime, *Historia Genuensis* tamdiu à nostris civibus expetita, à me vero non postulata solum, sed etiam flagitata: hanc ego diuturnam suppressionem, si necesse esset, probarem sane omnibus: verum cum nemo me culpæ alicujus, nisi levissimæ, arguat, quam etiamsi agnoscam, non improbus habear, nihil de facti probatione laboro. Illa fortasse opinio non vulgaris, quam de Uberto fratre meo habebant cives optimi, *Historiæ* hujus videndæ commovit primo desiderium, ac vehementius deinde quotidie auxit: ut enim eorum quisque ingenio quodam acri atque judicio gravissimo præditus est; plus nescio quid in iis Historiis, quæ hactenus de nostra Republica editæ sunt, vel rerum, vel ornati sermonis, vel ordinis, vel dignitatis, vel forte etiam veritatis requirebat: itaque sibi persuadebat à FOLIETA, quem multis in rebus hominem eruditum, & eloquentem, rerum nostrarum peritissimum, antiquitatis in primis studiosum cognoverat, cumulate satisfactum iri: bene habet: laborem de asserenda fide & auctoritate *Historiæ* fratris mihi levavit judicium universæ Reip. Genuensis. Excipiant igitur avide rerum suarum monumenta, & vetustatis exempla Genuenses mei; atque iis legendis, quasi quodam pabulo suavissimo pascant animos suos: ut enim corpori, sic animo suus constitutus est cibus: atque, ut in corpore sensus, cum sibi respondentes naturæ rerum perfecte objiciuntur, voluptate maxima impelluntur; sic animæ facultates cognitione & amore rerum præstantium mirifice satiantur. Obsecro te, Princeps amplissime, qua voluptate detinentur oculi nostri, cum in aliquem locum natura & situ varium, artificio atque magnificentia habitatorum amœnissimum incidunt? numquid à colorum pulchritudine & varietate, ab hortorum elegantia, à delitiis collium, à fontium venustate, ab ædificiorum splendore averti possunt? quæ omnia, licet sint maxime dissimilia inter se; de consimili tamen dignitate atque decore contendunt: quam igitur jucunditatem infundet animis nostris Historiæ lectio, in qua, velut in tabula picta, consilia hominum sapientissimorum, conatus Ducum excellentium, stratagemata, artes, insidiæ exprimuntur? annuente Deo votis hominum, vides interdum extorrem gentem, & vagam sedibus suis, præpotentem aliam, & clarissimam pellere, regiones regionibus connectere, & occupati imperii fines cum solis pene cursibus eoæquare: hic tu, dum lustras agmina, dum præliis interes, fugientes insequeris, expugnationes urbium atque excisiones intueris,

ris, qui tibi tunc esse videris? quas personas induis? qua voluptate compleris? perge: evolve paginas: occurrunt tibi classes ornatæ & instructæ, quibus replentur maria: illarum apparatum si tibi describat historicus, quod epulum apponet? fac vero illas in conspectum hostium venire, atque pugnam capessere; ni te totum vestigio temporis quasi quodam æstu eloquentiæ procul à te ipso abripiat, atque in medium prælium tamquam in altum à cogitatione ceterarum rerum abstractum teneat, judicii omnis atque usus expers omnino sim: age, reduc victores cum triumpho in patriam: excitationes, & studia pacis & otii attende: jura, magistratus, leges, cærimonias, religionis munia legendo cognosce: transis ad novum voluptatis genus, quod te non solum delectat, sed etiam sine satietate delectat. Neque vero ad animi jucunditatem conducit quidem Historia, humanæ autem vitæ institutionem desiderat: qui enim in ea prudentiæ, sapientiæque principia recondita esse dixit, egregie alterum ejus fructum, qui modo requiritur, expressit. Vel enim aliorum doctrina, & exemplis vitam nostram conformemus; vel ipsi nos duces atque magistros nostris actionibus constituamus, à prudentia necessario adjumenta petimus: at hæc nostra, quam comparamus ex eventorum observatione, exigua admodum est, & multis incommodis obnoxia. Quem enim rerum usum brevi isto nobis circumscripto vitæ curriculo habemus? quanto cum nostro periculo, & detrimento de rebus interdum experimur? major igitur illa est, atque protectior, quæ ex multorum sæculorum notatione provenit; quæ pene innumerabilia illustrium virorum consilia & eventa continent. At hanc ipsam una ministrat Historia: te enim tamquam in quodam humanæ vitæ theatro constitutum, aliorum periculis, sine tuo periculo cautum ac sapientem facit: in omni rerum statu permulta tibi exempla suppeditat, quæ ad usus tuos utiliter traducas. Hi autem fructus, & alii permulti, de quibus alii scripsere, cum à Romana discessimus Historia, ex nostra, si recte loqui velimus, præcipue colliguntur: nulla enim alia gens (absit à dicto arrogantia, aut adulationis suspicio) vel rerum magnitudine & splendore, vel casuum varietate & conversione, uberiorem exemplorum copiam ad scribendum subministrare potuit. Erit igitur eorum omnium, qui Annales Antiquorum nostrorum evolvent, communis hæc utilitas; maxime autem Genuensium, quos procul dubio magis exempla domestica quam externa movebunt. Te autem, magne Joannes Andrea, non ego in hoc numero ponam: non sunt investiganda tibi monumenta rerum veterum, ut pares illustrem supellectilem, quæ tuæ vitæ deservire possit: domi habes id omne, quod putatur egregium & imitatione dignum: quod tamen mandarunt litteris eruditi viri; nec fratris mei labor in eo ipso desideratus est: non abeo longius; neque res vetustate nimia obscuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur, percenseo. Intuentur animis una tecum, atque suspiciunt virum illum virtutibus omnibus, & honoribus exaggeratum, cujus tu nominis, ut etiam virtutis, & opum heres fuisti, Andream Auriam magnum patruum tuum: quem, ut in cœlo solem inter reliqua sidera, sic in ista Rep. Principem inter alios heroas à Deo putant fuisse constitutum; atque alium quidem summis esserunt laudibus, quod rei militaris fuerit scientissimus; consilium alterius atque felicitatem in rebus gerendis honorifice prædicant; multos innocentia, temperantia, facilitate, humanitate in imperiis administrandis singulares esse dicunt; non paucos etiam meritis & caritate erga patriam in æterna gloria ponunt: at vero patruo tuo magno viro de cœlo delapso, in quem congestas esse virtutes omnes intelligunt, quas elucere sparsim in aliis viderunt, cum omnia tribuerint honoris insignia, & orna-

menta, ſibi tamen non plane ſatisfaciunt. Offendet hic forte exterus aliquis (cur enim id civi conringat?) quod me puret gratiæ cauſſa, vel nepotis ſuperſtiris auribus ſervire, vel aliquid de fama atque gloria aliorum civium detrahere: ſed inepte plane, quod aliud eſſe judicium meum à judicio omnium Genuenſium arbitretur; & unicuique Reip. divinum aliquem virum divinitus eſſe conceſſum ignoret. Hic jam plura non dicam: conſtat enim inter omnes ſæpius eum eum hoſte pugnaſſe, quam quiſquam eum inimico contenderit; pluribus claſſibus præfuiſſe, quam alii concupiverunt; plura maria pervolaſſe, quam picta ceteri viderunt; plures victorias reportaſſe, quam alii deſcripſerunt: ejus randem virtutes tot dignitatibus fuiſſe decoratas, ut in nullius umquam hominis, vel impudentis, animum cupido tot ac tantorum honorum ceciderir, quor & quantos in Auriam Deus immortalis per Reges, Imperatores, atque Pontifices contulit. Nollem has laudes ita abſorbere pietatem viri, ut non exſtaret inrer virtutes reliquas: nam eas quidem, & admirantur adhue hoſtes in mortuo, & perhorreſcunt, laudant eriam inviti; amanr amici omnes populi, & vehementer prædieant: at vero pietatem, quam cum multis in rebus, tum in amantiſſimæ parriæ liberatione, & in oblari dominarus recuſatione oſtendir, cives ſie eolunt, ut nullum patiantur rivalem: & quam antea ſignis, ſtatuis, donis, publicis ædificiis, atque litteris teſtificari ſunr, eandem quoridie jucundiſſimis ſermonibus recolunt; novis ſcriptis coneelebrant; memoriam illius poſteris ſuis deineeps tradunt, arque immortalem faciunt. Andreæ gloriam exeepit Joannes parens tuus, ac ſuſtinuiſſet egregie, ſi vita ſibi contigiſſer diuturnior: quem enim illum fururum ſperaremus: qui ineunte pene adoleſcentia Turearum tyranno potentiſſimo formidoloſus eſſe cœpit, eum Drogurem Ducem illum maritimum, quo neque eallidiorem habere ſe quemquam, neque fortiorem arbitrabatur, novo bellandi genere ſuperatum, ovans Genuam adduxit: nullus hoc factum profecto felicitari, non virruti tribuendum eſſe putavit: jam enim multis in rebus domi, foriſque virturum omnium ſpeeimen dederat eximium. At invidi rati, ſi ſol alrer exoriretur, tenebrieoſa ſibi laribula perpetuo eſſe quærenda, lueem illam, quæ primo apparuit, ne latius ſeſe diffunderet, obducta cæde nefaria, tamquam denſa caligine, nobis per ſummum ſcelus eripuerunt. Dieerem nunc ex his viris omnium te virtutum exempla & documenta capere poſſe, ac debere: dicerem exſuſcitari re quoridie, & commoveri ad laudem ab antiquis Genuenſibus, quorum ribi illuſtrem & longam ſeriem eontexuit Ubertus, ineitari atque inflammari ad gloriam à Majoribus tuis, qui tibi præcipue ſua virtute præluxerunt, ni te totum aptum ex temet ipſo, & præclariſſimum re tui ipſius exemplum jam mulris ab hinc annis cum ingenti admiratione & lætitia conſpicerem. Abiit flos ille ætatis, quo urgeri te aeriter, & impelli ad ea, quæ ſita ſunr in excellenri gloria, dieere poreramus, eum aures tuæ quotidie perſonarent laudibus familiæ tuæ, quoquo ſe verterent oculi illuſtria aliqua monumenta majorum inruerenrur; ipſe parruus magnus vivus adhue & ſpirans, non magis annis, quam honoribus gravis, prælaris te conformarer inſtirutis: referantur hue quoque, ſi placet, primi illi conatus tui ad Pignonum, Oranum, & Melitam, quibus non modo ætarem ſuperaſti tuam, verum etiam id effeciſti, ut jam inciperent Barbaræ nariones eredere ſummam navalis virtutis gloriam in una gente Auria florere, quod illis antea cum ſuo gravi ineommodo expertis, incredibile tamen, & falſo per ſuas oras divulgarum videbatur. Nunc vero, cum iſta ætate eam tibi gloriam pepereris, quæ vix cœlo capi poſſe videatur, alio flectenda eſt oratio; neque jam, ut tibi proponas exempla familiæ

ad

ad imitandum es mihi cohortandus, cui majorem, quam accepiſti, reddere ſplendorem multis non temere videris; ſed, ut te tui ſimilem conſtanter exhibeas, hoc eſt, virum in omni tempore ſpectatæ virtutis & gloriæ, quo alii te imitari poſſint, es admonendus. Princeps es patrui beneficio; ſed magis Princeps virtute tua; Princeps Philippi Regis maximi voluntate; ſed magis Princeps animo excelſo: nam inde maris, hinc omnium cupiditatum imperium obtinuiſti Princeps civis Reip. opulentia, poteſtate, ac titulis; cur non te magis Principem ſapientia, humanitate, caritate ſperemus? næ nomen iſtud Principis geminatum & varie flexum glorioſam tibi coronam nectet aliquando, quam tuo capiti feliciter impones. Scribens, ut vides, verſor tecum ſuaviſſime, quem dignitas perſonæ tuæ mirifice retinet; atque eo libentius, quod infrequentes mihi ſeſe offerunt hujuſmodi occaſiones. Sed tamen parcendum eſt graviſſimis occupationibus tuis, nec nimia facilitate immoderate utendum. Dicavi tibi *Hiſtoriam* Uberti fratris, ut illi addas decus & auctoritatem: volui etiam illam in tuo nomine apparere, ut novum aliquod atque mediocre ſignum antiquæ meæ erga te obſervantiæ exſtaret: jam enim tua gloria altior eſt, quam, ut mea Genuenſis muſa humilis ſatis ac tenuis aſſequi poſſit. Quamquam altera illa *Hiſtoria*, quæ tuæ gentis, tuaque facta egregia continet, cum Regis Philippi nomine edita eſt, quod eſſent maxime cum eo Rege, atque ipſius parente Carolo conjuncta: quod ego te haud eſſe improbaturum confido: qui enim maximo Regi præſens eſſe perpetuo velles; qui animo ſuo occurrere ſemper, quo tempore ab illo imperii tibi commiſſi cauſſa longiſſime abſtraheris, fies fortaſſe cum fratris mei labore, tum conſilio meo maxima ex parte voti tui compos: quoties enim illam ſibi legi curabit, aut lecta jam memoria repetet, toties illi te præſentem ſtatuet Ubertus; facta tua illuſtrabit; prædicabit obſequia; Ducem Chriſtiano imperio fideliſſimum, ad omnem provinciam aptiſſimum, omnibus præmiis digniſſimum commonſtrabit. Hæc ipſe mecum reputans, venio in ſpem fore aliquando, ut altera pars *Hiſtoriæ univerſalis*, ac ſimul *Eccleſiaſtica* inregra maximis Uberti vigiliis conſcripta, è tenebris in lucem emergat: qui enim labores & voluntatem Folietæ gentis ſummis Principibus gratam eſſe intelliget, privata ſua ſive utilitate, ſive jucunditate poſtpoſita, illas credo diutius non ſupprimet.

CARMINA

In honorem ac laudem Auctoris.

ANGELI JVSTINIANI
EPISCOPI GENVENSIS.

Diſtinctum ut gemmis nitidis magis emicat auram,
Inque auro melius lucida gemma nitet:
Sic ſcripta egregiis factis, ſic facta relucent
Egregia egregiis ſcripta voluminibus.
Te miretur, dubium; quæ gentis fortia facta
Scripſerit; an ſcriptis facta nitata tuis.

ALBERICI CYBO S. R. I.
ET MASSÆ PRINCIPIS.

Geſſiſtis Cives totum memoranda per orbem,
Quos GENVA excoluit,
Artibus egregiis, armis, virtute, parentis
Functa pio officio.
Scripſiſti Civis cunctas relegenda per urbes,
Quem tulit urbs eadem,
Ingenium mirata tuum, gaviſa tuoque
Eloquio celebris.
Viciſtis cives pugnantes ſæpius hoſtes;
Sive amor Imperii
Augendi hoſtiles collecta ferret ad oras
Claſſe, vel ira ageret.
Viciſti Civis, FOLIETA acerrime, rerum
Tempus edax calamo;
Sive tuum cuperes nomen, ſeu geſta tuorum
Ne voret ulla dies.

ALEXANDRI ARAGONÆ
APPIANI, PLVMBINI D. DESS.

Vt geſtu toto nil eſt his clarius orbe,
Sic ſcriptis toto doctius orbe nihil.

ANSALDI GRIMALDI
MARCHIONIS MODONII.

Livius à Patria ſtatuæ donatur honore,
Qui numquam calamum verterat ad Patriam:
Quantum ergo VBERTVS meretur non minor illo,

AVCTORIS LAVDES.

Qui Patriæ exſtinctum reddidit omne decus?
Quæve ſuæ fronti nectetur digna corona?
En propriis ſolus texuit ipſe ſibi.

ILLVSTRISS. VINCENTII DE FVRNARIIS.

Amplius eſt nil ut, Ligurum quam quæ inclyta geſta
Gens, terra atque mari, militia atque domi.
Obſcuris ſic in tenebris abſtruſa latebant;
Veſtra aberant Latia lumina litterula.
Exortus tandem Ubertus radiantia clari
Pratulit eloquii, ſidereumque jubar.
Illuſtrata quibus, totum vulgata per orbem
Fulgebunt ſæclis innumerabilibus.
An chartis Folieta tuis magè certa Sibylla
Vel folia ipſa putet, cui tua nota fides?
Vanum te, hiſtoriæ qui jam ſcripſere, queruntur
Obſtruxiſſe ſuis denique luminibus.

LVCÆ DE FVRNARIIS.

Si fas eſt aliquo colore dogma
Pallax Pythagoræ probare verum,
Quod per corpora ſpiritus viciſſim
Tranſmigrent, nece retrahente primis;
In te ſpiritus ingredi duorum
Contendit ſimul, ac uterque manſit.
Alter Tullius eſſe, Livinſque
Alter cernitur ex tuis libellis,
Scriptis cum vario, gravique ſtilo;
Et quicumque legunt ſuos tuoſque,
Incerti remanent, utrum ſit unus
Horum tu propriè, vel unus horum
Sis tu, cum ſimiles in ore ſitis.

ALEXANDRI JVSTINIANI.

Pervia virtuti Ligurum ſunt omnia; belli
Se quondam ſtudiis evexit ad æthera: teſtes
Adriacæ, Getuliique ſinus, eſt teſtis Idume,
Ecparis Heſperio, & Tyrrheno ex hoſte triumphi,
Dum martis imperium ſibi vindicat, & pia jungit
Fœdera, dum ſancta pro religione pacifci
Vitam optat, ſocios Reges, Populeſque tueri,
Aut quas antiqua terras diſſone tenebat,
Seu bello captas, ſeu miſſis urbe colonis
Nec ſatis hoc decoris viſum, in laudis avara
Gens tandem occiduos ratibus penetraſſet ad Indos,
Atque ad ſtelliferi ſceptra adiſſe Olympi.
Namque ego quid memorem referantem ignota Columbum
Æquora, & ab noſtro ſubmotos orbe receſſus
Oceani? aut narrem, quos terra Lanifica Divos
Inſignes pietate tulit? Quid ſacra galero
Tempora purpureo, aut viridi circumdata mitra
Multorum referam, aut triplici redimita corona?
At, poſtquam placida ſe vertit ad otia pacis,
Adſpice turritos colles, & mœnia cœlo
Æquata, & vaſto jactas ſub gurgite moles,
Teſtaque marmoreis ingentia ſulta columnis,
Et ſacras ades, Divumque immania templa,
Jura, Magiſtratus varios, magnumque Senatum,
Heſperidumque hortos cultu ſuperantia rura,
Regibus & dignos ſumptus, magnoque parata
Imperia, & titulos auro, cereſque earinæ.
At ſcriptor deerat, qui facta urbiſque, virumque
Egregia æternis ventura in ſæcula chartis
Sacraret: Lethe rapidis ne mergeret undis.
Annuit en votis generis fatumque Deuſque:
Ubertumque ſuis cœlo demiſit ab alto,
Grandia, grandiloquo qui pectore, geſta, viroſque
Scriberet: annoſa ut nequeat delere vetuſtas.

AMBROSII DE NIGRO.

Vixunum oſtentant, quæcumque habuere Poetam,
Hiſtoricumve urbes; indeque nomen habent.
Una domus Folieta ſimul fert Patriæ utrumque
Huic ergo effulgens gloria qualis erit?
Augendis ſolis Folietas fata dicarunt,
Ubertus proſam, carmina Paulus amat.
Applauſu Genua hos fratres agnoſce decenti,
Queis tua lingua nitet, geſtaque clara manent.

LAVRENTII CONTI.

Lactea ſi Livi labris facundia manat,
Si dignum Imperio Cæſaris eloquium;
Si Criſpus brevitate nitet: Folieta diſertus
Tres tribus ipſe unus ſureripuit veneres.

HIERONYMI JVSTINIANI.

Amplius haud Martis, nec Palladis invidet urbi
Urbs Jani, Hiſtoricum nunc habet ipſa ſuum.
Ubertus cœlo nuper nam miſſus ab alto
Æterno Cives eximit interitu.
Eloquio Patriæ miro qui facta recenſet,
Ipſo ut Thucydides ſit minor, & Livius.
Quare agite ô Cives, animos oſtendite gratos,
Marmoreamque alacres erigite effigiem.

ANTONII ROCCATALIATAE.

Illuſtres reddunt majorum ſtemmata fratres
Ubertum, & Paulum, nobilitate pares.
Amborum eloquium tanta eſt dulcedine, cunctos
Ut vincat Ligures, Romulidaſque ſimul.
Hic Ligur eſt lingua, Romanus nomine; at ille
Romanus lingua, nomine ſed Ligur eſt.

PAVLI ÆMILII FLISCI

Vrbs decus Heſperiæ, quondam fundata ſecundis
Auſpiciis, longa ſerie decorata bonorum
Procedis, ſacraque petens ab origine nomen
Diceris orta Deo: claris bellique togæque
Artibus illuſtris, nulli vel ſtemmate, vel vi
Cedis opum, caput ut Ligurum jam nomine clares;
Clareſceſque magis, rerum monumenta tuarum
Æternis foliis poſtquam ubertate perenni
Ingenii ac linguæ Ubertus Folieta dicavit.
Pluſquam Servilio debes huic, ille caducis
Inſtauraſſe bonis fertur, domoſque caducas;
Hic ſtabili ſtabilem ſcripto donoque locavit.
Felices Ligures, quorum pulcherrima tanto
Ingenio, tanto celebrantur facta decore.

THOMAE BALDI ABBATIS SANCTI MATTHAEI.

Et folia & flores ſucci donabit Ubertus,
Quem genus & virtus aurea ad aſtra ferunt.

REVER. P. FRANCISCI ADVRNII.

Vbertus poſtquam ſcripſit Folieta, negatur
Criſpus Romana primus in hiſtoria.

R. D. NICOLAI DE AVRIA.

Æmula Romana virtutis, & inclyta, jam
Urbs lætare; Titum tu quoque nacta tuum es.
Felix, qui gererent cives excelſa, tuliſti;
Et qui res geſtas ſcriberet egregio.

R. P. LAVRENTII BLANCI.

Pervades Italas liber legendus
Oras, qua ſuperum inferumque cingit
Æquor Heſperiam: videbis urbes,
Quot Inſubria habet, coluntque Tuſci.
Tantum Romulidum hoſpitem ſovebit
Urbs, Criſpum rata forſitan ſuum nunc
Redditum ſuperis: petes amœnam
Gaudens Parthenopen; marique ſiſti

Obvio

VBERTVS FOLIETA.

AVCTORIS LAVDES.

Obvio nequiens, volans per alta
Inviſes maria Inſulas jacentes.
Alpes, & ſuperans, vagus bibentes
Et Rhenum, & Rhodanum, Tagum, & Iberum,
Et qui Danubium accolunt, adibis:
Summotos venies & ad Britannos.
Emenſo Oceanoque, obibis orbem,
Quem modo repert Columbus, ille,
Ornat qui Genuam ſimul parentem,
Cum tuo domino; qui eum ex Columbo
Phœnicem volitare per virorum
Æternum facit ſua ora penna.
Ne viam timeas inire longam
Mirati aurea verba doctiores,
Complexi excipient, legent, revolvent,
Sæpiuſque terent manu reſumptum.
Quieſces poſitus Titum inter atque
Criſpum, præcipuo nitens metallo.
Qui nunc ſunt, & erunt, ferent ad aſtra
Cœleſte ingenium, eruditionem
Raram, non ſolitam eloquentiamque
Auctoris: Genuam ferent beatam,
Cui civem dederit Deus, ſuo qui
Splendorem calamo addidit, decuſque,
Quantum haud illa ſibi expetivit umquam.

P. JO. BAPTISTÆ NARDI.

Sæcula noſtra tibi plaudunt, te laudibus ornant,
Majores tribuet ſed tibi poſteritas.
Illa, Uberte, tibi debitos perſolvet honores:
Nam ſolet invidiam vincere longa dies.

OCTAVII BOERII.

Hiſtorica Antenor dudum præ laude ſupinus,
En Jani ad calamum tangitur invidia.

JO. FRANCISCI GOTTVCII.

Uberti ubertas foliis tanta effluit, impar
Ut non ſit dextra jam tibi lingua Ligur.

EJVSDEM.

Cedat, & Antenor, cedat tibi, Jane, Quirinus:
Ubertus Criſpo prævalet, atque Tito.

JVLII GVASTAVINII.

Mœnia, templa, domus, turres, fonteſque, lacuſque,
Horti, prata, aurum, naves, viridiſque ſmaragdus
Illuſtrant Genuam; ſunt iſta at ſubdita facilis,
Ha magis illuſtrant, qua temnant tempora charta.

JVLIANI COSTÆ.

Lethæis Folieta pius de fluctibus omnes
Eripuit proceres, maxime Jane, tuos.
Et vexit calamo, licuit quo ſcandere paucis:
Famæ immortali namque ſacravit eos.

PETRI CONTESTABILIS.

Maxima ſummorum caderent ne facta virorum,
Ubertus celebri nomine ad aſtra tulit.
Ille decus magnum Patriæ, Patria eſt decus illi:
Alter ab alterius lumine lumen habet.
Illuſtrant urbes illuſtria facta: ſed illis
Vita dari ſcriptis tempus in omne ſolet.
Inclyta Roma Duces, Scriptores inclyta habebat,
Palladis, & Martis lingua, manuſque pares.
Sic Genua Patri gradivo eſt æqua Minervæ;
Hic facit, illa refert; hic meret, illa docet.
Illic non deerant Criſpi, ſunt hic Folietæ:
Illic qui facerent, hic quoque qui facunt.

JOANNIS LVCÆ CLAVARI
SERENISS. HIERONYMI F.

Certa fides, ordo magnus, facundia major.
Illuſtrem faciunt hæc ſimul Hiſtoricum.
Hæc habet ubertim Ubertus Folieta; nec ejus
Ingenio quicquam eſt majus, & uberius.
Tu Genua exſulta: qui fecerunt genuiſti,
Et, qui ſcripſerunt maxima facta, viros.

BARTHOLOMÆI MANCINI
POLITIANI.

Extulit Ubertum Ligurum Regina, decuſque,
Cui lucem tribuit, unde ſuperba micet.
Sed neque Magnus rabiem, non arma, neque ignes
Barbaricos metuat, non peritura Dea.
Namque viri virtus accepta in luce refulgens
Reddidit æternam, coperat ille brevem.

PHILODOXI GVASTAVINII.

Scribebat quondam longæva Sibylla caducis
In foliis, Clarii numine plena Dei.
His nunc in foliis Phœbæo numine plenus,
Æternis ſcribit ſed Folieta ſuis.

CÆSAR CORTES.

Ex Pario fratri debetur marmore ſignum:
Debetur capiti laurea, Paule, tuo.

PETRI BOSELLI
AYELLENENSIS.

Græcia jam ſilest, doctos nec jactet alumnos
Roma ſuos, ſcriptor vincit utramque Ligur.

JOANNIS COSTÆ.

Si meritos olim populos ſacravit honores
Romanus Criſpo, Virgilioque ſuo:
Si docet Ubertum varias Cyllenius artes:
Dictat amor Paulo ſi, Chariteſque, jocos.
Urbi Ligurum, pontique caput celeberrima quondam
Claſſibus, at nunc jam clarior eloquio;
Æra excude illi, & ſpirantia marmora finge;
Hunc tege Pieria frondis honore comam.

NICOLAI SPINVLÆ.

Æternas laudes, tenues ne dicite Muſæ:
Æternis tenues quis putet eſſe pares?
Sic tenui qui te celebrat Folieta camœna,
Nec ſapere æternum, nec poterit tenues.

EJVSDEM.

Non Helicon, non te lauri, non magnus Apollo:
Æternum facunt te tua, tu te facis.

EJVSDEM.
Liber de ſuo Folieta.

Phœbe aliis lauros, aliis da Pallas olivam;
Sat Folieta ſuis me decorat foliis.
His mihi vincentem lauros, oleaſque coronam
Nectit, & his Ligurum, ſtatque, caditque decus.

EJVSDEM.

Cum deerat Genuæ ſcriptor, ſcribenda gerebat;
Scriptorem peperit, deſiit ut gerere.

VBER-

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM LIBER I.

GENVENSIVM meorum hiſtoriam ſcribere aggreſſus, varie me, pro rerum, quas tractandas ſuſcepi, varietate, affici animo ſentio. Nam armis ea geſta ſunt, quæ non modo Genuenſis hominis, quem ipſa patriæ caritas vindicatur excitare, ſed cujuſvis alienigenæ, ac nomini Genuenſi parum æqui ſtudium ad ea literarum monumentis mandanda ſplendore ſuo accendere poſſint: nullus enim Italiæ populus poſt everſum Romanum Imperium fuit, qui aut plura ac majora ediderit bellicæ virtutis documenta; (cujus verbi invidiam, ſi qua eſt, res cognita à me facile deprecabitur) aut qui, quamvis à nonnullis majores opes, majuſque imperium partum ſit, clariore rerum geſtarum gloria præfulgeat. At domeſticæ res eæ fuerunt; à quibus memoria repetendis, ac ſtylo attingendis, nullius boni ac patriæ amantis civis animus non abhorreat: adeo excellentibus Majorum noſtrorum ac vividis ingeniis potius artes defuerunt, quibus domi regerent res, quam quibus foris vincerent hoſtem. Ceterum, quoniam utramque neceſſitatem Hiſtoriæ lex mihi imponit, ea res dolorem ex patriæ vulneribus tractatione refricandis conceptum mitigat; quod, quamvis cum diverſo animi habitu, cum eodem tamen legentium fructu, mala & bona exempla recolantur: neque minorem illa ad ſimilia deteſtanda, cladeſque ea conſequi ſolitas vitandas habent vim; quam hæc ad animos hominum ad æmulandum decus acuendos, ſalutemque publicam ab illis manantem omni ope quærendam. Peto igitur à civibus meis, quicumque ſcripta hæc noſtra in manus ſument; ut ad utramque rem acriter intendant animum, quo Majorum noſtrorum bonis & malis diſcant, quæ morum via ipſis fit inſiſtenda; quibuſque in Republica ſenſibus animus imbuendus. Majus, ſi id affecutus ſim, neque ego laboris ſuſcepti præmium à patria auſim optare; neque patria à cive ſuo hoc tempore, ni fallor, meritum poteſt habere: ſed cum duæ res Scriptores ad vetera, & ab aliis ſcripta ac paſſim ſparſa ſtylo retractanda, & in unum corpus colligenda, (quod nonnulli ætate noſtra in *Genuenſi Hiſtoria* ante me fecerunt) impellere ſoleant; vel quod multa à Veteribus omiſſa ſeſe diligentia ſua ſuppleturos profiteantur; vel quod rebus rudi illo & incondito ſcribendi genere non ſatis illuſtratis aliquid lucis facultate ſua addituros ſperent; in hac poſtrema nec mihi quidquam aſſumere, nec ſi ab aliis maxime concedatur, agnoſcere, pudoris mei fuerit: at in prima aſſeverare non verebor, ita me verſatum, ut neque me inſumptæ operæ, neque patriam expetitæ umquam pœniteat.

Ac, quoniam Majores noſtri res, quas ſcripturus ſum, non urbanis modo opibus niſi, ſed Liguriæ quoque populorum viribus ſulti geſſerunt; non alienum exiſtimavi nonnulla de Liguria ipſa, cujus caput multis ab hinc ſæculis civitas noſtra fuit, præfari; quæque varie ſparſa multo labore perquiſita collegi, ea ſummatim attingere: iniquum enim fuiſſet, qui populi laborum & diſcriminum ſocii fuerunt, eos à ſocietate gloriæ excludere.

Ligures unde oriundi ſint, aut unde nomen ducant, incompertum plane eſt; nam, quæ nonnulli de Ligone, ac de Ligure Phactontis filio, tradiderunt, fabulis potius ſimilia ſunt, nulloque certo conſtantique monumento teſtantur: ceterum nomen hoc Ligurum perveruſtum, idque non ignobile in Italia ſemper fuit: ſiquidem nonnulli auctores tradunt, ut Dionyſius Halicarnaſſeus refert, (ſi modo liber ipſius nomine inſcriptus *Dionyſii* eſt) Aborigines à Liguribus iis, qui finitimi Umbris erant, ortos; à quibus populis, mutato poſtea nomine, ac Latinis vocatis, Trojanique immiſtis, Romani decem & ſeptem poſt ætatibus orti ſunt. Ilio enim everſo Trojani Ænea duce in Italiam venerunt, ac Latium tenuerunt; affinitatibuſque cum Latinis junctis in unum cum illis corpus, unumque Latinorum nomen coaluerunt: ceterum, quamquam frequentius traditur, Aborigines à Græcis oriundos; quorum complures coloniæ, veteribus ſedibus relictis, in Italiam variis temporibus compluribuſque commeatibus ſubinde commigrarunt; eamque regionem, quæ eſt inter Tiberim & Lirim amnes incoluerunt, varie à ſuæ cujuſque gentis nomine ſubinde appellatam; tamen illud conſtat, vetuſtam hanc Ligurum gentem multas Italiæ partes tenuiſſe, ejuſque fines ſæpe variaſſe; ac modo latiſſime patuiſſe, modo anguſtioribus terminis incluſos: ſiquidem nonnulli Scriptores, initio ab ipſo Tiberis fluminis oſtio facto, hanc Provinciam per totam maritimæ oræ longitudinem Maſſiliam uſque perducunt; quamquam Trogus terminos coartavit, Liguriam inter Maſſiliam urbem & Arnum fluvium includit, urbes Piſas & Lucam in Liguribus ponens, populoſque Macræ & Arno fluviis interjectos Apuanos Ligures appellans. Illud quoque conſtat, Liguriæ fines ante Cæſarem Auguſtum non Italia tantummodo terminatos, ſed, Alpibus tranſſectis, in Galliam late extentos; & ab ora maritima Maſſilienſi ad amnes Lucrionem & Rhodanum introrſus pertinuiſſe; Ligureſque omnes partim Tranſalpinos, partim Ciſalpinos vocatos. Ex Tranſalpinis celebertimi fuerunt Sallyi, Deceates, Oxybii. At ex deſcriptione Divi Auguſti, Tranſalpinis populis omiſſis Ligurum nomine in Provincia Narbonenſi incluſis, Liguria nona Italiæ regio facta eſt; initiumque ejus ab eodem, à quo Italia incipit, Varo flumine factum eſt, cum ab Oriente Macra amne terminetur. Ejus maritimæ oræ populi olim ii tantum fuerunt. Nicæa opidum à Maſſilienſibus conditum, portus Herculis Monoeci, Trophæa Auguſti, flumen Rutuba, Album Intemelium, flumen Merula, Albingaunum, portus Vadum Sabatium, flumen Porcifera, Genua opidum, fluvius Feritor, portus Delphini, Entellæ fluvii oſtia, Tigulia, intus Segeſta Tigullorum, Veneris portus, Erycis ſinus, intima Macræ fluminis oſtia, ſciſſio Boacti fluminis: à tergo illius oræ Apenninus mons: cujus jugis tranſſenſis, ab altero latere ad Padum pertinente Liguriæ civi-

GENVA.
GVSTIC

civitates fuerunt, Libarna, Dertona colonia, Iria, Barderate, Industria, Pollentia, Carrea, quæ Potentia cognominabatur, Forum Fulvii, quod Valentinum, Augusta Vangiennorum, Alba Pompeja, Asta colonia, Aquæ Statyellorum: hæc oppida nominant Plinius & Ptolomæus. Strabo vero his addit Statellam, & Clastidium, quin etiam Taurinos in Liguribus ponit; ac Livius, Litubium, & Carystum; quod opidum modo Liguram, modo Insubrum fuit: quin etiam idem Livius, trans Padum citra tamen Ticinum, Ligures progressos prodit; à quibus Ticinum ipsum opidum conditum, proditum est; verum ab Insubribus Italiam invadentibus pulsos. Hæc opida Insubrum fuerunt: civitatum vero Ligusticarum, præter Transalpinas, quas superius memoravimus, nomina complura apud auctores inveniuntur: Veneni, Vagienni, Statyelli, Libelli, Magelli, & Eburiates, Quasmonates, Veliates; quibus Livius addit Briniates, Celelates, Cerdiciates, & Panterios, Friniates, Garrulos, Hercates, Ilustes, Lapicinos: ceterum celeberrima nomina sunt ab Oriente Apuanorum, ab Occidente Intemeliorum & Ingaunorum; in quas duas civitates nonnulli auctores Ligures dividunt; quos puto de Liguribus tantum Inalpinis intellexisse: Alpes enim Sabatio opido, quod postea Saona appellatum est, oriuntur; ac per totam maritimæ oræ longitudinem ad Varum flumen pertinent; totusque ille oræ tractus Ligures Alpini appellati sunt, atque in duo nomina, ut diximus, divisi, Intemeliorum & Ingaunorum; quorum singulorum populorum singula opida capita Album Intemelium, & Albingaunum appellata ab Alpibus, quæ olim Albiæ vocabantur; cum cetera Ligustica ora à Genua opido, unde Apenninus incipit, Apenninorum Ligurum sit; quorum Ligurum pars montanorum nomine à reliquis plana loca & maritima incolentibus distinguitur: crebra quoque apud eundem Livium & mentio est montium, Balistæ, Leti, Susimontii, Anidi: at in postrema Italiæ divisione in decem septem regiones à Constantino Magno, sive paulo ante Constantinum, facta, Liguriæ fines à Septentrione late prolati sunt. Nominibus enim Cenomanorum, Insubrum, Bojorum, ac ceterorum Gallorum exstinctis, quidquid felicium illorum ac late patentium Circumpadanorum camporum, Alpibus & Apennino includitur, in duas regiones, intersecante Abdua amne utriusque termino, partitum est, totaque ea pars, quæ in Septentrionem vergit, Venetia appellata est, at, quæ inde ad mare inferum, & ad Meridiem pertinet, Liguria; quibus duabus regionibus tertia Æmilia ab Oriente prætenditur. Nobilissimæ igitur urbes Liguriæ sunt contributæ; in quibus, præter eas, quas supra nominavimus, fuerunt Brixia, Bergomum, Laus Pompeji, Comum, quæ urbs nova colonia à divo Julio aucta Novumcomum postea appellata est.

Liguriam planam ab ea parte terminabat, atque ipsum Liguriæ caput, Mediolanum; quæ urbs sedes ac domicilium fuit Consularis Liguriæ, qui res profanas regebat; & Antistitis metropolitæ; cui ceteri Liguriæ Episcopi parebant. Hujus urbis magnitudo & potentia post ipsum urbem Romam rerum dominam, atque orbis caput, dubium non est, quin non modo Italiæ, sed totius fortasse Romani orbis urbes superarit: tradit enim Procopius, certissimus rerum antiquarum auctor, à Gothis, qui eam urbem deleverunt, trecenta civium millia virilis tantummodo sexus obtruncata; cum fœminæ captivæ Burgundionibus fœderatis dono datæ sint. Sunt qui in hac postrema Constantiniana divisione oram maritimam à Liguria abscindant, & Alpibus Cottyis contribuant, quas usque ad portum Lunæ porrigunt: ceterum iis compluribus & certissimis monumentis refelluntur; epistolis præsertim ab Antistitibus Liguriæ ad permista Concilia in Græcia atque in Orientis Provincias acta, datæ; in quibus Episcopi hujus oræ maritimæ nominatim inter ceteros Ligures subscribuntur. Hujus nominationis auctores fuisse Gothos puto; eos, cum Circumpadanos campos, totamque illam feracissimam ac beatam planitiem occupassent, horrido circa imminentium montium adspectu deterritos, à re magni laboris magnorumque discriminum, ac nullius, aut perexigui fructus abstinuisse, eamque partem Liguriæ Romanis reliquisse; ac cum tractum illorum montium continentium cernerent, haud satis diligentes nominum investigatores, ejus rei, quæ nihil ipsos attingebat, quamquam unam & eandem putabant, continuata illa juga uno & eodem nomine Alpium Cottyarum, quod primum Italiam ingredientibus occurrebat, appellasse; eundem errorem, iisdem de causis, postea secutos Longobardos caussam errandi scribentibus præbuisse. Posteroribus demum temporibus, initio facto à Regno Italico Pipinorum, longe angustioribus utitur finibus Liguria; cum ab Occidente, Oriente, Meridie, eosdem quidem terminos retineat & Vari & Macræ amnium, ac maris Tyrrheni, à Septentrione ipsis Apennini jugis terminetur, qui antea eam medium fecabant: cum omnis hæc Provincia in mare inferum vergat; nomenque oræ Genuensis acceperit, obedientiam erga principem urbem ipsa denominatione præferens.

Liguriæ situ & finibus expositis, restat, ut, quæ fortuna hujus gentis fuerit, paucis peritiam gamus. Bellicosam in primis Italicarum fuisse Ligusticam gentem bella cum Romanis per 80. annos gesta declarant: cum nullis umquam aceeptis cladibus ita frangerentur animis Ligures; ut non mox, aliàs minoribus, aliàs majoribus motibus, ad bellum confugerent; atque arma non semper infeliciter tractata resumerent: cum gens dura, & aspera, ac malis durata jugum ferre non posset: in qua re gloria Ligurum ceteris populis Italis, qui Romana arma exercuerunt, eo præfulget, quod illi incipientibus Romanorum viribus, atque in ipso crescentis potentiæ initio belligerarunt: at Ligures tum cum Romanis bella misceruerunt, cum Romani Carthaginiensibus perdomitis, magnaque orbis parte subacta, in flore virium essent. Initium armorum factum est anno urbis conditæ DXV. Ti. Sempronio Gracebo, Publio Valerio Faltone Consulibus; persequæque Gracchi ductu pugnatum, Zonaras tradit. Eutropius anno sequenti, Lucio Lentulo, Quinctio Flacco Consulibus. Adjicit Florus, bellum à latrociniis Ligurum Etruriam populi Romani Provinciam incurrentium esse exortum. Triennio vero post, cum iidem iterum arma sumpsissent, primum à Lucio Postumio Albino victi sunt: deinde à Quinctio Pabio Maximo Consule tanta illorum multitudo cæsa est, ut, quod tradit Plutarchus, finem jam latrociniorum facerent. Sed ne tum quidem viribus ita accisis diu quieverunt: nam anno DXVIII. duos Consules Marcum Æmilium & Marcum Junium adversus eos cum exercitu profectos, & anno DXXX. de eisdem Publium Furium Philum triumphasse, in Capitolinis Tabulis scriptum est: inde anno DXXXV. ad fortunam animos inclinantes, venienti ad se Annibali duos Quæstores Romanos interceptos C. Fulvium & L. Lucretium tradiderunt, cum duobus Tribunis militum & quinque equestris ordinis Senatorum ferme liberis; quo magis ille ratam fore cum his pacem fociera-

temque crederet. Ingens ea irritatio animorum Romanorum fuit: ceterum illi, gravioribus rebus urgentibus, ultionem in commodius tempus differre coacti sunt. Nonnullis post annis, eodem bello Punico Italiam urente, Mago Pœnus cum ex minore Balearica cum classe triginta rostratarum navium, ac nonnullarum onerariarum profectus, duodecim peditum & duo equitum millia in Italiam trajecisset; exscensu ad Genuam facto, opidum repentino adventu cepit, & direptum diruit: inde ad oram Ligurum Alpinorum classem appulit; societatemque cum Ingaunis junxit, qui tum bellum cum Epanteriis montanis gerebant: præda Genua avecta Savone opido Alpino deposita. Fine secundo bello Punico impositio, omniumque animis Romæ in bellum Macedonicum versis, Sallyi, Iluates, nonnullique alii Ligures populi novas injurias ad veteres addiderunt, societate cum Gallis Cisalpinis juncta; qui ab Amilcare Pœno exciti, Placentiam Romanorum coloniam invaserunt, captamque ac direptam magna ex parte incenderunt, contra quos Cremonam, alteram Romanorum coloniam, armis ad illam translatis, obsidentes L. Furius Prætor missus est; qui Gallos & socios Ligures acie victos magna clade affecit; supra triginta quinque millia eorum partim cæsis, partim captis, cum signis militaribus septuaginta, carpentis Gallicis multa præda oneratis plus ducentis. Hæc victoria digna triumpho visa est: Luciusque Furius de Gallis ac Liguribus triumphavit, Sulpicio Galba, Aurelio Cotta Consulibus. Tertio post anno, cum ambobus Consulibus Cn. Cornelio Cethego & Q. Minutio Rufo Italia Provincia decreta esset; Consules partitis muneribus, Cornelius recta ad Insubres via, qui tum in armis erant, Cenomanis assumptis; Q. Minutius in lævа Italiæ ad inferum mare flexit iter; Genuamque exercitu abducto, ab Liguribus orsus est bellum: quæ res evidenti argumento est, Genuam cuam tum io bellis cum Liguribus Romanas partes semper secutam: opida Classidium, Lirubium, utraque Ligurum, & duæ gentis ejusdem civitates, Celelates, Cerdiciatesque se dediderunt; & jam omnia cis Padum, præter Gallorum Bojos, & Iluates Ligurum, sub ditione erant: pauloque post ab altero Consule Cornelio Insubribus acie victis, ingentique illorum edita cæde, legiones à Consulibus in Iluates Ligures, qui soli non parebant, ductæ: ea quoque gens, ut Insubres acie victos, Bojos ita, ut tentare speciem certaminis non auderent, territos audivit, in deditionem venit: quibus rebus Romæ cognitis, supplicatio in quattriduum decreta est, reversique Romam Consules, alter Cornelius de Insubribus Cenomanisque in magistratu triumphavit: alter Minucius in Albano de Liguribus, Bojisque Gallis triumphavit. Anno insequenti Italia ambobus Consulibus L. Furio Purpureone & M. Claudio Marcello decreta. In Ligures non quiescentes inductus exercitus est. Anno post L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone Consulibus, cum Valerio Italia obvenisset, P. Porcius Læca Provinciam Pisas, ut ab tergo Liguribus esset opositus, sortitus est. Anno post, Publius Cornelius Scipio Africanus iterum & Tiberius Sempronius Longus Consules, conjunctis copiis, Ligurum agros populati sunt; nulla alia memorabili re adversus eos gesta. Postero anno, Lucio Cornelio Merula & Q. Minucio Thermo Consulibus; quorum Cornelius Galliam, Minucius Ligures sortiti suot, cum nihil belli exspectaretur, Ligurum viginti millia armatorum, conjuratione per omnia conciliabula universæ gentis facta, Lunensem agrum primum depopulati sunt: Pisanum deinde finem transgressi, omnem oram maris peragrarunt: pauloque post Ligurum quindecim millia in agrum Placentinum venerunt; & cum usque ad ipsa coloniæ mœnia & Padi ripas, cum cædibus & incendiis perpopulati sunt: qui tumultus tantam Romæ terroris fecerunt, ut decreverit Senatus, non placere, Tribunos cauſſas militares cognoscere, quo minus ad edictum conveniretur: Consules delectu habito in Provincias profecti sunt: hoc bellum persequens Livius †, *Nec in Italia*, inquit, *segnius Ligurum bellum crescebat, Pisas jam* XL. *millibus hominum, assumente quotidie multitudine ad famam belli spemque prædæ, circumsedebant. Minucius Consul Arretium diu, quem eduxerat ad convenendum militibus, venit; inde quadrato agmine ad Pisas duxit, &, cum hostes mille passuum ab opido trans fluvium movissent castra, Consul urbem haud dubie servaturam adventu suo est ingressus. Postero die & ipse trans fluvium quingentos fere passus ab hoste posuit castra: inde levibus prœliis a populationibus agrum sociorum tutabatur; in aciem exire non audebat, novo milite & ex multis generibus hominum collecto, nec dum noto satis inter se, ut fidere alii aliis possent. Ligurum multitudine freti, & in aciem exibant, parati de summa rerum decernere; & abundantes multum numero passim multas manus per extrema finium ad prædandum emittebant; & cum coacta vis magna pecorum prædaque esset, paratum erat præsidium, per quod in castella eorum, vicosque ageretur.* Idem Livius paulo post *, *Diu nihil*, inquit, *in Liguribus dignum memoria gestum erat. Extremo ejus anni bis in magnum periculum res adducta est: nam & castra Consulis oppugnata acre sunt defensa; & novus multo post, per saltum angustum cum duceretur agmen Romanum, ipsas fauces exercitus Ligurum insedit; qua cum exitus non pateret, conversо agmine redire instituit Consul; & à tergo fauces saltus occupate à parte hostium erant; Caudinæque cladis memoria non animis modo, sed prope oculis obversabatur. Numidas octingentos ferme equites inter auxilia habebat: eorum Præfectus Consuli polliceatur, se parte utra vellet cum suis eruptarum: tantum uti decret, utra pars frequentior vicis esset, in eos se impetum facturum, & nihil prius quam flammam tecta intulerunt, ut is pavor cogeret Ligures excedere saltu, quem obsiderent, & discurrere ad opem ferendam suis. Collaudatum eum Consul spe præmiorum onerat. Numida equos conscendunt, & obequitare staturibus hostium nemanem lacessentes cœperunt. Nihil primo adjectu contemptus: equi hominesque paulati & graciles; discinctus & inermis eques, præterquam quod jacula secum portat: equi sine frænis, deformis ipse cursus, rigida cervice & extento capite, currentium. Hunc contemptum de industria augmies, labi ex equis, & per ludibrium spectaculo esse. Itaque qui primo intenti paratique, si lacesserentur, in stationibus fuerant, jam inermes, fedentesque pars maxima spectabam. Numida adequitare, dein refugere; sed propius saltum paulatim evehi; velut qui, impotentes regendi, equi invitos efferrent: postremo subditis calcaribus, per medias stationes hostium erupere, & in agrum latiorem evecti, omnia propinqua vi tecta incendunt: proximo deinde vico inferunt ignem; ferro, flammaque omnia pervastant. Fumus primo conspectus, deinde clamor trepidantium in vicis auditus, postremo fœminæ, puerique refugientes tumultum en castris fecerunt: itaque sine consilio, sine imperio, pro se quisque currere ad sua tutanda; momentoque temporis castra relicta erant, & obsidione liberatus Consul, quo intenderat, pervenit.*

Insequenti anno L. Quinctio & Cn. Domitio Ahenobarbo Consulibus, Q. Minucio, cum exercitu, quem in Liguribus habebat, prorogatum imperium, cui additum: in supplementum ut IV. millia peditum Romanorum scriberentur, & CC. equites: & sociis eodem quinque millia peditum imperarentur, CCC. equites: quibus copiis auctus

† *Lib.* XXXV. *cap.* III. * *Lib.* QUINTO *cap.* XI.

Minu-

Minucius in agro Piſano cum Liguribus ſignis collatis pugnavit; novem millia hoſtium occidit, ceteros ſuſos fugatoſque in caſtra compulit, eſque in noctem magno certamine oppugnata defenſaque ſunt, nocte clam profecti Ligures; prima luce Romanus vacua caſtra invaſit: prædæ minus inventum eſt, quod ſubinde ſpolia agrorum capta domos mittebant. Minucius nihil deinde laxamenti hoſtibus dedit: ex agro Piſano in Ligures profectus, caſtella vicoſque eorum igni ferroque pervaſtavit: ibi præda Etruſca quæ miſſa à populatoribus fuerat, repletus eſt miles Romanus: at Conſules Quinctius in Ligures, Domitius adverſus Bojos profecti ſunt, jam inſequentis anni Conſulibus delignatis L. Cornelio Scipione & Acilio Glabrione. Boji quieverunt, atque etiam Senatus eorum cum liberis & profecti cum equitatu (ſumma omnium mille & quingenti) Conſuli dederunt ſeſe: ab altero Conſule ager Ligurum late eſt vaſtatus, caſtellaque aliquot capta, unde non prædæ modo omnis generis cum captivis parta, ſed recepti quoque aliquot cives ſociique, qui in hoſtium poteſtate fuerant, cum Cornelius Conſul, cui Italia Provincia obvenerat, legiones in agrum Bojorum induxiſſet.

Sub idem fere tempus Ligures lege ſacrata coacto exercitu, nocte improviſo caſtra Q. Minucii Proconſulis aggreſſi ſunt. Minucius uſque ad lucem intra vallum militem inſtructum tenuit, intentus, ne qua tranſcenderet hoſtis munimenta: prima luce duabus ſimul portis eruptionem fecit: nec primo impetu, quod ſperarat, Ligures pulſi ſunt; duas amplius horas dubium certamen ſuſtinuere: poſtremo cum alia atque alia agmina erumperent, & integri feſſis ſuccederent ad pugnam; tandem Ligures inter cetera etiam vigiliis confecti, terga dederunt. Cæſa ſupra quattuor illorum millia, ex Romanis ſociiſque minus trecenti perierunt: Conſul cum ſignis collatis cum Bojis pugnaſſet, ingentemque victoriam tuliſſet, duo de triginta hominum millibus cæſis; impeditus tamen eſt triumphus à Tribuno plebis per eam cauſam, quod bella Ligurum Gallis ſemper juncta fuiſſent, eæque inter ſe gentes mutua ferrent auxilia: debuiſſe igitur Conſulem, victis Bojis, in Ligures cum victore exercitu tranſire; debellari enim ſic potuiſſe; aut Minucio tertium jam annum in Liguribus bellanti partem copiarum tranſmitti.

Anno, qui inſecutus eſt, L. Cornelio Scipione & C. Lælio Conſulibus, Minucius ſcripſit, Provinciam confectam. Inſequenti anno M. Fulvio Nobiliore & Gn. Manlio Vulſone Conſulibus, L. Bæbius Prætor in Hiſpaniam proficiſcens à Liguribus circumventus eſt; qui ipſe vulneratus, cum paucis ſine lictoribus, Maſſiliam profugit. Duobus poſt annis, Conſulibus M. Valerio Meſſallæ Piſæ cum Liguribus, C. Livio Salinatori Gallia, obvenerunt, qui Meſſalla, exitu anni nulla memorabili re in Liguribus geſta, Romam ad ſubrogandos Conſules venit. Inſequenti anno Conſulibus M. Æmilio Lepido, C. Flaminio, ambobus Ligures Provincia decreta, cum in Liguribus magni belli & gliſcentis in dies magis fama eſſet. *Dum hæc*, inquit Livius *lib.* XXXIX. *cap.* 1. *(ſi modo hoc anno acta ſunt) Romæ aguntur, Conſ. ambo in Ligaribus gerebant bellum. Is hoſtis velut natus ad continendam inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem diſciplinam erat; nec alia Provincia militem magis ad virtutem acuebat: nam Aſia, & amœnitate urbium, & copia terreſtrium maritimarumque rerum, & mollitia hoſtium, regnique opibus ditiores, quam fortiores exercitus faciebat: præcipue ſub imperio Cn. Manlii ſolute ac negligenter habitis ſunt: itaque aſperiores paullo ster in Thracia, & exercitator hoſtis magna clade eos caſtigavit: in Liguribus omnia erant, quæ militem exercerent: loca montana & aſpera, quæ & ipſis capere labor erat, & ex præoccupatis dejicere hoſtem; itinera ardua, anguſta, inſeſta inſidiis: hoſtis levis, & velox, & repentinus, qui nullum uſquequam tempus, nullum locum quietum aut ſecurum eſſe ſineret: oppugnatio neceſſaria munitorum caſtellorum laboriosa ſimul, periculoſaque; inopi regio, quæ parcimonia adſtringeret milites, præda haud multum præberet. Itaque non laxa ſequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat: nihil præter arma & viros omnem ſpem in armis habentes, erat: nec deerat unquam cum eis vel materia belli, vel cauſa: quia propter domeſticam inopiam vicinos agros incurſabant; nec tamen in diſcrimen ſummæ rerum pugnabatur. C. Flaminius Coſ. cum Friſnatibus * Liguribus in agro eorum pluribus prœliis ſecundis factis, in deditionem gentem accepit, & arma ademit: & quia non ſincera fide tradebant, cum caſtigaretur, relictis vicis, in montem Auginum confugerunt: conſectum ſecutus eſt Conſul. Ceterum effuſi rurſus, & pars maxima inermes, per invia & rupes diruptas præcipitantes fugerunt, qua ſequi hoſtis non poſſet: ita trans Apenninum abierunt: qui caſtris ſe tenuerant, circumſeſſi expugnati ſunt. Inde trans Apenninum ducta legiones: ibi montis, quem ceperant, altitudine pauliſper ſe tutati, mox in deditionem conceſſerunt: tum conquiſita cum intentiore cura arma, & omnia ademta. Tranſlatum deinde ad Apuanes Ligures bellum, qui in agrum Piſanum Bononienſemque ſæpe incurſaverant, ut eos non poſſet. His quoque perdomitis, Conſul pacem dedit finitimis: & quia, a bello quieta ut eſſet Provincia, effecerat; ne in otio miſtem haberet, viam a Bononia perduxit Arimınum †. M. Æmilius alter Conſul agros Ligurum vicoſque, qui in campis aut vallibus erant, ipſis montes duos, Balſtam Suiſmontumque, tenentibus, deuſſit, depopulatuſque eſt. Deinde eos, qui in montibus erant, adortus, primo levibus prœliis fatigavit; poſtremo coactos in aciem deſcendere, juſto prœlio devicit, in quo & edem Dianæ vovit. Subactis eis Apenninum omnibus, tum tranſmontanos adortus, (in his & Briniates * Ligures erant, quos non aderat C. Flaminius) omnes Æmilius ſubegit, armaque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit; viamque ab Placentia, ut Flaminia commetteret, Arimınum perduxit, prœlio ultimo, quo cum Liguribus ſignis collatis conflixit, edem Junonis reginæ vovit. Hæc in Liguribus eo anno geſta.

Ne tantis quidem accepti cladibus ita Ligures animis fracti ſunt, ut non inſequenti anno ingentibus motibus ad bellum conſurgerent, alterque Conſul in eos mittendus fuerit. †† *Q. igitur Marcius in Ligures Apuanos eſt profectus: dum penitus in abditos ſaltus (quæ latebræ receptaculaque ſemper illis fuerant) perſequitur; in præoccupatis anguſtiis loco iniquo eſt circumventus: quattuor millia militum amiſſa, & legionis ſecunda ſigna tria, undecim vexilla, ſocium ac Latini nominis in poteſtatem hoſtium venerunt; & arma multa, qua, quia impedimento fugientibus per ſilveſtres ſemitas erant, paſſim jactabantur: prius ſequendi Ligures finem quam fuga Romani fecerunt. Conſul ubi primum ex hoſtium agro evaſit, ne quantum deminuta copia forent, appareret, in locis pacatis exercitum dimiſit: non tamen obliterare famam res male geſta potuit: nam ſaltus, unde exim Ligures fugaverant, Marcius eſt appellatus.*

Nec minus inſequens annus exercuit Romanos: ambo enim Conſules Appius Claudius Pulcher & M. Sempronius Tuditanus in Ligures Provinciam exercitum duxerunt: ** *Sempronius a Piſis profectus in Apuanos Ligures, vaſtando agros, urendoque vicos, & caſtella eorum, aperuit ſaltum uſque ad fluvium Macram & Lunæ portum. Hoſtes montem, antiquam ſedem majorum ſuorum, ceperunt: & inde,*

* Alii ſcribunt, *Friſionatibus.*
† Lege, *Arretium.*
‡ Reponendum *Friſnater.*
†† Inquit Livius *lib.* XLIII. *cap.* XX.
** Idem eodem *lib. cap.* XXXII.

Imperata locorum iniquitate, prælio dejecti sunt: & Ap. Claudius felicitatem virtutemque collega in Liguribus Inganis æquavit secundis aliquot prœliis: sex præterea oppida eorum expugnavit, multa millia hominum in ea cepit, bello auctores III. *&* XL. *securi percussit.*

Sequitur annus, Cn. Bœbio Tamphilo & L. Æmilio Paulo Consulibus, in quo nulla Provincia fuit, quæ Consulibus decerneretur præter Ligures: adeo præferocia ingenia nullis adversis rebus frangi poterant, ut ad pacem obnoxiam inclinarent. * *Scripserat enim Q. Fabius*, superioris anni Consul, *ex Liguribus, Apuanos ad rebellionem spectare; periculumque esse, ne impetum in agrum Pisanum faceren*t..... *Ob ea novos exercitus conscribi placuit; quattuor legiones in Ligures, ut singula quina millia & ducenos pedites, trecenos haberent equites. Socium item iisdem Latini nominis quindecim millia peditum addita, & octingenti equites. Profecti sunt igitur in Ligures, quæ tum una Consularis Provincia erat, ambo Consules: &, quia prospere ibi res gesserunt, supplicatio in unum diem decreta est. Liguruum duo millia fere ad extremum finem Provinciæ Gallicæ, ubi castra Marcellus habebat, venerunt, ut recuperentur, orantes. Marcellus opperiri eodem loco Liguribus jussit, Senatum per litteras consulnit. Senatus rescribere M. Ogulnium Prætorem Marcello jussit, versus fuisse, Consules, quorum Provincia esset, quam se, quid e Republica esset, decernere: tum quoque non placere sibi, per deditionem Ligures recipi, & receptis arma adimi; itaque eos ad Consulem mitti, Senatum æquum censere.*

Insequenti anno, P. Cornelio Cethego M. Bœbio Tamphilo Consulibus, Massilienses nunciarunt, maritimos agros infestos Ligurum latrociniis, ob quas res decretum est, ut alter ex Duumviris rerum navalium à promontorio Minervæ, maritimam oram Massiliam usque cum decem navibus tueretur. At L. Æmilius Paulus superioris anni Consul, prorogato imperio, principio veris in Ligures Inganos exercitum introduxit. Ubi primum in hostium finibus castra posuit; Legati ad eum per speciem pacis petendæ speculatum venerunt: neganti Paulo nisi cum deditis pacisci se pacem, non tam id recusabant, quam tempore opus esse ajebant, ut generi agresti hominum persuaderetur. Ad hoc decem dierum induciæ cum darentur; petierunt deinde, ne trans montes proximos castris pabulatum lignatumque milites irent: culta ea loca suorum finium esse: id ubi impetravere, post eos ipsos montes, unde averterant hostem, exercitu omni coacto, repente multitudine ingenti castra Romanorum oppugnare simul omnibus portis aggressi sunt: summa vi totum unum diem oppugnarunt; ita ut ne efferendi quidem signa Romanis spatium, nec ad explicandam aciem locus esset: conferti in portis, obstando magis quam pugnando, castra tutabantur: sub occasum solis cum recessissent hostes, duos equites ad Cn. Bœbium Proconsulem cum litteris Pisas mittit, ut obsesso sibi per inducias quamprimum subsidio veniret. Bœbius exercitum M. Pinario Prætori cunti in Sardiniam tradiderat: cæterum & Senatum litteris certiorem fecit, obsideri à Liguribus L. Æmilium: & M. Claudio Marcello, cujus proxima inde Provincia erat, scripsit, ut, si videretur ei, exercitum ex Gallia traduceret in Ligures, & L. Æmilium liberaret obsidione. Hæc sera futura auxilia erant. Ligures postero die ad castra redeunt. Æmilius, cum & venturos sciisset, & educere in aciem copias potuisset, intra vallum suos tenuit; ut extraheret rem in id tempus, quo Bœbium cum exercitu venire à Pisis posset. Romæ magnam trepidationem litteræ Bœbii fecerunt; eo majorem, quod paucos post dies Marcellus, tradito exercitu Fabio, Romam cum venisset, spem ademit, eum, qui in Gallia esset, exercitum in Ligures traduci posse; quia bellum cum Istris esset, prohibentibus coloniam Aquilejam deduci: eo profectum Fabium, neque unde regredi bello inchoato posse. Una, & ea ipsa tardior, quam tempus postulabat, subsidii spes erat; si Consules maturassent in Provinciam ire. Id ut facerent, pro se quisque Patrum vociferari. Consules, nisi consecto delectu, negare se ituros, nec suam segnitiem, sed vim morbi in causa esse, quo senus perficeretur: non tamen potuerunt sustinere consensum Senatus, quin paludati exirent, & militibus, quos conscriptos haberent, diem edicerent, quo Pisas convenirent: permissum, ut qua irent, protinus subitarios milites scriberent, ducerentque secum: & Prætoribus Q. Pomilio & Q. Fabio imperatum est, ut Petillius duas legiones civium Romanorum tumultuarias scriberet, & omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret. Fabio, ut sociis Latini nominis xv. millia peditum, octingentos equites imperaret. Duumviri navales creati C. Matienus & C. Lucretius, navesque iis ornatæ sunt: Matienoque, cujus ad Gallicum sinum Provincia erat, imperatum, ut classem primo quoque tempore duceret in Ligurum oram, si quo usui esse L. Æmilio, atque ejus exercitui posset. Æmilius, postequam nihil usquam auxilii ostendebatur, interceptos credens equites, non ultra differendum ratus, quin per se fortunam tentaret, priusquam hostes venirent, qui jam segnius, socordiusque oppugnabant, ad quattuor portas exercitum instruxit; ut signo dato simul ex omnibus partibus eruptionem facerent: quattuor extraordinarias cohortibus duas adjunxit, præposito M. Valerio legato: erumpere extraordinaria porta jussit: ad dexteram principalem haftatos legionis primæ instruxit: principes ex eadem legione in subsidiis posuit. M. Servilius & L. Sulpicius Trib. militum his præpositi; tertia legio adversus principalem sinistram portam instructa est: id tantum mutatum: principes primi, & haftati in subsidiis locati. Sex. Julius Cæsar & L. Aurelius Cotta Trib. militum huic legioni præpositi sunt. Q. Fulvius Flaccus legatus cum dextra ala ad quæstoriam portam positus; duæ cohortes, & triarii duarum legionum in præsidio castrorum manere jussi. Omnes portas concionabundus ipse imperator circumit, & quibuscumque irritamentis poterat, iras militum acuebat: *Nunc fraudem hostium incusans, qui pace petita, inducias datis, per ipsum inducierum tempus, contra jus gentium, ad castra oppugnanda venissent: nunc quantas pudor esset edoceus, ab Liguribus latronibus, versus quam hostibus justis, Romanum exercitum obsideri. Quo ore quisquam vestrum, si hinc alieno præsidio non vestra virtute evaseritis, occurret, non dico ex militibus; qui Annibalem, qui Philippum, qui Antiochum maximos nostra ætatis Reges Ducesque vicerunt; sed iis, qui hos ipsos Ligures aliquoties pecorum modo fugientes per saltus invios conscelsos cecidertnt? quod Hispani, quod Galli, quod Macedones, Pœnive non audeant, Ligustinus hostis vallum Romanum subit, obsidet ultro, & oppugnat; quem ferutantes antea devios saltus, abditum & latentem vix invenebamus?* Ad hæc consentiens reddebatur militum clamor; *Nullam militum culpam esse, quibus nemo ad erumpendum signum dedisset, dare signum, intelligerunt, eosdem, qui antea fuerunt, & Romanos, & Ligures esse.* Bina eis montes castra Ligurum erant: ex iis, primis diebus sole orto pariter omnes compositi & instructi procedebant: tum nisi exsatiati cibo vinoque arma non capiebant: dispersi, inordinati exibant; ut qui-

* Livius *lib.* XL. *cap.* I. & XVI.

quibus pro ſpe certum eſſet, hoſtes extra vallum ſigna noo claturos. Adverſus ita incompoſitos eos venientes, clamore pariter omnium, qui in caſtris erant, calonum quoque & lixarum ſublato, ſimul omnibus portis Romani eruperunt. Liguribus adeo improviſa res fuit, ut perinde, ac ſi inſidiis circumventi forent, trepidarent. Exiguum temporis aliqua forma pugnæ fuit: fuga deinde effuſa, & fugientium paſſim cædes erat: equitibus dato ſigno, ut conſcenderent equos, nec effugere quemquam ſinerent, in caſtra omnes trepida fuga compulſi ſunt: deinde ipſis exuti caſtris. Supra XV. millia Ligurum eo die occiſa, capta duo millia & quingenti. Triduo poſt Ligurum Ingaunorum omne nomen, obſidibus datis, in deditionem venit: gubernatores nauſque conquiſiti, qui prædatores fuiſſent navibus: atque omnes in cuſtodiam conjecti: & à C. Matieno Duumviro naves ejus generis in Liguſtina ora XXXII. captæ ſunt. Hæc qui nunciarent, litteraſque ad Senatum ferrent, L. Aurelius Cotta, C. Sulpicius Gallus Romam miſſi: ſimulque peterent, *Ut L. Æmilio confectis Provinciis decedere, & deducere ſecum milites liceret, atque dimittere.* Utrumque permiſſum ab Senatu; & ſupplicatio ad omnia pulvinaria per triduum decreta; juſſique Prætores, Petillius urbanus dimittere legiones, Fabius ſociis atque nomini Latino remittere delectum; & uti Prætor urbanus Conſulibus ſcriberet, *Senatum æquum cenſere, ſubitarios milites tumultus cauſſa conſcriptos, primo quoque tempore dimitti.* L. igitur Æmilius Paullus ex Liguribus Ingaunis triumphavit; tranſtulit coronas aureas quinque & viginti: nec præterea quidquam auri argentique in eo triumpho latum: captivi multi principes Ligurum ante currum ducti: æris trecenos militibus diviſit. Auxerunt ejus triumphi famam Legati Ligurum pacem perpetuam orantes: *Ita in animum induxiſſe Ligurum gentem, nulla unquam arma, niſi imperata à populo Romano ſumere.* Reſponſum à Q. Fabio Prætore eſt Liguribus juſſu Senatus: *Orationem eam non novam Liguribus eſſe; mens vero ut nova & oratione conveniens eſſet, ipſorum ad plurimum referre: ad Conſules irent, & quæ ab ipſis imperata eſſent, facerent: nulla alia, quam Conſulibus Senatum creaturum eſſe, ſincera fide in pace Ligures eſſe.* Pax in Liguribus fuit.

Ceterum nec ſic quidem pacatæ Ligurum res ſunt, ut noo ambobus inſequentis anni Coſſ. Aulo Poſtumio Albino Luſco, & C. Calpurnio Piſoni Ligures Provincia decerneretur: quibus mandatum eſt, ut cum binis legionibus Romanis, ac ſociis Latini nominis quindecim millibus octingentis equitibus, Apuanis Liguribus arma inferrent. P. Cornelius & Marcus Bæbius, qui in conſulatu nihil memorabile geſſerant, in Apuanos Ligures exercitum induxerunt. Ligures, qui ante adventum in Provinciam Conſulum non exſpectaſſent bellum, improviſo oppreſſi, ad duodecim millia hominum dediderunt ſe: eos, conſulto per litteras prius Senatu, deducere ex montibus in agros campeſtres, procul ab domo, ne reditus ſpes eſſet, Cornelius & Bæbius ſtatuerunt, nullum ante finem rati fore Liguſtini belli. Ager publicus Populi Romani erat in Saluntibus, qui Taurafinorum fuerat: ii cum eum traducere Ligures Apuanos vellent, eduxerunt, *Ligures ab Appennino montibus deſcenderent cum liberis conjugibuſque: ſua omnia ſecum portarent.* Ligures ſæpe per Legatos deprecati, *Ne penates, ſedem, in qua genus oſſent, ſepulcra majorum cogerentur relinquere; arma, obſides pollicebantur:* poſtquam nihil impetrabant, neque vires ad bellandum erant, edicto paruerunt. Traducti ſunt publico ſumptu ad quadraginta millia liberorum capitum cum feminis puerisque: argenti data centum & quinquaginta millia feſtertium, unde in novas ædes compararent, quæ opus eſſent: agro dividendo, dandoque iidem, qui traduxerant, Cornelius & Bæbius præpoſiti: poſtulantibus tamen ipſis, quinque viri ab Senatu dati, quorum ex conſilio agerent. Tranſacta re, cum veterem exercitum Romam deduxiſſent, triumphus ab Senatu eſt decretus. Hi omnium primi nullo bello geſto triumpharunt: tantum hoſtes ducti ante currum: quia nec quid ferretur, neque quid duceretur, captum, neque quid militibus daretur, quicquam in triumphis eorum fuerat.

Poſt hæc Conſules ambo in Ligures exercitus induxerunt diverſis partibus, Poſtumius prima & tertia legione Bahiſtam Suiſmontiumque montra obſedit; & premendo præſidiis anguſtos ſaltus eorum, commeatus intercluſit, inopiaque omnium rerum eos perdomuit. Fulvius ſecunda & quarta legione, adortus à Piſis Apuanos Ligures, qui eorum circa Macram fluvium incolebant, in deditione acceptos, ad ſeptem millia hominum in naves impoſita præter oram Etruſci maris Neapolim tranſmiſit; inde in Samnium tranſducti, agerque iis inter populares datus eſt. Montanorum Ligurum ab A. Poſtumio vineæ cæſæ, frumentaque deuſta: donec clades omnibus belli coacti in deditionem venerunt, armaque tradiderunt. Navibus inde Poſtumius ad viſendam oram Ingaunorum, Intemeliorumque Ligurum proceſſit. Q. Fulvius Cos. profectus in Ligures, per invios montes, valleſque, ſaltus cum exercitu tranſgreſſus, ſignis collatis cum hoſte pugnavit; neque tantum acie vicit, ſed caſtra quoque eodem die cepit. Tria millia ducenti hoſtium, omniſque ea regio Ligurum in deditionem venit. Conſul deditos in campeſtres agros deduxit, præſidiaque montibus impoſuit. Celeriter & ex Provincia litteræ Romam venerunt: ſupplicationes ob eas res geſtas in triduum decretæ ſunt. Prætores quadraginta hoſtis majoribus per ſupplicationes rem divinam fecerunt. Ab altero Conſule L. Manlio nihil memoria dignum in Liguribus eſt geſtum.

Sub Iſtrici finem belli, apud Ligures conſilia de bello haberi cœpta. C. igitur Claudius juſſu Senatus, ex Iſtria legiones in Ligures traduxit. Ad Scultennam flumen in campos progreſſi caſtra habebant hoſtes: ibi cum his acie dimicatum; quindecim millia cæſa, plus ſeptingenti aut in prælio, aut in caſtris (nam ea quoque expugnata ſunt) capti, & ſigna militaria unum & quinquaginta capta. Ligures reliquæ cædis in montes refugerunt paſſim: populantique campeſtres agros Conſuli nulla uſquam apparuerunt arma. Claudius de duabus gentibus Iſtris & Liguribus ſimul triumphavit: tulit in eo triumpho denarûm trecenta ſeptem millia, & victoriatûm octoginta quinque millia necn. militibus in ſingulos quini deni denarii dati, duplex centurioni, triplex equiti: focus dimidio minus quam civibus datum: itaque taciti, ut iratos eſſe ſentires, ſecuti ſunt currum. Dum is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures, poſtquam ſenſerunt non conſularem tantum exercitum Romam adductum, ſed legionem ab T. Claudio Piſis dimiſſam, ſoluti metu, clam exercitu indicto, per tranſverſos limites ſuperatis montibus in campos digreſſi, agrum Mutinenſem populati, repentino impetu coloniam ipſam ceperunt. Id ubi Romam allatum eſt, Senatus C. Claudium Conſulem comitia primo quoque tempore habere juſſit, creatiſque in annum Magiſtratibus, in Provinciam redire, & coloniam ex hoſtibus eripere. Ita, uti cenſuit Senatus, comitia habita, Coſſ. creati Cn. Cornelius

Scipio Hiſpalus, Q. Petilius Spurinus. Petilio Ligures obvenerunt.

Interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit: ante triduum quam oppugnare cœperat, receptum opidum ex hoſtibus, colonis reſtitut: octo millia ibi Ligurum intra muros cæſa, Q. Petilius Coſ. collegam, qui extemplo magiſtratum occiperet, creavit C. Valerium Lævinum. Is jamdiu cupidus Provinciæ, cum opportunè cupiditati ejus litteræ allatæ eſſent, *Ligures rebellaſſe*; Nonis Sextilibus paludatus litteris auditis, tumultus ejus cauſſa legionem tertiam ad C. Claudium Proconſulem in Galliam proficiſci juſſit: & Duumviros navales cum claſſe Piſas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. Eodem & Q. Petilius Coſ. ad convenendum exercitui diem edixerat; & C. Claudius Proconſul audita rebellione Ligurum, præter eas copias, quas ſecum Parmæ habebat, ſubitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admovit. Hoſtes ſub adventum C. Claudii, à quo Duce ſe meminerant nuper ad Scultennam flumen victos, fugatoſque, locorum magis præſidio adverſus infeliciter expertam vim, quam armis ſe defenſuri, duos montes Letum & Balliſtam ceperunt; muroque inſuper amplexi, tardius ex agris demigrantes, oppreſſi ad mille & quingentos perierunt. Ceteri montibus ſe tenebant, & ne in metu quidem feritatis ingenitæ obliti, ſæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat: captivos cum fœda lacerationе interficiunt; pecora in fanis trucidant verius paſſim, quam rite ſacrificant: ſatiati cæde animantium, quæ inanima erant, parietibus affligunt, vaſa omnis generis uſui magis quam ornamento in ſpeciem facta. Q. Petilius Coſ. ne abſente ſe debellaretur, litteras ad C. Claudium miſit, *Ut cum exercitu ad ſe in Galliam veniret, campos Macros ſe eum expectaturum.* Literis acceptis Claudius ex Liguribus caſtra movit, exercitumque ad campos Macros Conſuli tradidit. Eodem paucis poſt diebus C. Valerius Conſul alter venit, ibi diviſis copiis, priuſquam digrederentur, communiter ambo exercitus luſtraverunt: tum fortiti, quia non ab eadem utrumque parte aggredi hoſtem placebat, regiones, quas peterent. Valerium auſpicato fortitum conſtabat, quod in templo fuiſſet; in Petilio id vitio factum poſtea augures reſponderunt; quod extra templum ſortem in ſitellam in templum latam foris ipſe poſuerit. Profecti inde in diverſas regiones, Petilius adverſus Balliſtæ & Læti jugum, quod eos montes perpetuo dorſo inter ſe jungit, caſtra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi ominatum ferunt, *ſe eo die Letum capturum eſſe.* Duabus ſimul partibus ſubire in adverſos montes cœpit: ea pars, in qua ipſe erat, impigre ſuccedebat: alteram hoſtes cum propulliſſent, ut reſtitueret rem inclinatam Conſul equo advectus, ſuos quidem à fuga revocavit; ipſe dum incautius ante ſigna obverſatur, miſſili trajectus cecidit: nec hoſtes Ducem occiſum ſenſerunt, & ſuorum pauci, qui viderant, haud negligenter, ut qui in eo victoriam verti ſcirent, corpus occultavere. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hoſtibus, montes ſine Duce cepere. Ad quinque millia Ligurum occiſa, ex Romano exercitu duo & quinquaginta cecidere. Super tam evidentem triſtis ominis eventum, etiam ex pullario auditum eſt, *Vitium in auſpicio fuiſſe, nec ad Conſulem ignoraſſe.* C. Valerius audita ********* periti religionum, juriſque publici, quando duo ordinarii Conſules ejus anni, alter morbo, alter ferro periſſet, ſuffectum Conſulem negabant comitia habere poſſe ******* deduxit. Cis Apenninum Garruli, & Lapicini, & Hercates, trans Apenninum Brinniates fuerant. Quibus verbis Sigonius hos omnes Ligurum populos victos ex montibus in campos deductos à Lepido ſignificari exiſtimat, cui ego aſſentior. Inde pergit Livius † de altero Coſ. ita ſcribere: Inter Audenam amnem P. Mucius cum us, qui Lunam Piſaſque depopulati erant, bellum geſſit, omnibuſque in ditionem redactis arma ademit. Ob eas res in Gallia, Liguribuſque geſtas duorum Conſulum ductu auſpicioque, Senatus in triduum ſupplicationes decrevit, & XL. hoſtus ſacrificari juſſit. Et tumultus quidem Gallicus & Liguſtinus, qui principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi oppreſſus erat. Deinde anno DLXXX. in Liguribus, inquit Livius *, in agro Statellati pugnatum ad opidum Caryſtum. Eo ſe magnus exercitus Ligurum contulerat. Primo ſub adventum M. Popillu Coſ. meenibus ſeſe continebant; deinde poſtquam opidum oppugnaturum Romanum cernebant, progreſſi ante portas aciem ſtruxerunt; nec Conſul (ut qui idipſum oppugnatione commanda quæſiſſet) moram certamini fecit. Pugnatum eſt amplius treis boras, ita ut neutro inclinaret ſpes. Quod ubi Conſul vidit, nulla parte moveri Ligurum ſigna, imperat equitibus, ut equos conſcendant, ac tribus ſimul partibus in hoſtes quanto maximo poſſent tumultu incurrant. Pars magna equitum mediam trajecit aciem, & ad terga pugnantium pervaſit: inde terror injectus Liguribus, diverſi in omnes partes fugerunt: perpauci retro in opidum, quia inde ſe maxime objecerat eques. Ea pugna tam pervicax multos abſumpſerat Ligurum, & in fuga paſſim cæſi ſunt. Decem millia hominum cæſa traduntur: amplius DCC. paſſim capti: ſigna militariæ relata LXXXII. nec incruenta victoria fuit; amplius tria millia militum amiſſa, cum cedentibus neutris ex parte utraque primores caderent. Poſt hanc pugnam ex diverſa fuga in unum collecti Ligures, cum majorem multo partem civium amiſſam, quam ſupereſſe cernerent, (nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt ſeſe, nihil quidem illi pacti; ſperaverant tamen non atrocius, quam ſuperiores imperatores, Conſulem in ſe ſæviturum: at ille arma omnibus ademit, opidum diruit, ipſos bonaque eorum vendidit, litteraſque Senatui de rebus ab ſe geſtis miſit: quas cum A. Anilius Prætor in Curia recitaſſet (nam Coſ. alter Poſtumius agris recognoſcendis in Campania occuparat aberat) atrox res viſa Senatui: *Statellates, qui uni ex Ligurum gente non tuliſſent arma adverſus Romanos, tum quoque oppugnatos, non ultro inferentes bellum, deditos in fidem populi Romani, omnis ultimæ crudelitatis exemplo laceratos, ac deletos eſſe: tot millia capitum innoxiorum, fidem implorantia populi Romani, ne quæ unquam ſe poſtea dedere auderet, peſſimo exemplo venuiſſe, & diſtractos paſſim, juſtis quondam hoſtibus P. R. pacatis ſervire.* Quas ob res S. C. factum eſt, *Placere Senatui, M. Popillium Coſ. Ligures, pretio emptoribus reddito, ipſos reſtituere in libertatem; bonaque ut eis quidquid ejus recuperare poſſet, reddantur curare, arma primo quoque tempore fieri in ea gente: Conſulem de Provincia decedere, cum dedita in ſedem ſuam Ligures reſtituiſſet: clavum victoriam vincendo oppugnantes, non ſerviendo in afflictos fieri.* Conſul, qua ferocia animi uſus erat in Liguribus, eandem ad non parendum Senatui habuit: legionibus extemplo Piſas in hibernacula miſſis, iratus Patribus, infeſtus Prætori Romam rediit, Senatuque extemplo ad ædem Bellonæ vocato, multis verbis invectus eſt in Prætorem: *Quæ, cum ob rem bello bene geſtam, ita dus immortalibus*

† *Lib.* XLI. *cap.* XIX.
* *Lib.* XLII. *cap.* VII.

immo

bones haberetur, referre ad Senatum debuiſſet, adverſus ſe pro hoſtibus Senatuſconſultum feciſſet, quo victoriam ſuam ad Ligures transferret; dedique ius prope Conſulem Prætor juberet: itaque militiam ex ſe dicere; a Patribus poſtulare, ut Senatuſconſultum in ſe factum tolli juberent; ſupplicationemque, quam abſentes ex literis de bene geſta republica miſſis decernere debuerunt, præſentes honoris deorum primum cauſſa, deinde & ſui aliquo tandem reſpectu decernerent. Nihilo levioribus, quam abſens, Senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re in Provinciam redit.

Sequenti anno M. Popillius Proconſul iterum cum Statellatibus Liguribus pugnavit, ac decem millia eorum occidit: propter cujus injuriam belli ceteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Coſſ. C. Popillius & P. Ælius in Ligures profecti: Senatuſconſultum factum; *Ut qui Ligurum poſt Q. Fulvium, L. Manlium Conſules hoſtes non fuiſſent, eos C. Lucinus, Cn. Sicinius Prætores in libertatem reſtituendos curarent; agrumque iis trans Padum Conſul Popillius daret.* Multa millia hominum hoc Senatuſconſulto reſtituta in libertatem: tranſductiſque Padum ager eſt aſſignatus. Ita per aliquot annos otium in Liguribus fuit.

Anno autem DLXXXVII. Coſſ. ambos M. Claudium Marcellum & C. Sulpicium Gallum cum iiſdem rem proſpere geſſiſſe, ex mutilatis ipſorum triumphis, qui in Capitolinis exſtant Tabulis, apparet: à quibus iiſdem Alpinos Gallos, & Ligures ſubactos deletoſque eſſe, in Livianis *Epitomis*, & apud Obſequentem eſt ſcriptum: poſtremo vero anno Urbis quingenteſimo nonageſimo quinto in iiſdem Tabulis legitur M. Fulvium Nobiliorem Procoſ. de Liguribus Velcatibus triumphaſſe: qui annus eſt à primo hujus belli octogeſimus: ſiquidem anno Urbis DXV. initium ſcripſimus: hæc eſt autem nobilis illa victoria, de qua ſcribit, ut opinor, Strabo *lib.* IIII. his verbis: *Salyes primos ex Tranſalpinis Gallis Populus Rom. in ditionem redegit; cum deinceps adverſus eos & Ligures bellum geſſiſſet, quod iter per oram maritimam in Hiſpaniam impediebant: etenim & terra, & mari latrociniis infeſta reddebant omnia: atque iis opibus erant, ut vix magnis exercitibus viam præberent: octogeſimum autem demum annum bellum gerentes Romani effecerunt, ut iis, qui publice iter faceret, ad ſtadia duodecim vapularet.* Neſcio autem an hunc Fulvium Florus intellexerit, (nam multi cum Liguribus Fulvii ante bellum geſſerunt) cum dixit, *tandem Ligurum latebras Fulvius igne ſepſit:* unde Forum Fulvii cognomine Valentinum apud Plinium nomen accepit. Quo vero anno Ligures in poteſtatem ita conceſſerint, ut parere Prætori populi Romani coacti ſint, parum liquet. Strabo quidem poſt hoc tempus Romanos, Liguribus deletis, & tributo impoſito, eorum Reipublicam deſcripſiſſe tradit: quod eſt aliud nihil, quam eos in Provinciæ formulam redegiſſe. Quæ verba mecum ipſe contemplans, inquit Sigonius, & cum bellis, quæ poſt in Liguribus geſta ſunt, comparans, in eam adductus ſum opinionem, ut putem, Ligures aliquot poſt annis Provinciæ formam M. Æmilii Scauri Conſulis victoria anno DCXXXVIII. accepiſſe: quam ſententiam intelligo præterea multis poſſe me argumentis non leviſſimis confirmare: primum enim hic de Liguribus Gatiſcis triumphaſſe in libro *De Viris illuſtribus* ſertur: deinde eundem etiam in certum ultimæ quaſi victoriæ argumentum Æmilium in Liguribus ſtraville refert Strabo, quam per Piſas & Lunam uſque ad Sabatiam, & inde per Dertonam perduxit: poſtremo, quod caput eſt, poſt ho te mporis Ligurum, ut ſociorum in bellis Romanis, heri mentionem invenio.

Hæc fuerunt Ligurum cum Romanis bella, quæ per variam fortunam in octogeſimum annum extraxerunt; cum res ingentibus cladibus ſæpe acciſæ ſuſceptam animorum dimicationem exſtinguere non poſſent: illudque eſt ad gloriam eximium, atque haud ſcio, an unici exempli; quod Romani numquam ſeſe Liguriam Provinciam pacatam habituros ſperarunt; niſi quidquid floris, ac quidquid roboris in ea erat, abſtracto; quadraginta que capitum familiarum millibus ex ea eductis, atque in alias procul ſedes tranſlatis. Neque vero Ligurum, poſtquam in Provinciam redacti ſunt, vita deſes fuit, aut nomen contemptum; neque virtus cum libertate ſimul ab illis exſuta eſt. Ligurum enim cohortium forti ac fideli opera Romanos in bellis continenter uſos legimus: quam etiam nationem ingenioſos homines atque utiles Reipub. tuliſſe, duo illa illuſtria exempla declarant; alterum in bello Jugurthino gregarii illius militis, qui Marin de effectu jam deſperare incipienti, virtute & induſtria ſua viam patefecit ad arcis munitiſſimæ expugnationem. Sed longe majus operæ pretium factum eſt à Sp. Liguſtino; qui, cum reliqui centuriones nomina darent, Tribunoſque plebis appellaſſent, ſapienti & tempori apta oratione eos ad meliorem voluntatem traduxit, efficitque, ut ceteri centuriones omiſſa appellatione ad delectum obedienter reſponderent: quam orationem, in qua veri militis, & imperii obedientis effigies exprimitur, haud ab re duxi huc totidem verbis inſerere: *Spurius Liguſtinus* (inquit Livius [a]) *a Conſule & Tribunis petit, ut ſibi paucis ad populum agere liceret; permiſſu omnium ita locutus fertur: Sp. Liguſtinus tribus Cruſtumine ex Sabinis ſum oriundus, quirites; pater mihi jugerum agri reliqui, & parvum tugurium, in quo natus educatuſque ſum, hodieque ibi habito. Cum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris ſui filiam dedit; qua ſecum nihil attulit præter libertatem pudicitiamque, & cum hoc ſecunditatem, quanta vel in dis domo ſatis eſſet: ſex filii nobis, duæ filiæ ſunt, utraque jam nupta: filii quattuor togas viriles habent, duo prætextas ſunt; miles ſum factus P. Sulpicio C. Aurelio Coſſ. in eo exercitu, qui ex Macedoniam eſt tranſportatus, biennium miles gregarius ſui adverſus Philippum Regem; tertio anno virtutis cauſſa mihi T. Quinctius Flamininus decumam ordinem haſtatum aſſignavit. Devicto Philippo Macedonibuſque, cum in Italiam portati ac dimiſſi eſſemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio Coſ. in Hiſpaniam ſum profectus. Neminem omnium imperatorum, qui vivunt, acriorem virtutis ſpectatorem ac judicem fuiſſe ſciunt, qui & illum & alios Duces longa militia experti ſunt. Hic me imperator dignum judicavit, cui primum haſtatum prioris centuriæ aſſignaret: tertio iterum voluntarium miles factus ſum in eum exercitum, qui adverſus Ætolos & Antiochum Regem eſt miſſus. A M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ eſt aſſignatus. Expulſo Rege Antiocho, ſubactis Ætolis, reportatis ſumma in Italiam: & deinceps bis, qua annua merebant legiones ſtipendia, feci: bis deinde in Hiſpania militavi, ſemel Quinctio Fulvio Flacco, iterum Ti. Sempronio Gracchio Prætore: a Flacco inter ceteros, quos virtutis cauſſa ſecum ex Provincia ad triumphum deducebat, deductus ſum: a Ti. Gracchio rogatus in Provinciam ii: quater intra paucos annos primum pilum duxi, quater & tricies virtutis cauſſa donatus ab imperatoribus ſum: ſex civicas coronas accepi, viginti duo ſtipendia annuam exercitu emeritus habeo, & major annis ſum quinquaginta: quod ſi mihi nec ſtipendia omnia emerita eſſent, nec dum ætas vacationem daret, tamen cum quattuor milites, pro me uno vobis dare, P. Lucini, poſſem, equum erat me dimitti. Sed hæc pro cauſſa mea dicta accipiatis velim: ipſe me, quoad qui exercitus ſcribi, idoneum militem judicabit, numquam ſum excuſaturus. Ordine, quo me dignum judicent Tribuni*

[a] *Lib.* XLII. *cap.* XXXIV.

mili-

militum, ipſorum eſt poteſtatis. Ne quis me virtute in exercitu præſtet, dabo operam, ut ſemper ita feciſſe me, & imperatores mei, & qui una ſtipendia fecerunt, teſtes ſint. Vos quoque commilitones, etſi appellationis vobis uſurpatus jus, cum adoleſcentes nihil adverſus Magiſtratuum Senatuſque auctoritatem uſquam fecerits: nunc quoque in poteſtate Senatus ac Conſulum eſſe, & omnia honeſta loca ducere, quibus Reſpub. defenſori ſitis. Hæc ubi dixit, collaudatum multis verbis Conſ. ex concione in Senatum duxit. Ibi quoque ex ea auctoritate Senatus gratia alia, Tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis cauſſa ei aſſignarunt. Ceteri centuriones omiſſa appellatione, ad deletium obedienter reſpondere-runt.

Nec Corſæ mulieris Liguris hiſtoria ſilentio prætereunda eſt, quæ nomen ſuum inſulæ à ſe inventæ dedit: quam rem Iſidorus libro XIV. *Etymologiarum* capite VI. his verbis tradit: *Corſica*, inquit, *inſula exordium Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis: nam quadam Corſa nomine Ligus mulier, cum taurum ex grege, quem prope littora regebat, tranſnatare ſolitum, atque per intervalla corpore auſto remeare videret, cupiens ſcire incognitu ſibi pabula, taurum à ceteris digredientem uſque ad inſulam navigio perſecuta eſt; cujus regreſſu inſula fertilitatem cognoſcentes Ligures ratibus eo provecti ſunt, eamque nomine mulieris auctoris & ducis appellaverunt.* Hactenus Iſidorus: quæ verba eo ex Salluſtii libro ſecundo *Hiſtoriarum* huc tranſlata apparet ex Priſciani *libro* ſexto: qui prima hujus carminis verba ſic citat: *Salluſtius Hiſtoriarum libro ſecundo, Sed ipſi ferunt, taurum ex grege, quem prope littoru regebat, Corſa nomine Ligus mulier*, &c. Hanc famam uſque ad ſua tempora tenuiſſe affirmat Rutilius Claudius Numatianus, qui iter ſuum maritimum ab urbe in Galliam metro ſcripſit: quamquam ipſe rem fabuloſam putat: ego cur famæ per tot ſæcula tectatæ, quæ præſertim Salluſtium & alios graves Scriptores auctores habeat, fidem derogem, non video. Denique illud eſt ad laudem hujus nationis in primis inſigne, quod Virgilius * eam inter fortes & ſtrenuas Italiæ gentes commemorans, nobili elogio illam perpetuo decoravit,

Aſſuetumque malo Ligurem.

qua laude nulla militares viros magis commendat.

Quæ de Liguria Provincia inveni, breviter perſtrictis, ad urbem ipſam Genuam venio: quæ unde hoc nomen habeat ductum, neque compertum quærentibus eſt, neque cum magno ullo ſane operæpretio quæritur: nam quæ de Jano Trojano, & de altero Jano Genio Rege Italiæ, ac de Genuo quodam & Genuino nonnulli ſomniarunt; ea neque ullis certis Hiſtoriarum monumentis, quibus ſtemus, traduntur; ac ne à veterum quidem Poetarum fabulis narrantur: quæque Catonis & Beroſi nomine circumferuntur inſcripta volumina, ea falſo egregiis auctoribus ab imperitis affingi, multa perſpicua ſunt argumenta. Catonis quidem mentitum commentarium præter cetera lingua ipſa refellit, longe ab ea diverſa, qua ætas Catonis utebatur, quaque clarus vir res ſuas litterarum monumentis mandavit.

Inter cetera igitur vetuſtate incomperta, cauſſa quoque nominis noſtræ civitatis erit: quamquam ego facere non poſſim, quin, quæ tacita cogitatio ſæpe volutavit animum, eam in medium proferam. Illud inter omnes auctores conſtat Apennini initium à Genua fieri; ad eamque urbem Alpes cum Apennino committi, ut ea hujus regionis pars, quæ eſt ultra urbem Genuam, Ligures Inalpini vocentur. Cum igitur duo hi celeberrim orbis montes in angulum ad Genuam opidum conjungantur, ac formam genu efficiant, haud omnino à vero abſimile eſt, hoc opidum à forma genu Genuæ nomen accepiſſe. De ea re ſui cuique libera exiſtimatio ſit. Hanc urbem celebre ſemper fuiſſe Ligutiæ emporium, omnes veteres auctores, in iſque nominatim Strabo, conſentiunt. Quæ urbs partes Romanas perpetuo ſecuta magno in pretio ſemper apud illos fuit: quippe quæ claſſium & copiarum Romanarum receptaculum eſſet: quod ut illis tollerent Carthaginienſes, à Magone Pœno diruta eſt: hancque fuiſſe primam Genuæ dirutionem tradunt; cum ſecunda Rotharis Longobardi fuerit; quam tamen, Carthaginienſibus Italia ſummotis, Romani è veſtigio iterum ædificarunt: eaque de cauſſa Lucretio conſulare imperium prorogatum eſt: adeo jam tum dignitas civitatis noſtræ excellebat, ut ad eam inſtaurandam Romani conſulare imperium prorogandum cenſuerint.

Sed nihil ad dignitatem urbis noſtræ commendandam æque facit, ac tabula ahenea in valle Porciferæ avorum noſtrorum memoria reperta: quæ teſtatur Genuam jam tum caput circumjectæ regionis fuiſſe, unde circumfuſi populi jura peterent: ad ejus enim forum rejiciuntur controverſiæ, ſi quæ de finibus aliſve de rebus inter Ligufticos populos in illis tabulis nominatos exortæ fuerint. Quæ omnia perſpicuo argumento ſunt, Genuenſes non ex iis Liguribus populis fuiſſe, quos latrociniis vitam tolerantes difficilius erat invenire quam vincere. Eos credibile eſt fuiſſe montanos, & Apuanos Ligures, in ſpeluncis latentes, atque omni hominum generi inſociabiles. Verba autem ejus tabulæ, in qua plurima eſt, neque cognitu indigna, vetuſtatis effigies, hue transferre non piguit:

Q. M. Minucius. Q. F. Rufeis. de controverſiis inter Genuates & Veſturios in re præſente cognoverunt, & coram inter eos controverſias compoſeiverunt, & qua lege agrum poſſiderent, & qua fines fierent dixerunt. Eos fines facere, terminoſque ſtatui jouſſerunt ubei ea facta eſſent, Romam coram venire jouſſerunt Roma coram ſententiam ex ſenat. con. dixerunt eidib. Decemb. L. Caecilio. Q. F. Q. Muntio. Q. F. Coſſ. qua ager privatus caſtelli Veituriorum eſt, quem agrum eos vendere, heredemque ſequi licet, is eger vectigal nei ſiet Langatium fineis agri privati ab rivo infumo, qui oritur ab fontes Inmanniceio ad flovium Edem, ibei terminus ſtat. Inde flovie ſurſovorſum in flovium Lemurim, inde flovio Lemuri ſurſum uſque ad rivum Comberame. Inde rivo Comberama ſurſum uſque ad convallem Capiemam, ibei termini duo ſtant circum viam Poſtumiam. Ex eis terminis recta regione in rivo Vindupale, ex rivo Vindupale in flovium Neviaſca, inde dorſum flovio Neviaſca in flovium Procoberam, inde flovie Procobera deorſum uſque ad rivom Vinelaſcam infumum, ibei terminus ſtat, inde ſurſum rivo recta Vinelaſca, ibei terminus ſtat propter viam Poſtumiam: inde alter trans viam Poſtumiam terminus ſtat: ex eo termino quei ſtat trans viam Poſtumiam recta regione in fontem Inmanniceium. Inde deorſum rivo quei oritur ab fonto Inmanniceio ad terminum quei ſtat ad flovium Edem agri poplici, quod Langenſes poſſident. Hiſce fineis videntur eſſe, ubei confluont Edis & Procobera, ibei terminus ſtat: inde Ede flovio ſurſuorſum in montem Lemurino infumo, ibei terminus ſtat: inde ſurſum vorſum jugo recto, monte Lemurino, ibei terminus ſtat: inde ſurſum jugo recto Lemurino, ibei terminus ſtat in monte Procavo. Inde ſurſum jugo recto in montem Lemurinum ſummum, ibei terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in caſtellum, quei vocatur Talianus, ibei terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem ſoventionem, ibei terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Apeninum, quei vocatur Boplo, ibei terminus ſtat. Inde Apenino jugo recto in montem Tuledonem, ibei terminus ſtat. Inde deorſum jugo recto in flovium Vtragiaſcam in montem Berigemam

* Lib. II. *Georgic.* v. 168.

guenam infumo, ubei terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Prenicum, ubei terminus ſtat. Inde deorſum jugo recto in flovium Tulelaſcam, ubei terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto Bluſtiemelo en montem Claxelum, ubei terminus ſtat. Inde deorſum in fontem Lebremelum, ubei terminus ſtat. Inde recto rivo Eniſeca in flovium Procoberam, ubi terminus ſtat. Inde deorſum in flovium Procoberam, ubei confluunt flovis Edis & Procobera, ubei terminus ſtat, quem agrum poplicum judicamus eſſe. Eum agrum Caſtellanos, Langenſes Veiturios poſſidere fruique videtur oportere: pro eo agro vectigal Langenſes Veiturios in poplicum Genuam dent in annos ſingulos vic. N. CCCC. ſei Langenſes eam pequniam non dabunt, neque ſatisfacient arbitratu Genuatium, quod per Genuenſes mora non ſtat, quo ſetius eam pequniam accipiant. Tum quod in eo agro natum fuerit frumenti partem vicenſumam, vini partem ſextam Langenſes in poplicum Genuam dare debento in annos ſingulos. Quei intra eos fineis agrum poſſidet Genuas aut Veiturius quei eorum poſſedeit K. ſex. L. Caicilio Q. Munie Coſ. eos ita poſſidere colereque liceat. Quei poſſidebunt, vectigal Langenſibus pro portione dent ita, uti ceteri Langenſes, qui eorum in eo agro agrum poſſidebunt, fruunturque: praterea in eo agro nei quis poſſideto, niſi de majore parte Langenſium Veituriorum ſententia dum ne alium intromittat, niſi Genuatem, aut Veiturium colendi cauſſa. Quei eorum de majore parte Langenſium Veiturium ſententia ita non parebit, is agrum nei habento nei ve fruimino. Quei ager compaſcuus erit: in ea agro quo minus pecuaſcere Genuates Veiturieſque liceat ita utei in cetero agro Genuati compaſcuo nei quis prohibeto, nei ve quid vim facito: nei ve prohibeto, quo minus ex ea agro ligna materiamque ſumant, utanturque. Vectigal anni primi K. Januariis ſecundis. Veiturius Langenſes in poplicum Genuam dare debento: quod ante K. Jan. primas, Langenſes fructi ſunt eruntque, vectigal nuvitis dare nei debento. Prata quæ fuerunt proxima fornifices L. Caicilio. Q. Munio Coſ. in agro poplico, quem Veiturius Langenſes poſſident, & quem Opiates, & quem Deſtuninei, & quem Cavaturines, & quem Mentovines poſſidem, ea prata invitei Langenſibus, & Opiatibus, & Deſtuninibus, & Cavaturinei, & Mentovinei, quem quiſque eorum agrum poſidebit, nuvitei eis nei quis ſicet, nei ve paſcat, nei ve fruatur: ſei Langenſes, aut Odiates, aut Deſtuninei, aut Cavaturines, aut Mentovines mallent in eo agro alia prata immittere, defendere, ſicare, id uti facere liceat dum ne amplioreve modum pratorum habeant, quam proxuma ætate habuerunt: ſi fructique ſunt Veiturieſ quei controverſias Genuenſium ob injurias judicavit aut damnatus ſunt, ſei quis in vinculeis ob eas res eſt, eis omnes ſolvei, mittei, leiberique Genuenſes videtur oportere ante eidus ſex. primas: ſei quoi de ea re eumquem videbitur eſſe, ad nos adeant primo quoque die, & ab omnibus controverſieis, & bono. publ. leg. Moco Mercanio Meticoni. F. Planeus Peliani Peliani. F.

Sub Imperio Romano, ut cetera Italia, & Liguria fuit, uſque ad adventum Gothorum; à quibus quamquam Liguriam & Genuam nuſquam captam legi, tamen in imperium Gothorum eam Provinciam, eamque urbem ceſſiſſe, certiſſima exſtant monumenta. Multa enim pro imperio Theodoricus, & alii Reges Gothi Genuæ per epiſtolas ſuas mandaſſe leguntur: quæ urbs, Gothis à Beliſario exactis ſub Imperium Romanum Græcorum redit, priuſquam Mediolanum caput, & ceteræ Liguriæ civitates: ſiquidem, Beliſarius cum nonnullas copias Græcas ſub Ducibus idoneis ad recuperandum Mediolanum miſiſſet, ii Duces è portu Romano ſolventes, Genuæ copias expoſuerunt, indeque ad deſtinata conſilia profecti ſunt. Tum Genua per Duces regebatur; eratque, Totila regnante, Dux quidam Genuæ Bonus nomine, ex quo Totilas occaſionem arripuit talis doli neſtendi: adulterinas enim litteras Boni nomine compoſuit, quas ad Beliſarium dedit, qui tum cum claſſe in Dalmatia adverſus Gothos res gerebat: ejus virium partem ut à Beliſario abſtraheret Totilas, ſcribebat Boni nomine, ſeſe à Gothis nimium premi, reſque in extremum adductas; neque poſſe diutius à ſe reſiſti, niſi validum armatorum ſubſidium ſibi ſubmittatur. Quot ſimiles Duces Genua habuerit, incompertum plane eſt, quemadmodum illud quoque ignotum, an Totilas ſimul cum reliquis Italiæ regionibus Genuam recuperarit. Illud conſtat Roma à Narſete Imperio Græcorum Cæſarum recuperata, Gothiſque Italia plane exterminatis, Genuam ſub Cæſarum Græcorum Imperio ſeptuaginta annos fuiſſe; eamque regimini ſenatoris populi, qui tum magiſtratus Romæ res Imperii regebat, ſubjectam. Gothos ſubſecuti ſunt Longobardi, gens fera & truculenta; qui, cum omnes Circumpadanos campos occupaſſent, præter maritimas Liguriæ civitates, totam illam latiſſime patentem regionem, omnibus veteribus nominibus plane exſtinctis, à ſuo nomine Lombardiam appellarunt.

Quo tempore eadem fuit civitatis Genuæ ſors, quæ multis ante annis urbis Venetiarum: cui originem dederunt Forojulienſes, & ceteri accolæ populi, qui imminentem procellam ab Atila primum, deinde à ceteris barbaris nationibus, in paludes illas confugientes vitarunt, tantæque civitatis fundamenta jecerunt. Sic Honoratus Archiepiſcopus Mediolanenſis, cujus illis & poſterioribus temporibus magnum ſemper nomen fuit, ſummaque in rebus Liguſticis auctoritas, cuique omnes ſacri Ligurum Antiſtites parebant, furori immanium Barbarorum ſe ſubtrahens, cum magna Mediolanenſis nobilitatis parte Genuam ſitu munitiſſimam urbem conceſſit; in eaque ipſe cum nobilitate, quam diximus, ſedes ac domicilium per annos ſeptuaginta conſtitutum habuit: cujus rei certiſſima exſtant monumenta, tam in *Epiſtolis* beati Gregorii, quam in aliis probatis auctoribus; ut par ſatum utriuſque civitatis fuerit: ac, quemadmodum Venetiæ ex ruinis circum accolentium conflatæ ſunt; ita Genua ex incommodis & infelicibus caſibus præclariſſimæ urbis Mediolani, incolarum frequentia atque opibus in immenſum creverit: cum præſertim veriſimile ſit, multos ex Mediolanenſibus, in tam longo temporis ſpatio, partim affinitatibus ſeſe cum Genuenſibus conjunxiſſe, partim amœnitate cœli captos, ac commoditate ſitus allectos ad maritima commercia in primis aptam Genuam patriam ſibi ac poſteritati ſuæ ſumpſiſſe: cum præſertim Longobardi barbara lege ſua, uſu ac tractatione armorum, omnique re militari Italis interdixiſſent, remque ruſticam tantummodo, & mercatoriam negociationem illis reliquiſſent: quæ res finitimos populos ad Genuam incolendam invitare poterat.

Diſpar fortuna fuit ſeptimi Chriſtiani inſequentis ſæculi, cujus anno ſeptuageſimo Rotharis Rex eorumdem Longobardorum, transſcenſis jugis Apennini, in maritimam Liguriam deſcendit, totamque oram ſimul cum Genua, quæ ad eum diem ſub Imperio Romanorum ſemper fuerat, ditioni Longobardorum ſubjunxit; ac Genuam ipſum, ut Volaterranus tradit, evertit: ſub quibus fuit uſque ad invictum Carolum Magnum Regem Francorum inclytamque Pipinorum gentem; qui Longobardorum dominatum, qui in Italia ducennalis fuerat, prorſus delevit; Romanorumque Imperator anno Chriſtianæ ſalutis octingenteſimo Romæ in templo Vaticano feliciſſimis auſpiciis à Leone tertio creatus, & inauguratus; Imperiumque cum Græco Cæſare ita partitus, ut illi Provinciæ Orientales remanerent, Occidentales Carolo cede-

rent; Regnum Italiæ, quæ eſt citra Romam, exceptis Provinciis, atque urbibus, quæ honoris illius gratia Pontifici donata ſunt, inſtituit: eum omnes hujus Regni civitates ſingulæ per ſingulos Comites regerentur: primuſque Genuæ Comes Audemarus fuit, magnus vir, ac regia affinitate præfulgens, tum autem multis egregiis virtutibus inſignis, ac rebus geſtis clarus. Cauſſa tantum virum Genuæ præficiendi fuit, ut ejus ſpectatam virtutem Saracenorum conatibus opponeret; qui littoribus Hiſpaniæ omnibus, ac Narbonenſibus, & Maſſilienſibus magna ex parte occupatis, impetum ſuum in Italiam converterant; ejuſque littora, atque adjacentes inſulas Siciliam, Sardiniam, Corſicam, quas eidem Pontifici Carolus donaverat, infeſta claſſibus ſuis continenter faciebant. In quorum Comitum procuratione centum circiter annos urbs Genua fuit; donec Caroli & Pipinorum ſtirpe in Italia exſtincta; Imperioque à Francis ad Germanos tranſlato; ipſa cum ceteris fere Italiæ urbibus externo dominatu libera, ſuis Magiſtratibus liberis ſuffragiis creatis uti cœpit, qui Conſules appellabantur: quorum regimen nunquam niſi numero varians, trecentos circiter annos duravit; quoad ambitus civium, & contentiones peregrinum Prætorem in civitatem induxerunt: ut ſuo loco videbimus.

Primus Comes Andemarus fuit; cui negotium à Pipino datum eſt, Italiæ littora ad Saracenorum impetus, qui interjectas Corſicam & Sardiniam inſulas occuparant, tuta præſtandi. Hoc Comite Duce, ac præfecto, Genuenſes ingentem ac prævalidam claſſem comparaverunt; quæ ingens operæpretium inſigneque facinus fecit; Saracenis ex Corſica expulſis, ejuſque inſulæ imperio Genuenſi populo adjuncto: quod bello partum poſtea Romani Pontifices illi ratum fecerunt.

Ceterum annus decimi ſæculi trigeſimus ſextus lugubris & exitioſus urbi fuit: quam defenſoribus vacuam omnibus fere, qui erant armis ferendis, in expeditionem quandam profectis, Saraceni captam, direptamque incenderunt, & everterunt; imbelli multitudine partim cæſa, partim captiva abducta. Tenet fama eam rem portenduiſſe fonticulum haud procul à mari, ab eoque loco, in quo nunc moles ædificata eſt, qui paucis ante diebus ſanguine manavit, ripaſque ſuperfuſus proximas urbis plateas inundavit. His miraculis vulgi opinio ſemper gaviſa eſt, fidem vel affirmare, vel abrogare non neceſſe habeo. Ulti mox injuriam ac barbaram crudelitatem ſunt Genuenſes; qui ab expeditione reverſi, dolore dirutæ patriæ, ac conjugum, liberorum, parentum cæſorum & abductorum ardentes, abeuntes Saracenos veſtigiis perſecuti, ad inſulaſque Buſinarias, haud procul à littoribus Sardiniæ, adepti in eos prælio victos omnem efferatorum animorum rabiem effuderunt; omnibus, præter perpaucos, qui manus victorum ſubterfugerunt, velut pari pecudum numero trucidatis: ira igitur & odio ſtrage Barbarorum exſatiati, naves hoſtiles captas ſecum trahentes eum captivis recuperatis in patriam reverterunt.

Inſignis quoque eſt annus ejuſdem ſæculi quinquageſimus octavus, omnibus, quæcumque Genuenſes poſſidebant, ſimulque illorum Magiſtratibus, legibus, inſtitutis, diplomate Berengarii tertii, Albertique filii Italiæ Regum, dato Papiæ, quæ tum urbs Regum ſedes erat, comprobatis.

Memorabilis in primis eſt annus quinctus decimus undecimi ſæculi, inſula Sardinia à Genuenſibus & Piſanis ſocietate armorum conjunctis capta; Muſaſtoque Saraceno Rege captivo, qui cum ceteris præda Genuenſibus ceſſerat, ad Cæſarem miſſo. Diſcrepant ea in re haud parum inter ſe noſtri & Piſanorum Annales: illi enim rem latius explicantes, hanc quartam fuiſſe in Sardiniam adverſus Muſaſtum Regem expeditionem affirmant; hiſtoriam ordientes ab anno ejus ſæculi quincto, quo tradunt Piſanos primum ingentium præmiorum ſpe impulſos, Romanique Pontificis edicto inductos, quo Chriſtianos populos, quicumque maritimis opibus pollerent, ad Saracenos ex Sardinia exigendos, dono ipſiuſmet nobilis inſulæ incitabat, Sardiniam invaſiſſe: ceterum irritum inceptum fuiſſe, Piſanis bello Etruſco à Lucenſibus contra ipſos moto domum revocatis: qui, Lucenſibus expulſis, ac ſuis recuperatis, in Calabriam Rhegium, quæ urbs ipſa quoque à Saracenis tenebatur, obſidendum profecti ſunt: qua obſidione illis implicitis, Muſaſtum occaſione arrepta Piſanos ulciſcendi, prævalida claſſe comparata in Etruriam trajeciſſe, Piſaſque defenſoribus vacuis ſiue certamine cepiſſe, captaſque incendiſſe: cum qui domi remanſerant, tantam procellam vitantes, ſeſe in montana, & tuta loca ſubduxiſſent: at Piſanos Rhegio tandem expugnato, domum reverſos, cum prius urbem dirutam & incenſam inſtauraſſent, omnibus viribus conniſos, dolore & ira illos ſtimulante, cum ingenti claſſe Sardiniam ſeptimo poſt anno repetiſſe; Muſaſtoque tandem ejecto, inſula potitos: ceterum, cum Muſaſtus nonnullo poſt tempore reverſus Sardiniam recuperaſſet, graviter ea re commotum Pontificem, Epiſcopum Oſtienſem Legatum Piſas miſiſſe: quo, ſimulque Antiſtite Piſano hortantibus, dominatuque Sardiniæ Pontificio diplomate Piſanis rato facto, Piſanos ſexto poſt anno tertiam expeditionem ſuſcepiſſe, felici exitu: verum cum Muſaſtus exturbatus quieſcere non poſſet, Sardiniamque iterum recuperaſſet, Piſanos majore conatu id bellum ſibi capeſſendum ratos Genuenſes in ſocietate armorum ſibi adjunxiſſe, pactos, ut dominatus inſulæ recuperatæ ad Piſanos rediret, præda omnis Genuenſibus cederet.

In ſuperioribus expeditionibus, nihil eſt, quod fidem Piſanorum Annalibus abrogemus: at in hac quarta expeditione haud de parvis rebus Genuenſes & Piſani Annales inter ſe differunt: nam Muſaſtum captum & ad Cæſarem à Genuenſibus adductum Piſani prorſus comprimunt; quodque de partitione inſulæ & ſpoliorum à Piſanis traditur, ejus rei nulla eſt apud Genuenſes mentio. Porro parum veriſimile eſt Genuenſes parte infinim intervallo inferiore contentos fuiſſe: neque in tot contentionibus de jure imperii in ea inſula coram Cæſare ſæpe jactatis, Piſani hanc diviſionem ac conventa umquam propoſuerunt, quibus ipſorum cauſſa tantopere juvari poſſet: neque Abenobarbus Sardiniam inter Genuenſes & Piſanos æqualiter dividere jure potuiſſet; quæſitumque jus Piſanis auferre.

Porro Piſanorum Annales hiſtoriam Muſacti inſequi pergentes, Muſaſtum bellum poſtea ſæpe reparaſſe affirmant: adverſus quem Piſani cum prævalida claſſe profecti adverſa tempeſtate in Corſica retenti, inſulam defenſoribus vacuam occuparunt: quæ res prima concordes ad eam diem populos in arma egit. Genuenſes enim non ſolum deſiderio ſua recuperandi compulſi, ſed ira & indignatione, quod ſeſe à Piſanis ſpretos crederent, in omnia præcipitia illos agente, cum duodecim triremibus Arnum fluvium ſubire, atque urbem ipſam Piſas petere non dubitarunt. Magno illis animo fiducia ſtetit, claſſe à Piſanis profligata, ac magna parte navium, ſimul cum mercibus magni pretii, quas in Orientem vehebant, amiſſa: ut ea, multiſque, quæ eam conſecutæ ſunt, ætatibus triremes ad bellum & ad mercaturam pariter armabantur & inſtruebantur: qui mos non civitatis noſtræ modo, ſed omnium populorum fuit, quicumque rem navalem colebant.

Manca

Manca & detruncata omnia è rudibus illorum temporum scriptoribus traduntur : qui res verbo vix attingentes neque causas neque exitus bellorum produnt ; ut omnia veluti densissima ignorantiæ caligine obruta vix appareant, ae velut ex magno vetustatis intervallo procul adspicientibus vix cernantur : velut ea quoque in obscuriate versantur, quæ de expeditionibus in Africam & in urbem Dertusiam, illa anno nonagesimo, hac nonagesimo tertio factis, uno verbo tantummodo pronunciantur.

Sequitur ordinata & connexa temporum & rerum nostrarum series, initio facto ab anno Christianæ salutis millesimo nonagesimo sexto, quam nunc ordiri pergam, si prius, quæ ad religionem pertinent, paucis perstrinxero. Religionem & doctrinam Christianam civitas nostra à Nazario & Celso accepit, qui ab Apostolis legem humanæ salutis præcidem pronunciandam, in Galliam Cisalpinam, & in finitimas Provincias missi, extensione ad litus prope ab urbe Genua minus mille passus facta, urbem ingressi, nonnullosque dies in illa commorati cœlestis doctrinæ semina jecerunt : quæ brevi in pio populo uberrimos fructus tulerunt : quos aluit complurium sacrorum & egregiorum Antistitum sedula diligentia & nullis laboribus fessa sollicitudo : in quibus floruerunt Romulus, Syrus, Felix, Valentinus ; quos miraculis claros perpetuus vitæ cursus cum innocentia & continentia supra humanum captum actus ad cœlestes ac beatas sedes extulit. Præfulget Desiderius in pago prope ab urbe natus à Lingonibus Galliæ populis, qui postea Burgundi appellati sunt. Divino monitu Episcopus accersitus ; ac miraculo florescentis scipionis à Legatis ad hominem peregrinum quærendum missis deprehensus : qui miraculorum splendorem martyrii gloria cumulavit.

Nunc ad seriem rerum gestarum venio : quam à nullo clarjore initio ducere potuimus, quam à bello sacro : ad quod bellum omnes fere Europæ Proceres ingentibus motibus consurrexerunt, mirisque studiis exarserunt, religionis tantummodo & gloriæ stimulis incitati. Primum opus fuit ad Antiochiam : cujus urbis expugnatio diuturni laboris, ac multorum & magnorum discriminum fuit, multoque sanguine Christianis stetit ; ancipiti periculo circumsistente hinc à præsidio genere & numero prævalido, quo magna, ac natura & opere munita, urbs firmata erat, illinc ab innumerabilibus Turcarum copiis, à quibus sæpe acerrimis ac justis prælijs petiti fuit. In qua expugnatione cum à ceteris Christianis Ducibus & nationibus complura egregia fortitudinis, audaciæ, constantiæ edita sunt documenta ; tum vero Guisfeardorum atque Italorum militum, qui illos secuti sunt, virtus & consilium ita enituerunt, ut maximæ ac maximi nominis expugnatæ urbis, quæ caput Syriæ semper fuerit, tantaque habeat terrestres ac maritimas opportunitates duodecim millia passuum à mari distans, simulque cum illa late patentium circumjectarum regionum principatus ad Boemundum sit delatus : qui locus à Rege ipso Hierosolymorum proximus est. Igitur cum bellum ad hanc urbem confecisset ; primi Genuenses, Pontifice hortante, cum ingenti classe omnique bellico apparatu instructa, ad hoc magna vi nauticorum ac militum referta, anno Christianæ religionis millesimo nonagesimo septimo Christianis rebus subsidio venerunt. Sed neque numerus navium, neque Ducis nomen à scriptoribus traditur. Primo adventu littora Syriæ per immensam longitudinem occuparunt ; quæ res maritimas subvectiones exercitui tutas & pacatas fecit. Per idemque tempus Princeps Tarentinus, & Comes Tholosanus cum delecta quinque millium armatorum manu ad classem venerunt ; ingentemque annonæ ac bellicarum machinarum & ferramentorum numerum à Genuensibus acceperunt : quæ res magno usui Christianis rebus fuerunt. Insequenti anno sub finem mensis Maji, expugnata tandem Antiochia, qui labor annuus fere fuit, duo Christiani ordinum ductores, qui metu ingentium Turcarum copiarum ad captam urbem recuperandam adventantium noctu ex urbe clam profugerant, ad classem venerunt ; mentitique sunt, Antiochiam à Barbaris recuperatam. Quo trepido nuncio perculsi Genuenses simul omnia Syriæ littora ab innumerabili hostium multitudine per totam longitudinem prætenta occupata cernentes, cum ibi nec cum ullo operæ pretio, & cum magno periculo esset, solventes iter in patriam dirigunt : atque in itinere cum Myrream Lyciæ urbem tenuissent, reliquias inclyti vatis Joannis Baptistæ, ab urbe Alexandria metu imminentium bellorum eo translatas, à fœderatibus ædis divo Nicolao inscriptæ, quo in templo reliquiæ adservabantur, acceperunt ; à fœderatibus & antistitibus pro re certa edocti, eas non divi Nicolai, ut vulgo fama ferebat, sed sanctissimi Prodromi reliquias esse, historia, quemadmodum in eam urbem translatæ essent, exposita. Læti tanto cœlesti dono Genuenses sacras cineres acceptas, in cella in maximo templo regio sumptu ædificata, ac nobilibus signis ornata venerabundi collocarunt : quæ præsentibus miraculis magnæ sæpe opi in variis & periculosis casibus civitati nostræ fuisse traduntur. Eo anno in demortui locum Ayraldus Guaracchus Episcopus sussectus est.

Antiochia capta, ejusque possessione hostilibus copiis profligatis, (à quibus sæpe magno conatu est repetita) Boemundo stabilita, copiæ omnes per totam Syriæ longitudinem ductæ anno insequenti millesimo nonagesimo nono sacræ urbi Hierosolymis adnotæ sunt, omnisque vis belli ad eam urbem translata, præstoque fuit Genuensium classis : quam magnam fuisse inter omnes exteros scriptores constat ; cum numerus æque ut superioris classis vitio scribentium sit ignotus. Dux fuit Gulielmus Embriacus, vir acer ac strenuus, atque impiger, ad hoc sollertis ingenii, neque exigui consilii ; qui portum urbis Joppæ tenuit. Dum in ea esset statione, auditum est, classem Ægyptiam numero longe superiorem ex portu Ascalonis solvisse, ac Genuensem classem petere : cum qua Embriacus sese tanto viribus imparem congredi nihil aliud esse intelligens, quam se ipsum tantum virorum fortium numerum, tantamque bellicorum apparatuum vim, classem denique ipsam barbaro hosti occupanda prodere, prudenti consilio minima malorum eligenda statuens, exsensione extemplo hominum facta, omnibusque armamentis ac bellicis machinis commeatibusque & ceteris omnibus, quæ classis vehebat, in terram expositis, alveos navium vacuos demergit, ne in manum hostis venirent : consestimque ad exercitum cum nautis ac remigio delectaque bellatorum manu, cumque omnibus, quæ secum vexerat, iter capit : divinoque numine Christianis rebus propitio factum est, ut exigui damni species in magnum bonum verteret : machinæque & instrumenta à Genuensibus advecta expugnationem sacræ urbis accelerarent, sine iis diutius extrahendam, ut mox scribemus. Iter persequentes eum eo pervenissent, ut in conspectu sacram urbem haberent ; tum ingenti religione mentibus perfusis, venerabundi procidentes, solum, in quo Dei Filius esset natus ac vestigia fecisset, osculati sunt ; Deum immortalem, ejusque unigenitum Filium Christum Dominum humani generis redemptorem comprecati,

Ut militibus ſuis religionis ſtudio accenſis, ad ſacra loca è pollutis manibus impiorum Barbarorum eripienda tantos maris ac terrarum tractus emenſis, propitium adeſſet; bellumque cum nefariis ſuis hoſtibus ab ipſis commiſſum ipſe numine ſuo profligaret, ac cultores nominis ſui victoria compotes faceret, perfidoſque hoſtes fuga ac formidinis impleret: precatione peracta, ad exercitum perveniunt, à Bolonio atque ab omnibus ordinibus comiter ac lætè accepti. Magno uſui Chriſtianis rebus toto eo obſidionis tempore fuerunt Genuenſium machinæ bellicæ omnis generis, ab ipſis partim adductæ, partim ad exercitum per varias occaſiones ſubinde ædificatæ; ut Genuenſium fabrorum ſollertia & induſtria à ſcriptoribus illorum temporum haud vulgaribus præconiis celebretur; ceterum illud eſt ad memoriam longe inſigne Ducis ipſius Embriaci excogitatum. Is Bolionum adiens, *Lentam*, inquit, *rem fore provideo, imperator, tam munita ac tam valido præſidio firmata urbis expugnationem; niſi vires conſilio adjuvamus.* Cum collaudatum atque ingentibus promiſſis oneratum exprimere juberet imperator, quod tandem conſilium afferret; *Turrim*, inquit, *vaſta magnitudinis compactilem ad faciliores ſubvectiones adificare mihi in animo eſt; eo artificio exſtructam, ut cacumen deflexum, atque in mœnia inclinatum ab altero capite illis innitens, uſum pontis præbeat, per quem in urbem fit tranſitus: qua res mihi difficilis non erit, nec materia deficiente, & multitudine ſollertium & induſtriorum artificum abundante.* Lætus imperator, *Macte*, inquit, *virtute; in vero amabo præclarum cogitatum ad effectum perducere propera, opuſque tanta utilitatis rebus noſtris perfice, haud exiguam partem laudis ſacra urbs expugnata Genuenſi nomini conſilio præclaro iſto tuo, & tuorum induſtria pariturus.* Nulla igitur mora interpoſita, opus cœptum, Embriaco urgente, nocturnoque labore diurnoque continuato, brevi ad effectum perductum; cujus fruſta plauſtris ad mœnia promota ſunt, ibique turris coagmentata & erecta; ac coriis ad incendia arcenda ab anteriore parte contecta: qua re confirmatus Bolionius, turri mœnibus admota, præſtituto die vix orto ſole urbem validâ oppugnatione aggreditur: quæ cum nullis ex partibus ſegnis, tum vero à turri acerrima erat, Genuenſibus ex feneſtris, quibus multis in locis pateſacta erat turris, omne genus miſſilium atque ignium compoſitorum ingerentibus: caſuque, ſive verius divino conſilio, factum eſt, ut in ipſo ardore pugnæ acer ventus coortus terga Chriſtianorum afflans in ora adverſorum Saracenorum ferretur; quo cœleſti beneficio Chriſtiani utentes, animis renovatis majore impetu oppugnationem urgentes, magnam vim incenſarum facum in hoſtem conjiciunt: quæ cum motu ipſo & vi coorti venti majores conciperent flammas; ſtoriſque ac ſacculis variique generis munimentis ex materia igni obnoxia ab hoſtibus oppoſitis adhæſiſſent, brevi omnia conflagrarunt. Saracenis fruſtra incendium exſtinguere nitentibus; cum nemo illorum in loco, quem ceperat, conſiſtere poſſet, fumo ac vapore venti impulſu in Saracenorum ora tendente, ac nihil Chriſtianos ex propinquo ſtrenue pugnantes lædente: quare mœnibus ab ea parte defenſoribus nudatis, ſoloque mox complanato, turris propius promota eſt; adverſos quàm Saraceni firmiſſima erecta antenna, ex ea ſuſpenderunt tranſverſam trabem, quæ impulſa & reducta inſtar arietis turrim verberabat: at Genuenſes muralibus falcibus ante præparatis funem, quo trabs ſuſpenſa erat, præcidunt; quæ recta decidens, ac pondere ſuo terræ infixa in bonum etiam vertit: firmiſſimum enim ſuffulcrum, atque uſum ſublicæ inflexo turris cacumini præbuit. Igitur Gotofredus imperator haud cunctandum ratus, fretus divini numinis favore, Princeps ipſe per eum pontem mœnia ingreditur, miraculo audaciæ omnibus, qui aderant, obſtupefactis: quem è veſtigio Euſtatius frater conſecutus eſt: quo exemplo ceteris incitatis, magna armatorum multitudo eadem via tranſcendit, mœnibuſque ab ea parte occupatis, portaque maxima refracta, omnis exercitus in urbem irrupit. Hoc modo clariſſima urbs Hieroſolyma novem & triginta dierum oppugnatione à Chriſtianis recuperata eſt: quam Heraclio imperante captam Saraceni quadringentos nonaginta annos tenuerant.

Partem laudis hujus turris exſtructæ Piſani ſcriptores ad nationem ſuam trahunt: quam Genuenſes operis ſociam habuiſſe contendunt: quod mendacium ab exteris ſcriptoribus clare reſellitur: nam Francorum Annales ac Paulus Æmilius locupletiſſimus auctor rerum Gallicarum, idemque clariſſimus ſcriptor, totam eam laudem unis Genuenſibus tribuit: idem facit Gulielmus Archiepiſcopus Tyrius incorruptiſſimus ſacri belli ac diligentiſſimus ſcriptor, qui pluribus verbis rem narrat: neque vulgaribus laudibus ingenium & ſollertiam Gulielmi Ducis & Genuenſium effert: atque uſque adeo à communitate hujus laudis Piſanos excludit, ut eorum claſſem poſt Hieroſolymam ipſam expugnatam ex Italia ad littora Syriæ & Palæſtinæ appulſam tradat.

Captæ urbis, locis ſacris prius expiatis, ac rebus divinis rite ac religioſe procuratis, creatus Rex eſt conſentientibus Procerum ſuffragiis Robertus Dux Normanniæ, ſive dignitate, ſive promerito eminente, qui hujus belli cauſſa Inſignem ditionem vendidiſſet, maximamque ipſius Ducatus partem oppigeraſſet. At ille ingentibus gratis Ducibus actis, qui ipſum ceteris prætuliſſent, delatum regnum non accepit, cum nuncio accepto de obitu Gulielmi fratris Angliæ Regis, ad ſucceſſionem regni diſcedendum eſſet. Iteratis igitur comitiis, non minore ſtudiorum ardore regnum ad Bolionium Lotharingum delatum eſt: qui non minora moderatæ in regno accipiendo, quàm virtutis in illo merendo, edidit documenta, haud paſſus ſe regio diademate inſigniri; à pietate Chriſtiana alienum dictitans, in ea urbe *toortalem* hominem coronam auream geſtare, in qua Dei immortalis Filius è ſpinis contextam geſtaſſet.

Tertia expeditio inſequentis anni milleſimi centeſimi, ſex & triginta trieremium, ac ſex corbitarum, declaravit religionis ac gloriæ ſtudium in Genuenſibus ea tempeſtate indefeſſum; quod per intermiſſiones minimè relangueſcere paterentur: ad hoc index fuit, quanta eſſet Genuenſis nominis in tranſmarinis regionibus auctoritas. Ea eundem, quem ſuperior annus, Ducem habuit Gulielmum Embriacum; cui ſpectata virtus ac recens rerum geſtarum gloria honorem continuavit: hunc exteri fere ſcriptores Gulielmum Capitemalcum appellant; cognomine potius corporis & animi robur, quod in forti viro conſpectum in primis fuit, ſignificante, ut in claris viris ſæpe uſurpatum eſt, quam nomine familiæ honoris cauſſa cum vocantes, quæ nulla hujus nominis ne in ſerie quidem Magiſtratuum apud Annales noſtros legitur: quam familiam inter primates fuiſſe neceſſe eſt, cui ſumma imperia mandarentur. Claſſis igitur Kalendis Auguſti Genua ſolvens, octo hominum millia vehens non minus ad pedeſtria bella, quam ad navalia miniſteria inſtructorum, Laodiceæ urbis Conſtantinopolitanæ ditionis in Syriæ ora portum tenuit; in quo totam inſequentem hiemem in hibernis fuit.

A.C. hoc.

Cum Bolionius clariſſimis virtutibus, rerumque geſtarum atque inſignis pietatis gloria ſempiternis ſæculorum ætatibus memorabilis, luctuoſo Chriſtiani nominis caſu menſe Junio ex peſtilentia deceſſiſſet, neque plus annum in regno fuiſſet, exiguo-

guoque illo temporis curriculo poſt Chriſtianorum copiarum ex Syria diſceſſum complures non obſcuri nominis urbes Hieroſolymitano imperio adjunxiſſet; in demortui tam clari Principis locum ſuffectus eſt Balduinus frater, Legato Pontificio ac Patriarcha Hieroſolymitano auctoribus: qui regnum plenum contentionum ac diſcriminum non prius accepit, quam promiſſo à Genuenſibus acceptо, illos ſe auxilio ſuo non deſerturos; illorum videlicet claſſibus ac navalibus opibus ſe adverſus finitimorum Ægyptiorum conatus, qui illis temporibus mari plurimum poterant, communitum volens. Dignum ſe tanto fratre in regno regendo oſtendit Balduinus: quod decem & ſeptem annorum fuit; complurib⁹ ac magnis rebus geſtis, clariſque partis victoriis.

Interea claſſis Genuenſis illud hibernorum tempus haud quaquam ſegne tranſierat; ſed per varias occaſiones è portu exiens Saracenorum agrum crebris incurſionibus infeſtum faciens, variis belli cladibus affecit, incendiis ac ruinis paſſim graſſando. Appetente vere, ac tempore gerendarum rerum appropinquante, è portu exiens claſſis littora Syriæ legens urbem uſque Porphyriam, quæ vulgo poſtea Caphas appellata eſt, perrexit. Ibi adverſa tempeſtate coactus eſt præfectus claſſem in proximum urbis littus ſubducere; paulloque poſt claſſis Memphitii Regis quadraginta triremium idem littus, Genuenſibus inſpectantibus, prætervecta eſt: quare Dux, cum tempeſtas aliquantum exſæviſſet, claſſe raptim deducta Barbaros ſequi inſtitit; ſed atrociore exorta tempeſtate retro compulſus, ad eandem neceſſitatem claſſis iterum ſubducendæ adactus eſt. Die palmarum ſacris ſolennibus operati Genuenſes, idoneum tempus ad navigandum nacti curſum in Palæſtinam dirigunt: perpetuoque ac numquam interrupto curſus tenore Joppam appellunt: à Rege cum omni regiæ opulentiæ apparatu honoris cauſſa obviam profecto ſignis regiiſque inſignibus ſublatis & explicatis, ac ceteris omnibus honoris & amoris ſignificationibus comiter ac liberaliter accepti ſunt, collaudatique, quod in fide promiſſorum manſiſſent. Claſſe igitur in terram ſubducta, omnes Genuenſes copiæ; ſimulque cum illis remigium, Rege duce, Hieroſolymam iter intendunt, quo biduo pervenerunt; ſabbatoque majoris hebdomadis ſpectatores fuerunt ſtati anniverſarii miraculi lampadum ad Chriſti Domini ſepulcrum, igne cælitus demiſſo, ſine ullo humano miniſterio accenſarum, ingenti, ut par fuit, religione perfuſi: cui ſpectaculo Caffarus Annalium noſtrorum ſcriptor ſe affuiſſe tradit. Sacris paſchatis peractis Jordanem fluvium religionis cauſſa uſque profecti, flumine, quo Dei Filius ablutus à Joanne fuiſſet, cum veneratione conſpecto, ſocietatem, ut Gulielmus Tyrius tradit, gerendarum rerum cum Rege jungunt; iis conditionibus, ut tertia pars prædæ, & ſpoliorum, urbium, quas de hoſtibus capi contigiſſet, Genuenſibus cederet, duas tertias Rex haberet: rituſque & forum cum plena juriſdictione inter ſuos in captis urbibus nationi Genuenſi aſſignaretur.

Igitur Genuenſes una cum Rege Joppam repetunt: inde Aſſur, quæ Veteribus Antipatris fuit, maritimam urbem petunt. Hanc urbem, ut tradit Tyrius, Gottifredus ſuperiore proximo anno obſidione cinxerat; ceterum irrito incepto diſceſſerat, quod claſſe & navalibus facultatibus carens de expugnatione maritimæ urbis deſperaſſet: quibus poſtea auctus Balduinus obſidionem repetiit; urbemque ab ipſo terra, à Genuenſibus mari oppugnatam, tradentibus ſe opidanis, triduo recepit: qui compos ejus urbis factus, negotiis regni Hieroſolymam illum avocantibus, maritimas expeditiones perſequendas, ac Syriaca littora pacanda Legato Pontificio & Patriarchæ una cum Genuenſibus mandavit. Quare menſe Majo copiis in naves impoſitis, ac claſſe deducta, Cæſaream Palæſtinæ urbem maritimam petunt, eis ſeque ſubducta copiis in terram expoſitis, in quibus fuerunt octo Genuenſium millia, cum etiam remigium ad terreſtrem operam navandam deſcendiſſet, urbem circumſeſſam arta obſidione premere inſtituunt, machinaſque expugnandarum urbium fabricari: in quibus operibus dum ſunt, duo ex opidanis Saracenis opido prodeuntes ad Legatum & Patriarcham veniunt; factaque dicendi copia, alter eorum, *Si ab alio*, inquit, *populo Antiſtites armis peteremur, taciti ac ſine ulla admiratione rei inter mortales perpetuo uſurpata eventum exſpectantes ad nos noſtraque defendenda animos & corpora pararemus. Nunc vos Chriſtianos inermes, eos videlicet, quibus à veſtro Legiſlatore divinitus vobis dato, omni cede omnique aliena rei cupiditate diſerte interdictum ſæpe fande audivimus, mirari nec ſatis poſſumus conſilium iſtud veſtrum, qui lege veſtra ſpretis nos oppugnatum, ac civitatem noſtram nullis à nobis injuriis provocati ultro ademptum venitis, animam quoque ipſam nobis, ſi reſiſtimus, adempturi; ut tota Paleſtina & Syria ſcitiſtis: quas Provincias ſanguine ac cadibus impleſtis: voſque in primis miramur, Antiſtites, qui rebus gerendis præeſſe; quos legis doctores ac populi vobis commiſſi magiſtros ceteris exemplo & admonitionibus præire decuit: qui tamen pro eo, ut populos veſtros a pravis cupiditatibus revocetis, ad eas illos ultro inflammatis: quarum nefariarum rerum in altera vita rationem reddituri, in hoc, ſi Deus, pietas, religio, exiſtimatio ullius ponderis apud vos ſunt, hominibus reddere debetis.* Cui Antiſtites, *Novum hoc*, inquiunt, *ac nunquam antehac fande auditum eſt legationis genus: ceteri enim ſua, ac Reipublicæ ſuæ cauſſa legationes obeunt; vos, omnis veſtrarum rerum mentione omiſſa, noſtra cauſſa huc Oratores venuſtis; ad obſervandam legem noſtram nos hortantes, ac monentes, ut ſaveamus nos tanta noxa ſentiendi legie nobis divinitus data Deo immortali obſtringere. Remittimus hoc vobis, ne de noſtra ſalute vocem noſtram ſolliciti ſitis: nam nos præcepta & dogmata ſacra noſtra legis probe tenemus, qua de melioribus magiſtris, quam vos ſitis, didicimus: neque nos per tam immenſa terrarum ſpatia huc venimus ad res veſtras vobis adimendas; ſed ad noſtras à patribus & avis veſtris per ſummam injuriam olim occupatas recuperandas; utque ſacra loca ac templa ſacrilegis veſtris ſuperſtitionibus polluta expiemus; verumque divinum cultum, impiis ſacris exterminatis, reſtituamus: accenderunt præterea fratrum noſtrorum miſeria, & querela, quos ex immaniſſima ſervitute ac tantis erumnis eripiendos, atroſſimaſque illorum injurias pio juſtoque bello perſequendas ſuſcepimus; contumelias in divinum nomen, & in ſacra loca per tot ſæcula à vobis edita, ultore gladio punire aggreſſi: qua res adeo non repugnant ſacra legi noſtræ, ut contra ſacra Littera exemplorum plena ſint bellorum à ſanctiſſimis Patribus, ac piis Regibus divino monitu ſuſceptorum. Nam quas nobis in extrema oratione cædes in Syria factas objeciſtis, omnis ea de cauſſa contracta noxæ prorſus exſortes ſumus: qua penes illos tota eſt, qui injuriis barbaraque immanitate ſua nobis eam neceſſitatem ceteroquin ingenio moribus impoſuerunt. Aliena mala utile vobis exemplum ſint ad ſimilia prævanda; urbemque divi Petri, quam nos illius ſucceſſores noſtram vindicamus, nobis reſtituite, vobis rebuſque veſtris ſalvis; magna aliter earum rerum pernicies, quas modo in alios deſcripſiſtis, niſi ſanis conſiliis audientis fueritis, obſtinatione vobis ſtatura.*

Ita Saracenorum vana oratio ludibrio habita. Qui cum in urbem reverſi reſponſum Antiſtitum renunciaſſent, certamen ingens præbuerunt. Arcadius mercatorum ſalubria ſpecioſis præferens, auctor eſſe deditione neceſſaria civitatem à direptione aliſque belli cladibus redimendi: contra Mirus præſidii

& armorum præfectus, animo ac verbis ferox, imbelle consilium aspernari, seseque suæ ac suorum libertatis & dignitatis vindicem profiteri, communem Martem cum Christianis experturum; quos, auxilio Mahumetis fretus confideret, ignominiæ ac eladium plenos obsidionem irrito incepto solvere se coactutum. Quæ hominis vaniloquentia, arrogantiæque plena verba continuo (ut necesse erat in tanta propinquitate) ad exercitum perlata, tantam indignationem accenderunt, tantumque ardorem magnifica verba factis retundendi; ut continuo impetur animum subierit, mœnia inconsulta temeritate illico aggredi. Militum ardorem Patriarcha verbis subsequendum ratus, concione advocata: *Non, ut vos*, inquit, *acuerem, fratres, quorum ardentia studia frano potius cohibenda sunt, quam incitanda, vos alloquendos duxi; sed ut in vobis de maxime necessaria re admonendis partes meas implerem: simul ut spem & fiduciam vestram confirmarem. Capitale semper fuit, socii, militem imperatoris dicto audientem non esse: militaris enim res obedientia in primis continetur; qua soluta omnia corrumpi necesse est. Vos, socii, hoc in bello imperatorem habetis Dei immortalis unicum Filium Christum Dominum. Hunc Ducem unum neque præterea quemquam mortalium in tam longis emetiendis itineribus habetis; hujus signa secuti estis; huic animam devovistis: si huic dicto audientes non fueritis, duplici vos noxa obstringetis; & militaris disciplina eversa, &, quod magis abominandum est, pietatis violata. Adeste igitur animis, milites, quæque Deus ipse imperator vester, lumine mentis prælato, justit, me ipsius verbis vobis imperare, ad ea strenue atque impigre exsequenda, fortemque & fidelem operam imperatori vestro navandam, corpora & animos parate: feria igitur sexta, prima luce, noxis prius sacra confessione ac pœnitentia delatis, sacroque convivio roborati in armis adesse; nullam omnino bellicam machinam, nullumque alium expugnandarum urbium apparatum, præterquam scalas tricenum vobiscum trahentes. Cum hoc jubet Deus vos urbem aggredi: cujus vos numine suo ante sextam horam compotes se fallurum pollicetur. Id vobis ego, mente divinitus monita, certo vaticinio confirmo.*

Orationi Patriarchæ cum exercitus voce ardoris indice succlamasset; Gulielmus Dux, pia oratione comprobata, militarique sacramento à militibus exacto, sese principem in urbem duplici cinctam muro transcensurum profitetur. Cum dies condicta venisset, exercitus in armis fuit; scalisque erectis, Gulielmus conscendere primus cœpit, magna armatorum multitudine eum sequente: qui cum, nemine resistente, in mœnia evasissent; scalæ nimio pondere prægravatæ perfractæ sunt, superstantesque ruina sua secum traxit: quo spectaculo ceterorum impetus nonnihil repressus est: at Gulielmus solum se in hostium urbe relictum cernens, trepidans divinam opem implorat; ne se militem suum humanis omnibus præsidiis nudatum in extremo discrimine deserat: quæque via vel salutis expediendæ, vel pestis differendæ prima occurrit, utens turrim proximam ingreditur: quam conscendens obvium Saracenum descendentem prævalens viribus deturbat. Cum cacumen tenuisset, prima mœnia defensoribus prorsus nudata conspiciens, quæ Saraceni illis parum fidentes nulla exspectata pugna deseruerant, micanti gladio significare, magnaque voce suos inclamare cœpit; *Properate*, inquiens, *socii conscendere; urbs enim sine certamine nostra est.* Quare scalis multifariam admotis, in urbem undique transcensum est; Saracenique & trepida fuga intra interioris muri septa se receperunt. At Genuenses impetu atque ardore animorum nihil remisso procera palma prominentibus gradatim inguinibus usum scalæ præbente innixi murum superant, urbemque ingressi haud quaquam parem ignaviam atque in exteriore muro transcendendo in hostibus inveniunt: qui, ultima desperatione animos acuente, acriter prælium ineunt; quod cum aliquot horas constantissime extraxissent, tandem Genuensibus acriter pedem inferentibus avertuntur: quos passim fugientes Genuenses insequuntur, magnam illorum cædem edentes, ardoreque recentis certaminis iraque & indignatione animos irritante, urbem diripiunt; obvios quosque partim trucidantes, partim capientes; nihilque eorum, quæ captarum urbium extrema esse solent, ab iratis victoribus prætermissum est. Ceterum nemine in urbe jam resistente, omnis vis in templum versa est; in quod præter bellatores, magna mercatorum, omnisque generis ac sexus & ætatis imbellis, atque innoxia multitudo confugerat: quibus manus suppliciter tendentibus obtestantibusque, ne in homines quamvis cultu & religione diversos, tamen ipsos quoque ad Christianorum Dei similitudinem formatos, ad extremum sævire necesse haberent, sed rebus ipsorum contenti, quibus omnibus illis cedebant, nuda corpora sibi relinquerent; atque ad fortitudinis ac bellicæ virtutis gloriam mansuetudinis quoque haud minorem laudem adderent. Misericordia supplicum commoti Legatus Pontificius, Patriarcha, ac Gulielmus Dux, de exercitus consensu, ira jam fatiata, veniam dant: templumque impiis sacris expiatum divo Petro dedicant. Ingens fuit captæ urbis præda, in qua partienda optionis honos Gulielmo Genuensium Duci, virtutis ergo habitus est; quod is Princeps mœnia conscendisset, virtuteque & audacia sua iter ad expugnandam urbem præmunivisset. Is decus & dignitatem utilitati præferens; ceteris spoliis neglectis, quæ opuleota fuerunt, ditareque militer & navales socios potuissent; inclytum illud vas ex prægrandi ac solido smaragdo elegit; ex reliqua præda tanta summa impetrata, qua cum fide in octo capitum millia distributa, octoni & quadrageni pictavenses nummi ac piperis bina pondo viritim obvenerunt: quæ summa non modo ut opulentis his temporibus, sed ut tum quoque res erant, perexigua, ac vix digna memoratu fuit, sine ulla militantium querela, qui privatam utilitatem ac præmia laboribus debita præ publico decore levia duxerunt. Fidem Annalium nostrorum secutus, quos conscripsit Cæsarus æqualis illorum temporum, quique huic expeditioni interfuit, Cæsaream Regem absente à Patriarcha, & Archiepiscopo, ac Duce Genuensium expugnatam scripsi; atque in hac expeditione primas fuisse Genuensium partes. Quam rem verisimilem facit pretiosum vas ab illis in præda partienda delectum, ac longe nobilissimo præmio profecto Rex, si huic expugnationi interfuisset, primasque in ea habuisset, numquam alteri tessisset. Præterendus igitur ad fidem mihi visus est Cæsarus, qui rebus gerendis ipse interfuit, Tyrio quamvis sancto & probato scriptori, qui multis annis post bellum hoc gestum fuit; eaque, quæ scripsit, de aliis accepit, quique à Rege una cum Genuensibus captam Cæsaream eo credo errore tradidit, quod in eadem expeditione, qua Antipatris capta est, cui Rex haud dubie initio præfuit, Cæsarea quoque est expugnata: scriptoresque, quos auctores habuit Tyrius, non satis diligenter singula quæque persequentes, ut mos illorum temporum fuit, cum id non magnopere ad rem pertinere censerent, interfuerit nec ne Rex expugnationi illius urbis, illius ab exercitu recessum omiserint: ut major fides ei scriptori sit adjungenda, qui rebus interfuit, verisimilem præsertim tradenti, neque ullam mentiendi caussam habenti, quam illi, qui multis de caussis labi potuit.

Quibus rebus confectis nono Kal. Augusti Syria solventes, trimestri circiter navigatione, mense Octob. anni millesimi centesimi primi Genuam pervenerunt. A.C. 1101.

Lætus

Lætis plausibus & acclamationibus triumphantium more, cum in expeditione quattuordecim menſes fuiſſent, ab iis, qui domi manſerant, exceptí; idque non tam ob geſtas res, quam quod unico in orbe terrarum dono civitatis dignitas ab illis aucta eſt: cujus æſtimationem ne opulentiſſimi quidem regni pretium, ſi venale ſit, poſſit æquare. Ex hac urbe vas fuiſſe advectum & certioribus auctoribus & conſtantius traditur; quos ego ſecutus ſum; neque illud æſtimationem æ fidem pretii celebris vaſis labefactare debet, quod nullum ejuſmodi tantæ magnitudinis vas ex una & integra, neque ex duobus aut pluribus gemmarum fruſtis coagmentata, ſub cælo reperiatur: nam complura apud Orientis diviſſimos Reges affabre facta, à locupletiſſimis auctoribus non uno in loco traditur: ex eorum opulenta gaza hoc vas fuiſſe veriſimile eſt; quod varietate temporum ſit in hanc urbem delatum, quam Herodes magni nominis Rex à fe ad turrim Stratonis ædificatam in honorem Auguſti ejus cognomine appellavit.

A.C. 1102. Inſequens annus milleſimus centeſimus ſecundus duabus rebus inſignis eſt, initio facto nummi ſignandi, quo alieno ad eum diem uſa fuerat civitas; & expeditione quadraginta triremium in Syriam miſſarum, quarum neque hoc neque inſequenti anno ſegnis opera fuit, duabus urbibus expugnatis Acarone & Gibello minore. Quæ res ingentis certaminis fuit, multoque ſanguine Genuenſi-

A.C. 1103. bus ſtetit. Ac inſequenti anno milleſimo centeſimo tertio Dertuſa Syriæ, (altera enim hujus nominis eſt in Hiſpania citeriore) expugnata eſt. Duo, qui

A.C. 1104. conſecuti ſunt anni, milleſimus centeſimus quartus & quinctus memorabiles ſunt honorifico fœdere cum Balduino Rege renovato, ac diligentius ſancito: in quo Conſules, quorum imperium quadriennale anno milleſimo centeſimo quinctо perfactum eſt, populi Genuenſis nomine littora Syriæ, quantum initio facto ab urbe Sidone eorum longitudo in meridiem patet, tuta & pacata præſtanda ſuſceperunt: neque ſe adverſus Regem ulla de cauſſa arma ſaturos ſpopondérunt. Contra Rex Genuenſibus Hieroſolymis & Joppæ ſingulos vicos donavit; ad hoc tertiam vectigalium ac portoriorum partem Aſſuris, Cæſarææ, Aconis, urbium commerciis frequentium; tertia quoque parte vectigalium urbis Memphis illis promiſſa, ſi ea urbe, Genuenſibus adjuvantibus, potiri contigiſſet. Reſque per totum Conſulum tempus, adjuvante claſſe Genuenſi, quæ numero ſuperiores longe anteceſſit, (fuit enim ſeptuaginta triremium) urbem Ptolemaidem expugnavit.

Diligentius, quam Annales ipſi noſtri, rem & cauſſas exponens Tyrius, unum addit nomini Genuenſi in primis magnificum: Regem enim aſſerit, occaſione claſſis Genuenſium ſeptuaginta triremium per eos dies ad Syriæ littora appuliſſe, arma urbi Ptolemaidi, quæ olim Ace vocabatur, nunc vulgo varie appellatur, eum alii illam Aconem, alii Acrin nominent, inferre detreviſſe, eiſque & Proceres ſuos ſpe Genuenſis opis oblatæ ad eam expeditionem ſuſcipiendam in primis impuliſſe: illud præterea addit, præter ea, quæ publicæ nationi conceſſa ſunt, privatim compluribus Genuenſibus civibus ædes nominatim incolendas, & prædia fruenda pro cujuſque merito aſſignaſſe.

Aliter rem narrat Scriptor Piſanus; qui hujuſdem expugnatæ Ptolemaidis cum Venetis & Piſanis communicat. Quam urbem ait Balduinum, cum ſuperioribus annis Genuenſibus tantummodo ſociis illam fruſtra tentaſſet, anno tandem ejus ſæculi nono, Venetorum, Genuenſium, Piſanorum claſſibus in Syriam appuliſis, trium horum populorum ſocietate fultum bello repetiſſe, atque expugnaſſe.

Ceterum nemo fuerit, qui non potius ſtandum

A putet incorruptis Tyrii monumentis, nulla majore neceſſitudine Genuenſes, quam Venetos, aut Piſanos attingentis; qui eam laudem integram Genuenſibus unis attribuit, cum quibus Balduinum armis & ſocietate conjunctis eam urbem expugnaſſe tradit. In qua urbe Rex certam regionem Genuenſibus cum imperio definivit cum jure propríi Magiſtratus jura reddentis ereandi. Quorum donorum diploma regium editum eſt; quod in tabulario Genuenſi aſſervatum, non ab re duxi hic adſcribere. In qua re conſilium noſtrum haud quaquam reprehenſum, aut fidem nobis abrogatum iri ſperamus; ſi elogium ipſum paullo jejunius, incomptoque illo & rudi eorum temporum orationis genere conſcriptum copioſius & politius, ſententia nihil mutata aut variata, explicaverimus: eſt autem hujuſmodi: *Quod populus Genuenſis, pro ejus propenſa & conteſtata pietate ac religione, toto ſacro bello propatentibus claſſibus, firmiſſimiſque terreſtribus copiis Chriſtianam rem juverit; in ſacraque urbe Hieroſ. Antiochia, Laodicea, Dertuſa expugnandis, plurima opportunitatis atque opere pars in illius virtute & induſtria fuerit; ſoliique Genuenſes celebres urbes Cæſaream, Aſcalonem, Solymum, Bibliam Hieroſolymitano imperio, ac ſacro Chriſti Domini ſepulcro adjunxerint, ſummos labores exhauſerint, ſanguinem profuderint, nullis impendiis pepercerint, nullis difficultatibus ſint debilitati, nullis jalluris infracti: ſed adverſus omnia mala invictam conſtantiam & patientiam præſtiterint; ut à nullo omnino Chriſtiano populo promptior, fidelior, conſtantior, magis multiplex opera Chriſto Domino, Chriſtianaque Reipublicæ navata ſit. Hæc to ae tanta merita Balduinus Rex invictus, Dumberto Patriarcha laudante atque approbante, & præclaro elogio ad memoria eternitatem teſtanda, & ampliſſimis præmiis remunerauda cenſuit, tertia diximi & veſtigalium parte urbium Cæſarea, Aſcalonis, Aſſuris in perpetuum conceſſa, ad hoc ſingulis vicis in urbibus Hieroſolyma & Joppa cum juriſdictione illi tribuuis. Datum in urbe ſacra decimo Kalendas Majas, anno a Verbo homine facto* MCV. Capita quoque hujus fœderis aureis litteris in marmorea tabula, in æde maxima affixa, ineiſa ſunt: hapſiſque æræ maximæ ſuperſtans prægrandibus litteris hoc inſignis monumenti titulo inſcripta eſt, *Propatemi Genuenſium præſidium.* Quæ inſcriptio longo poſt tempore ab Almerico Rege ſingulari ingrati animi exemplo ſublata, iterum, Romano Pontifice per litteras nomini Genuenſi in primis honorifican acriter & vehementer ſcriptas contendente, ac pro jure ſacroſanctæ poteſtatis imperante, ab eodem Rege repoſita eſt: ſed hæc claſſis ſeptuaginta triremium altera ne claſſis fuerit à ſuperiore quadragenaria, an eadem ſupplemento Genua ſubmiſſo ad eum numerum aucta, incertum eſt: poſtremum mihi veriſimilius fit: neque enim in Annalibus nova ulla hoc tempore claſſis decreta legitur: quod neutiquam à Scriptore quamvis ſupinæ negligentiæ omiſſum fuiſſet; ſi nova claſſis novaque expeditio fuiſſet: quin etiam nomen Ducis vel Ducum in obſcuro eſt, ab Annalibus conpreſſum: inclinant tamen animum multæ cauſſæ, eundem Gulielmum inclyti nominis fuiſſe: nam toto hoc quadriennio, quo hæc geſta ſunt, in numero Conſulum fuit; ſolebantque eo tempore imperia & præfecturæ alicui ex Conſulibus mandari: nullius autem virtus ea tempeſtate conſpectior fuit: rerumque geſtarum gloria ceteris magis præfulgebat: ad hoc nemo omnino civis eo tempore rerum Syriacarum majorem uſum habebat, aſſidua illarum tractatione partum: veriſimileque in primis eſt, ad tantam ac tam neceſſariam rem fœderis cum Rege ſanciendi, maxime idoneum virum delectum.

Inſequens annus ejus ſæculi ſextus, quamquam ab expeditionibus & bellis Genuæ otium fuit, non tamen

A.C. 1106.

tamen obſcurus omnino eſt, adventu ad urbem Boemundi Principis Antiocheni virtute, & rebus geſtis elari ex Gallia redeuntis; ac Conſtantiam Philippi Regis filiam in matrimonium acceptam ſecum ducentis. Huic magni honores habiti ſunt, viro ſcilicet de Genuenſibus optime merito; qui illis in urbe Antiochia victum, ac publicum domicilium, ſaeramque aedem, ad hoc juriſdictionem inter ſuos, caede & latrocinio exceptis; totoque Antiocheno principatu immunitatem impartitus eſt. Is paullum Genuae commoratus diſcedit, ad arma inferenda Alexio Conſtantinopolitano Caeſari profectus, homini infenſus, qui Latinorum expeditionibus perpetuo adverſarius fuiſſet; illiſque, quibuſcumque rebus poſſet, incommodaſſet.

A. C. 1107. 1108. 1109. Annus ſeptimus à milleſimo centeſimo, ac duo proxime inſequentes, bellicoſi in primis fuerunt, ac rebus geſtis & praepotenti claſſe è portu emiſſa memorabiles: quae fuit ſeptuaginta triremium, Anſaldo & Hugone Embriacis praefectis; vexitque Beltramum, Comitis Tolofatis filium: qui primo adventu Tripoli Syriacae oras urbe, irrito incepto, tentata, urbem Biblium petunt; Beltramus cum ſuis terreſtri itinere, Genuenſes claſſe: ipſoque ſtatim adventu, cives adſpectu tam potentis claſſis territi, nulla pugnae fortuna tentata, deditione urbem Genuenſibus praefectis tradunt; incolumitatem abire volentibus, ipſorumque rebus pactis: quae urbs poſtea huic ipſi Hugoni, ejuſque poſteritati à Genuenſibus fiduciaria data eſt.

Biblio capta, claſſis à Balduino evocata Tripolim repetit: qui occaſione utens, auxilio tantae claſſis fultus omnibus viribus conniſus, urbem tandem expugnavit ſub finem anni milleſimi centeſimi noni; per quod totum tempus claſſis in ea expeditione fuit.

A. C. 1110. 1111. 1112. Conſulibus anni, qui conſecutus eſt, milleſimi centeſimi decimi, quadriennale imperium mandatum eſt: cujus conſulatus primo claſſis duarum & viginti triremium à Genuenſibus armata eſt: quae claſſis in ora Syriae, atque illi conjunctae Ciliciae egregiam operam Chriſtiano exercitui in oppugnatione urbium Berythi & Malmiſtrae navavit; cum in Berytho expugnanda plurimum laboris per duos continentes menſes exhauſtum ſit, opidanis impigre ſe defendentibus. At Malmiſtra deditione ne tradita ſit, an vi expugnata; & lenta ne, an celeri obſidione; & magni ne ac diuturni, an exigui & brevis laboris res fuerit; multo ne ſanguine, multaque caede ſteterit, an incruentae pugnae fuerint; haec omnia, negligentia ſcribentis Annales illorum temporum, ut cetera multa, incomperta ſunt. Hoc poſtremum operum Genuenſium fuit in ora Syriae, ac Palaeſtinae, & Ciliciae, in primo ſacro bello: in quo tredecim annorum curriculo populus Genuenſis ſeptem praevalidis claſſibus rem Chriſtianam adjuvit. Nobiſque rerum Orientis mentio in multos annos eſt differenda, quoties novae expeditiones à Latinis Principibus ſuſceptae novam nobis ſcribendi materiam ſuggerent.

Expeditionibus Syriacis Genuenſes ac Piſani defuncti, arma in Chriſtiani nominis hoſtes magna cum gloria exercita inter ſe verterunt; veteribus odiis, ac diſſidiis, quae religionis ſtudium ac bellum ſacrum compreſſerat, majoribus motibus repetitis: quae animo numquam depoſita, quamquam interdum vel pace, vel induciis numquam ſincera fide cultis, ad modicum tempus intermiſſa, ac brevi majore cum irarum certamine reſurgentia, ingentibus cladibus multoque ſanguine ac magnis impendiis utrique populo, per multas ſaeculorum aetates, ſteterunt, diſſidiorum cauſſis vigentibus, quas alebant duae ante oculos poſitae inſulae, Corſica ac Sardinia; cum ſuis ipſae opibus ac fructibus cupiditatem hominum allicientes, tum utrique populo inferi maris imperium haud obſcura ambitione affectanti peropportunae: eas res ſore providentes Genuenſes; dum uterque ſeſe ad bellum parat, ad nobiliſſimum illum ac veteri fama toto orbe terrarum celeberrimum Lunenſem ſinum, quem poſteriores portum Veneris appellarunt, ſibi firmandum animum adjiciunt, ne propinquorum hoſtium receptaculum eſſet; qui in interiore littore proximeab altero ſinus cornu in Etruriam vergente opidum etiam, quod illorum imperium termînabat, praeſidio tenebant. Is portus in duodecim cireiter millium paſſuum ambitum curvatur: inſula objecta, atque ab Occidente freto ita angusto à continente diſcreta, ut ſingulis tantum triremibus tranſitum praebeat, tantam ſinus partem à procellis & tempeſtatibus tegit, quae quamvis ingentium claſſium capax ſit, cum littus eandem portus partem ambiens, receſſibus longe introrſus retractis ſit excavatum; qui tutiſſimam ſtationem ad omnes ventorum flatus ſubeuntibus navibus praebet.

Hujus igitur ſinus anguſtas fauces Genuenſes, anno ejus ſaeculi tertio decimo, qui ſuit annus ultimus quadriennalis conſulatus, valido conditoopido, quod à portu nomen accepit, firmaque eo deducta colonia inſidunt: quo etiam conſulatu Lavaniam opidum ſaepe antea leviter irritoque incepto tentatum majoribus viribus repetitum, omnemque circumjectam regionem viris ac pagis ſatis frequentem in poteſtatem redegerunt. Qua in re miretur fortaſſe aliquis Majorum noſtrorum conſilium: qui imperium urbium ac littorum longe diſſitorum, per immenſa maris ſpatia, tantis laborum ac ſanguinis impendiis, ac per tot diſcrimina quaerentes, propinqua atque adeo intima non reſpicerent; neque Liguriam imperio obedientem haberent: cujus opida atque urbes partim privatis dominis ſervientes, partim omni imperio ſolutae, ſuis quaeque ac ſeparatis conſiliis utebantur, ut urbs opibus tam valida, cujus vires ipſis maximis Regibus formidoloſas jam tum fuiſſe plerique exteri ſcriptores tradunt, peranguſtis ac parvo opido pene pudendis finibus uteretur: qui brevi ampliati ſunt, omniſque fere maritima Liguria per varias occaſiones deinceps imperio comprehenſa, populis partim nulla vi adactis ultro in ditionem venientibus, manſucto imperio, ac minime tributis aut ullo genere onerum praegravi allectis, tum praeſidio actutela praevalidae urbis adverſus potentiores ſeſe munientibus; partim vel pretio paratis, vel bello per varias cauſſas ſubjunctis. Cui diverſae rationi in illis imperio adjungendis, diſpar quoque illorum animus in parendo reſpondit: nam aliorum fides ac ſtudium erga populum Genuenſem multis locis ita enituit, ut in dimicationibus acriter ineundis, ac diſcriminibus pro ſalute civitatis, proque Genuenſis nominis gloria haud retractanter ſubeundis cum ipſis Genuenſibus civibus ardore certarent: ut gloriari libeat, nullam unquam civitatem amantioribus aut fidelioribus ſociis ac ſubjunctis uſam: contra aliorum tanta perpetuo contumacia fuit, tamquam alte animo imbibita in jugo detrectando contentio, ut obſtinatas mentes, atque omni levi ſpei objecta aura, ad deſiderium mobiles nullae umquam clades frangerent; quin toties infeliciter experta arma retractarent, atque adverſus dominam urbem magno ſemper cum ſuo malo conſurgerent: ne ego quidem Majores noſtros reprehenſione liberarem, ni viri in primis pii religionis ſtudium, quod crebra illis inducbat arma, omnibus rebus praevertendum ſemper duxiſſent.

Qui inſequitur conſulatus, quadriennalis ipſe, A. C. quoque fuit, nihilque ſane memorabile habet: de- 1114. cimus vero octavus ejus ſaeculi annus, qui conſu- 1115. latus biennalis primus fuit (cum tamen eodem an- 1116. no Conſules inſequentis biennii creati quoque ſint) 1117. in- 1118.

insignis est, Bernardo inclytæ famæ Abbate Clarevallensi, qui postea in divorum numerum relatus est, Episcopo Genuensium à civitate electo: quam tamen electionem Romanus Pontifex ratam non habuit; cum negaret, clarissimas tanti viri virtutes universæ Ecclesiæ apprime necessarias æquum esse unius diœcesis procuratione defoiri. Insignitur quoque idem annus adventu ad urbem Gelasii Pontificis, à Frangipanorum familia (quæ partes Cæsaris Pontificii solii hostis sequebatur) Roma ejecti; qui, Laurentiana æde sollennibus ceremoniis dicata, in Provinciam Narbonensem à Genuensibus deductus est.

Nec jam bellum inter Genuenses & Pisanos glisceus dilatum est; cum ad veteres odii causas, ob Corsicam Genuensibus nihil tale cogitantibus à Pisanis per summam injuriam ademptam, nova causa accessisset Episcoporum Corsorum inaugurandorum contentio: quod jus uterque populus suum sibi Antistitique suo atque in sua urbe vindicabat, Pontificibus Romanis varietate decretorum suorum contentionem alentibus, ut suis locis dicemus: quæ contentio magna cum sanguinis ac cladium mercede, ut Calistus Pontifex *epistola* quadam sua scriptum reliquit, inter utrumque populum complures annos jactata est: neque prius finem invenit, quam ab Innocentio secundo compositæ res sunt: qui, Episcopo Genuensi Archiepiscopatus titulo insignito, jus inter utrumque Antistitem partitus est; Episcopis Marianensi, Nebiensi, Aceiensi, Genuensi ditioni subjunctis, Alericosi, Adjacensi, Sagonensi, Pisanæ attributis. Initium armorum, ut Caffarus vetustissimus Annalium Genuensium Scriptor tradit, à Genuensibus, qui læsi fuerant, factum est anno
A.C. 1119. ejus sæculi decimo nono: quorum classis sedecim triremium mense Majo magnum Pisanorum numerum cum ingenti auri vi in Gallura Sardiniæ Provincia cepit.

Majore mole insequenti anno, qui fuit ejus sæ-
A.C. 1120. culi vicesimus, iidem Genuenses inchoatum bellum persecuti sunt; prævalida classe octoginta triremium, ac quattuor ingentium corbitarum, minutiorumque navigiorum varii generis ac nomiois, quæ sexaginta numerum excesserunt, armata: quam consecenderunt sociorum navalium ac bellatorum viginti duo millia; quorum quinque millia alba indumenta conspectos faciebant: cujus classis metu, Pisani ad conditiones pacis à Genuensibus latas descenderunt; Corsica restituta, ac jure inaugurandorum Episcoporum cesso; cum Genuenses Pisas ingressi magnum numerum captivorum Genuensium è vinculis exemptos in patrism reduxissent: quæ res Caffarum plane refellit, argumentoque est, longe prius quam anno superiore bellum inter duos hos populos cœptum; ac multas utrimque illatas & acceptas clades, quæ ab Annalibus cum nostris, tum Pisanorum, (quos quidem ego legerim) silentio præteritæ sunt, vitio Scriptorum illius ætatis: quibus nihil est jejunius, aut aridius, in rebus gestis narrandis; quarum multas omnino prætereunt, multas uno aut altero verbo attingunt; cum in causis exponendis, & eventibus, casuumque varietatibus prodendis, longe negligentiores sint. Hic falso arguitur Justinianus à Scriptore quodam rerum Pisanarum, tamquam pugnantia locutus; qui hoc anno Pisanos tradiderit de controversia Episcoporum metu classis Genuensis cessisse: cui cessioni locus non fuerit, cum superiore anno Cælestinum Pontificem electionem Romam ad se revocasse, idem Justinianus scribat. Ceterum non animadvertit Scriptor Pisanus Justinianum non scripsisse Calistum superiore anno electionem ad se revocasse, sed rem universam ac totum tractum illius controversiæ tamquam proœmii & argumenoti loco summatim attigisse; quod evidenter apparet ex iis, quæ insequentibus annis ejus sæculi vicesimo tertio, & tricesimo tertio facta scribit Justinianus, de electione sibi à Pontifice ipso assumpta, & de Episcopatibus Genuensi & Pisano ampliore Archiepiscopatus titulo decoratis, ac diœcesibus Corsicanis æqualiter inter illos partitis.

At insequenti anno ejus sæculi vicesimo uno va- A. C. 1121.
lidis pedestribus & equestribus copiis coactis, Genuensis populus jugis montium superatis opidum Falconum, ac Petram Bissariam, nonnullosque circumjectos obscuri nominis vicos ditioni adjunxit, opido Vultabio ab Alberto Gavii Marchione precio empto.

Insequens annus ejus sæculi vicesimus alter Con- A. C.
sules annuos habuit; quod in posterum quoque ob- 1122.
servari lege sancitum est, salubri modo civium studiis impolito: quorum ambitionem dulcedo diuturni imperii nimis jam efferre cœperat, atque ultra civiliter petentium morem provehere: quæ res erat discordiis & contentionibus inter illos serendis: ea lex multos annos observata est. Hoc anno Pisani iniquas conditiones impositas non ferentes, fidem pacis infregerunt. Eorum igitur fines Genuenses iosesto exercitu ingressi sunt; quibus varia belli cladibus pervastatis, in sua reversi plus mille captivos Genuam ductos carcere incluserunt: neque minora detrimenta illis mari illata sunt, duabus illorum tribus magni pretii mercibus onustis à totidem Genuensibus captis, quarum præfecti fuerunt Gandulfus Marus, Rubaldus Maplonus, Bonvassallus Census, Gulielmus Rufus; qui strenuam & fortem operam Reipublicæ navarunt.

Insequenti anno ejus sæculi vicesimo tertio, Ca- A. C.
listus, cum Concilium universæ Ecclesiæ Romæ 1123.
haberet, Oratoribus utriusque populi ac Corsorum Romam evocatis, causa in consilio cognita, judicium de inauguratione Episcoporum, de assensu consilii tulit: quo abrogatis omnibus iis, quæ secundum Pisanos antea decreverat, jus omne Episcoporum inaugurandorum utrique populo abjudicatum ad Pontifices Romanos in posterum revocavit. Genuenses perpetuæ suæ pietati proximi in sacrosancta potestate fuerunt, decretum æquo animo accipientes: at Pisanorum animos ea res vehementer offendit; qui indignabundi ac frementes, ne commeatu quidem petito, Roma excesserunt. Quod à Pontifice ad incendia exstinguenda actum est, id illa magis inflammavit.

Pisani igitur, animis ad bellum accensis, insequenti anno vicesimo quarto ejus sæculi novem tri- A. C.
remes onerariarum classi, quæ ex Sardinia exspe- 1124.
ctabantur, mercibus & annona onustæ, præsidio mittunt: quæ dum littora Lagustica prætervehuntur, septem triremes, quas Genuenses ad rerum suarum tutelam, atque ad hostem vexandum ipsi quoque armaverant, apparuerunt: quas in se tendentes procul Pisanæ triremes conspicatæ, majorem numerum subsequi ratæ, (cum verisimile non esset plures à pauciores peti) onerariis omissis, trepida fuga sese in Vada Sabatia recipiunt prope ab urbe Savone. At Genuenses onerarias triremium præsidio desertas, neque ipsas ulla satis re ad pugnam instructas adepti, vectoribus subito effuso pavore obtorpentibus, nullaque fortuna pugnæ sibi illis tentata, ad unam capiunt. Pisanus Scriptor ideo Annales nostros in his navibus captis mentiri contendit, quod ex Sardinia Pisas ac littora Etrusci petentibus longe aliud ac diversum est iter, quam per Maria Savonensia. Duplex est ac perfacilis responsio: fieri enim potest, (ut quotidie usu navigantibus venit) ut subita aliqua adversa coorta tempestate coacti Pisani paullum læva flecterent, ac littora Savonensia prætraherentur: deinde unde cognovit semper Pisanus tot post sæculis, onerarias Pisanas Sardinia solventes magis

Etrusca, ac Pisana littora, quam Provinciam Massiliensem, aut Catalanam, in qua tamen erant Genuensibus & Pisanis frequentissima commercia, navigationis caussa petisse? rectoque cursu necessarium ideo fuisse per Maria Savonensia transitum.

Felix omnino hic annus Genuensibus fuit, multis detrimentis hosti illatis, & eo ubique victo, atque sancti Angeli, quam Pisani adhuc retinebant, in Corsica expugnata. Scribit quoque idem Pisanus, insequenti anno Pisanos octoginta triremes armasse; atque arcem sancti Angeli a Genuensibus captam recuperasse; compluraque Corsicæ opida ideo ad Pisanos defecisse: eosque totius fere insulæ potentes factos. Eam arcem utique à Pisanis recuperatam fuisse necesse est, quamvis id Annales Genuenses silentio prætereant; quippe quam biennio post à Genuensibus iterum recuperatam fateantur. Ceterum longe vero absonum videtur, si tam ingens fuit Pisanarum navium numerus, Genuenses cum decem octo triremibus, quas eo anno armarunt, per littora Corsicæ, Sardiniæ & Etruriæ discurrentes tot damnis & detrimentis Pisanos affecisse, ut ipsemet Pisanus fatetur: qui tradit Pisanos octo triremes armasse; quæ cum pares non essent classi Genuensium decem octo triremium, illa declinata in Liguriam deflexisse, ac parta damna Genuensibus reddidisse, illorum littoribus populatis & vastatis.

A.C. 1125. Eodem tenore traducti sunt quinque, qui insequuntur, anni, Genuensium victoriis & cladibus
1126. Pisanorum insignes: cum Genuenses, classibus
1127. modo majoribus, modo minoribus emissis, conti-
1128. nentibus illos damnis carperent, navium, mer-
1129. cium, hominum prædas agendo, infestaque illis littora Etruriæ, Sardiniæ, Corsicæ, Provinciæ Narbonensis facerent. Insigniora fuerunt arx Plombini bis à Genuensibus capta, & suburbia incensa; atque arx sancti Angeli, quam Pisani recuperarant, iterum expugnata; cum toto eo bello Pisani numquam fines Genuenses intrassent.

Rem ad omnem posternatem in primis memorabilem, per ea tempora à Genuensibus gestam Volateranus tradit; ipsam urbem Pisas arta annua obsidione à populo Genuensi circumsessam: neque prius solutam obsidionem, quam Pisanis ad extrema adductis necessitas expressa est, superbas ac contumeliosas conditiones impositas accipiendi, summis ædium fastigiis usque ad primam contignationem dejectis: Volateranum secuti sunt nostra ætate Tarcaniota & Leander Albertus: quos omnes somniasse Scriptor Pisanus contendit; remque esse ab omni veri similitudine longe remotam: neque enim tam exiguis copiis, tamque exigua sexdecim triremium classe tantam rem effici potuisse. Equidem ut non negaverim nullam hujus rei apud nostros illorum temporum Annales esse mentionem; mirumque esse, tantam rem tamquam nomini Genuensi honorificam ab illis silentio præteritam; cum præsertim in nonnullis mioutissimis persequendis sæpe sint paullo diligentiores; nemoemque putem auctorem habuisse præter Volateranum; fierique posse, (ut Pisanus autumat) ut ne Tarcaniota quidem & Albertus aliunde quam à Volaterano rem acceperint; ita non satis firmam esse statuo Pisani Scriptoris rationem: fieri enim posse, ut initium obsidionis, quam annuam fuisse Volateranus tradit, à longe validiore Genuensium classe factum esset, hocque postremum sexdecim triremium missum à Genuensibus supplementum; quod superioribus copiis additum, rem inclinatam impelleret. Decipitur vero Scriptor Pisanus in eo perspicue, quod primam contignationem à solo acceperit: colligitque ex eo, ergo Pisas solo pene æquatas fuisse; quod omnis absurdum, ac vix cuiquam credibile esset: nam summa ædium cœnacula dejecta sunt: primamque contignationem à culmine non à solo incipere voluit Scriptor noster. Suum de hac re sit cuique judicium. Ego quod ab exteris Scriptoribus nullo jure Genuensi nationi obstrictis traditur, nullo modo omittere debui.

Ac ne illud quidem omittendum est, postremo anno classem Pisanorum à classe Genuensium sexdecim triremium ad littora Messanæ in terram actam; Pisanosque & Messanenses, qui ad opem ferendam accurrerant, expulsos, fugientesque ad ædes usque regias à Genuensibus in terram egressis compulsos; qui tandem precibus Regis placati res suas Messanensibus restituerunt. Hanc classem manibus Genuensium ereptam tradit Pisanus Scriptor in sua revertentem, in itinere exscensionem in Corsicam fecisse, eamque insulam à Pisanis populatam ac pervastatam fuisse: ac ne littera quidem Ligustica ab eadem classe cladibus fuisse infecta: quæ res perspicue demonstrat Corsicam Genuensium fuisse, quod illum sæpe negare non puduit. Cum civitas opibus & habitatoribus in dies crescceret, Consulum, qui jurisdictioni ac rebus forensibus præerant, numerus anno ejus sæculi trigesimo ad quattuordecim auctus est: ratio juris dicendi mutata: nam cum prius conjuncti universæ civitati jus redderent, tum munera sua inter se ex lege ita partiti sunt, ut ex septem regionibus, in quas omnis civitas tum divisa erat bini singulis jus dicerent: decretumque est, ut reus forum actoris sequeretur. A.C. 1130.

Eo anno Genuensis populus validam turrim ad fanum Romuli ædificavit; incolasque opidorum Bajardi & Polpini; nec non Comites Albii Intemelii Genuam evocatos ad obedientiam beato Syro in perpetuum deferendam, atque in populi Genuensis imperia jurandum adegerunt. Graves erant Innocentio secundo hæ Pisanorum & Genuensium discordiæ, Christianæ Reipublicæ minime opportunæ. Igitur nullis paterni ac Pontificii muneris partibus indormiens, sedulo monendo, hortando, precibus quoque enixis agendo, illos tandem eodem anno ad inducias, usque ad suum ex Gallia reditum, in quam tum cogitabat, paciscendas adduxit: qui cum ea, quorum caussa venerat, in Gallia transegisset, Lotharium que ad opem sibi adversus Romanos contumaces ferendam traxisset; à classe Genuensium Genuam reductus, Syrum Episcopum à Genuensibus electum inauguravit: magnum sibi in maritimis rebus nomen Genuenses per ea tempora fecerant, magnamque felicibus expeditionum successibus existimationem in dies colligebant; ut multi Proceres atque in finitimis regionibus & insulis populorum dominatus obtinentes, præpotentis civitatis amicitiam ultro appeterent; qua fese ac res suas adversus oppugnantes communirent: in quibus fuit Comitas judex ac princeps præfecturæ Alborensis; quæ una ex quattuor est, in quas omnis Sardinia divisa est. Is, cum multis iniquitatibus à Pisanis continenter premeretur, ad florentes Genuensium opes confugit; eorumque patrocinium & propugnationem in se firmavit, opimo sacerdotio anno ejus seculi trigesimo uno sacræ ædi Laurentianæ Genuensi adjuncto; ac dimidia parte montium, io quibus sunt argenti fodinæ, dono data. A.C. 1131.

Insequenti anno trigesimo altero, ut idem orbis in singulos annos volveretur, cum dies induciarum exiisset, sexdecim triremes in Pisanos armatæ sunt, non sine operæ pretio, nonnullis navibus captis: armaque illata sunt Comitibus Lavaniæ non satis obedienter, neque ex præscripta formula majestatem populi Genuensis colentibus; aree Riparolo illorum cervicibus imminente ædificata. A.C. 1132.

Lætus

A.C. 1135. Lætus eſt inſequens annus ejus ſæculi trigeſimus tertius ſine bellicis laboribus tandem impoſito; ac pace inter Genuenſes & Piſanos, ſedula opera & auctoritate Innocentii Pontificis tandem conciliata, cum res magni ac diuturni moliminis fuiſſet. Perhonorificus is Pontifex in nationem Genuenſem fuit, ejus Antiſtite Archiepiſcopatus titulo decorato, quod beneficium Genuenſes remunerantes, Romam, ac ſedes, unde dejectus fuerat, Lotharii Romanorum Regis opibus repetenti Pontifici octo triremes auxilio miſerunt: quarum, in Romanos contumaces vexando, ac malis afficiendo, haud ſegnis, aut parum fructuoſa opera fuit. Eodem anno arces Lavaniæ Comirum à Genuenſibus captæ & everſæ ſunt; Comiteſque malis ſubacti ad jurandum in imperata.

Inſequenti anno ad ſeptem veteres regiones una A.C. 1136. addita eſt, parque numerus Conſulum creatus; ut, mutata ratione, bini Conſules binis regionibus præeſſent. Piſano bello intermiſſo, Genuenſes, ut bellicoſus populus in otio eſſe non poterat, laudabiA.C. 1135. 1136. 1137. 1138. liore conſilio vires in communes Chriſtiani nominis hoſtes verterunt, claſſibus ſæpe in oram Africæ miſſis, atque hoſtilium navium hominumque & mercium prædis actis. Quarum expeditionum illa maxime inſignis fuit, XXII. triremium adverſus Caitum Maimonum Almeriæ regnantem miſſarum, qui cum quadraginta navibus longis continentibus excurſionibus Mediterraneum mare infeſtum faciebat, commerciaque impediebat: ſed irritum inceptum fuit, Maimono nuſquam reperto: qui, fama Genuenſis claſſis accepta, in ſua ſe receperat. Per has igitur expeditiones quattuor inſequentes anni traducti ſunt.

A.C. 1139. Inſequens annus ejus ſæculi trigeſimus nonus memorabilis eſt, jure nummi ſignandi à Conrado Romanorum Rege impetrato: ad cujus beneficii memoriam teſtandam, decretum eſt, nomen Conradi nummis inſcribi. Nullus populus oræ Liguſticæ erga Genuenſes contumacior fuit, aut in res novandas avidior, quam Intemelii; ſitu, credo, loci, in quo urbs eſt, ardno & difficili acceſſu audaciam & fiduciam hominum incitante. Defecit A.C. 1140. igitur iterum anno ejus ſæculi quadrageſimo Intemelborum Comes, quem prævalidæ terreſtres & maritimæ copiæ Genuæ miſſæ adegerunt tandem, ſimulque urbis & agri incolas ad jurandum in perpetua Genuenſis populi imperia.

A.C. 1141. 1142. 1143. 1144. 1145. Otium per quinque inſequentes annos Genuæ fuit; qui nullam materiam ſcribenti præbent, præterquam quadrageſimus tertius, in quo Dominus Montis Peſulani conjuratione inimicorum principatu exactus, in veterem dominatum à Genuenſibus reſtitutus eſt, quattuor triremibus inſtructiſſimis ſubſidio illi miſſis: quod beneficium ille grato animo remuneratus eſt; ædibus ac domicilii ſede nationi Genuenſi in eo opido, quod circumjectarum regionum frequentiſſimum emporium eſt, multiſque immunitatibus donatis.

A.C. 1144. Longe memorabilior eſt annus inſequens, ejus ſæculi quadrageſimus quartus, anniverſario vectigali libræ auri inſulæ Corſicæ à Lucio ſecundo eodem, quo auctore pax cum Piſanis facta eſt, Genuenſibus remiſſo: quod Genuenſes ad eum diem Pontificio ſolio perſolverant: qui quamquam armis, ut ſuperius ſcripſimus, ac juſto & pio bello ejus inſulæ imperium, Chriſtiani nominis hoſtibus expulſis, ſibi pepererant; viri tamen perpetuæ pietati ſuæ conſtantes, ne Romano Pontifici adverſarentur eam inſulam ſuam ſibi vindicanti, tamquam in donatione à Carolo Magno primo Latinorum Imperatore & ſucceſſoribus, Romanæ Eccleſiæ facta comprehenſam, fiduciariam tamen ac vectigalem illam à Pontificibus Romanis obedienter acceperunt: quod tributum hoc anno, ut modo diximus, remiſſum eſt. Nulla igitur religio in populo Genuenſi hæret; neque illum ullo crimine obſtringit judicium à Pontifice Romano in invaſores rerum Pontificiarum, in quibus Corſicam nominatim complectitur, quotannis latum; quo illis piorum cœtu & ſacrorum communione interdicit: nam hoc ad imaginem veteris juris rum, cum nondum Corſica Genuenſibus fiduciaria data eſſet, retinendam à Pontifice ſit, neque recte aut vere in invaſoribus comprehenduntur ii, qui inſulam poſſident eo jure, quo qui optimo.

Per ea tempora Afri, qui totam fere Hiſpaniam multis ante ſæculis occuparant, cum navalibus quoque opibus in dies creſcerent; omneſque illius Provinciæ & interjectarum inſularum Mediterranei maris portus tenerent; circumjecta maria continentibus excurſionibus & latrociniis infeſta faciebant; maximiſque detrimentis Chriſtianos mercatores & negotiatores afficiebant: quæ damna & incommoda cum Genuenſes à ſe amovere conſtituiſſent, prævalidam claſſem machinis & ceteris bellicis apparatibus affatim inſtructam, ac non exiguo bellatorum numero refertam, duarum & viginti triremium, quattuorque ingentium corbitarum, anno, qui inſecutus eſt, ejus ſæculi quadrageſimo ſexto comparant; illique Caffarum unum A.C. 1146. è Conſulibus, & Ubertum Turrium præficiunt: qui portu Genuenſi ſolventes, ſecunda navigatione uſi, brevi minorem Balearicam tenuerunt: quæ inſula piratarum inſigne receptaculum tum erat: copiſque in terram expoſitis, in quibus fuerunt centum equites, claſſeque in portu Fornello relicta, populabundi in multas inſulæ partes diſcurrunt: magnaque præda hominum & aliarum rerum facta, quarto poſt die in caſtra; quæ ſecus littus ſtatuerant, revertuntur: vixque præda depoſita ingentes Maurorum copiæ, in quibus trecenti erant equites, ſuperveniunt, improviſoque caſtra invadunt: quorum impetum Genuenſes inſtructis copiis & caſtris eductis egregie primo ſuſtinent, deinde gradum acriter inferentes illos ſubmovent, tandem omnibus viribus connixi infugam vertunt: quos fugientes per plus octo paſſuum millia inſecuti ingentem illorum cædem tam equitum quam peditum edunt. Quibus profligatis, omnem vim belli in urbem inſulæ eaput vertunt: qua primo impetu capta & direpta, ingenti præda auctі; cum nullum aliud belli opus in ea inſula reliquum eſſet, naves reperunt, claſſeque conſcenſa, relicta inſula, (cum adhuc multum temporis rebus gerendis idonei ſupereſſet) in continentem, & in proximam oram Granatenſis regni iter dirigunt: primoque adventu magnum navium numerum in littoribus Almericuſibus incendunt: atque in terram egreſſi infeſtas copias urbi admovent. Afri ſubito terrore fracti, colloquio petito, ſeſe haud contemnenda pecunia redempturos dicunt. Acceptа eſt conditio à Genuenſibus, difficultates in magna & munita urbe expugnanda, contra quam præceperant animo, providentibus, ac tempore anni minime rebus gerendis apto appetente. Dumque pecuniæ numerantur, Afrique de induſtria rem extrahunt; Rex ſilentio noctis, cum omnibus theſauris urbe furtim excedens, fidem pactorum ac noſtrorum exſpectationem eluſit: in ejus ſtatim locum Afri alium ſuffeciunt: qui quamquam obſides pactos dedit, non tamen magis, quam prior, fidem datam ſanctam habuit. Iterum ludificati Genuenſes iram, cujus effectus in ipſam urbem irritus futurus erat, omnem in regionem effundunt; quam cædibus, ruinis, incendiis, direptionibus paſſim graſſantes, omni belli clade pervaſtant: odiſque tandem exſaturatis, adverſo anni tempore urgente, claſſe conſcenſa Genuam repetunt; ovanteſque, ac gloriæ & ſpoliorum plenі portum ſubeunt.

Diſceſſus Genuenſis claſſis Afros præſenti quidem periculo, ſed non metu, liberavit: qui majorem belli molem à Genuenſibus, quorum nomen tum Saracenis in primis erat terribile, ſibi irritatis exſpectantes, urbem validiore munimento firmare, majoribuſque præſidiis, ac bellicis apparatibus, omniſque annonæ copia communire; claſſemque ac numerum navium augere conſtituunt; nullumque finem latrociniorum facientes, Engenium tertium Pontificem maximum Regis Hiſpaniæ ac Comitis Barchinonenſis aſſiduis precibus fatigatum in ſe incitarunt: qua de cauſſa legatum initio inſequentis
A. C. 1147 anni, qui fuit ejus ſæculi quadrageſimus ſeptimus, Genuam mittit; qui Genuenſium animos in Afros inflammet; & ad arma illis inferenda hortetur. In fac. ſan. poteſtate perpetuam Majorum ſuorum pietatem imitati fuerunt Genuenſes, Archiepiſcopo præſertim annitente; ac monente, quam turpe nomini Genuenſi futurum eſſet, quam alienum ab ipſorum conteſtata religione, ſi privatæ diſcordiæ, quibus non nihil tum civitas tentabatur, illos à tam ſancto & neceſſario conſilio revocaſſent. Igitur omnibus diſſidiorum cauſſis in arbitrium ipſius rejectis, mutuoque ſe in ſignum reconciliatorum animorum oſculati, omnes curas in comparandum intendunt: tantuſque animorum ardor omnibus eſt injectus, ut matronæ partem impenſarum ultro ſe ſubituras profeſſæ ſint, gemmas, quæque pretioſiora habebant, proferentes; atque ut acciperentur orantes. Nihil igitur de ſummæ contentione remiſſo; quattuor menſium curriculo poſtquam expedito decreta eſt, ingens claſſis ſexaginta trium triremium, ac centum ſexaginta trium onerariarum, varii nominis & magnitudinis, omnibus rebus inſtructiſſima comparata eſt; magnaque materiæ vis ad machinas fabricandas, ingenſque omnis apparatus bellici copia parata; ad hoc magnus bellatorum numerus ætate & genere florentium coactus. Tantæ claſſi præfecti ſunt ſex ex decem Conſulibus civitatis; Ubertus Turrius, Baldinus nomine familiæ ab Annalibus ſuppreſſo, qui mos frequens illis eſt, Philippus Longus, Anſaldus Auria, Ingo à Volta, Anſaldus Pizo. Quincto igitur, poſtquam comparari cœptum eſt, menſe Conſules ſolventes, cum in itinere nuſquam offendiſſent, ad portum, quem magnum vocant, claſſem incolumem appellunt. Eſt autem urbs Almeria in littore ejus Bæticæ Hiſpaniæ partis, quæ nunc regnum Granatenſe appellatur, ultra Charidemum promontorium, quod nunc caput Catæ vocamus, ita; ab Oriente ipſum portum magnum, quem diximus, habens; ab Occidente lingua in altum excurrens ſtationem claſſibus quamvis non ſatis tutam præbet: ipſa urbs plana & ſatis ampla eſt; arcemque habet paullo editiore loco poſitam, quam *Suetam* incolæ vocant; & ad mare perampla navalia omnis quamvis magnæ claſſis capientia. Genuenſes, claſſe ad linguam tranſlata, ibi Regem & Barchinonenſem exſpectare conſtituunt: ad quorum diligentiam ſtimulandam Oddonem Bonvillanum mittunt. Regem cognito Genuenſium adventu dolor cepit, quod copias ſuas nimia propere dimiſiſſet; neque plus quadringentos equites & mille pedites ſecum haberet: reſpondit tamen Oratori, ſe mox aſſuturum. Interea Genuenſes Duces, ne illud rempus mane abiret, experirenturque, quid animi, quid virium hoſtis haberet, Balduinum unum ex Conſulibus cum quindecim triremibus mittuot; qui ultro citroque diſcurrens, littuſque legens, conatus & conſilia hoſtis ſpeculetur, dato mandato, ne in terram exſcenſionem faciat, neve manum cum hoſte conferat: ille imperata impigre exſequitur. At Mauri ab omni cogitatione maritimæ pugnæ abhorrentes, tanto Genuenſibus viribus inferiores, cum omnes naves ſuas in terram & in tutum ſubduxiſſent, magnas tam equeſtres quam pedeſtres copias à circumjectis urbibus & populis ejuſdem religionis cultoribus corrogarant; haud gravate abillis conceſſas, cum intelligerent in eventu illius urbis ſuas quoque ipſorum fortunas verti. Igitur Almerienſes tantorum auxiliorum acceſſione animus ſumptis, ſuperbam virium fiduciam præferentes, equitatum contra Balduinum emittunt; quem ad deſcendendum, experiendumque ntra gens bello ſit melior, ferocibus verbis provocant. Ille mandatorum memor, nihil inambus vocibus movetur; ſed ex propinquo motus hoſtium contemplatur: ſicque nonnullos dies Mauros extraxit, donec Barchinonenſis Comes cum haud contemnendis navalibus & terreſtribus copiis tandem ad exercitum venit: cujus adventu confirmati Conſules, cum adventum Regis deſperare inciperent, non ulterius differendum rati urbem invadere conſtituunt: ceterum omnia prius facere, ut hoſtem quamquam equitatu ſuperiorem ad ſigna conferenda, juſtaque acie & æquo campo dimicandum attrahant, haud dubiam victoriæ ſpem ipſis faciente genere copiarum ſuarum & robore hominum: conſiliis igitur ad pugnam deſtinatis, unus ex Conſulibus, cui à collegis id negocium datum eſt, milites ad concionem vocatos talibus verbis hortatus ad pugnam dicitur: *Adverſus eundem hoſtem, contra quem patres veſtri in Syria tanta cum gloria aegre gus partis viſtoriis pugnarunt, quemque vos ipſi per hoſce annos tot cladibus contuliſtis, miſi, eo acrius, cives, vos uris decet, quo prater religionis ardorem ceteris Chriſtianis communem, tres accedunt ſtimuli, quà vobis virorum fortium ac pl-ſquam virilem operam poſtulant. Primus eſt injuria vobis per hos annos à latronibus iſtis continenter facta, tot naves ac merces veſtra capta, tot cives veſtri in ſervitutem abducti: alter ſtimulus eſt, quod miſi hanc urbem piratarum receptaculum dilemus, maria perpetuis incurſionibus infeſta habituri ſunt: tertius eſt ille longe acutiſſimus ſtimulus, quod bellum ſacrum non noſtrum erat; ſed maximorum Regum ac Principum, penes quos erant imperia; ut gloria & dedecus partarum victoriarum, vel cladium acceptarum illorum eſſet. At hac expeditio Genuenſium eſt, decuſque & ignominia ex bene vel male geſtis rebus tota noſtra futura eſt: cavete igitur per Deum immortalem, ne quo pro aliena gloria tot fortia opera edideritis; pro veſtra ac Genuenſi nominis ignavi fuiſſe videamini: & qui in Oriente nomen Genuenſe clarum & formidoloſum reliquiſtis, in Occidente ignominioſum & contemptum relinquatis: quique ex Syria ſemper gloria ex Hiſpania ignominia plenis revertatis.* Succlamant milites alacri conſenſu, pergerent Duces copiam ſibi pugnandi facere: annixuros ſe, & perfecturos, ut, quemadmodum milites ſollertis diligentiæ & vigilantiæ Ducum adhuc non pœniteat; ita ipſi ſuam fidem & operam Ducibus haud pœnitendam faciant. Omnium igitur animis præparatis, rebuſque ad pugnam inſtructis: Barchinonenſis ex compoſito cum ſuis copiis, in quibus non fuerunt plus quinquaginta equites, aggere fluminis proximi tectus in inſidiis latuit. Balduinus unus ex Conſulibus cum quindecim triremibus ſuis urbi invectus, copias expoſitas à ſpatio ſoli urbi & mari interjecto (non enim mœnia Almeriæ mari alluuntur, paullum ab illo retracta) inſinuavit, ſpeciem provocantis ad pugnam præbens. At Mauri paucitatem ex mœnibus contemplantes inſidias veriti, non prius ſe moverunt, quam duobus ex ipſis exploratum in locum quendam paullo editiorem miſſis; qui circumſpectantes, cum latentes inſidias non deteriſſent, Mauri ſecuriores facti, magna multitudine tumultuario ac confuſo agmine, nullum ordinem ſervantes urbe prodeunt, magnoque impetu in Balduinum feruntur: qui ſenſim, ut compoſitum fuerat, cedens copias in naves ſubduxit, ſeptem aut octo ex ſuis delideratis. At Anſaldus Auria, qui viginti quinque triremes ipſi aſſignatas ulterius promotas,

motas, pone linguam latere jusserat; cum ipse cum una triremi ad extremum caput linguæ speculabundus processisset, collegam laborantem conspicatus, signum invadendi Barchinonenſi, & ſuis pone linguam latentibus dat: qui eodem tempore ex inſidis conſurgentes; illinc Barchinonenſis copiis promotis, hinc viginti quatuor Aurianæ triremes remis connixæ, ac capite linguæ ſuperato, Balduinianiſque adjunctæ in terram raptim proſilientes eodem fere tempore concitatum Maurorum impetum excipiunt, quem ſortiter ſuſtinentes ſpatium dant reliquæ claſſi, quæ haud procul conſtiterat, navibus ulterius promotis, copias cum reliquis, pugna commiſſa, conjungendi. Univerſa igitur acie Chriſtiani validam impreſſionem in Barbaros dant: quos primum paullum ſubmovent, deinde gradum acrius inferentes avertunt, poſtremo omnibus viribus connixi in præcipitem fugam conjiciunt; quos inſequentes ac terga cædentes magnam illorum ſtragem edunt: Barbaricque, cum intolerandam fugitariorum Genuenſium vim, quo illis temporibus præ ceteris valebant, ferre non poſſent, in urbem ſe recipiunt, plus quinque hominum millibus in prælio amiſſis.

Victoria potiti Chriſtiani claſſibus in terram ſubductis, machinas fabricare, ac reliquum apparatum expugnandæ urbis inſtruere & parare inſtituunt, ita munera partiti, ut pars ipſorum opera inſtituta urgeret, pars Mauros per varias occaſiones urbe erumpentes, Chriſtianoſque operi intentos vexantes, ac machinas comburere conantes arceret; cum interea eorumdem Maurorum ne in urbe quidem munienda, ac ſuſpectioribus locis firmandis, omnibuſque ad oppugnationem ſuſtinendam & arcendam neceſſariis præparandis & expediendis, ſegnis opera eſſet. Chriſtianis igitur oppugnationi inſtruendæ intentis, Rex tandem ad exercitum venit; non plus quadringentis equitibus ac mille peditibus ſecum ductis, tam paucitatem copiarum, quam ſerum adventum excuſans. Perculit vehementer Mauros adventus Regis, longe majores copias ab illo, ut par erat, addoctas ratos: conſiliis igitur à vi ad Punicas fraudes verſis, animum Regis & Barchinonenſis tentant; ingentem auri vim pollicentes, ſi ipſi cum copiis ſuis diſcedentes ſolos Genuenſes reliquiſſent. Invictus uterque animus à ſordibus fuit: pravum conſilium ad removendam a ſe perniciem à Mauris initum, illam acceleravit: Conſules enim, rebus ad ſuſpitionem inclinatis, ac tempore anni rebus gerendis adverſo urgente, maturandum rati, nulla mora interpoſita, machinas productas mœnibus admovent, continentique multorum dierum verberatione duobus turribus & magna continentis muri parte proſtrata, urbem invadere conſtituunt, copias in duodecim cohortes partiti, ſingulas ſub ſignis ſuis, non minus millenis hominibus conſtantes, in quibus magnus fuit egregiorum ſagittariorum numerus, Regemque ac Barchinonenſem ad partem laboris & periculorum ſecum capeſſendam vocant: quorum Rex tarde ac lente ſe commovens vix in tempore ſupervenit; Genuenſiumque agmina jam ſub ſignis inſtructa, ac magno cum ſilentio procedentia invenit. Die igitur pervigilio divi Lucæ ſacro, cœlo albeſcente, magno impetu urbem invadunt; in eamque poſt tritum horarum pugnam per ſtragem diruti muri tandem perrumpunt, magna hoſtium edita cæde: ad viginti enim Maurorum millia eo die cecidiſſe traduntur; noctuque urbe potiti, ſanguine tandem ſatiati, irarumque certamine remiſſo, ad eos, qui in urbe remanſerant, capiendos ſe converterunt; quorum ad decem capitum millia omnis generis omniſque ætatis & ſexus, Genuam ducta ſunt. Qui in arcem ſe ſubduxerunt ad viginti millia numero ſeſe pretio triginta aureorum nummum mil-

A limm, nulla oppugnatione exſpectata, redemerunt; cum præda in urbe facta ſexaginta aureorum millibus æſtimara ſit; quorum maximam partem in milites & navales ſocios Conſules diſtribuerunt.

Genuenſes, urbi ipſorum in primis opera & copiis expugnatæ Othone Bonvillano cum mille armatorum numero præſidio præfecto, claſſe conſcenſa, proris in Orientem directis, Barchinonem petunt: ad cujus urbis littora claſſe appulſa, naves in terram ſubducunt, ibique hybernare conſtituunt, cum monitis Pontificis pro jure paternæ auctoritatis enixe agentis parentes; tum exorati precibus Comitis Barchinonenſis, contendentis ut ſibi auxilio eſſent in expeditione Dertuſienſi; in quam omnes ipſius cuiæ verſæ erant. Genuenſes igitur, hybernaculis ſtatuis, Ubertoque Turrio & Anſaldo Auria duobus ex Conſulibus cum duabus triremibus Genuam miſſis, ad ea, quæ geſta erant, magiſtratui & conſilio demonſtranda, rationemque novi conſilii ab ipſis capti reddendam, atque hominum ſupplementa accerſenda; ipſi materia ex omnibus circumjectis regionibus petita, ne totum illud hyemis tempus ſegne tereret, in machinas ad uſum expugnandarum urbium fabricandas aſſiduam operam conferunt.

C Quibus ad effectum perductis, ſupplementiſque petitis acceptis, atque omnibus rebus ad bellum neceſſariis paratis & inſtructis; æſtate jam inita claſſe deducta, anno ejus ſæculi quadrageſimo ſeptimo A. C. 1147. in pervigilio divi Petri ex hybernis movent, ac velis datis, Dertuſam petunt; Kalendiſque Julii Iberum flumen cum claſſe atque omnibus copiis ingreſſi, brevi Dertuſam perveniunt; copiiſque in terram expoſitis caſtra ſtatuunt. Ea urbs per totam longitudinem ripis fluminis porrecta ab illo alluitur, diſtatque à mari quindecim millium paſſuum intervallo, planaque urbis ad flumen pertinentia templum valido propugnaculo cinctum communit: D editior pars civitatis arcem ſatis amplam inferiori urbi imminentem habet; quam *Sediam* incolæ vocant. Genuenſes in parte inferiore ad flumen pertinente cum parte Barchinonenſium copiarum, quibus adjuncti erant nonnulli Anglici Proceres Templariæ militiæ Equites religionis cauſſa voluntariam militiam profeſſi, conſederunt: ſuperiora loca Gulielmus Montiſpeſulani Dominus cum reliquis copiis inſedit. Igitur milites Genuenſes omnis moræ impatientes, ardoreque animorum tracti, inconſulto impetu, Ducumque injuſſu, propugnacula templi invadunt, prælioque committunt: quod acre per multas horas fuit, compluresque utrimque abſumpſit: quam rem Duces acri bo animo tulerunt; militibuſque aſperis verbis objurgatis, qui diſciplinam militarem ſolviſſent; gravi edicto, ne quis talia in poſterum audeat, prohibent: machinaſque admotis mœnia quatere inſtituunt: quibus dejectis, ac perampla feneſtra patefactis, per ea Chriſtianæ copiæ in urbem irrumpunt, Mauris tandem averſis, qui acriter primo reſtiterant; quorum maxima pars in arcem ſe recepit. At Duces machinis è veſtigio promotis ſitum loci ex propinquo contemplatos vehementer perculit objecta ſpecies foſſæ immenſæ pene altitudinis & latitudinis, qua arx cingebatur; ut multi de F expugnatione deſperare inciperent: ceterum Duces nullam tantam eſſe rerum iniquitatem gnari, quam non virtus & patientia tandem ſuperet, opus immenſi laboris aggrediuntur foſſæ implendæ: quare materia undique comportari juſſa, eaque in foſſam ſubinde conjecta, cum neminem aut ætas, aut ordo, aut honoris gradus, aut dignitatis operi & labori eximeret; opere non nocte, non die, intermiſſo, tandem foſſa ad eam altitudinem impleta eſt, quæ eſſet oppugnantibus opportuna. Igi-

tur Duces turrim ligneam immanis magnitudinis, in qua erat delecta trecentorum bellatorum manus, ulterius promotam arci admovent: à qua magna detrimenta Mauri accipiebant; qui tamen haud quaquam sese deferentes, immanis ponderis saxa machinis suis intorquentes, latus in arcem versùm perfringunt, ac decutiunt: cui malo statim Genuenses occurrunt, rete ex funibus magnæ crassitudinis contexto turri undique cincta: quod saxis Mauorum impenetrabile, murum turris tutum & intactum ab illorum ictibus præbebat. Interes Comes Barchinonensis, ob non persoluta stipendia, à suis relictus est: solique Genuenses ab omnium societate deserti in ea expugnatione remanserunt: quæ res cursum quidem procedentium consiliorum nonnihil retardavit, ceterum animos Genuensium haud quaquam infregit, aut spem & fiduciam ex secundis ad Almeriam rebus conceptam debilitavit, usu expugnandarum urbium feroces: instituram igitur oppugnationem urgentes, Mauros ad extrema adductos ad necessitatem deditionis tandem adigunt: de qua re colloquiis initis, ita convenit, ut nisi subsidia ab omnibus Hispaniæ urbibus, quæcumque à suæ religionis hominibus incolebantur postulata, intra quadraginta dies venerint, arx & ea pars urbis, quam adhuc tenebant, Genuensibus & Barchinonensi illico tradantur: in quarum rerum observationem centum obsidibus ex suorum primoribus à Mauris datis, res interea in inducias sunt: cumque præfinitum tempus venisset, auxiliaque nusquam apparerent; pacta deditio facta est die divo Sylvestro sesto, qui est anni postremus, obsidione in sextum mensem completum extracta. Non modo spoliorum, sed captæ urbis tertia pars ex convocatis Genuensibus cessit; duas reliquas Comes habuit: quam partem Genuenses imperio diu ab ipsis possessam Comitibus Barchinonensibus, pretio accepto, posterioribus temporibus tradiderunt. Consules, duabus maximi nominis urbibus expugnatis, pleni gloria, atque opulentis spoliis onusti, Genuam cum incolumi ac victrice classe redierunt: à qua more triumphantium urbem sunt invecti.

A. C. 1149. 1150. 1151. 1152. 1153. Ut superiores tres anni bellicosi in primis, & pleni gloriæ fuerunt, ita quinque insequentes imbelles, nulla memorabili re domi, aut foris gesta; præter opidum Gibellorum, ac quidquid Respublica in Provincia Lolizæ possidebat, fiduciarium in viginta novem annos Guilelmo Embriaco datum, vectigali anniversario ducentorum sexaginta byzantiorum, ac dono aureæ aulæi byzantiorum decem, ad ornatum altaris divi Laurentii impositò: ac quidquid Respublica in urbe Acri & in illius finibus & circumjectis regionibus, nec non in urbe Antiochia totaque ejus ditione possidebat quum annuo vectigali, in illis quinquaginta byzantiorum, in his octoginta Hugoni & Nicolao Embriacis fratribus, in idem temporis spatium, in idemque fiduciæ jus dato.

Torpor quidam & socordia per ea tempora civitatem invaserat, resque publicæ à primariis civibus negligebantur, quibus summus quoque ipse magistratus, summumque civitatis imperium, quo ad ambitionem hominum instigandam, animosque ad seditiones & dissidia acuendos nullus solet esse acrior stimulus, raro ex omni memoria exemplo, sordebat. Ejus rei duplex causa traditur: alii enim illam nimiæ illorum temporum felicitati assignant: quæ eam negligentiam illudque fastidium faceret, perpetuo humani ingenii vitio à labore ad otium proclivis: cum principes civitatis pace cum Pisanis sancita, Maurorumque conatibus repressis, civitateque ab externis motibus quieta, rerum urbanarum procurationem aspernarentur, velut ignobilem; negotiumque molestiarum & offensionum plenum à se removerent, ac laborem inglorium repudiarent: alii altius intuentes rem ad graviorem interpretationem revocant: formidinem enim adventus in Italiam Friderici Ænobarbi Romanorum Regis, Imperatoris designati diadema Cæsarianum à Pontifice petentis, cives à Republica attingenda deterruisse, barbarum ac trux ingenium impotentemque iracundiam horrentes, quam ille haud dubie in eos primum effusurus esset, qui ipsius conatibus sese opposuissent: quam necessitatem Magistratus & suspecta Reipublicæ propugnatio hominibus imponebat: neminem igitur bono publico privatam perniciem sibi tum conflare voluisse ab homine Italiæ urbibus, si qua dicto audiens non fuisset, aut superbum jugum detrectasset, graviter minitante, cædesque, incendia, excidia alternis verbis jactante: ceterum is ipse metus caussa, si modo ea fuit, idem remedium mali fuit, qui cives, cum primus ille formidinis impetus defedisset, ad sese, liberos, conjuges, communemque patriam respiciendam tandem convertit, consopitamque virtutem excitavit, neque civitatem otio consenescere passus est. Qua in re egregia opera Archiepiscopi fuit, cujus in monendo, hortando, desidiam exprobrando, divini Numinis ultoris metum injiciendo, omnia segniora ac boni pastoris officia constiterunt.

Tanto igitur periculo appropinquante quattuor opibus & consilio eminentes cives Ugerius Guido, Ubertus Spinula, Anselmus Auria, Lanfrancus Piper, insequenti anno, qui fuit ejus sæculi quinquagesimus quartus, haud retractanter, populoque cupientissimo & efflagitante, Consules creati sunt: qui simulatque magistratum inierunt, omnes Reipublicæ partes erigendas curis suis amplexi, primum omnium triremium numerum longe immunitum, navalesque copias, quibus Respublica in primis starct, supplendas curarunt, magno numero carinarum illico pusito, deinde ad Rempublicam ære alieno & fœnore liberandam animum adjecerunt: quæ res partim ab ipsis, partim à successoribus proximi anni Consulibus adducta est, compluribus publicis vectigalibus & portoriis à fœneratoribus redemptis. A. C. 1154.

Per ea tempora Fridericus in Italiam venit: ad quem cum ceteræ Italiæ urbes, quæ erant veteris juris Romani Imperii, Legatos misissent, qui in verba jurarent, gratiam præpotentis Principis captantes: ne civitas quidem in eo officio sibi cessandum ducens, duos Oratores ad eum mittit, Hugonem Archidiaconum virum insigni doctrina, & Caffarum Annalium scriptorem: qui ab eo comiter & humaniter excepti sunt, cum magna effusæ in civitatem nostram voluntatis significatione: nihil tamen de iis rebus, quarum caussa venerant, tum transactum est; omniaque suspensa de industria in commodius tempus relicta sunt; astu Friderici omnia sibi integra reservantis: cui consilium esset Genuensium copiis & industria uti in expeditionibus maritimis, quas animo destinarat: in quibus prout illorum studia magis minusve prompta & obsequentia habuisset, ita illis leviores aut duriores conditiones ferre. Rebus igitur Genuæ in pristinum statum restitutis, pars curarum versa est in ditionem pacandam; quam nonnihil infestam per idem tempus faciebant Marebiones Carretani, animis ex negligentia civitatis aliquantum sublatis, qui furto insidiarum arcem urbis Nauli occuparunt, fide promissorum pridem civitati factorum perfracta. Urbanæ igitur copiæ eo missæ, omni eorum regione ruinis, incendiis, direptionibus per totam hyemem vastata, nullo alio operæ pretio facto, cum naves littoribus appelli non possent, Genuam reversæ sunt.

Crescebat in dies civitas opibus & existimatione, incolarumque numerus augebatur: animus igitur insc-

A. C. 1111. insequenti anno ejus sæculi quinquagesimo quinto Consulibus ad pomœrium proferendum, laxiusque spatium, quod incolas caperet, novo circuitu murorum amplectendum adjectus est: quod opus magni molimnis magnæque impensæ & laboris (ex lapide enim quadrato mœnia & turres exstructæ sunt) hoc anno inchoatum, brevi, ut suo loco dicemus, ad effectum perductum est. Clara victoria de Mauris parta, duobus magni nominis urbibus in Hispania subactis, cum suo ipsa fructu civitati profuit, tum nomen Genuense apud exteros Principes magna in gloria, magnoque in precio posuit; ut tam Latinus quam Græcus Cæsar Genuensium amicitiam ipsorum consilius in primis aptam, ingentibus promissis, & donis sibi adjungere studuerint. De qua re eum internuncii sæpe inter Emanuelem Constantinopolitanum & Genuenses ultro citroque commeassent; tandem Græcus instituta consilia ad effectum perducendi cupidus, Demetrium Metropolitam cum haud contemnendis donis Genuam misit: eum quo amicitia & armorum societas juncta est. Cæsarque præter eadem jura easdemque immunitates, quibus Pisani & Venети in ipsius omni ditione utebantur, Genuensibus datis, suam illis quoque plateam, suumque privatum forum ac sacram ædem in urbe ipsa Constantinopoli Genuensibus dedit, anniversaria pensione quingentorum perparorum Reipublicæ, ac sexaginta Archiepiscopo, aureorumque aulæorum bonoris causa addita.

At Fridericus Latinus Cæsar, cum, Cæsariano diademate à Pontifice accepto, in Longobardiam redisset, Dertona urbe post duorum circiter mensium oppugnationem capta & solo æquata, tantum sui terrorem cæteris proximis urbibus injecit, ut omnes, metu ejusdem eventus tributo ultro delato, se ab eo periculo & ab impetu hominis redimerent. Uni Genuenses in recusando constantes fuerunt, qui neque formidine præpotentis Principis, neque suasionibus multorum à Friderico eiam submissorum, ac sese Genuensium vicem sollicitos simulantium, terroremque & iracundiam Friderici consilius miscentium, a jure & libertate sua tuenda deduci potuerunt; omnibus curis in se adversus Friderici ennatus comparandos collatis. At Fridericus secum reputans, quanta moles esset urbs Genua, quantique ac quam diuturni laboris, quantæque impensæ, ac quam dubiæ spei futura esset oppugnatio opulentæ ac prævalidæ urbis, situ quidem ac natura loci in primis munitæ, cæterum inexpugnabilibus civium animis longe munitioris, ut quod extorquere vi non poterat, gratuito remittere videretur, necessitatemque beneficium suum faceret, Genua Legatos sibi mitti postulat: mos gestus est: missique sunt Gulielmus Luscius unus ex Consulibus; simulque cum illo nonnulli ex principibus civitatis, quos Fridericus comiter & amanter acceptos, honorificeque appellatos bono animo esse jubet: cum demonstraret, se a Genuensibus obsequia, non servitutem petere, neque se ab illis tributa quærere; fidelitate contentum, quam ipse amicitia & perpetua benevolentia sua esset remuneraturus; suumque favorem suamque omnem opem ac perpetuum ipsorum salutis & dignitatis patrocinium prolixe deferret. Legatis igitur promissorum & spei plenis dimissis, in Germaniam redit.

Nec minor honos, minusve pretium apud Gulielmum præcelsum ac præpotentem Siciliæ Regem Genuensibus fuit, qui tantum illorum gratiæ & auctoritati dedit, ut illis petentibus, Provinciæ Narbonensis, ac Gallos mercatores & negotiatores ex regno suo exigeret: quod Bernardus quidam Othonus piraticam faciens ejus nationis homo ipsos multis detrimentis affecisset.

A Longe diversa ratio Hierosolymitani Regis & Principum Syriæ fuit: qui Majorum suorum dissimiles nationem Genuensem omnibus iniquitatibus insectari cœperant, eorum naves & merces per adumbratas juris species capere, immunitatibus & juribus suis uti non permittere, nunc denique injuriarum genere afficere. Quæ injuriæ Genuenses tandem adegerunt ad Manfredum ex sodalibus Canonicis ædis Laurentianæ ad Anastasium quartum Pontificem maximum, qui tum Beneventi Concilium universæ Ecclesiæ habebat, mittendum, eas injurias expostulatum. Is fuit Manfredus unus ex B sodalibus Canonicis ædis Laurentianæ nobilitate & consilio spectatus: qui cum Pontifici injurias Genuensibus factas gravi & queribunda voce exposuisset: illis motus Pontifex litteras ad Regem Hierosolymitanum dedit in hanc sententiam scriptas: *Vehementer commoti sumus, fili, Genuenſium de te querelis, per Oratores suos ea de causa ad nos nomine tuo missos, graviter expostulantium; jura sua eximia in sancta ista civitate ac regno tuo, non tam a superioribus Regibus beneficia gratis data, quam ipsorum meritis debita præmia persoluta, illorumque jure jurando in fœdere secum ibi sancita, quotidie abs te infringi; magnosque sibi injurias a tuis fieri, sequerebus suis spoliari. Qua in re magis tuam quam illorum vicem doluimus; eatenusque consilio tuo haud mediocriter moratisumus: quippe illis, etiam juribus his ademptis, nihil de potentia ac de maritimis opibus, quibus excellunt, gloriaque tot claris rebus gestis parta decesserum est: ut tu regni tui nervos hoc facto præcidas, quod tot barbaris ac ferocibus nationibus circumseptum non tam viribus suis adversus tot potentes oppugnatores stet; quam conjunctione Occidentalium regnorum, auxiliorumque inde ad te submittendorum spe nitatur: quis metus Barbarorum audaciam a te armis petendo cohibet: quorum auxiliorum præter nam quod navales copiæ, quibus Genuenses in primis abundant, haud parva & haud contemnenda pars sunt; ita universa Europa auxilia ad te venire nonpossunt, nisi a classibus Genuenſium & ceterarum Italicarum civitatum, quæ opibus maritimis pollent, subvectæ: quas civitates pro eo, ut novis beneficiis demereatur, injuriis etiam faciendis ultro a te alienas. Ut mittamus ingrati animi vitium, quo nullum detestabilius est; quippe quod cursum benignitatis & beneficentiæ, quo vinculo mortalium societas in primis continetur, quantum in ipso est, interrumpat: hancine gratiam tot Genuenſium in Christianam Rempublicam meritis, tanto pro religione effuso sanguine, tantis hominum & classium factis impensis refers? Quam vero compar tuum istud consilium superiorum Regum sapientium virorum facto est? illis amicissimam Genuenſium sibi perhonorificam, regnisque suis multiplicitersingularem impensoque pretio parare est nunerunt; tu partam temere abjecis. Colige te, fili; ac considera, primum hoc vulnus a divino Numine illis, quos pro sceleribus ulcisci velit, infligi, ut illis mentem adimat; pravisque consiliis a te remotis paterna monita nostra audi, ac fac, ut in fide pactorum servanda, in Christianis ac bene de regno tuo meritis hominibus favore tuo complectendis, & ab injuriis prohibendis, in debita reverentia Christi Vicario præstanda, Majorum tuorum pietatis ac tui similis sis: neque te a præcipuis animi motibus auferre finas. Nos quidem in te a caco consilio deterrendo ideo ardentiores sumus, quod in regno isto tuo tuendo & conservando, non minores nostras quam tuas partes agi putamus; cum de toti Christianorum salute, qui in eo regno sedes & domicilium constitutum habent, paterna fidelitate solicitus, tum quod regnum ipsum Romanis Pontificibus auctoribus partum est, ac de nostrorum hostium manibus ereptum. Te igitur non modo pro paterno jure hortamur, fili, sed precibus etiam enixis tecum agimus, ut ad meliorem mentem te convertas, suaque Genuenſibus restituas, illorum jura conserves, ipsos in honore pro eo ac meriti sunt, & in caritate habeas; neque nos ad eam necessitatem invitos trahas (a qua semper cogita-*

gitatione remotiſſimi fuimus, tibi eum omnia ampla & fauſta optamus) ut, non proficientibus monitis, ſacroſanctæ poteſtatis tela in te intendamus, qua ſuperna indignatio conſequi ſoleat, Deo immortali nomen ſuum in Vicario ſuo ſpretum cæleſtibus armis ulciſcente. In eandem ſententiam ad Principem Antiochenum & ad Comitem Tripolitanum, nec non ad Patriarcham Antiochenum ſcripſit; (minima quoque magnis ſunt inferenda) quæ & talia mihi ſcribenti ſæpe venit in mentem mirari, quod legentes quoque miraturos non dubito, quid ita civitatis noſtræ vires longe remotis nationibus atque opulentiſſimis regnis illis temporibus formidoloſæ, caſtellanis accolis, atque anguſtiſſimorum finium Dominis, ita contemptui eſſent: aut quid tandem tam tenuis fortis hominibus animos faceret; ut, quacumque levi de cauſſa, in tam potentem ſimitimam civitatem, quæ ipſos nutu evertere poſſet, armis ultro inferendis inſurgere non dubitarent: aut cur Majores noſtri tam acres injuriarum ſibi à præpotentibus Regibus factarum vindices, ac pro illis ulciſcendis dignitateque ſua aſſerenda nulla diſcrimina recuſantes, nullique pecuniarum aut hominum impenſis parcentes, contumelias à tanto inferioribus impoſitas aut negligerent omnino, aut tam lente ferrent. Ceterum in tantis ſcribendi occupationibus non fuit operæ ejus rei cauſſam ab Annalibus ſilentio præteritam perquirere; quam etiam diu ac multum perquiſitam divinaturum potius me, quam inventurum ſperarem: ſua igitur cuique de iis & ejuſmodi rebus exiſtimatio libera eſto. Nunc ad ſeriem rerum contexendam revertor.

Eo igitur anno tota Genuenſis ditio pacata eſt à A.C. 1137.
nonnullis motibus, quibus ſuperioribus annis agitata fuerat; Marchioneſque Carrettani, contumacia tandem depoſita, in gratiam civitatis redierunt, Naulenſis arcis ac ceterarum omnium rerum judicio & arbitrio populo Genuenſi permiſſo. Sanius conſilium fuit Guidonis Guerræ Comitis Albintemelienſis: (retinebat adhuc titulum more horum ſæculorum, cum urbs jam pridem in Genuenſium ditionem ceſſiſſet) ut tutior eſſet & adverſus finitimorum conatus munitior, in fidem Genuenſium venit; ſeque ac caſtella, quæ adhuc poſſidebat, illorum imperio ſubdidit: quæ caſtella civitas illi mox fiduciaria dedit. Quæ ſupra ſcripſimus, quatuor annorum curriculo geſta ſunt; quorum hic poſtremus eſt, ejus ſæculi quinquageſimus ſeptimus.

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,
HISTORIAE GENVENSIVM
LIBER II.

A. C. 1138. NVLLO unquam majore in metu, majoreve in periculo civitas noſtra fuit, quam anno, qui ſequitur ejus ſæculi quinquageſimus octavus: quod tamen utrumque ipſamet brevi virtute & audacia diſcuſſit. Repetierat per ea tempora Italiam Fridericus Abenobarbus, ingentibus ac firmiſſimis copiis armatus, impotenti cupiditate hominem rapiente, jugum civitatibus, quæ veteris juris ſacri Imperii cenſebantur, imponendi. Prima belli procella in Mediolanum opulentiſſimam urbem incubuit: quæ prævalida oppugnatione atque arta obſidione ad neceſſariam deditionem compulſa eſt, venia ab irato victore novem argenteorum marcarum millibus redempta: quo metu ceteræ Longobardiæ civitates perculſæ ſimilem eventum formidantes, tributo impoſito imperium acceperunt. Uni Genuenſes veterem virtutem & conſtantiam retinuerunt, qui nihil Mediolanenſibus caſibus animis infracti, diligentiam in munienda urbe inſtitutam duplicarunt, curaſque non ad iratum ac ſurentem hoſtem feliciſque ſucceſſibus elatum humilibus precibus flectendum, ſed ad ſeſe & libertatem ſuam ab illius impetu defendendum contulerunt. Quare inſtitutum opus novi muri exſtruendi diurno ac nocturno labore urgentes; cum nulli aut ſexui, aut ætati, aut dignitati, aut honoris gradui extrema neceſſitas parceret; octo dierum curriculo opus, quod annuum æſtimaretur, perfecerunt: quæ claudi in tanta temporis brevitate muro non potuerunt, ea validiſſimo trabium & aſſerum munimento obſtructa ſunt; prævalidæque cohortes ſtipendia facientium in urbem à Magiſtratu introductæ; nullaque pars omnimodæ curæ & diligentiæ in muniendo & comparando omiſſa eſt.

Quibus rebus cognitis Fridericus, qui Boſcum uſque extremæ Longobardiæ opidum proceſſerat, ut majorem ſui terrorem propinquior factus injiceret; cum prius animos Genuenſium per aulicos Proceres, quibuſcunque aliquid juris cum Genuenſibus publice aut privatim erat, flectere fruſtra tentaſſet; conſiliis à vi inferenda ad animos benignitate alliciendos & in ſe firmandos verſis, Legatos ad ſe mitti poſtulat, cum quibus de ſumma Republica agat. Perampla legatio miſſa eſt, octo civitatis principum; qui fuerunt Udo Contardus unus ex illius anni Conſulibus, Caffarus Annalium Scriptor, Ubertus Spinula, Gulielmus Cicada, Guido à Laude, Ogerius Bocheronus, Otho Judex Albericus. Hi cum in Aulam veniſſent, ad Cæſarem introducti ſunt, principeſque legationis de jure civitatis tali oratione diſſeruiſſe traditur: *Arrogantia apud te, Cæſar, inſimulamur, qui tibi eximus eſſe poſtulemus: quique conſilia a Longobardia, & aliarum Italicarum Provinciarum civitatibus ſeparantes, ſimul eum illis tributa ſacro Imperio pendere recuſemus: ceterum res ipſa omni nos invidia liberat; quam ſi quis ſua momenti ponderet, non modo nullam ſuperbiam noſtram accuſet, ſed modeſtiam inſuper laudet: nemoque nobis tam iniquus fuerit, qui in diſſimili noſtra à ceteris civitatibus cauſſa non diſpar quoque jus eſſe æquum cenſeat: cætera urbes, Cæſar, agros feraces in finibus Romani Imperii poſſident, fruſtuſque ex illis percipiunt, qui non modo illas alant, ſed quis ſuperexſuperanter foras cum magno ipſarum compendio exporteutur, ut æquum ſit Romanum Imperium eorum, qui in ipſius ſolo naſcuntur, particeps eſſe, neceſſariaque onera ſua ab illis levari. At nos ſolo nudo & ſterili utimur: quod non-*

nonnullos quidem amicos, ceterum nullos aut perexiguos neceſſarios fructus fert. Quare ſit, ut nullam Romanum Imperium partem jure petere poſſit earum rerum, quæ nulla ſunt: induſtria nec noſtra, Cæſar, noſtrique labores alunt; totaque res noſtra maritimo commercio & mercatoria negotiatione continetur. At induſtria & labores vectigales eſſe non debent: neque id ullo unquam tempore, aut apud ullas quamvis barbaras nationes uſurpatum eſt: commercia vero, & mercatorius quæſtus eo etiam minor, quo mille portoriis obnoxius eſt, quæ ubique locorum ſolvimus, ut ſumma non modo injuria, ſed inaudita quoque crudelitate ſit, eandem rem duplici & intolerando onere gravari: quod ſuperadditum nunc, ut injuriam omittamus, omnem quæſtum commerciorum omnemque laborum fructum obruat, neceſſitatemque hominibus exprimat ipſius negotiationis plane deſerendæ, tributis fructum mergentibus: quare fiet, ut omni via alimentorum parandorum adempta, Liguria ipſa tota, qua Provincia nulla eſt hodie in Italia oppidorum ac populorum frequentia celebrior, incolis alio commigrantibus, habitatoribus vacua, brevis receptaculum ſerarum ſiat. Atque hæc, quæ adhuc diximus, tributis nos liberant; quæ vero mox addemus, non quidem vim adhibent, neque enim poſſumus; ſed verendum eſt, ne ceteris Italiæ ſacri Imperii civitatibus imponunt nobis etiam tributa perſolvendi: neque enim æquum eſt, ſi quis ad calculos rem revocet, operam noſtram, quam illis ac ſacro Imperio præſtitimus, aſſiduam navamus, mercede ſua carere, cum illud conſtet claſſibus, & bellicis laboribus, & diſcriminibus noſtris maritimæ commercia Italiæ tuta fieri; mari ab excurſionibus piratarum per totam ejus longitudinem purgato: quæ commercia cum Italia non minus commoda & fructuoſa ſint, quam illa ipſa ſolis ubertas, in rebus neceſſariis ita illam importandis: & fructibus, quos ipſa fert, cum magna ipſius utilitate avehendis; non debet opera noſtra ipſis tam utilis nobis ſolis eſſe infructuoſa, neque illas decet, cum particeps commodorum ſint, impendiorum, quæ aſſidua hominum & pecuniarum in claſſes alendas facimus, expertes eſſe: ſed ventrem imitari; qui cum miniſterio manuum, ac pedum, cæterorumque membrorum alatur, non ſegnis, neque nullum mutuum beneficium reddens, datis rebus utitur; ſed ſanguinem per totum corpus concocto cibo diſtribuens, membra vicißim alit. Quod nos novum fieret, Cæſar; uſurpatum eſt enim omnibus temporibus apud alias nationes: neque jure quis nobis ſuccenſuerit, ſi nos Græcæ ſapientiſſimæ Provinciæ exemplo moveamur; cujus libertatem cum Athenienſes claſſibus ſuis defendendam ſuſcepiſſent, ſtipendia quoque haud gravate à reliquis civitatibus collata ad partem impenſarum tuendam exigebant: ſed nihil tale à te petimus, Cæſar, quapropter nunc pronunciaturus es, in eam ſententiam diximus, ut ſacrum Imperium plus etiam quam à ceteris civitatibus à nobis habere ſe putet, ſi eo nuper a nobis liberatur, quod ipſi amplius decem millibus aureorum argenteorum marcarum annuarum ſtaturum fuerit. Id ſi cogitaris, Cæſar, jus immunitatis a nobis, ceteris Cæſaribus ſuperioribus tuis tacentibus, perpetuo uſurpatum infringendum non duces: quæ ea re ſapientia & æquitatis tua præclarum exemplum edet.

Flexit ea oratio animum Cæſaris: æquis poſtulatis aſſenſum, fœduſque Genuenſibus honorificum ſancitum eſt: in quo Cæſar per duos Legatos Genuam miſſos Genuenſes in fidem & tutelam accepit, juriſdictioni & foro judiciario Imperii exemptos, præter crimen latrocinii, immunitate tributorum, atque omnium onerum quacumque de cauſſa confirmata: contra populus jurejurando ſe majeſtatem Imperii pie cultorum promiſit, mille ducentis argenteis marcis, honoris, voluntatiſque in illum propenſæ declarandæ cauſſa, dono ad illum miſſis: quo fœdere icto Genuenſes in gratiam recepti expeditionem in Albios Intemelios fecerunt; qui ante fœdus cum Cæſare ictum, illo ſuadente & inſtigante, defecerant; arcemque in ea urbe à Genuenſibus ædificatam diruerant. At Genuenſes opido in antiquam ditionem redacto, complures Intemelios cives, qui auctores deficiendi fuerant, captos ac Genuam ductos carceribus incluſerunt.

Anno inſequenti ejus ſæculi quinquageſimo nono, inchoatum ſecundorum mœnium opus ad finem perductum eſt: quod totum ex lapide quadrato magnificentia ſua conſpiciendum in primis eſt: à porta enim incipiens divæ Sabinæ ædem complectens, inde ad ædem divi Franciſci conſcendens, ædes divæ Catherinæ, ac divi Andreæ intra pomœrium claudens, ad aream Sarzani mari imminens, terminatur quinque millium quingentorum pedum circuitu: qui dimidius tum civitatis ambitus fuit; cum pars urbis ad portum & ad mare pertinens paris fere longitudinis, muro cincta non ſit, rupibus ac ſcopulis locique natura ſatis munita. A. C. 1159.

Inſequenti anno ejus ſæculi ſexageſimo, duo Legati miſſi ſunt, alter ad Cæſarem Græcum Henricus Guercius; alter ad Lupum complurium Hiſpaniæ Provinciarum Regem, ad nonnullas controverſiarum exortas cauſſas tranſigendas, pacemque & amicitiam ſtabiliendam, Ubertus Spinula: qui Genuam reverſus, nulla re ex iis, quas cum Rege egerat, ad exitum perducta, inſequenti anno ejus ſæculi ſexageſimo uno Conſul factus, claſſi quinque triremium præfectus eſt, duplici de cauſſa armatarum, & in tutelam commerciorum à piratarum Saracenorum moleſtiis, & ad Lupum Regem ejus claſſis metu ad pacis conſilia, ad quam ille retractanter deſcendebat, attrahendum. Neutrum conſilium vanum evaſit: nam ejus claſſis fama piratarum conatus compreſſit, qui domi ſe continuerunt, navibus in terram ſubductis; onerariæque Genuenſes omni damno intactæ incolumes in patriam redierunt. At Spinula omnem Italiæ & Sardiniæ oram circumvectus, illarumque littoribus pacatis, curſu in Hiſpaniam directo, portum Deniæ Aragonici Regni opidi tenuit: cujus adventu cognito, Rex continuo legationem ad illum mittit, ſeſe pacis percupidum oſtendens, qui tantum ſpectatæ virtuti & ſapientiæ Spinulæ tribuit, ut omnes controverſiarum cauſſas, omneſque pacis conditiones ad ejus arbitrium rejecerit; ſeſe eo, quod ille ſtatuiſſet, ſtaturum promittens: & hercule Ubertus vir fuit memorabilis, cujus virtute & ſapientia res Genuenſis ea tempeſtate in primis ſtetit; quique nullum ætatis tempus à publicis muneribus tam pacis quam belli vacuum habuit, quibus perpetuo magna cum integritatis & conſilii laude perfunctus eſt. Nihil cunctatus Ubertus, tantamque regii animi ſubmiſſionem admirans, delata facultate accepta de conſilio ſententia, in quo fuerunt duo ex Conſulibus rerum forenſium, Anſaldus Scalia, & Lambertus Longus, eas pacis conditiones tulit, ut Rex libera & omni moleſtia intacta Genuenſibus in regnis & portubus ſuis commercia præſtaret; ac decem aureorum millia præſentia ſolveret. Quibus conditionibus à Rege cupide acceptis, miſſus eſt Genua Legatus Gulielmus Caſſicius, ad pacem ratam habendam, & ſanciendam, pecuniaſque accipiendas: adeo tum opes & nomen civitatis noſtræ florebant, ut illius amicitiam Reges pretio appeterent. Eadem pax & amicitia iiſdem conditionibus cum præpotente Mauritaniæ Rege, quæ Provincia nunc *Marocum* appellatur, per Othobonum Nuvolonis fratrem Legatum ea de cauſſa Genua miſſum inita eſt. A. C. 1160. A. C. 1161.

Eodem quoque anno Anſaldus Spinula comes additus eſt Joanni ſanctorum Joannis & Pauli Cardinali, ab Alexandro Pontifice ad Regem Hieroſolymitanum Genuenſium cauſſa legato, ad controverſias componendas, ac jura eximia nationis Genuenſis ſancienda: qui Pontifex eo anno Genuam venit, magnifice & apparate acceptus, cum ſumma effuſæ voluntatis & obſervantiæ ſignificatione: perhonorificus enim in populum Genuenſem perpetuo fuit, quem ampliſſimis viribus auxit & ornavit: quorum illud haud quaquam vulgatum fuit, quod Archiepiſcopum perpetuum Legatum, quem Legatum natum vocant, tranſmarinarum Provinciarum creavit. Sanctus vir totum pontificatus curſum, qui diuturnus fuit duorum & viginti circiter annorum, à Friderico exagitatum habuit; quattuor pſeudo-Pontifiesbus, Victore, Paſchale, Calixto, Innocentio, adverſus eum deinceps vitio & per Eccleſiæ diſſidium ereatis, qui tamen ante illum omnes mortui ſunt. Fridericoque tandem, Venetorum virtute, neceſſitas ad pedes Pontificis ſuppliciter procumbendi, eoſque oſculandi expreſſa eſt, celebre illud ad omnem poſteritatem præfato, *Non tibi, ſed Petro:* cui à Pontifice illud relatum eſt, *Et mihi, & Petro.* Friderici hujus opes eo tempore terribiliores Italiæ factæ ſunt, Mediolano capto, ac funditus everſo, quo metu ſubacti omnes Longobardiæ populi, ac maris inferi Romam uſque accolæ, tributum impoſitum obedienter acceperant. Um Genuenſes recuſantes, Papiam, ubi Fridericus conſederat, evocati ſunt: miſſa eſt octoviralis legatio, Gulielmus Rogeronus, Grimaldus Conſules, collegæque additi Gulielmus Ventus, Melchior Volta, Henricus Auria, Ogerius Guidonis, Vbertus Spinula, Philippus Juſta, Bonvaſſallus Bulſengus. Eadem, quæ ſuperioribus annis, de tributo imponendo & recuſando jactata ſunt; iſque tandem diſputationum exitus fuit, ut Cæſar rationibus victus neceſſitatem tributi remitteret; ampliſſimoque diplomate Genuenſes honorificentiſſime appellatos in amicitiam & gratiam acciperet, ampliſſimis juribus ac donis auctos; quorum illud eximium fuit, jus ex tota Liguria, cujus tum exiguam partem Genuenſes imperio tenebant, à Monœco oppido uſque ad portum Lunenſem navales ſocios, remigium, naves, materiam, ceterumque omnem bellicum apparatum in uſum claſſium ab ipſis armandarum corrogandi: quam totam oram maritimam, ſua juriſdictione Marchionibus reſervata, hac in re illis ſubjunxit: ad hoc urbem Syracuſas, quam juris ſui eſſe præ ſe ferebat, illis fiduciariam conceſſit: contra Genuenſes ſeſe illi claſſibus atque omni ope ſua adeſſe in omnibus expeditionibus ab illo ſuſceptis promitterent: Legatis igitur Genuam remiſſis, legationeque renunciata, altera ſimilis ſeptemviralis legatio primariorum civium ad conventa ſancienda Papiam miſſa eſt: hi fuerunt Ingo Volta & Nuvolonus Conſules, Lanfrancus Piper, Beltramus Marinus, Ido Contardus, Bonvaſſallus Bulſengus, & Rogeronus.

Rebus ita conſtitutis, novi motus novæque bellorum cauſſæ inter Piſanos & Genuenſes ortæ ſunt; pace inter ipſos Romano Pontifice auctore conſtituta à Piſanis violata, fideque pactorum fracta: quibus uterque populus non modo publice, ſed privatim quoque in omnibus orbis locis à mutuis injuriis prohibebantur: ea fide ſpreta Piſani, qui Conſtantinopoli negotiabantur, cum non ſatis cum Genuenſibus de nonnullis controverſis rebus conveniret; ut vi & manu, quæ verbis non poterant, obtinerent, armis arreptis ad mille numero Genuenſes nihil tale metuentes improviſo invadunt; qui tamen cum non plus trecenti eſſent, præſidio murorum fori ſui tecti, invadentium impreſſionem totum eum diem ſuſtinuerunt; noctèque appetente, nonnullis probis viris pro communibus amicis ſeſe interponentibus, rea pacatæ ſunt: fideſque mutuo data ab injuriis abſtinendi. Ceterum inſequenti die Piſani fidei datæ obliti, Venetiſque ac nonnullis Græcis facinoroſis, & contaminatis hominibus ſibi adjunctis, viribus aucti atrociores in Genuenſes cooriuntur: quibus Genuenſes viribus inferiores cedere, ac ſaluti conſulere coacti ſunt; foro defenſoribus vacuo diripiendo illis relicto, magno cum ſuo damno, ingenti rerum Genuenſium à Piſanis præda facta; cum captus quoque fuiſſet adoleſcens quidam nobili loco ortus Othonis Ruffi filius, ac poſtea crudeliter necatus. Genuenſes, Conſtantinopoli relicta, Genuam ſe conferunt; fortunamque ſuam conqueruntur. Atrox injuria magnas animorum commotiones fecit: Conſuleſque ira ardentes duodecim triremes adverſus Piſanos illico armant: quam tamen claſſem portum exire non ante paſſi ſunt, quam omnia juſta feciſſent, feciali Piſas miſſo ad ablata repetenda, poſtulandumque, ut ſibi de injuriis ſatisfiat: quod niſi Piſani fecifient, ad bellum indicendum: nihilominus fecialis Piſis ludibrio fuit, quam Conſtantinopoli fides eluſa: bello igitur indicto, ac feciali reverſo, triremes illico ſolvunt; portumque Piſanum appulſæ turrim captam in ipſorum Piſanorum oculis demoliuntur, nonnullaſque Piſanorum naves incendunt, ac præda Genuam miſſa, in portum Lunenſem ſe ſubducunt; ut propiorea eſſent, ſi Piſani quidquam moviſſent: eodemque tempore quattuor Genuenſium triremes vi tempeſtatis ad littora Corſicæ & Sardiniæ compulſæ complurea Piſanorum naves ceperunt; in quibus triremis fuit, quæ Bonacurſium unum ex Piſanis Conſulibus vehebat: qui Genuam miſſus cum nonnullis aliis Piſanis, quæ cædi ſuperfuerunt, carcere incluſus eſt, cum multi eorum in captis navibus ab Othone Ruffo jugulati fuiſſent, recenti dolore filii Conſtantinopoli necati ad ejus mortem ulciſcendam paternum animum ſtimulante. Piſanum Conſulem paullo poſt Genuenſes à maximo Cæſaris ſcriba exorati dimiſerunt, quo etiam ſe interponente, uterque populus per nonnullos dies à ſe mutuo lædendo abſtinuit.

Nec tamen diu quieverunt Piſani; triginta ſex triremibus ac nonnullis aliis navigiis armatis, per cauſſam, ut præſidio eſſent navibus & negotiatoribus ſuis ultro citroque commeantibus, à quibus duæ onerariæ Genuenſes, cum forte in illas nihil tale ſuſpicantes incidiſſent, captæ ſunt: cujus rei nuncio ad triremes Genuenſes, quas in portu Lunenſi ſubſtitiſſe diximus, perlato, Duces celeritate navium ſuarum & remigio confiſi claſſem hoſtilem citato curſu petere non dubitant: qua in conſpectum data, nuncio è veſtigio ad Duces Piſanos miſſo ad concurrendum pari utrinque navium numero provocant: detrectant Piſani certamen: at Genuenſes irridere, ignaviam exprobrare, ac modo triremes in illos concitare, ſpeciem præbentes certamen petentium, modo in ſe citatos mira navium ſuarum agilitate fugere; totoque eo die per ejuſmodi hoſtis ludificationem extracto, ne ſine ullo fructu tempus laberetur, in inſulam Planaſiam ditionis Piſanæ iter averterunt; qua everſa, in Corſicam & Sardiniam contendunt; magnaque per circumjecta maria hominum & rerum Piſanorum præda facta, in portum

tum Lunenſem ſe recipiunt. At Genuæ nuncio captarum navium accepto, claſſis in Piſanos decreta eſt: quæ dum comparatur & inſtruitur, magnus Cæſaris ſcriba ejus juſſu Genuam venit; cujus auctoritate apparatu bellico ab utroque populo intermiſſo, utrique Auguſtam Taurinorum, ubi tum Imperator conſtiterat, evocati ſunt, qui de jure ſuo, Cæſare ipſo diſceptatore, diſſererent. Octo Oratores ex civitatis longe primoribus miſſi ſunt, Grimaldus unus ex Conſulibus, Capo Orgolius, Lanfrancus Piper, Ubertus Cancellarius, Simon Auria, Baldizonus Uſuſmarius, Guido Laudenſis, Otho Mediolanenſis: hæc nomina familiarum erant. Per ingentia verborum commercia cum pax convenire non poſſet, inducieæ factæ ſunt in reditum Cæſaris ex Germania, in quam mox cogitabat: in quas inducias poſt ejus reditum ducenti ex utriuſque populi longe primariis jurarunt.

A.C. 1163. Inſequenti annus ejus ſæculi ſexageſimus tertius nihil memorabile habet, præter obitum Syri primi Genuenſium Archiepiſcopi, viri in omni vita continentiſſime acta venerabilis. Habita funt comitia de ſucceſſore creando à ſacro ordine, ac Conſulibus & magna parte Senatus more priſcæ Eccleſiæ congregatis: qui eam electionem à ſe abiegatam rejiciunt ad tres Abbates ſancti Benedicti, ſancti Syri, ſancti Stephani, & ad præpoſitos divæ Mariæ à Vineis, & divi Donati; rectoribus divorum Joannis, Damiani, Mariæ Caſtellanæ; tribuſque ſodalibus Canonicis Lauretanis Rubaldo, Anſelmo, Dodone Hypodiacono additis, à quibus creatus eſt Ugo Genuenſis, Archidiaconus, qui eodem die à Clero & populo in ſolio Archiepiſcopali collocatus eſt.

A.C. 1164. Inſequenti anno ejus ſæculi ſexageſimo quarto, cum Cæſar in Italiam rediiſſet; miſſi ſunt ab utroque populo inſtitutorum de pace colloquiorum cauſſa ad eum Legati. Genuenſes quatuor fuerunt Baldizo Uſuſmarius, Corſus Sigiſmundi filius, Bonvaſſallus Antiochia, Guliel mus Jordanes: ceterum tantum abfuit, ut inchoata conſilia ad exitum perducta ſint; ut, novis odiorum cauſſis exortis, novum ac prioribus atrocius bellum renovatum ſit. Regebatur eo tempore Sardinia à quattuor Judicibus: qui quattuor Provinciis, in quas omnis Sardinia diſtributa eſt, Callaritanæ, Turritanæ, Galluritanæ, Alborenſi; ſinguli ſingulis præerant: ſummum imperium inſulæ, pro ſuo jure, Piſani ſibi vindicabant; de quo tamen cum Genuenſibus ſemper contenderunt: Sardorumque ſtudia diviſa alterutras partes ſequebantur: in quibus Bariſo Judex Alborenſis, qui ceteros opibus & potentia anteibat, totum ſeſe ad amicitiam Genuenſium contulerat, Piſanis inſcnſus nimis ſuperbe imperitantibus. Novarum igitur opum acceſſione fractus Bariſo ſpiritus extulit; animumque ad ſplendidum conſilium adjecit regnum Sardiniæ Piſanis expulſis ſibi parandi, conſiliis cum Genuenſibus communicatis: quos multa induxerunt ad Bariſonis conatus favore ſuo ampleCtendos; primum quod Piſanorum opes in ea inſula longe ſuas antecellerent, ac multo latius pateret imperium; deinde quod ea contentio magnis hominum & pecuniarum impenſis ipſis ſemper ſtetiſſet, ſine ulla magnopere fructus ſpe; poſtremo quod ſperarent, quod aperta via aſſequi non poterant, ut Piſana inſula exactis, ejus imperium ſibi firmarent; ad id per devium iter ſe perventuros: omni enim Bariſonis ſpe regni adverſus Piſanorum conatus retinendi ab ope Genuenſium pendente; ſeſe illius promptam operam & nutibus obnoxia ſtudia habituros, confidebant: Regiſque proinde tiA tulum ac nomen penes illum, ceterum vim omnem regni penes ſe fore: igitur Ugonem Epiſcopum ſanctæ Juſtæ ea de cauſſa à Bariſone ad Cæſarem miſſum duo Legati Genuenſes comitati ſunt Philippus Juſta & Bonvaſſallus Bulferius. Epiſcopus ad Cæſarem introductus petiit Bariſonem nomine ac diademate regni Sardiniæ à Cæſare donari; quod regnum ille ſeſe à Cæſare fiduciarium habiturum promittere, atque in Cæſaris imperia jurare paratus eſſet; ſimulque anniverſarium tributum pendere, atque interea quattuor millia marcarum argenti præſentia numerare. Haud retractanter poſtulatis annuit Cæſar, Piſanis rem egre ferentibus, atque injuriam magno clamore conquerentibus, qui calore iracundiæ in verborum intemperantiam provecti, tota Aula præcidare non dubitabant, neminem omnino mortalium, ipſis invitis, ad Bariſonem in continentem trajiciendum, aut viam illi ad regnum expediendum ſatis potentem fore: quin ipſe, iis ipſis Piſanis invitis, ad Regem incolumem tranſvehendum, atque ad Cæſarem adducendum ſuſſecturos, Legati Genuenſes à Cæſare appellati reſponderunt. Cæſar igitur quattuor Legatos Genuam miſit; qui claſſe à Genuenſibus parata conſentiſa, Bariſonem eadem claſſe ex Sardinia Genuam deduxerunt, cum in magnis opibus, magnaque in exiſtimatione, atque in magnarum rerum gerendarum curſu civitas noſtra eſſet, civium curis in bellica ſtudia, atque in publicam & privatam rem augendam intentis.

Intervenit præclaris cogitationibus uſitatum opulentorum populorum malum, civiles diſcordiæ: quæ incitatum iter ad gloriam & ad ſummum in rebus maritimis potentiæ locum retardarunt: quarum origo fuit duarum præpotentium ac nobilium familiarum, Advocatorum, & Caſtellioruni ambitio; cum magnis utraque plebis clientelis fulta eſſet, magnamque Nobilitatis partem affinitatibus & amicitiis comprehenderet; totamque fere civitatem ſecum traheret. Caſtellitis nullius gentis, ante regnum quattuor familiarum, major aut diuturnior Genuæ potentia & auctoritas fuit; cujuſque opes magis formidoloſæ eſſent; quæque majorem civitatis partem ſecum traheret, ut deinceps apparebit. Diſcebant inter has duas familias occulta odia; quæ mutua æmulatio excitabat, dum utraque gens ad ſummum dignitatis & potentiæ locum tendit, neque altera alterius opes ſupra ſuas excellere patitur: quæ odia diu compreſſa tandem in aperta diſſidia eruperunt; verborumque contentionibus & jurgiis primo jactata, poſtremo ad manus & ſanguinem venerunt. Initium armorum factum eſt in adventu Bariſonis: cui cum Conſules honoris cauſſa magna optimatum caterva comitaret, obviam ufque ad externas crepidines proceſſiſſent; rixa inter Falconem Caſtellium, & Orlandum Advocatum, corumque amicos & clientes, quorum uterque haud exiguam manum ſecum habebat, verbis prius & conviciis inchoata, mox contentione animos accendente, ad ferrum excrſit; cruentumque prælium commiſſum eſt, cum non gladiis modo, ſed miſſilibus quoque res ageretur: in quo multi lethaliter vulnerati ſunt: in quibus fuerunt Balduinus & Henricus Guercii, ac Ganduiphus Uſuſmarius, Sarduſque Orlandi Advocati filius, qui ex acceptis vulneribus paulo poſt deceſſerunt. Hæc prima civilis diſcordia, quod quidem litterarum monumentis proditum ſit, civitatem noſtram agitavit.

At Fridericus Bariſonem à Genuenſium Oratoribus, Lanfranco Alberico, Piccamilio, Guliclmo Auria, Jonata à Campo, quos comitati ſunt

Bigottus & Guido Laudenſis Juriſconſulti, Papiam deductum, ac Regem Sardiniæ creatum regio diademate ſolennibus ceremoniis in æde divi Syri ornavit, Piſanis injuriam alte animo demiſſam haud tacitam ferentibus: quorum legationis princeps eum linguæ moderari non poſſet: *Ita ne vero*, inquit, *fieri oportet, Cæſar? hanc ne tu gratiam perpetuæ Piſanorum in Cæſarianum ſolium ſtudio, ac tot pro illius dignitate dimicationibus & diſcrimenibus ſuſceptis, ac fortis & fidelis toties navatæ operæ refers, ut illis Sardiniam juſto imperio tot ſæcula poſſeſſam auferas; parvoque pretio emptam, quæ tua non eſt, alis dones? ac degenerem ditionis noſtræ hominem, nobiſque ſervitutem ſervire aſſuetum, per ſummam noſtram injuriam & contumeliam tanto honore afficias?* Irritavit hæc vaniloquentia Oratorum Genuenſium animos, non minus fervidi ingenii hominum: quibus auctoribus, Cæſar ea fecerat. Reſponderunt igitur mentiri Piſanos Bariſſonem degenerem appellantes, qui nobiliſſimus ſit; ac ſuæ ditionis hominem afferentes, qui contra complurибus ipſe Piſanis imperet; ex ejuſque ditionis fructibus Piſæ haud parva ex parte alantur: pari mendacio Piſanos Sardiniam ſibi vindicare; quam Genuenſes armis olim, ipſis Piſanis ſociis, non minus ſubegerint: qua in re primas fuiſſe Genuenſium partes, vel eam rem argumento eſſe, quod ipſis ceſſerint Piſani honore Muſati Regis capti ad Cæſarem adducendi, ut perpetuo teſtatum relinquerent, Genuenſium in pnmis opera & armis Sardiniam, religionis noſtræ hoſtibus dejectis, Chriſtiano nomini & Cæſariano imperio adjunctam. Finem impoſuit Cæſar altercationibus, quæ ulterius progreſſuræ fuerant; Piſanis vehementer increpitis, qui talia tam inconſiderate projecillent: nam neque Bariſſonem eorum ditionis hominem umquam fuiſſe; & Sardiniam nullius juris quam Cæſariani eſſe. Addidit faces incenſæ Piſanorum iræ hæc Cæſaris objurgatio: qui indignationem vultu & verbis præferentes, aula mirabundi exceſſerunt. At Genuenſes, cum nulla in præſentia Regi eſſet pecuniæ facultas, argentum Cæſari promiſſum, fide publica ac nonoullis veſtigalibus oppigneratis, mutuo ſumptum pro Rege ſolverunt, qui Genuam reductus magnam pecuniæ vim à privatis civibus mutuam ſumpſit, in claſſem, quam paravit, ſeptem triremium & triun ingentium corbitarum inſumptam. Gratias igitur honorificentiſſimis verbis Magiſtratui egit Rex; faſſus ſeſe immortale hoc regni parti beneficium Genuenſibus debere; quorum ope, opera, auctoritate, pecunus illud adeptus ſit: ejus igitur regni penes ſe procurationem tantum, penes Genuenſes imperium perpetuo futurum, quibus omnia ſtudia deberet. Grati animi monumentum primum eſſe voluit haud contemnendum vectigal in ædificationnem ædis Laurentianæ donatum. Ad hoc ſe ad pecuniam publice & privatim debitam diſſolvendam, antequam in terram exſcenſionem faceret, publicis monumentis obſtrinxit: ceterum Rex, cum Sardi, ſive ipſi Regem ac novam formam Reipublicæ per ſe non probantes, ſive à Piſanis inducti, omnes vias pecuniæ erogandæ ex ante præparato interſepſiſſent, cum promiſſa non faceret, neque mutuum ſolveret, à Piccamilio Conſule & collegis, additis, qui æris exigendi cauſſa eum Rege icrant, neque illum ea de cauſſa in terram umquam expoſuerant, Genuam reductus eſt, ac nonnullis primariis civibus in cuſtodiam traditus.

Quibus de cauſſis, cum haud dubium eſſet, quin bellum à Piſanis immineret, atque civitas in antiquos labores redigeretur; non tamen aliarum rerum curæ omittebantur, tribus Legatis ad Græcum Cæſarem ipſius vocatu Conſtantinopolim miſſis; cum ille demonſtraſſet, cupere ſe antiqua fœdera ac conventa cum civitate renovare. Imita ea legatio fuit, Legatique nulla re tranſacta Genuam redierunt; mutata Cæſaris voluntate, atque ardore illo remiſſo, cujus conſilia à motibus Occidentalium Regum gubernabantur.

Ceterum propria erat inteſtinum malum, odiis inter cives in dies recrudeſcentibus, reſque ad factiones venerat, quæ per ſex inſequentes annos civitatem minfice exercuerunt; multis utrinque offenſionum cauſſis per varias occaſiones illis ſubinde accedentibus; quarum illa fuit inſignis; Melchior à Volta unus ex civitatis Conſulibus à nonnullis infimæ ſortis hominibus in ſuburbano ipſo ſuo, quo animi cauſſa ceſſerat, interfectus: ut, niſi ſedula cura & diligentia Ugonis Archiepiſcopi nullis muneris ſui partibus indormientis, omnibuſque rebus ſedulo occurrentis, res in præcipitem caſum inclinatas ſiſtinuiſſet; ea incendia excitari potuerint, quibus civitas conflagraret: cum quo Conſules inſequentis anni ejus ſæculi ſexageſimi quinti, conjunctis ſtudiis, complurибus ſalubribus remediis civitatis tranquillitati conſuluerunt; nam tela deponi à civibus, quibus armati vulgo incedebant, civilemque ac pacis veſtitum ſumi, gravi edicto imperarunt; factionumque & rerum miſcendarum capita ad inducias à mutuis offenſionibus ad certum tempus paciſcendas compulerunt; Ingonis & Amiconi à Volta turbulenti ingenii hominum ædibus, & turribus, quæ in media urbe ſitæ tanquam arces quieti civitatis imminentes, ac ſeditioſorum receptacula erant, in poteſtatem Magiſtratus redactis; ipſorumque audacia, ne ſe commovere ac res miſcere poſſet, cuſtodibus circumdatis cohibita.

Interea Piſani conſiliis ad bellum deſtinatis, illiuſque conflandi cauſſas quærentes, res ac merces navis Genuenſis, quæ ad inſulam Aſinariam naufragium fecerat, ceperunt. Genuenſes Legatis ad Cæſarem miſſis Lanfranco Alberico & Philippo Juſta, injuriam atque inducias ruptas conqueruntur. Reſpondent Piſani inium injuriæ atque induciarum infringendarum à Genuenſibus fieri; qui Regem Sardiniæ per ſummam injuriam cuſtodia incluſum teneant. Mittit è veſtigio Cæſar Conradum ſacrificum ſuum, hominem ſpectatæ prudentiæ & gravitatis, ad cauſſas querelarum cognoſcendas, reſque componendas. Convenerunt in opidum portum Veneris utriuſque populi Conſules. Multa utrinque ſunt jactata, Cæſariano Legato diſceptatore; nullaque concordiæ via inter animos exulceratos inita eſt, reſque à verborum certaminibus & jurgiis ad manus & ferrum tandem revocata eſt, atroci prælio inter Piſanas & Genuenſes triremes commiſſo, cum iterque Conſul triremem patriæ ſuæ conſcendiſſet: quod diuturnum & cruentum fuit; triremi hoſtili ac Conſule capto, cum Genuenſis Conſul grave vulnus accepiſſet. Hæ fuerunt cauſſæ belli inter has duas nationes renovandi, quod Piſani ſecundum eam pugnam Genuenſibus indixerunt: ad quod Genuenſes alacri animo ſe comparare inſtituunt; cum interea mutuis ſe damnis per varias occaſionea utraque gens carperet, quæ ſingula perſequi non eſt operæ pretium.

Ad magna bella, quæ civitatem noſtram exercebant, accedebant interdum parvorum & imbecillium nonnullorum caſtellanorum motus. Per ea igitur tempora Ughettus quidam Carpena, qui parvam arcem prope opidum Vernaciam ad littus ſitam poſſidebat, cum ad partes Piſanorum tranſiſſet, excurſionibus ſuis ex ea arce circumjectæ regioni, atque opido propinquo portui Veneris negotium exhibere cœpit; qua re motus Simon

Auna

Auria vir impiger ac ſtrenuus, qui tum forte publica cauſſa in opido portu Veneris erat, noctu cum trecentis armatis Vernaciam contendit; monteque arci imminente, antequam luceſceret, conſcenſo, arcem improviſo adortus parvo certamine capit & incendit; Ughettumque, atque una cum illo tres Vezani opidi dominos captos Genuam mittit. At Piſani, bello conflato, octo triremes armatas in Provinciam Narbonenſem mittunt; ad annonae viam ea parte Genuenſibus intercludendam: adverſus quos profectus eſt Simon Grillus cum claſſe quindecim triremium: qui Piſanas naves uſque ad oſtra Rhodani fluvii perſecutus, cum illae flumen intraſſent, fauces inſedit. Piſanae per aliud oſtium à Grillo conſpectu averſum egreſſae, conatus Genuenſium eluſerunt: Grilluſque, nonnullis Piſanorum onerariis incenſis, Genuam revertitur.

Ceterum longe majorem cladem Piſani Genuenſibus reddiderunt, qui una & triginta triremibus eadem aeſtate armatis in oram Liguſticam venerunt; copiiſque in terram ad Album Ingaunum expoſitis, urbem improviſo magno impetu adorti, brevi certamine, quod nonnulla caede ipſis ſtetit, capiunt & incendunt. Qua re cognita, Genuenſes dolore ardentes quattuor dierum curriculo prævalidam trigintа quinque triremium claſſem comparant, quae omnibus neceſſariis rebus ad bellum inſtructa è portu ſolvens, eodem Grillo praefecto, iter in Provinciam Narbonenſem dirigit, quo ſeſe Piſani poſt Ingaunum expugnatum contulerant: qui, fama claſſis Genuae motae accepta, neceſſitatem pugnae, à qua vehementer abhorrebant, vitantes, Rhodano fluvio ſe condunt, ac ad Fanum Aegidii uſque pergunt: ceterum Genuenſes, Ingauno incenſo, tantum certaminis animis imbiberant, ut ne ſic quidem hoſtem omittendum duxerint: quare fluminis oſtium ipſi quoque ingreſſi ad idem fanum perrexerunt: quo noctu appulſi, tenebris proſpectum adimentibus, nonnihil à locis vadoſis conflictati ſunt. Poſtero die Grillus certior factus incolas opidi, ac peregrinos, qui ad mercatum convenerant, à partibus Piſanorum ſtare; ab iniquo praelio committendo abſtinendum, ac voluntatem Raimundi Comitis prius explorandam cenſuit, tribus Oratoribus ad illum miſſis, Rubaldo Biſacia, Gulielmo Nigroni filio, Idone Contardo. Facile vir mobilis ingenii atque ancipitis animi ad foedus ſanciendum contra Piſanos attractus eſt; pecunia à Conſule Genuenſi, per cauſſam impenſae in bellum faciendae, accepta: qui venalem fidem gerens, majore pretio à Piſanis paullo poſt occulte emptus eſt, opidanis ipſis quoque corruptis: quod cum reſciviſſet Conſul, vehementer ea deſtitutione perculſus, & haud dubius, quin Comes ad perfidiam proditionem quoque effici additurus; à fortuna iniqui certaminis tentanda abſtinendum intelligens, ſtipendio multibus, quos conduxerat, cum fide perſoluto, itinere retro repetito Arelatum venit à Comite opidi cumiter exceptus; cujus animo fruſtra tentato, oſtium fluminis exit.

Dum ea in Provincia Narbonenſi majore mole geruntur, ne alius quidem in locis quies belliceſis populis ab armis erat: tres enim triremes à Genuenſibus in Sardiniam miſſae ſunt: è quibus ad locum rurſum appellatum in terram egreſſi, complura aedificia Piſanorum incenderunt, totamque circumjectam regionem direptionibus, ruinis, omnique belli clade pervaſtarunt. Ulti ſunt Piſani ea incendia, opulenti opidi Levanti in ora Liguſticа ſuburbiis à quinque & viginti illorum triremibus tocenſis; atque in reditu, inſula portus Veneris fruſtra tentata, exſcenſione in littus portus Veneris facta, incendus & ruinis late graſſati: ceterum adventum Morruelli Opicii Malaſpinae filii cum Vezani opidi incolis, qui ſeſe atque opidum Genuenſibus recenter dediderant, non exſpectandum rati, claſſe propere conſcenſa in ſua ſe recipiunt. At Grillus nonnullos dies ad littora Rhodani commoratus Maſſiliam petit: in cujus urbis portu Piſanorum onerariam mercibus onuſtam capit; indeque profectus inſulam Plumatiam tenet. Ibi claſſe Piſanorum diu exſpectata, eaque nuſquam comparente, hyeme appetente, inſula relicta, Tolonem appulit; ab eaque urbe ſolvens Genuam revertitur.

At Piſani diſceſſu Genuenſium liberum & à pugnae neceſſitate ſecurum reditum cernentes, oſtium fluminis egreſſi, datis velis altum petentes, quam cladem ab hominibus effugerant, eam à vi adverſae coortae tempeſtatis acceperunt; tredecim triremibus demerſis, remigioque undis hauſto: ſicque ille annus per utriuſque populi clades extractus eſt: in quo Conſules curas quoque domeſticas amplexi ſumma omnia fecerunt, ut pacem inter irritatos civium animos conciliarent, quod quamquam aſſecuti non ſunt, non tamen vanum omnino inceptum fuit, imminentibus turbis dilatis.

Sequitur annus ejus ſaeculi ſexageſimus ſextus, A. C. 1166.
& foris in primis infeſtus; ac magis non ſolum armorum, ſed verborum quoque certaminibus inter Genuenſes & Piſanos agitatus; nec minus inteſtinis motibus turbulentus, ut curae Conſulibus partiendae fuerint non magis in externa bella perſequenda, quam in domeſtica mala cohibenda; quae alebat potentiorum civium ambitio. Nec diutius accenſa odia differri potuerunt, quin hujus anni initio in apertum bellum erumperent; acri praelio commiſſo, in quo multi mortales ceciderunt, cum ne Nobiles quidem expertes peſtis fuiſſent, Rubaldo Baratterio, Sigiſmundo Sigiſmundi, Luiſello, Scotto, caeſis. Cohibita tandem mala ſunt Conſulum ſedula cura & diligentia; non quidem pace compoſita, ſed tractatione armorum per inducias jurejurando pactas dilata, quae tamen brevi violatae ſunt, jurisjurandi religione ſpreta; ardentibus odiis omnia humana & divina jura perſtringentibus.

Interea quattuor triremes à Genuenſibus Othone Caffaro praefecto in Provinciam Narbonenſem miſſae ſunt, quae portus in ea ora obſiderent, ne quid inde adverſus civitatem moveretur; ſimul tutos commeatus & commercia onerariis facerent. Utrumque munus Caffarus ſtrenue ac naviter per totam eam aeſtatem exſecutus eſt. Ad hoc certiores facti Conſules, Piſanos Mogantini Antiſtitis impenſe illis faventis ope ſubnixos agere coepiſſe cum Caeſare, ut is Sardiniam ipſis adjudicaret; ac propterea certamen juris imminere; tres triremes jurisjurandi atque antiqui imperii teſtandi cauſſa in Sardiniam mittunt; Uberto Recalato uno ex Conſulibus praefecto: cui incolae praefecturae Alborenſis, dominatu Judicis tum ſoluti, honorifice excepto, ad obedientiam & debitam fidelitatem ſignificandam, ſeptingentas libras tributi nomine pependerunt. In officio quoque fuit Callaritanus Judex Petrus: qui Conſule reverenter ſalutato, atque hoſpitio comiter accepto, jusjurandum fidelitatis in publico conventu civitati Genuenſi & Archiepiſcopo palam detulit, decem librarum millibus quadrima die ſolvi promiſſis, atque anniverſario tributo centum librarum Reipublicae Genuenſi, ac libra unius argenti puri Archiepiſcopo conſtituto.

Per ea tempora colloquia de pace inter utrumque populum denuo inducta ſunt: cujus cauſſa, Piſanorum juſſu, Abbas Gorgonis inſulae nonnullis additis ſocius Genuam venit; qui lem ac ſub-

missa oratione, vultuque & habitu corporis summam animi demissionem præferentes, civitatem circumeuntes, religionemque & divini Numinis metum consiliis miscentes, homines ad pacem hortabantur. Cum re variis disputationibus multum ac diu jactata nihil actum esset, Pisani duabus triremibus emissis detrimenta Genuensibus intulerunt. Re cognita Genuenses septem triremes in illos armant, Ansaldo Tanclero uno ex Consulibus præfecto; qui Iluam insulam tenuit: adversus quem totidem Pisanæ triremes è portu Plumbini exiorunt, Genuensibusque non detrectantibus, prælium commissum est, quod adversum Genuensibus fuit; qui metu nonnullorum navigiorum à terra ad classem tendentium conspectorum sese in fugam duabus triremibus ab hoste captis conjecerunt. Non tam damni quam dedecoris accepti ira incensi Genuenses, quinque triremes è vestigio è portu emittunt, Balduino Guercio præfecto, quæ duabus in itinere sibi adjunctis triremibus, pro eo, ut conceptam maculam delerent, eam insuper ingenti flagitio cumularunt. Pisanas enim naves recenti victoria tumentes, diu ac multis in locis perquisitas tandem ad Vada Sabatia omni genere cladis Ligusticæ ora grassantes adeptæ haud cunctanter prælium committunt: quod cum initio Genuensibus secundum fuisset; ac naves Guercia & Galletta, valida impressione facta, duas ex hostilibus navibus suppressissent, tanta exsecrabilis factionum rabies mentes ceterorum præfectorum tenuit, ut decus inchoatæ victoriæ adversæ factionis hominibus invidentes, se pugnæ subtraherent; spectatoresque alieni discriminis, nulla ope laborantibus ac circumsessis lata, victricibus navibus in media pugnæ mole hosti capiendis proditis, turpi ipsi fugæ se mandantes Genuam pleni ignominiæ reverterunt.

Longe interea major certaminum moles in Aula Cæsaris inter utriusque populi Legatos erat accensa; cum Maguntinus Antistitem, cujus summa erat in omnibus rebus auctoritas, ingenti vi nummorum sibi devinxissent Pisani, qui à Cæsare in excelso solio sedente petierunt, pro jure suo, ut quoniam Maguntinus, Cæsaris nomine ejusque jussu, Sardiniam ipsis fiduciariam dedisset, pactamque pecuniam exegisset Maguntinus, ea ipse, ut promiserat Maguntinus, palam in consperu Aulæ decreto suo comprobaret; Genuensibusque, quorum Legati aderant, pro imperio mandaret, ut libera insulæ possessione Pisanis cederent; neque in res illius insulæ sese de cetero interponerent: quorum oratione à Maguntino approbata, Cæsar secundum postulata pro tribunali decrevit. Hic Ubertus Spinula legationis princeps magnum ac memorabile animi magnitudinis, constantiæ, singularis in patriam caritatis documentum edidit: veniam enim præfatus, si tanta injuria animum ad libere loquendum dedisset, injustum Cæsaris decretum non dubitavit appellare; negavitque præcipitem vocem, Maguntini suasu, à Cæsare, causa non cognita, ipsisque non auditis, editam vim ac robur & nomen judicii obtinere; Genuensesque illi parituros, cujus judicio se subjicere parati sint, si recte ac legitima judiciorum formula servata regatur: quod si in æquitate & religione Judicum parum præsidii experti fuerint, tum vero armis jus suum illos retenturos, & ad omnia ultima venturos; armatosque & dignitatis atque imperii juste parti vindices mortem fortiter oppetituros: cum vellent congrederentur Pisani, ac res Genuenses attingerent: profecto temeritatem illos capite atque oculis ipsis luituros; ad quos illis effodiendos satis animi & virium Genuensibus sit: longa deinde oratione, jam inde ab insula è manibus Christiani hostium erepta, ac Musaito Rege capto, & ad Cæsarem à Genuensibus adducto, initio repetito, de jure Genuensium in rebus Sardiniæ disputavit: exempla etiam & testimonia tam ab exteris quam Sardis ipsis summi imperii omnibus temporibus Genuensibus data protulit: in quibus duo illa commemoravit; vectigal scuti pane onusti, ac duorum vasorum vitreorum piperis plenorum, duorumque vini cadorum à regni Neapolitani mercatoribus & negotiatoribus, Sardiniam commerciorum causa adeuntibus, vetustissimo ac perpetuo usurpato more offerri Genuensibus, recusantesque à Magistratibus Sardiniæ cogi; & tributum casei, quantum plaustrum boum trahit, à Sardis ipsis quotannis die Resurrectionis festo Genuensibus pensum: quæ res certissima signa sunt summi ac vetusti Genuensium in Sardinia juris & dominatus. Libertate orationis ac veritate commotus Cæsar assurgens clara voce pronunciavit, sibi numquam fuisse in animo jure suo quemquam privare, quæque secundum Pisanos decreverit, ea se insciam juris Genuensis, quod ipsi proponunt, decrevisse: causa igitur ad judicium rejecta, duos Antistites Maguntinum & Rainaldum Archiepiscopum Legatos, hunc Genuam, illum Pisas mittit, qui in re præsenti pro communibus amicis ac disceptatoribus res componere studeant, dato mandato, ut Pisani Genuenses in duobus superioribus prælis à Pisanis eo anno captos ante omnia restituant. Hi, cum omnia summa fecissent; nihil aliud assecuti sunt, quam ut quini pacificatores utrimque eligerentur. Genuenses fuerunt Lanfrancus Piper, Gulielmus Marinus, Otho Caffarus, Philippus Lambertus, Simon Auria: ceterum ne ab ipsis quidem ulla ratione rerum componendarum inita, res in pristina mala redactæ sunt.

Insequenti igitur anno Consules, cum primum omnium à factionum capitibus jusjurandum in ducias exegissent, quattuor triremes ad tutelam Genuensium commerciorum, quæ tum in Provincia Narbonensi frequentissima erant, miserunt, Rodoano Moro uno è Consulibus præfecto: qui totam eam æstatem & insequentem autumnum mandatum naviter implevit, quod præclaro exitu concluserit; fœdere Reipublicæ utili cum Ildebrando Rege Aragonum ac Barchinonis Comite icto; quo Genuenses sese illi auxilio cum quattuor instructis triremibus affuturos obstrinxerunt in nonnullis opidis recuperandis; quæ à Comite Fani Ægidii occupata sua sibi Aragonius vindicabat: cujus fœderis observandi causa, Rugerius Marabottus cum nonnullis navibus longis è vestigio in Provinciam Narbonensem navigavit: verum nullo cum fructu, cum Aragonius mutata voluntate à consiliis belli destitisset.

A.C. 1167.

Is annus conatibus potius & comminandis pugnis, quam rebus gerendis traducius est: nam & Ubertus Spinula septem triremium præfectus, cum in novem Pisanas incidisset, sapienter certamen detrectavit, qui mox quattuor triremibus auctus, quas ducebat Rubaldus Biscia, Pisanas insequi cœpit: à quibus pugnam avertere undecim Maurorum triremes, quæ in alto ipsum petentes apparuerunt, conactus est: quæ res spatium Pisanis dedit fugæ præripiendæ; cum Mauri ipsi quoque majore numero Genuensium territi proras retro verterent, noxque superveniens tres classes diremisset; tenebris mutuum inter illas conspectum adimentibus. Aliæ item septem triremes in Provinciam Narbonensem adversus Pisanos missæ sunt, irrito ipsæ quoque incepto, Pisanis navibus nusquam inventis.

Eodem anno Fridericus Cæsar, rebus Anconitanis compositis, infesto exercitu Romam petit, copiis Genuensibus suasu Maguntini repudiatis, exer-

exercituque, in eorum locum duplicato Piſanorum numero, ſuppleto: quæ res certum indicium fuit animi magis in Piſanos propendentis. Longe certioris alienationis exemplum ab eodem editum eſt; cum Roma reverſus multos dies Piſis fuiſſet; neque Genuenſes captivos contra ipſiusmet juſſum à Piſanis retentos dimittendos curaſſet. Neque ullo modo ſilentio prætereundum fuit, Corſum Sigiſmundi unum ex Conſulibus ad jus imperii uſurpandum cum duabus triremibus in Sardiniam miſſum, qui totum autumnum & inſequentem hyemem præfecturis Callaritanæ & Alborenſi, cum magno populorum aſſenſu, præfuit. Civitate externo ac viſceribus hærente bello implicita, major tamen ſenſus erat inteſtinorum malorum cum ſæpe per varias occaſiones rixæ, & contentiones, præſia quoque inter factionum capita, quique illorum partes ſequebantur, committerentur, quæ multorum ſanguine ac cædibus diſſidentibus ſtabant; magiſtratu ſæpe fruſtra conato pacem inter irritatos animos componere; cum non modo conſiliis, monitis, hortationibus ageret, ſed ſevere in turbarum & motuum auctores animadverteret.

A.C. 1168. Quibus malis cum ureretur civitas, non tamen curæ exterarum rerum omittebantur; tredecim triremibus inſequenti anno ejus ſæculi ſexageſimo octavo adverſus Piſanos miſſis; quos undecim triremes ad res Genuenſes vexandas armaſſe audiebatur: triremium Genuenſium præfectus fuit Nicolaus Rodulfi vir acer ac ſtrenuus: qui tumida Piſanorum verba factis retudit: qui ſeſe Maris dominos apud Provinciæ Narbonenſis incolas arroganti oratione jactarant; ac ne adſpectum quidem ſuum ferre Genuenſes poſſe impudenti mendacio affirmarant: eos adeptus Conſul in fugam conjecit, quattuor illorum navibus captis. Genuenſeſque, hac Piſanorum vaniloquentia novos ſtimulos ad veteres aliorum cauſſas addente, ut illos undique urgerent, Lucenſibus perſuaſerunt, ut arma illis moverent; polliciti ſeſe mari illos acerrimo bello detenturos. Morem impigre geſſerunt Lucenſes, tantæ ultro delatæ ſocietatis ſpe inducti, ac non minoribus odiis Piſanos perſequentes; armaque ſtatim Piſanis intulerunt, Aſſanum Piſanorum caſtellum prope ab ipſa urbe Piſis quattuor paſſuum millibus adorti: Piſaniſque ad opem ferendam magno numero accurrentibus, acre prælium inter illos accenſum eſt; quo Piſani victi ſunt, multique eorum in poteſtatem Lucenſium venerunt: quorum decem dignitate & nobilitate eminentes Genuenſibus petentibus dono dederunt. Hi fuerunt Lambertus Major, Sicherius Gualandus, Bulgarinus Capranus, Covinus Baratulus, Guimcellus, Ubertus Sicherius, Guilinus Baldizonus, Guilinus Hodierna, Sylvanus & Lambertus Batbaliam: quæ res Piſanos tandem induxit ad permutationem captivorum faciendam; quod ante eum diem ſemper recuſarant: reddita igitur utrumque ſunt, ſeptingenta capita à Genuenſibus, trecenta triginta tria à Piſanis.

Eodem quoque anno ſexdecim triremes Genuæ armatæ ſunt; quibus præfuit Ido Contardus unus ex Conſulibus: quæ à triginta Piſanorum triremibus in fugam actæ, propinquo refugio in portum Genuenſem peſti ſe eripuerunt. Piſani odium, quod in homines non potuerant, in tecta & regionem effuderunt; incendiis, ruinis, direptionibus totam oram paſſim vaſtantes.

Per idem tempus res ſæpe antea fruſtra tentata haud meliore eventu repetita eſt; colloquiis de pace, auctoribus Genuenſi, Piſano, Lucenſi, ſacris Antiſtitibus, illatis: qua de cauſſa Antiſtites ipſi in conditum locum convenerunt: quorum colloquiorum idem exitus, qui ſuperiorum, fuit, cum inveteratum odium, ac memoria injuriarum, cupidoque illas ulciſcendi, in exulceratis animis prævalerent tædio labotum & impenſarum ac ſatietati cladium; quibus ſeſe prævalidi populi mutuo conficiebant.

Expenta eſt eodem quoque anno Genuenſium amicitia à Siculo Rege, ad quem petentem tres Oratores miſſi ſunt, Bellamutus unus ex Conſulibus, Rogeronus Caſtellius, Amicus Grillus: qui, cum docuiſſent Regem, Genuenſes eo fœdere Cæſari alligatos, ut novis ſocietatibus ſe implicare non poſſent, nulla re tranſacta Genuam reverſi ſunt. Æque ſine ullo effectu fuerunt legationes; altera in Longobardiam ad finitimos populos pacem petentes, ac controverſiis nonnullis ſubinde, ut fit, inter accolas exortis, finem imponere cupientes; altera ad Cæſarem Conſtantinopolitanum miſſæ. Legati fuerunt ad illos Ubertus Cancellarius & Otho Judex: ad hunc Amicus à Myrto. Diſpari eventu, qui Alexandriæ urbi ædificandæ præerant, pecuniarum ſubſidia à Genuenſibus petierunt; haud contemnenda ſumma partim præſenti miſſa, partim mitti promiſſa.

Sequens annus ejus ſæculi ſexageſimus nonus quinque Conſules Reipublicæ gerendæ habuit, Anſelmum Garrium, Ugonem Tornellum, Othonem Caffarum, Rugerium Marabottum, Nicolaum Rozam, viros probos & ſapientes, quorum domi & foris multiplex ac perutilis opera Reipublicæ fuit: eorum enim virtute, conſilio, ſedula diligentia, domeſticæ res lapſæ & ad interitum ſpectantes reſtitutæ ſunt; civitaſque ex turbulentiſſimo in tranquillum ſtatum redacta eſt. Corrupta erant omnia populari licentia, audaciaque facinoroſorum ac peditorum hominum, quæ, cum eam tam in urbe quam in circumjectis præſecturis factionum principes alerent, in immenſum creverat. Ii metu Magiſtratuum ſoluti, nulla legum reverentia, nulloque pudore coercente, impotentes libidines vi ac ferro exercere, rapere, vulnerare, cædere, omni denique maleficiorum genere paſſim graſſari, anguſtiis etiam viarum inſeſſis, inſeſta itinera viatoribus facere, eos ſpoliare, male mulctare; nihil denique ſacri aut prophani illis ſanctum aut intactum eſſe, quin etiam facinorum & maleficiorum ſocietates a multis coiri, conſpirationeſque & conjurationes in publicam quietem à populis ipſis publico conſilio fieri. Igitur Conſules majeſtatem imperii jam ſperni cœptam, ad tantam audaciam coercendam ſine viribus parum valituram intelligentes, delectam trecentorum armatorum manum ſtipendio conductam in urbem introducunt: qua ſulti, munera inter ſe partiti, Anſelmus Garrius & Otho Caffarus urbe exeuntes Lavaniam contendunt; Nicolaus Roza, & Rugerius Marabottus vallem Portuferæ petunt: qui in maleficos homines, quorum magnum numerum comprehenderunt, atrocia ſeveritatis exempla ediderunt; cum alios ſummo ſupplicio affeciſſent; alis manus, alis pedes præciduſſent; complures in vincula conjeciſſent; multos pecunia mulctaſſent; nonnullorum etiam, quorum audacia eminuerat, quique capita & auctores rerum inſcendarum fuerant, domos incendiſſent: qua animadverſionum ſeveritate, ingenti Magiſtratus & legitimi imperii terrore injecto, malis tandem finem impoſuerunt.

Rebus igitur extra pomœrium magna cum ipſorum laude brevi pacatis, curas ad urbana mala, quæ propiora ac majoris erant molis, convertunt; cauſſaſque diſſidiorum inveſtigantes, ſex ſingularia certamina inter primarios cives indicta inveniunt. Cohorruerunt Conſules tantam contentionem cives animo imbibiſſe, ut tamquam alienigenæ hoſtes, arma inter ſe intentare non dubitarent: ſententiiſque variatum eſt, cum nonnulli

A.C. 1169.

eam

eam facultatem ferro de controverſiis decernendi faciendam cenſerent: quorum princeps ita diſſeruiſſe dicitur: *Optimum atque omnium primum fuerat, Patres, diſcordias inter cives non naſci; vel naſcentium ſemina rectorum diligentia & vigilantia ſtatim opprimi: quorum tamen ego nullam negligentiam accuſo, quas Reſpublica tempora exenſant, continentis hoc Piſano bello ac cervicibus noſtris imminenti curas noſtras ab urbanis rebus reſpiciendis totas ad ſe avocante: ſecundum conſilium eſt exortas extinguere: id, ſi monendo, hortando, precesque conſiliis miſcendo aſſequi poſſumus; nihil eſt quod ad odioſa deſcendamus: civium quoniam hoc remedium omnes vanum experti ſumus; malumque gliſcens, ac majores vires majuſque robur in dies ſumens, ad arma & ſeditiones, ac bellum civile ſpectat; quod in remediis poſtremum eſt, id nobis neceſſarie eſt amplectendum: videant igitur ii, qui ſingularia certamina tantopere deteſtantur, quoniam res ad manus & ad ferrum deducenda eſt, utrum ſit elegantius, univerſam civitatem, quam factionum harum principes ſecum trahunt, internecino bello inter ſe concurrere, omniaque cadibus, civium ſanguine, incendiis, ruinis, aliiſque belli cladibus implere; an ſemum utrinque captæ diſcrimine diſcordias ac civiles controverſias decerni: neque video, cur nos a re non nova, atque a ſapientibus ac claris viris ſæpe uſurpata, ita abhorreamus: apud quos hoc conſilium non modo non improbatum, ſed in laude etiam poſitum fuiſſe accepimus, ut illis titulis inſignes incedere Torquati & Corvini ſibi gloriæ duxerint: neque Manlius ſingulare certamen in filio punivit, ſed ſpretum imperium, ac diſciplinam militarem perfractam morte filii ſanxerit: neque ſapientiſſimi poeta, qui nos ad virtutem melius ſæpe, quam philoſophorum diſputationes informant, exempla ſapientum ac clarorum horum ad ſingulare certamen hoſtem provocantium nobis temere propoſuerunt: quin etiam Longobardi lege hunc uſum introduxerunt; quo exorientibus civilibus controverſiis occurrendo, eorum Reſpublicam miſerime diſcordiis civilibus atque inteſtinis bellis agitatam leximus. Dicat aliquis, Longobardorum igitur legem probas? ego vero illam non magis quam ceteri, probo: ceterum non video, cur non in alterutro neceſſario malo minimum ſit eligendum: quamquam quid ego poetas, aut privatorum hominum falſa confictio, cum publicum conſilium civitatis Romæ, ejus, quæ cum virtute bellica, tum vero multo magis conſilio & ſapientia, orbis terrarum imperium ſibi adjunxit, poſſim proferre, cujus imperii initium a duello factum eſt; cum duobus populis, Albano & Romano, de Latii imperio inter ſe dimicantibus, rem ſingulari certamini terrorum utriuque civium decernendam commiſerunt: qua via ſanguinis & cædibus diuturnis ſegnatorum populorum parcendi inita eſt, cur eadem via mihi non cadet ac ſanguinem a civibus noſtris abſtineamus, non video; omnino non intelligo, cur duella non ſint in bene conſtitutis civitatibus ac regnis ſerenda, qua ſæpe neceſſaria ſint: utique cum jus noſtrum aliter obtinere non poſſumus, probationibus deficientibus; cum injurias nobis factas, pecunias creditas, depoſitam rem, neque teſtibus, neque tabulis oſtendere poſſumus. Sapientes viros ſæpe dicentes audivi, videri ſibi duellum Dei immortalis tribunal eſſe haud fallax; quia dubitandum non ſit, quin unde jus ſtat, eo victoriam inclines; cum hominum fides ſæpe in judiciis ferendis ſoleat aut gratia inflecti, aut potentia labefactari, aut pretio corrumpi, aut ignorantia labi, aut eloquentia perverti, aut litigantium aſtu circumveniri. At etiam nonnulli religionem nobis injiciunt, Chriſtianam legem pace & concordia in primis continere diſſitantes; atque odia, contentiones, rixas, arma, bella abominari: quaſi vero duella diſcordiarum & odiorum ſemina ſint, ac non potius ad eorum cauſſas præcidendas introducta: nam a tractandis quidem armis juſtitiæ ac patriæ libertatis defendendæ cauſſa uſque adeo Chriſtiana profeſſio non abhorret; ut Moſes ipſe, qui interprete Deo ipſo leges cudit, ſanctique Reges divino monitu maxima ſuſceperint & geſſerint bella; nobiſque ab Eccleſia, cujus auctoritate in divina voluntate interpretanda omnibus pius ſtandum eſt, adverſus nomen Chriſtianum hoſtes gladius porrigatur: vel hoc ipſum duellum non ne ab ipſis ſacris Literis comprobatur, ſplendido ad imitandum exemplo nobis propoſito ſanctiſſimi vatis Davidis, pro decore Iſraelitici populi ſingulari certamine cum Goliæ congreſſi? Quo igitur remedio ad inimicas arcendas, & libertatem tuendam utimur, id cur ad pacem & concordiam civitatis conſtituendam non adhibeamus, non video; ac medicinam, qua nobis quærenda ultro fuerat, eam divino conſilio oblatam cur repudiemus, non intelligo.*

Huic orationi unum ex iis, qui contrarium cenſebant, ita reſpondiſſe accepimus: *Numquam longa oratio, magnuſque verborum apparatus minorem materiam reſpondendi præbuit, quam hæc, quam modo audiſti, Patres: nam & exempla, quæ multa ex hiſtoriis & poetarum fabulis prolata ſunt, uno verbo refelluntur: inter eos commiſſa fuiſſe certamina, qui non iiſdem legibus ſubjecti eſſent, neque eidem Magiſtratui parerent; cujus imperio ad legum præſcriptum directe controverſiæ inter ipſos orta tollerentur: ut nulla alia eſſet ſui juris obtinendi, quam armorum vis: qua arma ſi univerſi populi inter ſe conſerre juſtis de cauſſis ſemper licuit, cur non ſingulis hominibus, qui non eidem Magiſtratui ſubjiciuntur, omni alia ratione juris ſui perſequendi adempta, idem permittatur? & longa diſputatio de jure duelli, cum exemplo omnium regnorum, & bene conſtitutarum civitatum, quæ barbarum hunc morem feramque hanc immanitatem nunquam ſuſceperunt, redarguitur; tum multo magis ratione improbatur: quid enim hoc aliud eſſet, quam fundamenta humanæ ſocietatis plane tollere, ac civilem diſciplinam funditus evertere, humanumque genus in eum ſtatum redigere, in quo fuit ante leges latas, & civitates conditas, ac magiſtratus creatos, tum cum viribus & robore corporis valentiores, imbecillioribus oppreſſis, ferro ac manu omnia ad ſe trahebant, neque dum Magiſtratus eſſent, qui æquabilia jura omnibus redderent, ac ſuum cuique tribuentes, imbecilliores a potentiorum injuriis prohiberent? quos Magiſtratus quid deinde attinebit creare, aut quid leges ferre, quæ hominibus vevendi norma ſint, ſi controverſiarum incidentium gladium judicem ſacimus? ſi manu ac vi jus noſtrum nobis obtinendum eſt, atque injuriæ propulſanda ſunt? Neque ſimulando bellorum, qua ſi juſta ſunt, ne Eccleſia quidem prohibet, ſingulare certamen, quod inter eos, qui iiſdem legibus tenentur, committitur, aptæ eſt: nam ne bella quidem inter populos ſerenda eſſent, aut recte ſuſciperentur, ſi populi inter ſe ambigentes uni iiſdemque legibus tenerentur, atque eidem Principi parerent, qui populos illos pro imperio & poteſtate in officio continere poſſet; quique illorum controverſias juſtitiæ norma terminaret: omnino vi & manu nunquam agendum eſt; niſi cum ceteris omnibus viis jus noſtrum obtinendi præclauſis, bellum neceſſarium eſt. Duobus argumentis in primis nitebaris, alterum fuit hominum judicium ſæpe falſum eſſe; alterum probationibus interdum nos deſici: quaſi vero gladius judicium ſemper verax ſit: ac probationes non ſæpe fallaces: qua in re tu partes potius vatis, ac divina voluntatis interpretis, quam Senatoris tibi aſſumpſiſti. Equidem confiteor omnia humana Dei numine regi; divinumque judicium nunquam fallax eſſe: ceterum divina conſilia ſemper quidem recta; verum occulta mortalibus eſſe ſtatuo; nefariaque temeritatis eſſe certam & exploratam de illa notitiam ſibi adſciſcere; niſi ſi cujus merito Deus lumen ſuum prætulerit. Age igitur tu ſacer ſcilicet vates nobis expone, quis tibi de cælo demiſſus Angelus enuntiavit, diverſam eſſe in privatis ac ſingularibus certaminibus divina conſilia rationem, atque in bellis publicis, ac prælia, qua inter nationes ac populos de ſumma rerum ferro decernentes committuntur: in quibus victoriam non ſemper penes eos, qui juſtorem cauſſam habent, eſſe cernimus; ſed ſæpe penes eos, qui plus viribus pollent: niſi ferte juſtior erat cauſſa Gothorum, Vandalorum & ceterarum barbararum gentium; cum, nationibus innoxiis a ſe victis, patriis & avitis ſedibus exulibus, ipſi alienum ſolum occupabant; aut juſta Sara-*

Saracenis Chriſtianum orbem invadentes tantam illius partem occuparunt: quod igitur in maximis & publicis dimicationibus evenire uſu compertum eſt, ut victoria non ſemper in juſtiorem cauſſam, ſed in violentiorem inclinet; id cur in ſingularibus certaminibus non valeat, tibi docendum eſt: probationes vero gladii ſi haud fallaces ſunt, jam nunc omnia noſtra eorum erunt, qui plus viribus corporis poſſunt: commentam enim & confictam debiti cauſſam proponentes, ſeſe illam armis planam falturos dicant. Nugatoria iſta ſunt, Patres, ac barbara ſtoliditatis inventa, ac ne virtutis quidem oſtendendæ, atque experiendi cauſſa, uter bello ſit melior, (id quod noſtra ætate à multis ſæpe fit) duellum inter cives ſuos ſapientes civitates permiſerunt; quam occaſionem bella externa continentem vobis præbeat: cujus rei multa in hiſtoriis Veterum exempla proferuntur. Ego, Patres, barbarum & abominandum morem reſpuendum omnino cenſeo: exortaſque intra cives noſtros diſcordiarum cauſſas ſevera legum & judiciorum via diſcutiendas.

Cum facile viciſſet ſententia, quæ duellum prohibebat, Conſules intelligentes cupiditatum ardorem contra tendendo magis inſuper incendi, indulgendo remitti de conſilii ſententia, Archiepiſcopo aſſidente, conſiliiſque quemadmodum res ducenda eſſet cum illo compoſitis, edicto pronunciari jubent, placere Conſulibus ac Senatui, ut controverſiæ ferro ſinguli certamine dirimantur, certo die certamini præſtituto; ſimulatæque ſententiæ ſe retinentiſſimos fingentes, adverſus propinquorum & cognatorum preces, ac coojugum & parvorum natorum lacrymas eos ab ea mente deducere ſtudentium, invicti ſteterunt: igitur cum condictus dies veniſſet; Conſules univerſum civitatis conſilium in aulam ædium Archiepiſcopi convocant; quo ſacrum quoque ordinem Archiepiſcopus coegit, inſulis ac ſacro veſtitu indutum, cum auguſtiſſimis Chriſtianæ militiæ ſignis, crucibus, cineribus divi Præcurſoris in conſpectu ingredientium collocatis: quæ, univerſa magnam adſpicientibus offundere religionem poſſent. Medius inter Conſules erat Archiepiſcopus; quem non modo ſenectus & dignitas, ſed ſanctitas morum, ac conteſtata pietas, omniſque ætas continenter acta, ad hoc ſumma prudentiæ, venerabilem faciebant: is armatos in conſilium introductos ita ad pacem & concordiam adhortatus dicitur: *Dubium mihi initium orationis facitu, vos, qui huc ad controverſias veſtras ferro decernendas armati convenitis: quos quo nomine appellem, neſcio: filios ne vocem, qui fratres veſtros hoſtes appellando, Deum ipſum, ac me ejus adminiſtrum & procuratorem parentem repudiatis? ratio enim connexi facit, ut qui aliquem fratrem ſuum non agnoſcit, eidem eum, a quo ille ortus eſt, parentem ſuum neget: cives ne Genuenſes nominem, qui hoſtiles animos in civitatem hanc gerentes eam tamquam hoſtium urbem evertere properatis, patrum ac majorum veſtrorum diſſimiles? illi quæ arma in Chriſtiani nominis hoſtes, in emptrium late proferendum, in nomen Genuenſe clarum apud exteros facturum, per ſummam pietatis commendationem, ac per ſummum decus perpetuo exercuerunt, ea vos in veſtram, conjugum, liberorum veſtrorum, communis patriæ perniciem vertitis, divinorum beneficiorum immemores, atque adverſus Deum immortalem, unigenitumque ejus Filium Chriſtum Dominum ingrati: qui quem ſanguinem à vobis à tetra ſervitute ſanguine ſuo redemptis pro ſuo jure adverſus homines ſui hoſtes repoſcit, eum vos in filiorum à ſe adoptatorum ac fratrum veſtrorum exitium profundere pulchrum cenſetis: quod igitur aliud nomen mihi reliquiſtis, quo vos compellem; quam illud, quod maxime omnium abominandum eſt; ut vos ipſum perpetuo ac terrimus hoſtis veſter diabolo filios dicam? qui parens ac fautor diſcordiarum eſt; quique tantum iſtum furorem obcæcatis mentibus veſtris objecit; ad quem, miſerum, in quam in ſacro baptiſmo nomen dediſtis, ejurata, tranſfugiſtis: parentem igitur veſtrum Deum immortalem ejuſque Filium vos ad ſempiternam beatitudinem perducere cupientem, atque ideo ad pacem, concordiam, mutuam caritatem, injuriaſque remittendas hortantem non auditis? exſecrandum hoſtem veſtrum, veſque ad ſartara ſempiterneſque cruciatus ſecum trahere ſtudentem, veſque ad odia, rixas, contentiones, diſcordias, injurias ulciſcendas inſtigantem auditis? at enim ingentium præmiorum propoſitæ ſpes vos tranſverſos agit, atque adverſus divina monita contumaces, & obſtinatos animos veſtros facit: totum immo contra eſt: pravumque conſilium in utramque fortunam luctuoſum & deteſtabile eſt: in quo victo inſania ſua ſanguine atque interitu ſit lucuda; victor animam fratris ſanguine commaculatam ſempiternis ſupplicuis obſtrinxerit; totamque ætatem infeſtam ſit habiturus, cognatorum ac propinquorum à ſe interempti, factioniſque adverſa hominum, quorum numerus infinitus eſt, odiis & inſidiis obnoxiam: reſpiciſite aliquando, filii: (hoc enim me nomine vel in vos immemores abuſi paternus me meus in vos amor cogit) & vos, liberos, conjuges veſtras, quibus orbitatem paratis, communem patriam, eas exitium acceleratis, tandem reſpicite: dextraſque, quas in mutuam cædem armaſtis, eaſdem armis objectis in mutuum complexum vertite: initium tanti decoris ab iis in primis fiori æquum eſt, qui primum in factionibus locum obtinent: quid igitur ceſſatis, Fulco Caſtelli atque Orlande Advocate, familiarum veſtrarum, qua capita factionum reliquos ſecum trahunt, principes? quin injurias atque omnes odiorum cauſſas religioni, pietati, patriæ, liberorum veſtrorum ſaluti condonantes vos complectimini? ac quemadmodum initium ſcindendi unanimem civitatem à vobis familiaſque veſtris ortum eſt, ita exemplum eam in priſtinam concordiam redigendi eidem vos ceteris præitis?* Operæ pretium eſt, majorum noſtrorum pietatem, atque illius ſæculi ſimplicitatem & candorem conſiderare: apta enim & pia oratione ita animi permolſi ſunt; ut omnium injuriarum ac præteriti odii oblivi, objectis armis, omnique animorum contentione depoſita, ſeſe factionum ſpita complexi ſint; ſicque pax & concordia conſtituta eſt; atque, ſine urbanis motibus ac turbis impoſito, civitas in tranquillum redacta.

Rebus urbanis pacatis externæ curæ ſucceſſerunt: ac primum omnium quattuor triremes in Provinciam Narbonenſem miſſæ ſunt; quæ commeatibus & commerciis Genuenſium præſidio eſſent, quibus præfectus eſt Nicolaus Roza unus ex Conſulibus: cujus opera omnis poſita eſt in nonoullis Piſanorum onerariis combuendis: longe fructuoſius ſunt ſubſidiom quingeotorum armatorum Lucenſibus petentibus pro jure veteris amicitiæ ſubmiſſum; quod duxit Rugerius Marabottus, unus ex Conſulibus: qui ſe, turri ad littus fita, quam Lucenſes tenebant, præſidio prius firmata, cum Lucenſibus copus conjonxit. Cum uterque exercitus ad pugnam inſtructus ſtaret, Guido Mercatus Piſanorum Conſul extra aciem procedens Genuenſem Conſulem appellat; negatque per Piſanos fieri, quo minos de pace agatur, ſi idem ſit Genuenſibus & Lucenſibus animus; ſperare ſe, res honeſtis conditionibus atque otrique parti aptis componi poſſe. Non minus ſe pacis cupidos Genuenſes & Lucenſes reſpondent; ſiequeomiſſa pugna, colloquia componendis rebus ac de pace toter tres populos firmanda inducta ſunt: reſque diu magnis diſputationum certaminibus jactata eſt ſine ullo effecto, Piſanis eadem ingenii mobilitate, eodemque uitu ſpem pacis eludentibus, quo animos hominum ad illam erexerant.

Interea octo triremes Genua iiſdem Lucenſibus ſubſidio miſſæ, ſunt, Anſelmo Garrio Conſule præfecto, qui conſiliis pacis abruptis, cum remigio atque omni nautica turba ad Capalbium opidum in terram egreſſus maritima Piſanorum Ca-

palbio circumjecta late populatus est: prædaque ingenti acta, Genuam reversus est: detrimento accepto Pisani commoti, sex triremes in Provinciam Narbonensem mittunt; quæ parem cladem Genuensibus reddant: adversus eas Genuenses nihil cunctati septem triremes armant; Othonemque Cæsarum unum ex Consulibus illis præficiunt, qui littora Provinciæ tenuit, mercatoribusque Genuensibus, qui magno numero Forum Julium ad mercatum convenerant, persuadet, ut secum elassem conscendant: morem gesserunt nonnulli: quo præsidio navibus firmatis Pisanam classem quærere instituit: quam adeptus, commisso prælio profligat; tribus triremibus captis, quas trahens, Genuam reversus ovans portum subiit: alteræ item totidem triremes ab utroque populo in eandem oram, iisdem de causis, missæ sunt: Genuensiumque præfectus fuit Ingo Tornellus: qui, cum duos menses ad illud littus, nullo operæ pretio facto, in ancoris stetisset, Genuam reversus, in Sardiniam cum duabus triremibus missus est ad res, quas populus Genuensis in ea insula possidebat, firmandas. Corrogare per ea tempora solebant Consules magistratu abeuntes à civibus senos obolos in singulas libras, ad publicum æs alienum dissolvendum: usque mos perpetuus fere & anniversarius erat: quæ summa cum non satis esset ad Rempublicam eo anno liberandam, potiusque onus augeretur, vectigal ad urbes Saonam & Naulum extensum est: quæ civitates se urbanis regionibus contribuerant, jure civitatis donatæ.

A. C. 1170. Prima cura Consulum insequentis anni ejus sæculi septuagesimi fuit pacem superiore anno inter factiones initam stabilire; ac, si quæ odiorum fibræ residuæ in animis essent, eas penitus exstirpare, ac curare ut de injuriis factis civilibus & amicabilibus modis inter offensos satisfieret: omnesque causas tollere, quæ animines distrahere inter se possent: quod negotium datum est providis & in animis hominum leniter tractandis habili ingenio viris, Nicolao Embriaco, Guhelmo Burono, Baldizoni Usumario, Lanfranco Piperi: ipsique Consules curas omnes ea sollicitudine solutas in res bellicas & externas intendunt. Initium operum fuit, Comites Lavaniæ, qui sæpe prius moniti, ad arcem Fraxarii ab illis furto occupatam, Passanis Procerибus, qui illam à Republica multos jam annos fiduciariam habebant, restituendam commonitione armorum tandem compulsi sunt; cum Genuam accedentes veniam supplices à Consulibus impetrassent: ab iisdem quoque Consulibus sex triremes adversus Pisanos armatæ sunt, in tutelam & præsidium commerciorum & rerum provincialium, Pisanorum assiduis molestus infestarum: cui classi, tribus additis triremibus, una Rapallensium, altera Saonensium, tertia Naulensium, Ubertus Recalatus unus ex Consulibus præfectus est: qui, conatibus Pisanorum commercia ab ea Provincia Genuensibus claudere studentium vanis redditis, ante totum mensem conversum Genuam rediit: cui successit in idem negotium Oggerius Ventus cum quattuor triremibus, à civitate armatis: quibus additæ sunt duæ Trepedicini triremes, ac duæ, altera à Nicæensibus, altera à Fani Romuli incolis armatæ: qui mandatum munus ipse quoque naviter exsecutus est: Consulesque, ut par Pisanis referrent, Trepedicinum magni in rebus maritimis usus ac nominis, Pisanis, à quibus oriundus erat, capitali odio infensum, cum duabus ipsius triremibus, ac duabus portus Veneris illis additis, miserunt ad Pisanorum res totam eam æstatem acri & continenti bello vexandas: is triremem Pisanorum cepit, duosque Pisanorum Consules; atque una cum illis magnum primariorum civium numerum Genuam captivos duxit. Nec segnia opera Rieii Passani Proceris fuit, qui triremi Rapallensi privatæ triremi suæ adjuncta triremem Pisanorum cepit, paulloque post, societate conjuncta cum duabus triremibus Portusvenerensium, una Vernatiensium, una Sigestrinorum, tribus Rapallensibus, haud levibus detrimentis per totam æstatem res Pisanorum affecit: Consulesque octo triremes singulas à singulis urbis regionibus collatas, adversus eundem perpetuum hostem tertium miserunt; quæ cum Pisanorum classe congressæ unam illorum triremem reliquis fugatis ceperunt. Accensum tum, ut cum maxime, erat inter Pisanos & Lucenses bellum, qui signis collatis dimicarunt; victoriaque, cum magna utriusque populi hominum strage, penes Pisanos tandem fuit, qui arcem Motroni ad littus sitam demoliti sunt, cum audissent Genuæ ad eam recuperandam comparari.

Insignis is annus splendida Cæsaris Constantinopolitani legatione fuit: cujus duo Oratores cum aliquamdiu in Aula Pontificis fuissent, triremibus illorum accersitu ad illos missis, Genuam vecti sunt: honorificæ quidem accepti sunt; ceterum nulla res cum illis transacta est, cum Genuenses sex & quinquaginta perperorum millia ex pacto superioribus annis facto debita à Cæsare missa non accepissent; ab Amico & Myrto ex Constantinopolitana legatione reverso docti, orationem Legatorum à mandatis Cæsaris discrepare: qui idem Amicus ad Cæsarem remissus est; sperantibus Genuensibus omnia illo internuncio exploratiora ipsis fore, conventaque stabiliora: eodemque anno Otho Caffarus è legatione Marochi, quæ Reipublicæ non omnino inutilis fuit, rediit; multis, quorum causa erat, ab eo Rege impetratis: adeo in procul remotas Provincias Genuensium curæ extendebantur.

Missa sunt anno sequenti ejus sæculi septuagesimo uno Locensibus prævalida terrestrium copiarum auxilia; ut quam acerrimo bello Pisanos distinentes illorum curas à Genuensibus petendis ad sua tutanda averterent; nullamque rationem illos urgendi omittentes. Quoniam Pisani Turrim Motroni, quam invitis hostibus tenere non poterant, diruerant; ædificata est à Genuensibus & Lucensibus communibus impensis altera turris in paludibus maritimis in finibus Pisanorum, in eo loco, qui Viaregia appellatur: eodem anno duæ quoque Rapallensium triremes haud mediocria damna Pisanis intulerunt. A. C. 1171.

Venit eo anno Genuam Christianus Archiepiscopus Maguntinus, Germaniæ Cancellarius, Cæsaris Legatus per totam Italiam: qui à Genuensibus perhonorifice exceptus, incolumis ad urbem Lucam deductus est, Longobardis invitis; qui omnes fere eo tempore à Cæsare defecerant: quam rem illi ita ægre tulerunt, ut erudele consilium ceperint de Genuensibus fame suffocandis, commeatibus ex Longobardia illis intercelusis: qua de causa tanta annonæ inopia laboratum est, ut tritici medimnum decem aureis nummis esset. Eo quoque anno Bariso Sardiniæ Rex, cum octo annos Genuæ tamquam in custodia fuisset, tandem à quattuor Genuensibus triremibus, quibus præfuit Otho Caffarus unus ex Consulibus, in Sardiniam trajectus est; magna primariorum civium caterva honoris causa illum comitante.

Insequenti anno ejus sæculi septuagesimo altero Consules, Legatis Senas missis, quum in urbem Archiepiscopus Cæsaris Legatus se contulerat, cum in eam omnes Italiæ Proceres partes Cæsarianas sequentes convenissent, summa contentione cum Legato egerunt, ut auctoritate sua induceret Pisanos ad Lucenses, quos captivos tenebant, restituendos; nonnulla pecuniæ summa ea de causa à Lucensibus ipsis Legato promissa: summa omnia fecit Legatus; nihil tamen mo- A.C. 1172.

vit Piſanos: quibus iratus Legatus, cum obauctoritatem ſuam ab illis ſpretam, tum quod in inſtitutis conſiliis de pace inter Genuenſes, Piſanos, Lucenſes componenda parum ſincera fide illos agere cognoviſſet; ac per illos illorumque retractationes fieri, quo minus pax conveniret; omnia jura eximia, quibus à Cæſare donati fuerant, illis abrogavit, Sardinia nominatim illis abjudicata, illorumque bona, nec non civitatem ipſam Cæſariano edicto publicavit: ceterum paullo poſt colloquium de pace inter tres populos integratis, quibus acceſſerunt Florentini, milleni cives ex ſingulis tribus civitatibus in illam jurarunt: verum inchoatam rem turbarunt clandeſtina conſilia, quæ Piſani & Florentini conjunxerant, de Fano Mimati Etruriæ opido furto invadendo emanata: quæ audacia fraude conjuncta adeo Legatum offendit, ut petentibus Genuenſibus, unum ex Piſanorum Conſulibus, quem captum ſecum habebat, in manus Lucenſium dederit: quem illi carcere incluſerunt.

Multæ parvæ expeditiones eo anno tam ab ipſa civitate quam à compluribus Orientalis oræ opidis in Piſanos factæ ſunt, ad Piſanorum res multifariam carpendas: quas ſingulas perſequi non neceſſe habui: duas illas memorabiliores attingam: altera fuit ſeptem triremium, quæ præfectum habuit Corſum Sigiſmundi unum ex Conſulibus; qui Arnum fluvium ingreſſus, circumjectam regionem ferro atque igne late vaſtavit; indeque Planaſiam petens, omnia Piſanorum ædificia diſturbavit & incendit: altera ſex triremium, Rubaldo Biſaccia Conſule præfecto adverſus tres Piſanorum triremes, quæ nonnullas Genuenſium onerarias magni pretii mercibus onuſtas ceperant; quas noctu ad littora Sardiniæ nihil tale opinantes adeptæ ſine ullo certamine captas Genuam ovantes traxerunt. At Piſani tot aliis ſuper alia maritimis damnis debilitati, ut Genuenſium vires multipliciter diſtractas infirmiores facerent, Opicium Malaſpinam, qui fiduciariam ditionem ab Archiepiſcopo Genuenſi obtinebat, ejuſque filium Morruellum ditioni Genuenſi ſubjunctum, ſpe præmiorum ad deficiendum, armaque Genuenſibus inferenda inducunt: qui ex agro Lunenſi moventes incolisque Paſſani & Lavaniæ ſibi adjunctis, cum tribus peditum millibus ac centum quinquaginta equitibus ad opida Clavarum & Sigeſtrum tentanda accedunt: ceterum repulſi à copiis Genuenſibus, quas illi è regionibus Montiſeracis, Gavii, Boſchi, Ponſoni corrogarant, pleni dedecoris & ignominiæ in ſua reverterunt.

Nihil ſuperioris anni adverſis rebus infracti Malaſpinæ, viribus auctis, vallisque Airanæ incolis concitatis, iiſdem Piſanis inſtigantibus, anno inſequenti ejus ſæculi ſeptuageſimo tertio è Lucenſi agro moventes, Rapallum uſque populabundi perrexerunt: ceterum nihilominus irritum inceptum fuit; cum Conſules loca conubia hoſtis opportuna præſidiis firmaſſent: quin etiam hi Malaſpinarum motus civitati in bonum verterunt: diligentiam enim Conſulum excitarunt ad curam terreſtris militiæ jam diu Genuæ neglectæ repetendam, centum cataphractis equitibus ad ſubita hoſtilium motuum inſtitutis: cum quibus, ac ſimul cum non exigua peditum numero, Ingo Fleſſius unus ex Conſulibus urbe exiens, arcem Montemleonem adverſus hoſtium irruptiones in agro Moncliano ædificavit. Rebus terreſtribus conſtitutis, in maritimas curæ verſæ, binis expeditionibus eo anno factis: primæ, quæ fuit octo triremium, præfectumque habuit Lanfrancum Albericum, opus præcipuum fuit, Sardiniæ res firmare, ac Judices in officio & in fide erga populum Genuenſem connectere: ſecundæ, cui præfuerunt Ingo Fleſſius & Otho Caſſarus, haud ſane ullum operæ pretium factum traditur, nullis Piſanis navibus uſquam obviis factis.

Iterum eo anno Malaſpinæ ad bellum conſurrexerunt, arcem Montisleonis eo anno ædificatam adorti: adverſus quos egregia trecentorum ſexaginta equitum ala, ac valida mille quingentorum peditum manus ab urbe profectæ ſunt: quas non exſpectandas Malaſpinæ rati, caſtris retro motis in ſua ſe receperunt: at Genucoſes porro ire pergentes, ad Paſſanum vicum contendunt, cujus incolæ Malaſpinarum ſuaſu à Genuenſibus defecerant: arcemque octo dierum oppugnatione captam diruunt. Duplex tributum eo anno à civibus exactum Annales tradunt, tribus obolis in ſingulas libras initio conſulatus, novem ſub finem exactis, cum non fere plus ſex erogari mos eſſet.

Qui ſequitur annus ejus ſæculi ſeptuageſimus quartus inſignis eſt, pace cum Gulielmo Siciliæ Rege facta; ſineque veteribus controverſiis cum magna publica utilitate impoſito. Qua de cauſſa Othobonus Albericus unus ex Conſulibus, bis eo anno Orator ad Regem miſſus eſt. Compoſitæ quoque res ſunt cum Malaſpinis, Opicio Marchione Morruelloque ejus filio in amicitiam receptis, arce Petra coperta ac podio Ericis de illis emptis, quæ ambo è veſtigio ſolo æquata ſunt. A. C. 1174.

Annus ejus ſæculi ſeptuageſimus quinctus lætus civitati fuit, reſæpe fruſtra tentata tandem ad effectum perducta; ac perbonorifica nomini Genuenſi pace tandem inter Genuenſes, Piſanos, Florentinos, Lucenſes, Friderici Cæſaris auctoritate, ipſoque diſceptatore, Papiæ compoſita: cum Legatos eorum populorum ad ſe in eam urbem evocaſſet: in conditionibus enim pacis, dimidia Sardiniæ pars, quæ res utrique populo arma induerat, Genuenſibus ceſſit; quam etiam Cæſar pro jure ſummi imperii illis ratam fecit, atque ita finis moleſto bello impoſitus eſt: quod duo hi populi latrocinii magis quam juſti belli more per multos annos exercuerunt, mutuis ac parvis damnis ſeſe continenter carpentes, cum numquam totis viribus, ſignisque collatis concurſum ſit, neque univerſæ pugnæ fortuna tentata. A. C. 1175.

Inſequentes undecim anni nihil ſane memorabile habent; præter amicitiam & fœdus cum Saladino in has conditiones initum; ut ille arma & bellum à Genuenſibus abſtineret, neque illorum Syriacas res attingeret; modo Genuenſes nullam adverſus illum ſocietatem jungerent: & adventum ad urbem Friderici cum Beatrice uxore, atque Henrico filio, qui ei in imperium & in regnum Siculum ſucceſſit: & adventum Regis Francorum filiæ Alexio Græci Cæſaris filio in matrimonium datæ Conſtantinopolim petentis. Utrique magnifice & apparate excepti ſunt. A. C. 1176. uſque ad 1186.

Otium per totum hoc tempus ab externis moleſtiis & domeſticis morbis fuit: quod tamen non nihil turbarunt in Occidentali ora incolæ Linguiliæ, in Orientali Vernatienſes, latrociniis atque excurſionibus itinera & commercia infeſta facientes: iſque exitus utriuſque moleſtiæ fuit, ut Nicæenſes in ditionem populi Genuenſis ſe tradiderint, atque imperia jurarint: Vernatienſium, cum illi ſæpe moniti finem latrociniorum non facerent, arx & opidum ipſum urbanis copiis eo miſſis expugnatum ſit, populuſque jugum acceperit.

Ceterum majore motu quies civitatis intra urbem turbari cœpta eſt: in qua vehementis ac prævervidi ingenii vir Fulco Caſtellius immodica ambitione ſua diſcordias civiles multos jam annos depoſitas excitavit, atque inteſtina civitatis mala integravit: qui gentis ſuæ Caſtellliæ caput, quæ tum opibus & potentia ceteras longe antecellebat, cum æquabilitatem juris eum ceteris civibus ferre non poſſet,

ad primum locum civitatis tendens, res miſcendi continentet cauſſas quærebat: cui cum Advocati, dignitate ipſi quoque & opibus præſtantes, diu reſtitiſſent, pacemque inter illos Archiepiſcopo auctore, ut ſupra dictum eſt, firmatam ſincera fide colentes obſiſtere deſtitiſſent; Gens à Curte, clientelis ipſa quoque & opibus valida, ſeſe illi opponere non dubitavit, compluribus nobilibus familiis ſtudiis cum illis adverſus Caſtellionum ſuperbiam impotentemque libidinem conjunctis: occultæ igitur inter illos ſimultates tandem ad apertas contentiones & ad manus ac ferrum venerunt; cum Ventorum gens Fulconi ſe adjunxiſſet: præliumque inter illos in ſuburbiis commiſſum eſt, quod utriſque multo ſanguine ac cædibus ſtetit: proceſſiſſetque res ulterius, niſi prudentia & vigilantia Conſulum initia motuum oppreſſiſſet.

A. C. 1187. Annus qui ſequitur ejus ſæculi octogeſimus ſeptimus, domi foriſque infeſtus fuit: nam domi ſemina diſcordiarum, animus civium inſidentia, diu compreſſa, tandem prodierunt, Angelerio à Mari uno ex Conſulibus à nonnullis facinoroſis hominibus, quorum caput ac dux fuit Lanfrancus Turca, obtruncato. Idem caſus fuit Rubaldi Porcelli & Opicii Leccavelæ præſtantium hominum interfectorum: quæ cædes magnos animorum motus fecerunt: reſque ad tumultus & ad arma haud dubie ſpectabat; niſi provida diligentia Conſulum periculum imminens diſcuſſiſſet, ſevere in maleficos animadvertendo: quos ipſi magnis optimatum ac bonorum catervis fulti partim comprehenſos ultimo ſupplicio affecerunt, partim perpetuo exilio mulctarunt, illorum domibus ac turribus ſolo æquatis.

At in Sardinia Piſani, fœdere ac jurejurando violato, Genuenſes mercatores ex præfectura Callaritana exegerunt rebus ſuis ſpoliatos. Ne tantam injuriam tantamque perfidiam inultam ſinerent Genuenſes, magnis terreſtribus & pedeſtribus coactis copiis Piſas petunt: ceterum, precibus Henrici Regis Cæſaris filii, promittentis Piſanos de injuriis ſatisfacturos, mitigati cum portum Veneris uſque perrexiſſent, terreſtre quidem iter retro repetierunt. Maritima elaſſis, Fulcone Caſtellio præfecto, circumiens non exigua detrimenta Piſanis intulit: atque in Corſica arcem Bonifacii à Piſanis ædificatam expugnavit, ac ſolo æquavit. Infelix is annus Chriſtiano nomini fuit: Chriſtianis Principibus in Syria ingenti prælio à Saladino victis; Hieroſolymitanoque Rege, Magiſtro Templariorum, ac magno primariorum Procerum numero capto, ipſaque ſacra urbe, ac ceteris, quæ Chriſtiani in Syria tenebant, præter Tripolim, Tyrum, Antiochiam, occupatis.

A. C. 1188. Inſequenti anno ejus ſæculi octogeſimo octavo pax cum Piſanis renovata eſt, Clemente tertio Romano Pontifice auctore; qui arbiter & diſceptator controverſiarum aſſumptus, pro communi parente res compoſuit. Urbanæ quoque diſcordiæ ſublatæ ſunt; pace à Petro Cardinali Pontificio Legato inter Lanfrancum à Turri ac Bulbonoſium illuſque conſortes compoſita. Eo anno mortuus eſt Hugo Archiepiſcopus: qua de cauſſa, ex veteri more & inſtituto, facer Ordo, ac Conſules, & Senatus, ceterique civitatis Magiſtratus convenerunt: qui conjuncti negotium ad Abbates divi Syri, divi Stephani, divi Benigni; item ad præpoſitos S. Mariæ à Vineis, S. Donati, S. Mariæ à Caſtello, S. Damiani; nec non & ad collegium Canonicorum, magiſtrumque Anſelmum, Auguſtinum Presbyterum, & Ruſticum Diaconum rejecerunt: qui congregati Bonifacium Laurentianæ ædis Archidiaconum in demortui locum ſuffecerunt.

Initio inſequentis anni ejus ſæculi octogeſimi noni diſcordiæ civiles ad modicum tempus conſopitæ exſurrexerunt, à duobus præpotentibus Voltarum & Ventorum familiis inter ſe diſcordibus excitatæ; atque acribus prælüs in multis urbis locis ſæpe exercitæ. Pacatæ res ſunt ſedula opera & diligentia Conſulum. A. C. 1189.

Interea Chriſtiani Principes ſeſe ad bellum ſacrum, omnibus regnorum ſuorum viribus conniſi, comparabant: qua de cauſſa miſſi à Genuenſibus duo Legati ſunt, Anſaldus Bufferius & Henricus Detefalvius ad Reges Gallorum & Anglorum: qui fortem ac fidelem eandemque, quam primo bello experti eſſent, populi Genuenſis operam policerentur, nulla in re à Majorum conteſtata pietate ac religione degeneraturi: ceterum tanta fuit Domicillæ conjugis Marchionis Anciſiæ cum ſingulari amentia conjuncta audacia; ut Legatos per fines ſuos iter facientes retinere non dubitarit, quos niſi pretio redemptos ſe dimiſſuram negaret: deſtitit mox incepto, Legatoſque dimiſit, apparatibus Genuenſium deterrita. Regum itineri præverſit Friderici Cæſaris diligentia, & incenſum ſtudium: qui in Syriam ingentibus copiis, per varia diſcrimina multaque certamina iter morantia tandem pervenit, infelici incepto, in tranſitu Selephii fluvii, quem poſteriores flumen ferri appellarunt, imbribus tumentis in finibus Antiochenſibus undis hauſtus, anno imperii trageſimo ſeptimo: vir bellicoſus ac claris virtutibus memorabilis, niſi ingentem labem ejus laudibus crudelitatis fama, ac ſacroſancti Pontificis inſectatio adſpergeret.

At Genuenſes nihil cunctati haud contemnendam claſſem in Syriam mittunt, Guidone Spinnla nno ex Conſulibus præfecto: cum quo navigarunt, Nicolaus Embriacus, Fulco Caſtellius, Simon Auria, Balduinus Guercius, Spezzapetra, Rocius Volta, cum ingenti equitum & peditum numero. Hi cum littora Syriæ tenuiſſent, ſeſe cum reliquo exercitu urbem Ptolemaida, quam poſteriores Aconem vocarunt, obſidente conjungunt. Inter principes cauſſas deditionis numerantur bellicæ machinæ à Genuenſibus allatæ, & fabricatæ.

Inſequenti anno ejus ſæculi nonageſimo conſiliis Chriſtianorum ad bellum deſtinatis, Philippus Gallus Rex, cum quinque & viginti dies Genuæ fuiſſet, ipſeque & Ricardus Angliæ Rex, qui ipſe quoque Genuam venerat, neque plus diem unum ſubſtiterat, capita contuliſſent, magna Principum & primariorum Procerum caterva comitante, claſſe conſcenſa in Syriam iter tendit. A. C. 1190.

VBER-

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER III.

Hic annus insignis in primis est forma Reipublicæ mutata, ac regimine civitatis à Consulibus ad peregrinum Prætorem translato. Ejus rei causſa talis fuit. Creverat simul cum opibus civitatis, atque incolarum numero, quæ utraque in dies augebantur, civium ambitio, multis ex primariis familiis ad primum locum in procuratione Reipublicæ, quæ jam splendida esse cœperat, contendentibus: quæ res in factiones ac contraria studia civitatem scinderat, civiumque inter se odia in dies magis accendebat, quæ primo verborum contentionibus & altercationibus exercita, jam ferro & sanguine decerni cœperant. Huic malo, ceteris vana expertis, unum illud remedium complures boni & quietis amantes cives statuebant, si causſa præiederetur, Reipublicæ procuratione à civibus ad peregrinum Prætorem translata, exemplo multarum Italiæ urbium, quæ hunc morem induxerant. Mentio igitur de ea re sensim injecta, varios sermones, variasque sententias, prout cujusque erat ingenium, in privatis cœtibus præbuit, resque in contentionibus vulgo diu jactata tandem ad publicum civitatis consilium deducta est, in quo non minus sententiis est certatum: iique, qui à Prætore abhorrebant, ita disputabant: *Sapientibus, & gravibus, ac constantia retinentibus viris ita omnis novitas semper invisa & suspecta fuit, Patres; ut etiam ampla & spectosa consilia, & stem majorum opum, majorisque ingenii facientia repudiarent, si eundem statum rerum salubrem multos annos expertum mutarent. Nos contra ita novitatis amantes sumus, ut degener, ac probrosum consilium, ac speciem servitutis præferens, atque adeo servitutem ipsam inducens amplectamur: quæ res omnium maxime abominabilis semper fuit: ad quod consilium nullus unquam populus nisi diuturnitate malorum confectus, extremaque necessitate subactus, cum nulla esset alia interim vitandi via, descendit. Nondum id vitii rei Genuenses habent; neque ad extrema hac ventum est. Quam vero est indignum, cum populum, qui externa imperia molitur, quique exteras nationes ac magnas insulas divina sua jam subjungere cœperit, domi sua ipsum alienigenæ servire? Neque animadvertunt homines nomen Genuense maximis regnis formidolosum ac venerabile contemptum posthac omnibus & despectum fore. Magno igitur civitati concordia statura est, servitute ipsa, cum multa alia ejus constituendæ remedia inire possint, vel judiciis severe faciendis, audaciaque perditorum hominum supplicium metu coercendo; vel lapsa disciplina salubribus legibus restituenda, ac formanda; vel urbano otio lascivientes animos externis bellis implicando. Est vero simile hoc consilium, ac si quis imperitus gubernator periculum imminentis naufragii nulla alia arte discutere sciat, quam navi ipsa submergenda. Vel sola constantia retinenda causſa deberet a turpi consilio nos revocare, ne eam levi re ac medicatu perfacili regimen Consulum per tercentum circiter annos salubre expertum mutasse videamur.* His atque ejusmodi multis cum in eam sententiam, qui Prætorem repudiabant, disputarent; contra, qui illum adscitcebant, differebant: Quorum princeps, *Ne ego quidem*, inquit, *unum servitutem abominor, Patres, qua ultimum malorum est; neque tanto pretio concordiam civitatis emendam censeo: ceterum salubri consilio non civitas in servitutem redigitur, sed potius servitutis periculo liberatur discordiarum civilium causſa sit, qua civitatibus servitutem accelerare solent, præcisis: eas malo, antequam illud majores vires assumat, ac tempore insanabile fiat, statim in ipso initio occurrendum est: quo invidioso servitutis nomine ac nulla ratione rei, qua agitur, congruenti nonnulli abutuntur, qui novam Reipublicæ formam detestando vocabulo appellent: neque enim Dominum, sed Prætorem accersimus: neque, cum alicui Magistratui omnino in libera civitate parendum sit, quidquam interest, is Magistratus civis, an peregrino mandetur, quem uterque in publico consilio mandatum atque annuum recognoscat: penes quod consilium summum imperium sit; quod Magistratus mandare, ac cum libuerit, abrogare possit; peregrinoque ac cive ministro non imperante aque utatur. Quid est igitur, quod contrarium consentes cælum ac terras miscemus, ac medicinam, qua una in præsentia occurrat; quamque tam multæ civitates salubrem experiuntur, tam pertinaciter repudient? aut quid prohibet, ceteris consiliis animos pacandi inanibus expertis, novi hujus consilii periculum facere, ac prorsus, ut illud processerit, ita illo uti? similisque est illorum ratio, qui exortas inter cives discordias judiciis & securitate animadvertendi tollendas esse contendunt; ac si quis medicus, cum causſas morbum constantes præcidere possit, atque illum venientem arcere; ab illo tamen corpus invadi permittat, quem postea ipse medicamentis sua discutiat: qua re hominum sæpe falsum habet. Causſa igitur malorum & discordiarum tollenda sunt, quæ ambitio summi loci inducit: comparationi vero imperiti gubernatoris, ac navem submergentis, ulla longe aptior in eodem genere referri potest, bonum gubernatorem, qui uno & perpetuo venti flatu usus secundum cursum tenuerit, eo mutato velificationem quoque mutare, neque ex ea re inconstantiam argui, sed sapientiam gubernandi declarari: non igitur Genuenses mobilitate ingenii formam Reipublicæ mutaturi sunt; sed ad mutatam Reipublicæ tempora consilium accommodaturi, neque in re cursus ad gloriam & ad proferendum imperium impediunt; immo vero ad eosdem res via expeditior fit, ac civitatis vires roborantur, quas discordia civium enervet: tantumque abest, ut contemptam civitatem nostram apud exteros faciamus, ut contra nullum sit aliud contemptus jam inchoati tollendi remedium quo contemptum non jam apud magnos Principes & longe remotas nationes laborare incipimus, sed finitimis Ligusticis opidulis, & perpusillis accolis Proceribus, quos Dominorum pene nominis pudeat, despectus summus, ut non modo imperata facere detrectent, sed arma quoque, si displaceat, contra nos omni levis de causſa sumere non verentur. Has nomini Genuensi pudendas indignitates salubri consilio tollemus, quam intellexerint hominum Genuensium virtutem vinculis, quibus adhuc civiles discordiæ illam constrictam tenuerunt, solutam liberiorem & expediorem dignitatis sua vindicem fore.* Vicit hæc sententia; ex consilique decreto, Manegnldus Tetocius Brixiensis civis prudentiæ & æquitatis fama com-

mendatus, primus civitatis Prætor in insequentem annum vocatus est.

Discordiarum civilium causæ novo hoc consilio peregrini Prætoris accersendi præcisæ in posterum videri quidem potuerant: cæterum odiorum semina à causis olim vigentibus facta, in animis hominum residua, haud quaquam evulsa sunt: quæ ille ipse, qui perpetua fax intestinorum malorum fuit, quique discordias atque contentionum causas inter potentiores familias tamquam potentiæ suæ augendæ aptas alere omnibusque consiliis fovere numquam destiterat, Fulco Castellius in unum ex Consulibus evomuit: nonnullis enim ex familia sua secum raptis, magnaque armatorum manu stipatus, in ædes, in quas Consules ad rationes publicas subducendas sub exitum anni (eum tempus illorum consulatus nondum exiisset) convenerant, irrumpens, Lanfrancum Piperem unum ex Consulibus virum domi ac foris recti exempli obtruncat: quare graviter tota civitate omnibusque bonis commotis, Prætor populum prius pro concione allocutus, postero die ædes Fulconis amplas & magnificas solo æquavit. De sicariis supplicium sumi non potuit; cum illi facinore tantæ audaciæ admisso illico solum vertissent.

Per ea tempora, Gulielmo Siciliæ Rege fato functo, Proceres in demortui locum Tancredum Rogerii Regis filium nothum suffecerunt: quæ res Cælestinum tertium Clementis tertii, quo Pontifice Gulielmus mortuus est, successorem graviter commovit, jus & auctoritatem Pontificiam spretam iniquo animo ferentem: quare Constantiam Rogerii Regis filiam è cœnobio eductam, votoque solutam Henrico Cæsari Abenobarbi filio matrimonio junxit, pactus, ut ille regnum recuperatum à Pontificio solio fiduciarium agnosceret.

Henricus igitur sese ad bellum comparans, duo-
A. C. bus Oratoribus insequenti anno ejus sæculi nonage-
1191. simo uno Genuam missis, maritima auxilia ab illis impetravit; ingentium præmiorum spe facta Ugolino Mallonio & Idoni Piscio ea de causa ad illum legatis; nonnullis, quæ parens concesserat, confirmatis, ac novis concessis: armatæ igitur sunt tres & triginta triremes, insque Orlandus Carmindinus, & Bellobrunus Castellius, præfecti; qui mense Augusto solventes Castellimarium usque perrexerunt: ceterum regia classe non inventa, cum rumor quoque dissipatus esset, Cæsarem urbem Neapolim tum obsidentem ex contagioso morbo decessisse, nullusque ideirco classis eo tempore usus esset; itunere retro repetito ad montem Circejum in conspectu habuerunt regiam classem, quam Margaritus Halmiros ducebat, numero navium longe Genuensi superiorem: neutrique fortunam pugnæ experiendam rati; diversa quique petunt, Genuenseque ad Civitatem Veterem mandato à Cæsare accepto in sua se recipiendi, Genuam reversi sunt: quo sub exitum autumni ipse quoque Cæsar venit: qui consiliis de bello gerendo, ac nova classe, cum idoneum tempus venerit, comparanda constituit, promissisque renovatis, Germaniam repetiit.

Interea civiles discordiæ magis in dies accendebantur; cum multæ ex primariis civitatis familiis exsecrabili odio inter se dissiderent, in quibus acerrima fuit contentio inter familias Voltam, & à Curte; quæ tum secundum Castellios compressos, in
A. C. civitate plurimum poterant: quæ discordiæ per tres
1192. insequentes annos, quibus peregrino Prætore omis-
1193. so regimen ad Consules redierat, civitatem mirifi-
1194. ce exercuerunt, cum omnia seditionibus, prælis, cædibus arderent, summaque esset omnium rerum licentia, nullusque Magistratuum metus facinorosorum & turbulentorum hominum audaciam coerceret, qui vulgo grassabantur; neque res gladiis modo gererentur, sed missilibus quoque, ac tormentis, & machinis bellicis, quibus ex privatis ædibus & turribus sese mutuo incessebant, ut nonnumquam Consules, Reipublicæ procurationem omissa, magistratuque abeuntes se domi privatim continerent. Cum postremo anno, qui fuit ejus sæculi nonagesimus quartus, gens à Curte tenuisset, ut in numero Consulum tres ex factione sua essent, (hi fuerunt Rubaldus à Curte, Joannes Advocatus, Henricus Embrunus) remedium intestinorum malorum externæ curæ fuerunt. Venerat in urbem Cæsaris missu Merualdus: is precibus pervicit, ut Consulibus magistratu se abdicantibus, Prætor iterum crearetur: is fuit Ubertus Olevanus Papiensis, nobili loco ortus, magnique nominis & consilii vir: qui privatis turribus in potestatem suam redactis, ac præsidio firmatis, magnam facultatem mutuo se lædendi diffidentibus ademit.

Rebus igitur urbanis in tranquillum redactis, curæ in comparandum collatæ sunt, ipseque Cæsar Genuam venit: qui civium ardorem ingentibus atque aliis super alia cumulatis promissis, in omne fallendi artificium compositus incitare non desistebat, cum affirmaret non minus Genuensium quam suam ipsius rem agi in regno Siciliæ parando: se enim honoris titulo contentum in Germaniam concessurum, ac cum Germanis suis ætatem acturum; usum ac fructum ejus regni simul cum provocatione Genuensibus cessurum: tantis igitur promissis onerati Genuenses, diligentiam sua sponte pridem commotam intendunt: brevique ingens classis triremium atque aliorum varii generis navigiorum omnibus necessariis armamentis, omnibusque bellicis apparatibus apprime instructa, ad hoc magna nobilium equitum & fortium bellatorum copia referta, comparata est: numerus navium & copiarum non traditur ab Annalibus; sed ingentem fuisse necesse est; cum adversus classem Siculam pugnandum esset; quam numerum septuaginta triremium excedere constabat: classis igitur mense Augusto solvens, Prætore ipso præfecto, qui Draconem Bambolum vicarium Genuæ reliquit, duodecim tantummodo triremibus, ac nonnullis minutioribus navigiis Pisanorum in itinere sibi adjunctis, Cajetam appulsa est: quæ urbs, nulla oppugnatione exspectata, illico Merualdo, & Marchioni Montisseracis, Prætorique Genuensi deditionem fecit: Proceres, Beltramo Salimbenio, qui Judex Prætori Genuensi Genuæ assidebat, & uno ex Reipublicæ Genuensis scribis, qui jusjurandum in imperia à civibus Cajetanis exigant, in capta urbe relictis; iter persequentes Neapolim se conferunt, pari fortuna usi, urbe à Neapolitanis, sub ipsum appulsum classis, sine certamine Cæsari tradita, jureque jurando in imperia Cæsaris dato: indeque profecta classis Messanam tenet: qua in urbe gravis contentio inter Genuenses & Pisanos exorta est; ut inter tot veteribus injuriis mutuo irritatos animos omnis quamvis levis causa ad magnum incendium excitandum satis valebat, quæ à clamoribus & jurgiis cito ad prælium venit, ex quo cum multi utrimque cecidissent, Genuenses eo die inferiores discesserunt, magnumque detrimentum à Pisanis acceperunt; ipsorum cellis ingenti vi merciom magni pretii refertis ab illis direptis. Ulti sunt Genuenses injuriam postero die, tredecim navibus Pisanis ademptis, ingentique illorum numero undis demerso. Compositæ quidem mox inter illos induciæ sunt; Merualdo in speciem pro communi amico sese interponente; pacto, ut tam homines quam res utrinque captæ restituantur, ac de damnis mutuo satis fiat, quæ omnia à Genuensibus cum fide observata sunt, alveis triremium redditis ac mille argenti marcis solutis: neglecta sunt pacta à Pisanis, jusque jurandum spretum, nulla re præter homines restituta: quam rem tamen Genuenses promissis Cæsaris decepti patienter tulerunt;

ne

ne procedentium conſiliorum curſus interrumperetur, cum Piſanorum audaciam aleret favor Merualdi totus in Piſanos verſus voluntati Cæſaris obſequentis: quem ſciret in Piſanos propendentem à Genuenſibus abhorrere, ut miſeri Genuenſes omnibus iniquitatibus toti ea expeditione conflictati ſint; tantarumque indignitatum dolore Prætor in morbum inciderit; ex quo cum deceſſiſſet, Genuenſes in ejus locum Othonem Carrettanum præfectum ſufficiunt, qui, ne ullas partes ſuſcepti muneris deſeruiſſe videretur, cum reliquo exercitu Catanam urbem petiit à Saracenis Reginæ Tancredi uxoris militantibus circumſeſſam, nulliuſque in ea obſidione ſolvenda fortior aut promptior, quam Genuenſium opera fuit: qui inde profecti ſoli Syracuſis expugnarunt; haud exiguo Piſanorum numero in ea urbe deprehenſorum obtruncato: cujus urbis expugnatio res Siculas ac populorum animos in Cæſarem inclinavit: ut omnes populi certatim ſeſe dedentes accurrerent. Una urbs Panhormus in fide Reginæ manebat; cui admovendæ fuerunt copiæ. Cæſar igitur totus in ſuas artes & fallacias verſus novo promiſſo civitatis Syracuſanæ: illis donandæ, ut ſibi cum claſſe in ea oppugnatione adſint, Genuenſes invitat. Haud gravate illi hanc quoque extremam operam Cæſari navarunt: qui urbis tandem compos factus, ingentia merita ingenti ac vix comparabili ingrati animi ac perfidiæ exemplo, quæ fere eſt magnorum beneficiorum merces, remuneratus eſt: non modo enim nihil promiſſorum fecit, ſed jura quoque eximia, quibus Genuenſes beneficio Guiſcardum Regum in Sicilia utebantur, uſtatoſque Magiſtratus & Conſules per ſummam injuriam & contumeliam illis abrogavit, gravi pœna edicto propoſita, ſi quis nomen illud in regnis ſuis uſurpare auſus eſſet: minas inſuper injurias addens, ſeſe, ſi ſtomachum ſibi Genuenſes faciant, commercia omnino illis dempturum, Genuamque ipſam everſurum prædicebat. Eo anno Philippus Gallorum Rex à ſacro bello rediens tres ingentes onerarias à Genuenſibus ad ſubvectiones datas præſto habuit: quarum præfectus fuit Ruſſinus à Volta: Genuæque Jacobus Mainerius Me-
A.C. diolanenſis civis Prætor in ſequentem annum ejus
1195. ſeculi nonageſimum quintum creatus eſt.

Novæ offenſiones in Sicilia inter Genuenſes & Piſanos ortæ cauſſas armorum præbuerunt, initio turbandi res à Piſanis orto: ii, ad invidiam pacis infractæ ac jurisjurandi violati à publico conſilio amovendam, nonnullos Piſanos cives piraticam facientes ſubmiſerunt: qui in colle Bonifacii iterum occupato opidum conſiderunt, ut ex eo latronum receptaculo Genuenſem ditionem ac circumjecta maria & commercia infeſta Genuenſibus facerent: animoſque favore Cæſaris ſublatis, per eandem piraturam ſpeciem toto Mediterraneo mari circumvolitantes innumera detrimenta continentibus excurſionibus Genuenſibus intulerunt, naves illorum capiendo, rerumque & hominum prædas agendo, cum verborum contumelias ad injurias adderent, aſpere probroſeque Genuenſes appellantes; ac tumida oratione imperantes, ut aut à navigando abſtinerent omnino, aut omiſſis telis inermes navigarent: quod ſi arma intrectare in poſterum auderent, ſeſe illis manus & aures præciſuros minitantes: exarſerunt ſubito Genuenſium animi tantis injuriis irritati; vulgoque omnes pro ſe quiſque conclamare; ſtolidam verborum ferociam factis retundendam; tantaſque injurias & contumelias armis & virtute ulciſcendas: ceterum conſilium & ſapientiores nihil per iram aut temeritatem feſtinationem agendum rati, ſed omnia, antequam ad arma iretur, tentanda; Piſanorum Magiſtratum ad colloquium vocant: cum utrique ad Ericem opidum conveniſſent, Genuenſes opidum Bonifacium ædificatum, injuriaſque ſibi impoſitas, ac damna illata conqueruntur; ſuaque ſibi reſtitui, & de injuriis fatisfieri poſtulant. Inchoatum aſtum retinent Piſani; civitatem purgantes, Bonifaciumque ædificatum, aut quidquam eorum, quæ Genuenſes expoſtulent, publico conſilio factum negantes: quin etiam addentes non minus Piſanis quam Genuenſibus Bonifacianos hoſtes eſſe; eademque eſſe hoſtilia ab illis pati; paratoſque ſe ſocietate & claſſe cum Genuenſibus conjuncta communi bello latrones perſequi, opidumque expugnatum ire: enimvero tantam ludificationem haud ultra ferendam Genuenſes ſtatuunt; ac quoniam in juris diſceptatione nulla ſpes malis medendi eſſet, à ſero & virtute remedium petendum, ſtultitiamque & arrogantem inflatorum hominum temeritatem tela non verbis retundendam: cum omnes pro ſe quiſque hæc vociferarentur, tres opibus & virtute præſtantes ac familiarum ſplendore inſignes cives, Ingo Longus, Henricus Carmindinus, Otho Pelipus ſeſe publicarum injuriarum vindices profitentur; negotiumque Bonifacii expugnandi in ſe recipiunt: claſſeque tirum ingentium corbitarum, triumque myoparonum, ac trium triremium, compluribus varii generis ac nominis additis navigiis, conſcta, Bonifacium petunt; terraque ac mari circumſeſſum expugnant, magna opidanorum edita cæde; captumque opidum, latronibus, ac piratis, veteribuſque incolis omnibus exactis, ac Genuenſium colonia inducta. Reipublicæ firmant: finitimaque littora & maria circumvecti nonnullas naves à Piſanis captis recuperant; multaſque ipſi Piſanorum capiunt; in quibus fuit ingens atque arcis inſtar corbita à Piſanis ad bellum armata, quam illi leonem campeſtrem appellabant, videlicet nomine ipſo formidinem injicientes: quattuor item triremes à nonnullis civibus, ipſis quoque è primariorum corpore, adverſus Piſanos armatæ ſunt, quæ non minoribus detrimentis Piſanos affecerunt: ſicque illæ annus per pares utriuſque populi clades traductus eſt: ſub cujus anni finem Henricus, cum Genuenſium opibus ſibi uſum fore proviſeret; ut animos ſibi vehementer offenſos conciliaret, nonnulla verba jecerat, quibus ſpem Genuenſibus oſtendebat promiſſa faciendi. Illi haud contemnendam rem rati, è veſtigio per amplam legationem Papiam ad illum mittunt: Legati fuerunt Archiepiſcopus civitatis, Prætor ipſe, Fulco Caſtellius, Joannes Advocatus, Anſaldus Buſſerius, Piccamilius: qui nulla re tranſacta redierunt; cum Henricus nihil ſincera fide ageret, uſtatoque aſtu utens, quæ jure Genuenſibus debebat, ea care venalia haberet.

Annus, qui ſequitur ejus ſeculi nonageſimus ſextus, quique illum conſequitur nonageſimus ſeptimus, unum eundemque Prætorem habuerunt Drudum Marcellinum Mediolanenſem, virum ſtrenuum atque inpigrum, magnique animi & conſilii, ad hoc rigidæ ſeveritatis & incorruptæ innocentiæ: illuſtrabat claras virtutes haud mediocris dicendi facultas & copia: ejus opera domi foriſque ſpectata civitati noſtræ perutilis fuit. Huic Prætori primo, ſive is illos petierit, ſive parum decorum videretur in libera civitate cives omni Reipublicæ procuratione omnino carere, additi
A.C. 1196. 1197. ſunt octo collegæ ex primariis civibus: itaque in poſterum faciendum decretum eſt, quod tamen ſæpe eſt intermiſſum. Is conſeſtim initio Magiſtratus clara virtutis & ſeveritatis ſuæ edidit documenta: nihil enim potentiorum offenſiones veritus, multorum turres, quæ contra legis præſcriptum altitudinis modum exceſſerant, ad juſtam altitudinem 80. pedum deprimi juſſit: ad hoc cum Idonis Malloni filius, publicis edictis ſpretis, portoriis non perſolutis, merces in terram exonerallet, à Prætore-

toreque ad cauſſam dicendam vocatus neglexiſſet; (ut corrupti ſæculi licentia jam ad contemptum Magiſtratuum proceſſerat) de conſilii ſententia populo armato, ad ædes hominis ipſemet accedens eas dejici, mercesque publicatas, nulla re ſibi retenta, in cellas publicas redigi juſſit: eodem severitatis exemplo ſub finem Magiſtratus ſui in nonnullorum primæ Nobilitatis ædes uſus eſt, ipſius juſſu ſolo æquatas: qui, legum juſſu perfracto, Siciliam cum certo triremium numero ab ipſis armatarum navigarunt. Acerbe factum Prætoris Nicolaus Auria in urbem reverſus tulit; priuſque delictum inſignis audaciæ facinore cumulavit, ac malum pravumque exemplum primus poſteritati prodidit arma quoque adverſus Magiſtratum ferendi; cum ad id tempus nobilium ac potentiorum familiarum ſuperbia non ultra neglectionem non parendo proceſſiſſet: caterva enim criminis conſortium ſtipatus, ædibus Archiepiſcopi ſilentio noctis occupatis, ex illis prætorium ponte injecto invadit. Experrectus Prætor primoque inopinata audacia nonnihil perturbatus, deinde ſtatim collecto animo, populum edicto vocatum contra Aurias & audaciæ ſocios armat: ceterum propinquis & cognatis ſeſe interponentibus, Nicolaus ad meliorem mentem converſus ſupplex à Prætore veniam petiit: qua impetrata, turbæ commotæ conticuerunt: idque aſſecutus eſt Prætor ejuſmodi ſeveritatis aſſidue edendis exemplis; ut ſolum ipſius nomen tam in urbe quam in tota ditione perditorum hominum audaciam à maleficiis contineret.

Rebus domeſticis bellicarum gloria reſpondit: primo enim præturæ anno Pandulfus Cardinalis Pontificis ad Piſanos & Genuenſes Legatus, quaternis ex primariis utriuſque populi civibus Ericem coactis, de pace componenda agere inſtituit: extracta eſt res aſtu Piſanorum, Bonifacii recuperationem occultis conſiliis molientium, atque in aliud tempus dilata. Piſanique rati, Genuenſium diligentia inſtitutis de pace conſiliis conſopita, omnia ſe Bonifacii ſoluta & neglecta offenſuros, copias opido admovent: ceterum cum non fefelliſſent, Gennenſes Prætore ipſo præfecto, validam claſſem, quam conſilia Piſanorum odorati armare ceperant, eum magno bellatorum numero Bonifacium mittunt: cujus appropinquantis ſola fama obſidionem ſolvit: Piſanique in propinquam Sardiniam ſe receperunt: quam eadem inſulam Prætor inchoatum ſecundarum rerum curſum perſequens illico petit; Callarimque urbem appulſus, ac ne ibi quidem Piſanos adeptus copias in terram exponit, Gulielmo Marchione invito, qui per ea tempora, ut liberiore dominatu in præfectura Callaritana uteretur, à Genuenſibus ad Piſanos defecerat: complura prælia Prætor ſemper Genuenſibus ſecunda fecit, quamvis Marchio magnum Sardorum & Catalanorum numerum coegiſſet. Tandem cum Genua prævalida copiarum ſupplementa ad Prætorem veniſſent, Marchio quoque Piſanorum ſubſidiis auctus eſſet, ad univerſam dimicationem deventum eſt: in qua Genuenſes victores copiis Marchionis profligatis, Fanum Igiæ capiunt, captumque diripiunt, ac magna ex parte exſeindunt; ſpoliisque onuſti, ac Corſica repetita, & Bonifacio valido præſidio firmato, Genuam ovantes redeunt: quorum diſceſſu cognito, Piſani cum munitiſſima arx Sardiniæ cervicibus imminens quieſcere illos non ſineret, piratis nationis ſuæ undique corrogatis, iterum Bonifacium obſidione cingunt, varioque telorum ac bellicarum machinarum genere magno impetu adoriuntur. Genuenſes, re audita, dum ipſi interea comparant, expeditam navim bellicis apparatibus refertam, Montarione Auria præfecto uno ex aſſidentibus Prætori, Bonifacianis ſubſidio mittunt; qui paullo incautius navigans ab hoſte exceptus eſt: paullo poſt conſecuta eſt Genuenſium claſſis decem & ſeptem triremium; quam duxit Anſaldus Guaracus, unus ipſe quoque ex aſſidentibus Prætori. Guaracos Palavicinos poſtea factos dicunt: is cum Bonifacium incolumis appuliſſet, ejus adventu perculſi Piſani, tabernaculis propere detenſis, machiniſque, quas vexerant, prædæ relictis, trepidodiſceſſu ſeſe in Sardiniam recipiunt; decemque & novem triremibus raptim coactis reverſi proras in prælium dirigunt. Genuenſibus non detrectantibus concurſum eſt: iſque exitus prælii magno certamine accenſi fuit, ut Genuenſes tres, Piſam unam tantummodo triremem amiſerint. Ad maritimas expeditiones terreſtres labores acceſſerunt: Marchionis enim Gavii itinera latrociniis & excurſionibus infeſta faciebant: qui, elitellariis Genuenſium multis magnam vim mercium vehentibus captis, arce Teſtaroli communita ſe incluſerunt: adverſus eos Prætor cum urbanis copiis profectus, ablatis rebus recuperatis, arcem à Marchionibus & à Palodii incolis in cacumine collis Carroſii ædificatam diruit.

Turbatæ quoque res ſunt inſequenti anno ejus ſæculi nonageſimo octavo; in quo Prætor fuit Albertus Mandelius Mediolanenſis, nullis collegis additis, in agro Lunenſi ab incolis opidi Vezani nonnullique aliis ditioni Genuenſi ſubjunctis populis, qui per cauſſam ſolutionis ſtipendiorum extractæ à Genuenſibus ad Piſanos defecerunt; opidumque & arcem portus Veneris terra & mari circumſederunt: moxque ſpe, qua venerant, fruſtrati diſceſſerunt; cum prævalida terreſtria ac maritima ſubſidia Genua miſſa appuliſſent: quos abeuntes Genuenſes inſecuti fuderunt, ac fugarunt; magna illorum edita ſtrage, atque veſignia expugnata, ac non exiguo captivorum numero Genuam ducto: quibus cladibus fracti Vernazenſes, & reliqui, venia ſuppliciter petita, in gratiam recepti ſunt. Par exitus Taxariæ fuit à Prætore expugnatæ, Ocronenſibus Gennenſium hoſtibus invitis, ac ſolo æquatæ, Dertonenſibuſque ad impenſam à Genuenſibus factam perſolvendam coactis, cui acceſſit expugnatio arcis Palodii. Ac ne maritimis quidem expeditionibus caruit hic annus, octo triremibus Gulielmo Tornello præfecto armatis: qui ad littora urbis Panhormi octo triremes Recuperi acerrimi piratæ improviſo deprehenſas, ipſumque Recuperum cepit, quem victus precibus Conſtantiæ Frederici uxoris, unaque triremes captas cum Genuenſibus, qui à Conſtantia captivi tenebantur, commutavit.

Neque inſequens annus XCIX. vacuus omnino expeditionibus fuit; qui Prætorem habuit Beltramum Chriſtianum Papienſem, ex illi additis collegis: armatæ enim ſunt octo triremes ad tutelam commerciorum, quibus præfuit Ubertus Marocellus, qui ingentem Piſanorum onerariam in portu Callaritano cepit: quattuor item triremes ac duæ corbitæ in Piſanos, Provinciam Narbonenſem latrociniis infeſtam facientes, emiſſæ ſunt, Simone Camilla præfecto: ejus opera neque ſegnis neque pœnitenda fuit, arce in inſulis Stœcadibus capta & diruta, compluribuſque Genuenſibus, qui ines captivi adfervabantur, liberatis. Defecerunt eo anno (qui mos creber illis fuit) Intemelii: copiis igitur eo miſſis, duos circiter menſes illorum urbs terra ac mari obſeſſa eſt nullo eum fructu; obſidione nonnullorum culpa ac ſcelere ſoluta.

Inſequenti anno, qui duodecimi ſæculi Chriſtianæ ſalutis poſtremus fuit, Orlandino Malaprecio cive Lucenſi Prætore ſine collegis; in cujus paullo poſt demortui locum ſucceſſit Gulielmus Henricus, qui ejus vicarius fuerat, navis Buccanigra in ſinu Tunetano tres Piſanorum naves raro virtutis ac fortitudinis exemplo cepit, captaſque mercibus & armis onuſtas Genuam duxit. Legatus hoc anno

A.C. 1198.

A.C. 1199.

A.C. 1200.

noeſt ad Sultanum Memphiticum Fulcò Caſtellius, redimendorum captivorum cauſſa: miſſaque pretioſa munera à Sultano quidem accepta ſunt; ceterum captivi haudquaquam redditi.

A. C. 1201. Primus annus tertii decimi ſæculi Conſules habuit: ſevere animadverſum eſt in maleficos; quorum magnus numerus ereverat, quietemque civitatis turbabant. Intemelique, qui adverſus pacta triremem armarant, tribus triremibus contra illos miſſis, metu mali compulſi ſunt nudis pedibus, ac cruces geſtantes ſuppliciter veniam petere, atque in imperia jurare: octo quoque triremes ad tutelam commerciorum, Nicolao Auria præfecto, emiſſæ ſunt; qui pacem cum Siculo regno firmavit; nonnullumque auri & argenti pondus in ærarium intulit. Inſigne eſt ad declarandum, quam longe commercia & negotiationem natio noſtra illis temporibus extenderet: complura jura eximia à Leone Rege Armeniæ impetrata; facultate Genuenſibus facta facræ ædis, publici domicilii, fori in urbibus Siſio, Marlinistra, Tharſo, obtinendi.

A. C. 1202. Secundo anno Jufredotto Graſtello Mediolanenſi Prætore, cui quattuor collegæ in conſilio additi ſunt, arx & opidum Gavium de veteribus Marchionibus Alberto, Gulielmo, Renato emptum eſt; Marchionibus civitate donatis.

A. C. 1203. 1204. Qui inſequuntur, tertius & quartus annus, eundem Jufredottum, quattuor illi in conſilio aſſidentibus, Prætorem habuerunt; cujus opera multiplex ac probata fuit: nam inter Ingaunos & vallis Arocæ incolas inter ſe diſſidentes pax & concordia conciliata eſt, Arocianis in ditionem acceptis, qua de cauſſa Prætor Albiugaunum ſe contulerat: qui Genuam revertens, ac per urbem Saonam iter faciens cum civem quendam Saonenſem obæratum comprehendi & in carcerem duci juſſiſſet, quidamque hominis affinis unum ex apparitoribus interfeciſſet; audaciam graviter punivit Prætor, ædibus obærati ac nonnullorum criminis conſortium ſolo æquans, & civitate Saonenſi pecunia mulctata: eadem ſeveritas adhibita eſt erga incolas opidorum Scrianæ, ac Tabiæ: qui apparitores nonnullos Judicis à Prætore quotundam exſulum Saonenſium piraticam facientium cauſſa Nicæam miſſos, quo ſeſe illi receperunt, interfecerant.

Ceterum majoris molis majoriſque publicæ utilitatis fuit, diſcordias inter complures primarias civitatis familias acribus odiis diſſidentes, ac ferro & ſanguine per varias occaſiones exercitas, tollere, gratia inter gentes à Volta & à Curte, inter Auritas & Porcellos, inter Leccavelas & Caſſicios conciliata, præpoſito & Archidiacono principis Eccleſiæ adhibitis: qui viri vſtute & prudentia conſpecti Othonem Epiſcopum Bobienſem evocatum in Bonifacii Archiepiſcopi Genuenſis demortui locum ſufficerunt: quod negotium illis à publico civitatis conſilio, & à ſacro ordine, more Majorum, delegatum eſt.

Per ea tempora Latini Principes, ejectis Græcis, Conſtantinopolitanum Imperium invaſerant, Venetis ſociis: quorum navis complures reliquias captas, (cum ne ſacris quidem parceretur) quæ illis in partem obvenerant, Venetias vehens à Genuenſi cive Dondedeo Bo cum duabus triremibus ſuis per ea maria commeante capta eſt, qui reliquias inventas Reipublicæ donavit.

A. C. 1204. Ultimo anno Jufredotti Prætoris, qui fuit ejus ſæculi quartus, ſolo æquatæ ſunt duæ arces ab incolis vallium Arociæ & Oneliæ ædificatæ, tumultuſque ab illis excitati compreſſi, ipſique pecuniis mulctati.

Per ea tempora odia inter Piſanos & Genuenſes numquam exſtincta latrociniis potius, quam juſti belli ſpecie exercebantur; mutuiſque damnis ſeſe utraque natio carpere, ac commercia & navigationem inter ſe infeſtam facere non deſiſtebat, nullis memorabili re geſta, præter Recuperum clariſſimi nominis ea ætate Piſanom piratam ab Ugone Caſſaro Genuenſi in prælio interfectum; cum ſingulis triremibus concurriſſent.

Hoc eodem anno clara res à Genuenſibus geſta eſt. Morte Henrici, ac Friderico ſucceſſore abſente, ætateque ad res regendas nondum adulta, neglectæ & ſolutæ erant Siculæ res: ea occaſione arrepta, Piſani per eandem ſpeciem piratarum, ut Rempublicam exſortem culpæ conſervarent, urbem Syracuſas, quam olim Ahenobarbus Genuenſibus dono ac fiduciariam dederat, occuparunt, non prophano modo populo, ſed ſacro quoque ordine cum Epiſcopo urbe exacto: hi maria latrociniis ſuis, non Genuenſibus modo, ſed omnibus, quicumque in illos inciderent, infeſta faciebant. Eos Genuenſes pio & juſto bello perſequi decreverant, multiplicem ſpeciem juris præferentes, tum quod rem donatam pro jure ſuo vindicarent, tum quod adverſus perpetuos hoſtes ſuos, cum quibus aſſiduum bellum vigeret, irent; tum etiam quod arma adverſus piratas & latrones umquam injuſta ſunt: igitur cum complures naves, variis de cauſſis, per omnia Orientalia littora, non magis ad negotiationem inſtructas, quam ad bellum quoque, ſi res poſceret, armatas ſparſas haberent, virum ſi renuum & experientem Alamanum Coſtam ad eas cogendas, ac cum illis Syracuſas perendas cum navi omnibus telis inſtructiſſima, delecta fortium bellatorum manu in illam impoſita, mittunt: qui, navi Piſanorum omnibus bellicis apparatibus affatim inſtructa in itinere obviam facta, poſt diuturnum & cruentum prælium capta, inſtitutum iter perſequens in Cretam appulit; magnaque felicitate factum eſt, ut ibi ingentem numerum Genuenſium navium invenerit: quas in patriam revertentes ex multis Orientis regnis, caſus in eundem locum conglobarat, quæ quattuor rectores, quos Conſules appellabant, ſibi ipſæ præfecerant, Lambertum Turnarium, Belmuſtum Lercarium, Ogerium ab Inſulis, alterumque Belmuſtum Lercarium juniorem: quibuscum mandata publica expoſuiſſet; illi haud retractanter dicto audientes fuerunt, eodem Alamano Duce accepto.

Conſilia atque arma cum Genuenſibus Henricus Piſcator Comes Maleæ conſociavit, veteri amicitia cum illis conjunctus, idemque Piſanorum recentibus latrociniis irritatus: elaſſe igitur Syracuſas appulſa, navique Piſanorum in oculis Renati Comitis Syracuſanis ſubſidio à Piſanis miſſi depreſſa, copiiſque in terram expoſitis, urbem circumſident, adoriunturque; quam ſeptem dierum oppugnatione tandem captam præſidio valido firmant, Epiſcopoque & ſacro ordine in ſuas ſedes reſtituto, eodemque Alamano Comite creato, urbeque illi fiduciaria data, iter Genuam dirigunt, poſtumque ovantes ſubeunt. Lætitiam felicium ſucceſſuum turbarunt quattuor naves nondum mercibus exoneratis ab atroci ſubita exorta tempeſtate in ipſo portu depreſſæ: damnum ab undis non minore ab igne cumulatum eſt, multis ædificiis fortuito incendio abſumptis.

Sub exitum præturæ, quæ multipliciter utilis foit, tumultuatum nonnihil eſt, cum complures nobiles familiæ arma in Prætorem ipſum ſumpſiſſent, offenſæ cæde filii Joannis Balbi nobilis hominis, ab apparitoribus per errorem interfecti, nocturnis tenebris proſpectum adimentibus: adverſus quorum impetum Prætor populum armavit: ulteriuſque res proceſſiſſet: ceterum compluribus bonis & quietis amantibus civibus, ad hoc ſacro ordine ſeſe interponentibus, res pacatæ ſunt, nobilibus familiis, quæ tumultum commoverant, in gratiam & in obedientiam Prætoris receptis. Eo anno nonnulla ditionis Genuenſis opida iv. triremes negotiationis &

mercium suarum in Siciliam subvehendarum causſa instruxerunt: quibus publice dux addita eſt triremis ex urbe emiſſa, Genuenſi civi præfecto.

A.C. 1205. Inſequentis anni ejus ſæculi quinćti Prætor inuſitato exemplo eivis Genuenſis fuit Fuleo Caſtellius, quattuor additis collegis. Non ſervandi moris cauſſam fuiſſe puto nimiam gentis potentiam magno intervallo ceteras, quæ opibus tum pollebant, antecedentem, & immodicam hominis ambitionem: quæ, quietis publicæ cauſſa, hoc honoris gradu conſopienda fuit.

Non minus quam ſuperior bellicoſus fuit hic annus; reſque inter Genuenſes & Piſanos à latrociniis ad juſtum bellum venerat: quamquam ne illa quidem umquam intermiſſa ſunt, ut nihil utrique populo toto mari Mediterraneo, omnibuſque Europæ, Aſiæ, Africæ littoribus, quæ navigatione & commereiis ſuis utraque natio ea ætate late complećtebatur, tuti aut pacati eſſet. Piſani, omnibus curis in Syracuſas receuperandas verſis, eadem ſocietate Renati Manentis Comitis, ac nonnullorum Etruriæ populorum uſi; claſſe duodecim triremium ac decem corbitarum, compluriumque varii generis ac hominis minorum navigiorum inſtructa, & in Siciliam miſſa, copiaſque in terram expoſitis, Syracuſas terra ac mari circumſident: qua fama Genuam perlata, comparari diligenter ceeptum eſt: ceterum propius ac eelerius auxilium ſuit ab Henrico Malcæ Comite latum: cujus omnia ſinceræ ac conſtantis fidei, ſingularisque benevolentiæ in populum Genuenſem officia perpetuo conſtiterunt; forti atque impigra ei ubique navata opera: is igitur Piſanorum in Siciliam adventus exortior ſactus, è veſtigio quattuor triremibus armatis cum magna auri vi ſeſe Meſſanam confert: in quam urbem complures Genuenſium naves, partim corbitæ, partim longæ, privatorum commerciorum cauſſa, ultro citroque commeantes, magnumque civium Genuenſium numerum vehentes, congregatæ erant: qui omnes privata negotiatione in præſentia omiſſa, opem Syracuſis ferendam conſtituunt: ſummo igitur imperio ad Comitem delato, navibuſque ad bellum armatis, ac validis copiis firmatis, iter Syracuſas dirigunt: quibus appropinquantibus, Piſani nihil retrećtantes ſeſe ad navalem pugnam comparant, claſſeque Genuenſi ad ſe tendente proeul in altum conſpećta, proras in pugnam dirigunt: idem faciunt Genuenſes antennis ſublatis, armamentiſque compoſitis: concurſum eſt aeri ac vehementi prælio: quod cruentum & diuturnum fuit, veteribus odiis, multiſque ac magnis injuriarum & contumeliarum cauſſis, ad hoc æmula virtute certamen accendentibus. Victoria tandem penes Genuenſes fuit; claſſe hoſtili capta, præter quinque triremes, quæ auxiliares Longobardas copias vehebant: neque interea Alamanus, qui urbi præſidebat, ſegne tempus triverat, qui Piſanorum rem ad iniqua inclinatam ex mœnibus eernens, urbe erumpens terreſtres copias claſſis caſu peſeulſas ac conſternatas magno impetu invadit; eaſque profligatas ſpoliat; ac caſtra defenſoribus vacua diripit: atque ita obſidio Syracuſarum, quæ tres menſes & dimidium duravit, ſoluta eſt. Hujus victoriæ nuncio aceepto, Nicolaus Mallonius & Gulielmus Niger, qui ſubſidio miſſi eum tredecim triremibus, in quibus fuerunt triremes tres ab urbibus Albintemelio, Saona, Naulo, ex fœdere ſingulæ contributæ, itinere retroverſo in ſua redierunt.

Aeer & bellicoſus vir Henricus Comes fuit, qui eodem anno egregias res adverſus Venetos ac Turcas geſſit; Tripoliſque Comiti laboranti ſuppetias tulit: qui cum in ope ferenda delećtam Genuenſium manum ſeeum habuiſſet, quorum opera nec ſegnis neque inutilis fuit; Tripolitanus beneficium grato animo proſecutus, eximia jura nationi Genuenſi Antiochiæ, Tripoli, & tota Syria olim impartita, ceterum vetuſtate obſoleta renovavit, vetigalium & portoriorum immunitate donata, ſimul cum faeultate ſacræ ædis, fori, plateæ poſſidendæ.

Inſequens annus ejus ſæculi ſextus, qui Prætorem exterum habuit Joannem Struſium, per uſita latrocinia inter duos populos traductus eſt: inſigniores expeditiones inſequentis ſeptimi anni fuerunt: quo, Prætore omiſſo, regimen ad Conſules rediit: qui, bello cum Piſanis vigente, omnem operam omnemque cogitationem in quammaximum triremium numerum fabricandum contulerunt; peeuniis ea de cauſſa mutuis corrogatis: cum igitur auditum eſſet, claſſem Piſanorum, quæ fuit octo triremium ac decem corbitarum, in Sardiniam appulſam ad res in ea inſula novandas; è veſtigio eo miſſus eſt Nicolaus Auria eum pari corbitarum numero, ac totidem triremibus. Re cognita, Piſani haud ſanum conſilium rati, cum hoſtili claſſe numero ſuperiore fortunam pugnæ tentare, ſeſe in Callaritanum portum, quæ urbs in ipſorum partibus tum erat, recipiunt, valloque oſtium obſtruunt, quæ res irritos Auriæ conatus fecit; cum modo pervenire, modo ignem claſſi injeere tentaſſet. At Piſani ſuis, qui erant in Sardinia, timentes, decem & ſeptem triremes extemplo laborantibus ſubmittunt: idem faciunt Genuenſes novo motu Piſanorum cognito; ſupplemento quattuordeeim triremium, quod Fuleo Caſtellius unus ex Conſulibus duxit, miſſo: ceterum cum Piſanorum ſubſidium eelerius, quam Genuenſium ſuiſſet; Auria, hoſte appropinquante, metu ne medius eircumſiſteretur, illieo inecpto omiſſo diſceſſit, quem atrox tempeſtas adora claſſem disjeeit, duæque naves à claſſe ſeparatæ Biſicia & Stelleta, in hoſtilem claſſem, quæ ſubſidio veniebat, incidentes à Piſanis captæ ſunt.

Inſequens annus ejus ſæculi octavus in legationes & conſilia agitanda magna ex parte inſumptus eſt, Guliclmo Spinula uno ex Conſulibus Oratore à Sultano Memphitico ultro evocato, collegarum aſſenſu, miſſo; & Nicolao Mallonio atque Henrico Deriſalvio ad Regem Maroci legatis; qui pacem in duos annos cum illo firmarunt, & Abbatibus Tilieto & Gorgonii ſeſe interponentibus, conſilia de pace cum Piſanis inſtituta ſunt: quæ ut magni momiuis & diuturnioris temporis res cum ſubito componi non poſſet, omne arbitrium & judicium ad venerabiles viros, de utriuſque populi voluntate, rejećtum eſt, induciis interea inter utrumque pactis.

Hoc anno & inſequentibus duobus, qui annos consulares fuerunt, ſemina diſcordiarum & bellorum inter Venetos & Genuenſes primum jacta ſunt; quæ animo compreſſa numquam in apertum bellum eo tempore eruperunt: cum etiam opera & auctoritate Romani Pontificis nonnullis poſtannis, ut ſuo loco ſeribemus, plane ſublata eſſent: cauſſæ tales fuerunt. Venit Genuam hoc anno Arnaldus Balduinus Henrici Comitis Malcæ filiuscum duabus triremibus, miſſus à parente opem à Genuenſibus petente adverſus Venetos, quibus ille inſulam Cretam ademerat. Genuenſes, qui hominiſ tam multipliciter bene merito omnia ſumma ſtudia deberent, in officio haud retrećtanter fuerunt; Comitemque navibus tam eorbitis, quam longis, viris, armis, equis, annona, bellicis apparatibus, pecunia juverunt: quibus auxiliis fultus Comes Venetos in inſula Creta acie vicit; Reginto Dandulo illorum exercitus Duce capto: ejus corpus paullo poſt fato funći cum tres triremes à Comite conceſſum Venetias honorifice veherent, triremes captæ ſunt à tribus triremibus Benvenuti Alamani Coſtæ Comitis Syracuſani filii. Tribus poſt annis ipſemet Henricus eadem cauſſa ſuppetiarum adverſus

fus Venetos petendarum Genuam venit. Genuenſes, Oratoribus prius Venetias miſſis, ſumma omnia fecerunt, ut pacem inter diſſidentes conciliarent: cujus cum nullam mentionem Veneti graviter offenſi auribus admiterent; iidem Genuenſes cum veteri amico ac tot in rebus fideli experto deeſſe non poſſent, prævalidum præſidium octo triremium, unius triremis majoris formæ, triom corbitarum omnibus neceſſariis rebus affatim inſtructarum, ad hoc centum equitum cataphractorum, magna addita annonæ copia, magnaque telorum & bellicorum apparatuom omnis generis vi, ingenti pecuniarum impenſa in eas res comparandas facta, quæ mutuæ fide publica ſumptæ ſunt, vectigalibus publicis ea de cauſſa oppigneratis, mittunt: his acceſſit fœdum exemplum in civem Genuenſem Leonem Ventranum præfectum ſubſidii in Cretam miſſi à Venetis ira in Genuenſes ardentibus editum, quem cum ſubſidio interceptum Corcyræ ſuſpendio necarunt. Hæc jacta ſunt inter Venetos & Genuenſes odiorum & diſſidiorum ſemina. Nunc ad Piſanas res redeo.

Abbates, quos modo nominavimus, cauſſis diſcordiarum & controverſiis diligenter cognitis, judicium tandem tulerunt; Legatiſque utriuſque populi Ericem convocatis, pacem compoſuerunt ab utriſque haud retractanter acceptam, cujus fides apud Piſanos floxa ac parum ſtabilis fuit per uſitatum artificium piratarum infracta, quorum quinque triremes totidemque corbitæ nonnullas Genuenſium naves privatæ negotiationis cauſſa navigantes, nihil tale ſuſpicantes, ceperunt: & quamquam una à duodecim triremibus Genuenſibus ea de cauſſa armatis, ut commercia Ægypti & Syriæ, quæ tum frequentiſſima erant, à piratarum latrociniis tuta facerent, recuperata eſt; tamen Conſules eadem arte hoſtes ludificandos cenſentes, auctores fuerunt Uberto Caſtaneæ & Ugolino Levanto, duas corbitas ac parem triremium numerum armandi: qui eadem ſpecie piraticam facientium, ac conſiliorum à publico civitatis decreto ſeparatorum abutentes, Piſana commercia ipſi quoque quantis plurimis poſſent damnis continenter carperent: quos annona, ac commeatibus, pecuniaque juverunt. Hi portu exeuntes, totoque mari circumvolitantes, brevi non minora detrimenta Piſanis reddiderunt; compluribus illorum navigiis captu. Ceterum brevi, omiſſis ſimulationibus, Piſani animos nudarunt; cum duodecim enim triremibus ad inſulam Portus Veneris furtim appulſi vaſtare agrum cœperunt. Re ſubita & nec opinata commoti Portusvenerenſes, Vernatienſibus finitimis ſibi adjunctis, lembis ac cimbis, quarum magnum numerum in littus ſubductum perpetuo habebant, raptim deductis, per freti anguſtias in inſulam à Piſanis non conſpecti trajiciunt; eoſque nec opinantes adorti primo impetu fundunt, atque in naves compellunt, nonnullis eorum captis, in quibus fuit ipſe claſſis præfectus Tegrinus: quem Guilelmus Scotus (hos Scotos, ſunt qui ad Salvagos, quique ad Centuriones poſtea tranſiiſſe affirment) Genuenſis civis, areis Portusvenerenſis præfectus, cum Lanfranco fratre, qui à Piſanis captivus tenebatur, commutavit. Graviter factum Scoti tulerunt Conſules; qui publico injuſſu de rebus publicis pravo exemplo ſtatuere auſus eſſet: exſilio igitur hominem mulctarunt, ejus ædibus tanquam perduellionis rei complanatis. Ceterum, eum primo nuncio Piſanorum adventus accepto civitas, opidanis Liguſticis adjuvantibus, quadraginta triremes armaſſet; mox cognito Piſanorum diſceſſu, in ſua quiſque reverſi ſunt. Interpoſuit auctoritatem ſuam in res pacandas Otho Cæſar; atque utrumque populum ad biennales inducias adegit, compluribus utriuſque populi captivis in cuſtodiam tamquam obſidibus datis: qui negligenter adſervati, brevi carceribus fractis, evaſerunt.

Ad Piſanorum continentes moleſtias (tamquam ipſæ parum civitatem exercerent) acceſſerant per ea tempora Maſſilienſium & ceterorum Provinciæ Narbonenſis incolarum piratieam facientium excurſiones: quæ haud exiguum negotium ipſæ quoque exhibebant, prædas navium & mercatorum ultro citroque commeantium agentes. Reddita illis damna ſunt; multis eorum navigiis captis à quattuor triremibus ac totidem corbitis adverſus illos armatis; alteris quoque quattuor paullo poſt è portu emiſſis, Guilelmo Embriaco præfecto.

Poſtremo anno trium horum Conſulatuum, Orator miſſus eſt ad Maſſemutum in Africæ ora regnantem, ad amicitiam cum illo ſanciendam, Laofrancus Turca. Aucta eſt Reſpublica, per horum trium annorum curriculum, dimidia parte opidi Vernatiæ, ab Henrico Ponſono, ob multa accepta beneficia Genuenſibus obſtricto, donata, ac parte quoque opidorum Uvadæ, Roſſilionis Tagioli eadem beneficiorum cauſſa ab Othone Boſchi Marchione donata.

Inſequenti anno ejus ſæculi undecimo ad peregrinum Prætorem reditum eſt: qui fuit Renatus Cotta Mediolanenſis civis, octo additis collegis: quo anno Maſſilienſes, haud parem ſibi contentionem cum Genuenſi populo eſſe intelligentes, decem Oratores ex primoribus civitatis Genuam miſerunt, qui civitatem purgantes, cum docuiſſent facinora à piratis publico injuſſu admiſſa, pacem in unum & viginti annos impetrarunt. Non tamen moleſtiis is annus omnino caruit, à Guilelmo & Corrado Marchionibus Malaſpinis exbiberi cœptis; ægre ferentibus opidum Crovariam ab illius Domino Beghino Genuenſibus venditum: cum etiam Albertus olim Gavii Marchio, cui uſusfructus certi vectigalis relictus fuerat, Prætori dicto audiens non fuiſſet. Adverſus Malaſpinas ducenti cataphracti equites decreti ſunt; Albertus vectigali privatus eſt, & ad decennales carceres damnatus. A. C. 1212.

Inſequenti anno ejus ſæculi duodecimo repetitus eſt mos Conſulum eligendorum, Prætore omiſſo; primumque opus fuit, pax cum Marchionibus Malaſpinis inita; qui, nonnulla pecuniæ ſumma accepta, omni jure ſuo in opido Crovaria Reipublicæ ceſſerunt; atque in fidem populi Genuenſis jurejurando ſanctam venerunt. Nonnihil quietem publicam Nicææ Liguſtici opidi incolæ, excurſionibus ſuis ipſi quoque turbabant: ad eorum motus compeſcendos novem triremes, ternæ ſinguli tribus menſibus armatæ ſunt. A. C. 1213.

Eo anno Fridericus Henrici Cæſaris filius Siciliæ Rex Genuam venit, omni honorum genere exceptus; ſumptibus illi tribus menſibus, quibus Genuæ commoratus eſt, ample præbitis: induciæ quoque eo anno cum Piſanis in quinquennium prorogatæ ſunt; in quas quingeni utriuſque populi primores cives jurarunt. Semina, ut ſuperius ſcripſimus, diſcordiarum inter Venetos & Genuenſes jacta erant: gliſcebatque in dies malum, cum mutuis ſe damnis carpere cœpiſſent: quæ res ſollicitos Conſules habebat, intelligentes quam periculoſum eſſet civitati, ſi res, finitimo ac viſceribus hærente Piſano aſſidue premente, tanta inſuper noviæ præpotentis boſtis mole aggravarentur: omni igitur ratione ſimultatum cauſſas præcidendas rati, Lanfrancum Rubeum & Ubertum Spinulam Oratores Venetias miſerunt: qui inducias triennales pepigerunt, pacemque inter Venetos & Comitem Maleæ compoſuerunt.

Res ab Annalibus tradita nullo modo nobis omittenda ſoit; ſeptem circiter millia mortalium capita omnis ætatis & ſexus, puero quodam Germano,

Nicolao nomine, Duce, Genuam veniſſe, ſuperſtitioſa quadam opinione illos agente, mari brevi exſiccato, pervium ſolum fore Syriam ac loca ſacra pedibus petenti: exonerata eſt protinus civitas, Conſulum juſſu prægravante incondita multitudine.

A.C. 1213. Nihil memorabile habet inſequens annus ejus ſæculi tertius decimus, præter navim Genuenſem ab Aragonio Rege, contra fidem pacis, captam; cum, Uberto à Volta Oratore ad eum miſſo, homines tantummodo reſtituiſſet, mercibus retentis; atque Epiſcopatum Ingaunorum Genuenſi Archiepiſcopo ab Alexandro tertio ſubjunctum; ingenſque incendium in urbe exortum, quo complura ædificia conflagrarunt.

A.C. 1214. Inſequens quoque annus ejus ſæculi quartus decimus totus inſumptus eſt in vectigalia publica vitio temporum lapſa, & corrupta reſtituenda & emendanda; ſalubri lege modo publicanorum avaritiæ impoſito; decreteque ne vectigalium locationes plus annuæ eſſent: aucta quoque eo anno ditio eſt, cum Otho Carretus Genuam veniſſet, atque adverſus beneficia accepta gratus, ſeſe atque opida ſua in ditionem & fidem populi Genuenſis tradidiſſet: quæ eadem à Genuenſibus fiduciaria accepit, jurejurando fiduciæ dato.

A.C. 1215. Munitus eſt inſequenti anno ejus ſæculi quinto decimo collis Monoeci, quem Henricus Genuenſibus donarat; quatruor turrium arce ædificata à Fulcone Caſtellio, nonnullique civibus ea de cauſſa à Conſulibus eo miſſis. Eo anno Corradus Malaſpina, fide data ac jurejurando violato, (ut iis, qui populis dominantur, nihil regni firmandi & augendi libido religioſum facit) incolis opidi Caſſanæ ſociis, fines Brugnatenſis Epiſcopi ingreſſus, Colleque Rotundo prope vicum Cellaſeum occupato, arcem iri eo ædificare aggreſſus eſt: deſtitit incepto à Genuenſibus repulſus, maritimis & terreſtribus copiis ab urbe profectis, quæ Levantum uſque opidum perrexerunt, arcemque & opidum Bozolum ceperunt: qua munita ac præſidio firmata, Genuam reverterunt: eo anno Veneti, Anconitani, Piſani, Provinciales Narbonenſes, conſiliis conjunctis Conſtantinopoli, duabus triremibus ac totidem corbitis armatis Siciliam petierunt, compluraque navigia Genuenſium ceperunt.

Externis moleſtiis gravius ac propius civitati fuit otium urbanum à Guidone Poleſino & Carbone Marcello audacibus & inquieti ingenii hominibus turbatum: qui armatorum manu corrogata, tumultuque excitato, Herodem à Mari fub exitum hujus anni extra pomerium adorti ſunt: compreſſæ ſunt turbæ à Magiſtratu; auctoreſque exſilio mulctati, illorumque ædes complanatæ: quæ tum fere erat turbulentorum hominum pœna.

Eo anno Innocentius tertius, quo Pontifice nemo multis ante & poſt ſæculis doctrina, morum ſanctitate, meritis in Eccleſiam, rebuſque magnis geſtis clarior fuit, Concilium univerſæ Eccleſiæ Romæ habuit: quo nullum umquam frequentius fuiſſe legitur: convenerunt enim in urbem Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus Patriarchæ, ſeptuaginta Archiepiſcopi, quadringenti duodecim Epiſcopi, Abbates & Priores octingenti, Oratores utriuſque Cæſaris, ac Regum Hieroſolymorum, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Cypri, ceterorumque Chriſtianorum Principum: in quibus adfuit Otho Archiepiſcopus noſter, & Emanuel Auria unus ex Conſulibus, civitatis Orator.

Prolatum eſt eo anno imperium; Nicæa urbe à Mirobando præſide, & Antepelicano Epiſcopo in fidem & ditionem populi Genuenſis tradita; jurejurandoque in verba dato, quod Reipublicæ nomine Ubertus Spinula acceperat; qui arcem in urbe ab Aragonenſibus ædificatam, ſumma populi voluntate, diſjecit: deſcendiſſe ad hoc conſilium dicuntur

A Nicæenſes; ut ſeſe prævalido propinquo auxilio communirent adverſus Aragonenſes, impotentisilorum dominatus pertæſi: jura quoque Reipublicæ in regno Armeniæ à Leonc Rege confirmata & amplificata ſunt, Henrico Ferrario à Genuenſibus Oratore ea de cauſſa miſſo: in quibus inſigne fuit liberum forum, liberaque juriſdictio inter ipſos permiſſa; ut mirandum ſit, unum eundemque Genuenſem populum nihil unquam in alienis regnis cupidius expetiſſe ac retinuiſſe libera juriſdictione; quem eandem ſibi tam facile in urbe ipſe ſua abjudicaret, alienigenis judicibus ultro ac crebro accerſitis, ac ſibi ſponte præfectis: qui mos inſequenti anno ejus
B ſæculi ſexto decimo primum in urbem inductus eſt, A.C. 1216. in quo, Conſulibus, qui foro præeſſent, creari deſitis, juriſdictio quinque peregrinis Juriſconſultis mandata eſt, atque inter illos ita partita, non ut conjunctı pro collegio univerſæ juriſdictioni præeſſent, ſed ut ſinguli urbis regionibus ſibi cuique attributis jus ſeparatim dicerent: ac, ſi quisſuperiora civitatis noſtræ, quæque adhuc ſcripſimus, memoria & cogitatione repetat, invenıet, regimen civitatis, quod initio inde facto, cum Cæſariani Comites repudiati ſunt, eſſe liberum cœpit, uſque ad annum ſuperioris ſæculi nonageſimum, per trecentorum circiter annorum ſpatium, tam in Republica procuranda, quam in juriſdictione exercenda,
C unoac perpetuo, numquamque variato, tenore, penes Conſules Genuenſes cives, nulla peregrinitate incivitatem introducta, fuiſſe: anno, quem diximus, regimen multipliciter variare cœpiſſe, peregrinis Prætoribus vocatis ad rixarum & diſſidiorum vias ambitioni civium obſpiendas, procuratione Reipublicæ, quæ cauſſa diſcordiarum erat, illis tradita, eaque varia; modo illis ſolis regentibus, modo collegio civium Genuenſium illisaddito, modoqueillos accerſendo, modo ad Conſules redcundo; cum tamen juriſdictio ab alteris Conſulibus Genuenſibus
D retineretur: qua ipſa quæque hoc anno Genuenſes, ad nimiam malorum eligendæ, ſibi ipſi ablata, peregrinis Judicibus ceſſerunt, civibus male & flagitioſe illa utentibus; dum illi in judiciis faciendis potius ſtudia partium ſequuntur, vel potentiorum gratiæ ſerviunt, quam veritatem & æquitatem bonorum & religioſorum Judicum retinent: qui mos hoc primum anno inductus, ad noſtra uſque tempora numquam intermiſſus perductus eſt; cum forma procurationis Reipublicæ ac ſummi imperii tot mutationes acceperit, ut is uſus regiminis variandi atque à cive ad externum tranſeundi, rurſuſque ab externo ad civem redeundi, in nullo populo frequentior aut crebrior umquam fuerit.

E Anno, qui ſequitur ejus ſæculi decimus ſeptimus, A.C. 1217. intermiſſus peregrinus Prætor reſumptus eſt, qui fuit Ubertus Rocafolius Papienſis civis: inſignis eſt hic annus pace inter Genuenſes & Piſanos tandem compoſita, Honorio Romano Pontifice auctore; conditionibus pacis in ipſius Pontificis arbitrium rejectis, cujus omnes curæ in ſacrum bellum verſæ erant, ea de cauſſa Ugolino Epiſcopo Oſtienſi Senatus principe ad utrumque populum legato, quo hortante, mille utriuſque civitatis primores cives in pacem jurarunt, Raimundo à Volta & Nicolao Barbavaro Oratoribus Piſas miſſis ad jusjurandum exigendum; cum ad eandem rem duo Piſanorum Legati Genuam veniſſent Scorza Lupus, Aldrovandus
F Suavicus: miſſique ad Pontificem ſunt ab utraque civitate bini Oratores: fueruntque Genuenſes longe civitatis primarii Fuleo Caſtellius & Ubertus Spinula: quibus Pontifex, re plane cognita, conditiones præſcripſit; paecmque gravi pœna, pro jure ſacroſanctæ poteſtatis, in violatores pronuntiata, ſanxivit: miſſus eſt eo anno in Sardiniam Legatus, qui vectigal debitum à præfecto judicatus Turritani exigeret. Cumulabantur in dies alia ſuper

per aliam, inter Genuenſes & Venetos, ſimulratum cauſſæ, Alamano Coſta Comite Syracuſarum, Genuenſium fiduciario, littora Cretæ inſulæ cum corbita & duabus triremibus prætervehente, à Venetis capto.

Ceterum cum à bello ſacris expeditionibus minime apto uterque populus abhorreret; conſilia de pace pridem inſtituta tandem inſequenti anno ejus A.C. 1218. ſæculi decimo octavo, qui Prætorem habuit Rambertinum Bovarellum Guidonis filium Bononienſem civem, ad effectum perducta ſunt in urbe Parma: quo utriuſque civitatis Legati convenerunt: inter quos pax in decennium firmata eſt: pax quoque cum Dertonenſibus finium cauſſa diſſidentibus pridem inita, ab iiſdem Legatis renovata & confirmata eſt.

Coquebantur per ea tempora à Chriſtianis Principibus conſilia de ſacra expeditione: qua de cauſſa complures Proceres ultro citroque commeabant; in quibus fuit Henricus Malteæ Comes, veteri amicitia & ſocietate ſincera fide mutuo culta, cum Genuenſibus conjunctus: qui Genuam venit ad Fridericum in Germaniam iter habens: redienſque diploma à Friderico impetratum civitati reddidit; in quo Genuenſes omni vectigali, & tributo, omnique generi onerum ordinariorum & extraordinariorum in regno Siciliæ eximebantur: inſtructa triremis eſt, qua homo in ſua revectus eſt. Ceterum in ſacram expeditionem uſitata Genuenſis pietatis officia conſtiterunt; non modo claſſe in Syriam miſſa, ſed Oratoribus quoque ad ardorem Tranſalpinorum Principum incitandum legatis, qui fuerunt Guilielmus Embriacus & Lanfrancus Rubeus.

Cum civitatis exiſtimatione & opibus in dies creſcentibus, ditio quoque & imperium augebatur: eo enim anno Marchiones Malaſpinæ & Intemelii ſeſe in fidem Genuenſis populi tradiderunt; atque in imperia urbem regentium jurarunt: idem quoque fecerunt incolæ Capriatæ opido fiduciario jurejurando Genuenſibus ſubjecto: quam deditionem ſequenti anno ejus ſæculi decimo nono in- A.C. 1219. dem Intemelii confirmarunt; cum Prætor idem, qui ſuperiore anno, cum quatuor triremibus ad eos acceſſiſſet, omniſque populus in ædem beatæ Mariæ congregatus Zacariæ Caſtellio, Uberto Galletæ, Emanueli Auriæ, Uberto Spinulæ, Jacobo Piccamilio, Genuenſium Legatis urbem ſubjunxit: ceterum illis præſenti Prætoris metu liberatis ſuum ingenium illico redit, fide promiſſorum violata: armis igitur compeſcendos mobiles animos cum decretum eſſet, corrogata pedeſtria auxilia ſunt à Corrado & Opicione Marchionibus Malaſpinis, Othone & Henrico Marchionibus Carrettanis, Bonifacio Marchione Claveſianæ, ac filio Guilielmi Marchionis Cevæ: qui omnes in officio fuerunt: igitur Prætor quingentis cataphractis equitibus, magnoque peditum numero coactis, tribuſque triremibus ac nonnullis navigiis inſtructis & armatis, magna Procerum & inſignia nobilitatis virorum caterva comitante, terreſtribus & navalibus copiis Albintemelium petit: ſatis habuit in præſentia fines Intemeliorum late pervaſtaſſe, rebus urbanis ejus reditum poſcentibus: triremibus igitur & ceteris navigiis ad obſidionem urbis relictis, Genuam revertitur, conſilius ita diſpoſitis, ut, ſi Intemelii interea reſipiſcerent, laboribus belli & impenſis pecuniarum parceret; ſi in veſania perſeverarent, tum vero illos majoribus viribus inſequenti anno repeteret: at Intemelius diſceſſu exercitus periculo liberatis, pro eo, ut erratum agnoſcentes ad ſanitatem redirent, tantum animi & audaciæ fuit, ut etiam res Genuenſium, nonnullis expeditis navigiis emiſſis, vexare non dubitarent, parvis ſubinde damnis eos carpentes, prædaſque navium & mercium agentes; quæ tamen à triremibus, quæ ſæpe adverſus illos mittebantur, illis reddebantur: audaciaque hominum impunitate alebatur; Genuenſibus majore cura ſacræ expeditionis & rerum Syriacarum implicitis: qui eo anno decem triremes ſubſidio Chriſtianis Damiatam obſidentibus miſerunt: quibus, ſimulque Genuenſibus terra militantibus, quorum haud exiguus in ea obſidione numerus fuit, præfuerunt Joannes Rubeus à Volta & Petrus Auria: quæ ea urbs tandem expugnata eſt inſequenti anno ejus A. C. ſæculi vigeſimo; in quo idem, qui ſuperioribus duo- 1220. bus annis, Prætor fuit Rambertinus, imperio ob laudatum regimen bis prorogato; cui in conſilio octo cives, more Majorum, additi ſunt: ejus expugnationis Pontificis Legatus Genuenſes per epiſtolam ſuam certiores fecit in hanc ſententiam ſcriptam: *Non ut vos leti eventus Damiata expugnata participes faceremus, Genuenſes, quam rem multorum literis & nunciis, ac fama ipſa ad vos perlatam puto, has ad vos literas dedi; ſed ut gratias, quantas maximas animus meus capere poteſt, vobis cum Pontificis, tum totius exercitus, qui in Syria Chriſto Domino militat, nomine agerem, ob prævalidum a vobis nobis, rebuſque Chriſtianis laborantibus ſubmiſſum hominum & navium ſubſidium: quod eum per ſe ipſum gratum fuit: tum vero oppertunitate ipſa in primis acceptum: eo enim tempore appulit, cum Chriſtianus exercitus labore & tadio diuturna obſidionis, cum parva fructus ſpe, deſpondere animos cæperat: qui claſſis veſtra tanquam cælo demiſſa adventu refectus eſt, atque ad inſtitutos labores urgendos renovatus: ſummum igitur hoc beneficium Damiata expugnata Chriſtianum nomen vobis ac virtuti & pietati veſtræ debet: qui hoc paternum & avitum dediſtis: qua merita cum in hac vita homines remunerari obſtrictiſſimi ſunt, tum verò longe ampliora præmia in ſempiterna illa ac beata a Deo conſtituta vos manent.*

Durabat interea bellum cum Intemeliis, neque maritima obſidione à pravo conſilio deduci poterant: miſſus eſt igitur Prætor ad Fanum Romuli Ubertus Advocatus, qui eos terra quoque urgeret; cum per idem tempus amplius quadraginta capita de illorum popularibus caprafuiſſent, & Genuam dacta, carceribuſque incluſa: ad hoc Emanuel alter ex Comitibus Albintemelii ad ſtipendia Genuenſium, fratre inconſulto, Prætoris opera tranſiſſet: malis igitur fracti Intemelii, Abbate divi Andreæ & Raimundo Judice cive Intemelio, cujus familia, conſilius à reliquorum inſania ſeparatis, amicitiam fidemque populo Genuenſi debitam conſtanti perſeverantia perpetuo coluerat, operam ſuam interponentibus; de pace & reconciliatione agere cœperunt: ſeque cupidos ſub obedientiam redeundi oſtenderunt: repulſi ſunt, fimulata fide agere deprehenſi, ad ingenium redituri, ſimul atque laxata obſidio foret: hoc bellum haud levibus impendiis Reipublicæ ſtetit; neceſſitate impoſita quinis quibuſque oræ Liguſticæ incolis aut ſtipendium unius militis numerandi, aut militem dandi.

Acceſſit hoc anno ad Fridericum Cæſarem, Romam diadematis à Pontifice accipiendi cauſſa petentem, ab illo evocatus Prætor, cum egregia nobilium civium caterva: qui Cæſarem ab urbe Mutina ad Forum uſque Cornelii deduxerunt, porroque ire pergere recuſarunt, per cauſſam, quod id ſibi non liceret, publici conſilii injuſſu, ingrato animo Cæſaris & à civitate noſtra alieno offenſi, à quo nihil æqui impetraſſent; quamquam Epiſcopus Metenſis primum ſcribæ locum (qui honos amplißimus eſt) obtinens, ac gratia & auctoritate apud Cæſarem in primis valens, acres ſuas partes interponeret, cum magna animi in Genuenſes propenſi ſignificatione, donis large ab illis cultus.

Longe acerbior inſequenti anno, quo Lotorin- A. C. gus Martinengus Brixianus civis civitati præfuit, 1221. octo civibus aſſidentibus, idem Cæſar ſunt: qui non modo nihil poſtulatorum à Sorleone Pipere & U-

berto Novaria Oratoribus ad illum miſſis fecit: ſed quæ jura in regno Siciliæ obtinebant perpetuo uſurpata, illis ademit, neceſſitate adactis ad onera & tributa ſolvenda; ad hoc Alamano Coſta Comite Genuenſium amico & fiduciario Syracuſis exacto, domoque publica à Margarito Meſſanæ illis donata ablata.

Interea civitatis curæ à ceteris negociis vacuæ omnes in bellum Intemelium collatæ ſuut: quod multos jam annos finitimam Liguſticam oram inſeſtam faciens, ac ſegniter & per dilationes atque intermiſſiones geſtum, majore conatu acrioreque perſeverantia ſibi capeſſendum Genuenſes ſtatuunt; cum Intemelii non ſuis dumtaxat viribus ſtarent, tantæ in ſe populi Genuenſis incumbenti moli haudquaquam per ſe ipſi pares; ſed propinqua ſocietate Comitis Provinciæ Narbon. magnæ potentiæ, magnarum opum Principis niterentur: qui rationibus ſuis minime aptum ratus Genuenſes finitimos ſupra modum creſcere, bellum hoc illorum viſceribus hærens alebat: igitur Prætor trecentis cataphractis equitibus ſcriptis: ad hoc magnis copiis tam ex ditioni ſubjunctis hominibus, quam ab amicis & fœderatis Proceribus coactis, Fanum Romuli contendit, eamque ſibi ſedem legit, ex qua, quæ belli uſus poſtularet, ex propinquo adminiſtraret: ea re cognita Comes, metu ne Intemelii per timorem & laborum tædium aliquid mollius conſulerent, ad eorum animos confirmandos ſe ipſe Albintemelium confert: perculit animum Prætoris ſubitus ac nec opinatus ejus Principis adventus: ceterum, cum ille perexiguas copias adduxiſſet, de conſilii ſententia rem extrahere decrevit, ſperans Comitem tædio victum brevi diſceſſurum, quod & factum eſt: nam Comes ditionis ſuæ rebus multis de cauſſis ipſius præſentiam poſcentibus (ut ſua cuique propiora ſunt) brevi clam diſceſſit, Gulielmo Corrignano quodam cum exiguo præſidio Albintemelii relicto: qui non ſatis adverſus Genuenſium intentam vim muuitus, brevi, ſibi conſulens ipſe quoque, diſceſſit: quod idem per varias occaſiones fecerunt complures ex iis, qui cum illo relicti fuerant: qua deceſſione non tamen Intemeliorum animi ita conciderunt, ut pertinaciæ finem facerent, acrem animi vim in ſeſe defendendo adhibentes: qui, dum Prætor terreſtres ac maritimas copias urbi admovet, audaci eruptione facta, nonnullam hominum ſtragem ediderunt; in qua undecim cives Genuenſes ceciderunt: itaardens Prætur captivos Intemelios, qui Genuæ adſervabantur, ad exercitum ductos produci in conſpectum civitatis, ac pronuntiari jubet, niſi urbs ſibi octo proximis diebus tradatur, ſeſe captivis oculos effoſſurum: eo metu injecto Intemelii periculum imminens aſtu diſcutere aggreſſi ſunt: pœnitentiam enim admiſſorum ſimulantes, nouuullos ſpectatæ probitatis viros ſubmittunt, qui iram Prætoris placare ſtudeant; trecentique ex Intemeliis ſeſe in poteſtate Prætoris futuros atque imperata facturos jurant, clavibus urbis ultro traditis: ceterum inſequenti die, cum Prætor nonnullos miſiſſet, qui arcis Appiæ nuncupatæ poſſeſſionem caperent, atque à reliquis jusjurandum exigerent, Intemelii recentis jurisjurandi fide & religione eluſa, non modo nihil promiſſorum feceruut, ſed miſſos homines compreheudere conati ſunt, ut eo pignore Prætorem ab animadvertendo in ſuos deterrerent: propeque factum eſt, ut aſtus effectum haberet: ceterum qui miſſi fuerunt, à nonnullis gratiam Genuenſium captantibus clam moniti; urbe propere excedentes paratas inſidias vitaruut. Hominum perfidia irritatus Prætor undecim ex captivis oculos illico effodi jubet: in Intemelioſque undique urgendos multimoda opera diſtineri cœpit: nam primum foſſa magnæ latitudinis & altitudinis circiter duu paſſuum millia ducta, in eam magnam partem fluminis mœnia urbis præterfluentis derivavit: quæ res perincommoda obſeſ-

A ſis, ac perutilis obſidentibus fuit; complureſque machinas bellicas ac tormenta ſtatuit, ex quibus ingentis magnitudinis ſaxa in urbem intorquebantur: ad hoc duo caſtella in cacumine collis, quem ſancti Chriſtophori vocant, nimis imminentis excitavit: ſauces quoque fluvii, navi glareæ & ſaxorum plena demerſa, muroque interius ducto, obſtruere aggreſſus eſt; quodque mirum legentibus videri poſſit, in inferiori planitie prope littus, alteram urbem turribus ac mœnibus cinctam, exiguo temporis curriculo opere approperato, ne nocturna quidem quiete à labore data excitavit: quibus munitionibus Sorleonem Piperem cum duobus armatorum millibus præfecit:
B brevique Intemelios in eas anguſtias adduxit, itaque omnia illis arta fecit; ut multi fame macerati, urbe & avitis ſedibus relictis, ad genua Prætoris & Genuenſium advoluti ſupplices veniam petierint; atque in novam urbem incolendam conceſſerint; ex qua ſtudiis cum Genuenſibus conjunctis veterem urbem oppugnabant: ad quod conſilium ceteri extrema neceſſitate ſubacti deſcenderuut: id Judices (quæ gens in fide erga populum Genuenſem perſancte ac perpetuo culta manſerat) ſponte initio obſidionis fecerant: at Prætor, cum Intemeliorum animi nihil tot malis flecterentur, agro omnibus belli cladibus late vaſtato urbeque aretibus & munimentis circumvallata, claſſe
C maritima ad obſidionem relicta, exercitu dimiſſo Genuam rediit; ſperans Intemelios neceſſitatibus victos tandem caſuros: cujus diſceſſu Gulielmus unus ex Marchionibus Albintemelii Emanuelis frater, animis ſumptis, contra fidem datam, ac jurejurandu violato (quæ perpetua dommantibus diſciplina eſt) à Genuenſium amicitia ad Albintemelios tranſivit, Prætor ab illis creatus.

Ingens eo anno, ac mutuarum offenſionum plena controverſia inter ſacrarum & prophanarum rerum capita, inuſitato ad eum diem exemplo, orta eſt, à tali initio inductam: cum Prætor in incolas Fani Romuli pro uonnullis in Rempublicam admiſſis animadvertere decreviſſet, Rubaldum Helium, Decurione illi addito, eo miſit, qui ſontes puuiret; illorumque agros in primis vaſtaret, ac boua diriperet; quod vocati ad cauſſam dicendam imperium neglexiſſent: eam rem moveri ſentiens Otbu Archiepiſcopus, ſacram juriſdictionem lædi juraque Eccleſiæ imminui putans, cum illud opidum tamquam à divo Syro Eccleſiæ Genuenſi partum pro ſuo jure ſibi tum vindicaret Archiepiſcopi, itinere raptim facto adventum prophani judicis auteverit; incoliſque ditionis Genuenſis, pro jure ſacræ poteſtatis, imperat, ne quis opidanos Fani Romuli violet, illorumve res attingat; gravem pœnam comminatus ſacris interdicendi, piorumque cœtu abigendi, ſi quis adverſus edictum dicere, facereve audeat: qua religione mentibus hominum injecta, Judex ac Decurio re infecta Genuam redierunt. Exarſit Prætor in Archiepiſcopum; iraque & indignatione amens ædes ipſas Archiepiſcopi, ac res illius invaſit, edixitque, ne quis illi vectigalia & tributa debita penderet. Hoc unum exemplum in civitate noſtra editum eſt in ſacros Antiſtites, illorumque res: in reliquis gloriari licet, nullam umquam civitatem Eccleſiæ obedientiorem, ac dicto paſtorum magis audientem fuiſſe; illorumque majeſtatem magis pie coluiſſe; atque à ſacris rebus cupiditatem ac manus abſtinuiſſe: reddita tamen Archiepiſcopo ſunt ablata inſequenti annu ejus ſæculi viceſimo altero, Spino Soreſina Prætore; ac ſimul jura, quæ tam in maritimis quam in terreſtribus rebus poſſidebat, per judicium latum ab Epiſcopo Parmenſi, & Abbate Tilieti judicibus à Pontifice datis: ab illiſque Archiepiſcopus Genuam deductus eſt, & in ſuas ſedes reſtitutus; controverſia de Fani Romuli & Mulaſanæ dominatu à judicibus Pontificiis ſuſpenſa; atque in eodem ſtatu, in quo prius fuerat, relicta.

A.C. 1222.

At

At Intemelii ad extrema atque ad ſummam ſolitudinem adducti, aſſiduiſque malis, atque aliis ſuper aliis cumulatis damnis confecti, cum præſertim nuper quædam illorum navis ad littora opidi Corneti à triremi Portuſvenerenſium in terram acta, ac littori illiſa, magna pars vectorum, qui erant ex civitatis primariis, capta eſſet, ac Genuam adducta, neceſſitatibus ſubacti finem tandem pertinaciæ fecerunt: ſupplicesque, Legatis Genuam miſſis, miſericordiam imploraruntſeſe urbem tradere, ac de impenſis à Genuenſibus in bellum factis, quantum tenuibus atque attritis opibus ſuis conniti poſſent, ſatisfacere paratos dicentes. Data venia eſt, utilitate publica iræ prævalente: magiſque honorificum viſum, urbem ſervare, quam evertere; ipſique in ditionem accepti ſunt, ac Prætor ad res ſtabiliendas, poſſeſſionemque traditæ urbis Reipublicæ firmandam, Albintemelium ſe contulit: duabuſque arcibus, altera in cacumine Appu montis, altera in editiſſimo urbis loco, ædificatis, quarum alteri Marinus Bulgarus & Guilelmus Savinionus, alteri Ugolinus Bocucius & Otho à Myrto cum octeno utrique armatorum præſidio præfecti ſunt; novæque urbis mœnibus, Intemelis efflagitantibus, dejectis, rebuſque conſtitutis, Sorleone Pipere Prætore urbi dato, Genuam reverſus eſt.

Eo anno in Syria ingentes turbæ inter Piſanos & Genuenſes excitatæ ſunt; ſeri prælio in urbe Ptolemaide, quam recentiores Aconem appellarunt, inter eos commiſſo: cujus cauſſa cum nulla ab Annalibus tradatur, quam aliam nos divinare poſſimus, quam alto animo inſidentia odia, ac perpetuam æmulationem, quæ inter ſe infenſos populos per omnem quamvis levem occaſionem armaret? Cum inferiores in pugna eſſent Piſani; periculum, cui ſeſe aperta virtute eximere poſſe diffiderent, conſilio improbandi exempli diſcuſſerunt: ignem enim tectis Genuenſium injecerunt; Genuenſibuſque ad exortum incendium exſtinguendum averſis, ſpatium datum eſt Piſanis urbe excedendi: eo incendio turris Genuenſium præcelſa atque ampla conflagravit. At Piſani copiis Hieroſolymitani Regis in Piſanam nationem magis propendentis fulti, paullo poſt reverſi ingentia damna Genuenſibus intulerunt. Ceterum cum turbæ tandem conticuiſſent; ac Piſani per judicium ad damna Genuenſibus data reficienda damnati eſſent: ac tametſi tamen Genuenſes jus ſuum obtinere potuiſſent; Berytum conceſſerunt: in quam urbem Genuenſium commercia ab Acone averſa ſunt, non prius reſtituenda, quam de injuriis & damnis ſatisfactum eſſet.

Ac ne civitas quidem ipſa eo anno turbarum expers fuit: quas Caſtellii (qua gente nulla eo tempore inquietior fuit, ac propter exſuperantem potentiam æqualis juris cum ceteris minus patiens) principes excitarunt, cum Balbis contendentes; ac familia Camilla, & Belmuſta, ipſæ quoque opibus validæ, inter ſe capitali odio diſſidentes. Conſopiti ſunt exorientes motus prudentia & ſedula diligentia Prætoris. Sed ne ora quidem Liguſtica turbis & motibus intacta fuit: eum Dianenſes ope Intemeliorum ſubnixi opidi Cervi incolas invaſiſſent; ac Saonenſes fines Naulenſium infeſtis armis vexare aggreſſi eſſent. Compreſſi hi quoque motus ejuſdem Prætoris virtute & conſilio ſunt: qui turbarum auctores haud paſſus eſt audaciam impunitam ferre; Saonenſibus, Intemelis, Dianenſibus pecunia multatis: quibus meritis aſſecutus eſt, ut ei in ſequentem annum ejus ſæculi vicesimum tertium imperium
A. C. 1223. prorogatum ſit: qui annus ab externis & domeſticis motibus vacuus, totus per legationes ad Saracenos & Africanos Reges miſſas, ad pacem & amicitiam cum illis ſanciendam, & res Genuenſes in illis regnis ſtabiliendas, traductus eſt: fuitque is annus Reipublicæ perutilis atque honorificus; compluribus opidis ditioni adjunctis, partim de veteribus Dominis emptis, partim populis ſeſe ultro in ditionem Genuenſium tradentibus.

At inſequens annus vicesimus quartus ejus ſæculi A. C. belliioſus fuit, Anſaldo Bononia Prætore, collegis 1224. nobilibus civibus illi de more additis: nam maritimi hoſtes, qui civitatem, gentemque noſtram continenter in armis habebant, non modo aperto bello ac viribus duntaxat ſuis nos ac res noſtras petentes, ſed per cunicules quoque oppugnantes, ipſius Liguriæ populos cum ingenio mobiles, tum jugi haud ſatis patientes, ad hoc accolas Proceres, qui civitatis in dies creſcentem potentiam ſibi exitioſam horrebant, auxiliorum ſuorum ſpe ad deficiendum incitabant: cum interea civilia quoque odia ac diſcordiæ ſubinde diligentia regentium compreſſæ, ac ſæpe erumpentes, haud parum civitatem concuterent, ac publicam quietem turbarent: ad hoc igitur incommoda, terreſtria quoque bella acceſſerunt. Longobardi enim populi haud ſatis æquis oculis adſpicientes nimis in dies civitatis noſtræ convaleſcentes propinquas opes, animoque iniquo ferentes, Genuenſes, jugis Apennini jam tranſcenſis, novaque opida quotidie ſibi adjungentes, imperium in plana Longobardiæ extendere cœpiſſe, arma Genuenſibus intulerunt: principes moverunt idem, qui propiores periculo erant, Alexandrini; occaſione minimæ rei arrepta, nec ſatis dignæ tanto conſiliorum apparatu. Capriatam enim & Arquatam haud obſcura opida, quæ nuper in imperium Genuenſium ceſſerant, ſua ſibi vindicantes, armis repetere aggreſſi ſunt, æquitatem judicii à Genuenſibus oblatam recuſantes. Primum opus fuit, caſtellum Peretum furto tentare; ceterum, cum non fefelliſſent, cum damno & dedecore repulſi ſunt: igitur, cum inſidiæ non ſucceſſiſſent, ad apertum bellum verſi; Dertonenſibus ac Mediolanenſibus ſibi fœdere adjunctis; haud exiguis coactis copiis, arma ipſi opido Capriatæ inferunt: quo fruſtra ipſo quoque tentato, agro late vaſtato, non minus irrito incepto, in ſua revertuntur. Quibus injuriis commotus Prætor, non ſatis è publica dignitate eſſe cenſens, hoſtem repuliſſe, niſi animum quoque ipſum laceſſendi indicaſſet, urbanis copiis peditum & equitum armatis, Gavium ditionis Genuenſis opidum contendit: fineſque Alexandrinos infeſto exercitu ingreſſus, Montaldellum opidum, haud irrito eventu, aggreditur: quo capto, atque in ipſis Alexandrinorum oculis diruto, majoribuſque damnis, quam quæ Genuenſes acceperant, illis redditis, Genuam revertitur. Ceterum Alexandrini, Prætoris diſceſſu animis reſumptis, ſuis & fœderatorum copiis Taſſarollo admotis, captoque opido ac incenſo, eladem acceptam ulti ſunt: armiſque Arquatam tranſlatis, opidum tormentis ac bellicis machinis excitatis, oppugnare inſtituunt: ceterum brevi inceptum turpiter omittere coacti ſunt: cum audiſſent Prætorem Genua cum copiis motum Vultabium uſque opidum perrexiſſe. Impenſarum in illud bellum factarum ſumma, certa tributa rebus tam mobilibus quam immobilibus impoſita ſunt, præter ordinarium onus equos & arma conferendi capitibus injunctum.

Majore motu, majoreque apparatu inſequentian- A. C.
no ejus ſæculi xxv. cujus Prætor fuit Brancaleo Bo- 1225.
nonia Anſaldi ſuperioris anni Prætoris filius, octo Nobilibus de more illi in conſilio aſſidentibus, bellum repetitum eſt. Initium motuum fuit, conſilium Gavii opidi hoſti prodendi a Petro Bono illius opidi longe principe cum Alexandrinis & Dertonenſibus initum: cujus hominis tam ſtabilem in ſe & in Rempublicam fidem Genuenſes rebantur, ut cuſtodiam opidi & claves illi crederent: fruſtrata homines ſpes eſt, cum non fefelliſſent, à valido Genuenſium præſidio ac cuſtodia invigilante repulſos.

Ce-

Ceterum longe infeliciore exitu res hostium Genuenſes tentarunt; quamquam læta initia fuerunt: nam, cum Ubertus Advocatus rebus Genuenſibus tres jugæ præſidens, ac Petrus Ventus Prætor, Capriatæ copiis, quas Reſpublica in illis locis tum alebat, in quibus erant centum eqoites cataphracti, coactis, fines Dertonenſes ingreſſi opidum Præcipianum expugnaſſent; redeuntes cum magna hominum & pecudum præda in inſidias præciptarunt: ſuſique, viginti ſeptem equitibus, quorum magna pars cives Genuenſes fuerunt, & quadringentis peditibus amiſſis, ipſi cum reliquis ſeſe Gavium receperunt. Nuncius cladis ira Genuenſium accendit: Prætorque, quamquam erat adverſa valetudine, itineri ſe dedit: quo noctu ac prælocentibus tædis raptim facto, Gavium pervenit; opidumque ac cetera Genuenſium loca præſidiis firmat. At Alexandrini & Dertonenſes, felici ſucceſſu animis ſublatis; infeſto exercitu fines Haſtenſes, quæ urbs cum Genuenſi populo fœdere ac ſocietate conjuncta erat, ingreſſi, arma circumferentes illorum opida oppugnare cœperunt.

Interea omnes tam Genuenſium quam fœderatorum copiæ ad Prætorem convenerant; quæ fuerunt, præter peditatum, amplius mille ducenti cataphracti equites, in quibus egregia ala ducentorum cataphractorum equitum, qui ſinguli ternos equos ducebant duobus vicariis ad pugnam armatis inſeſſos; quam Thomas Comes Sabaudius miſit, à Genuenſibus ſtipendio ſexdecim menſtruarum librarum in ſingulos equites conductam: cum ſtipendia præfectorum quinquaginta libræ eſſent, ipſeqoe Comes ſtipendium centum menſtruarum marcarum argenti acciperet, qui ſontica cauſſa retentus adeſſe, ut convenerat, non potuit. Adfuit quoque cum egregia quinquaginta cataphractorum ternos equos ducentium ala Lotaringus Martinengus Brixianus, qui Prætor Genuenſium fuerat; amore, quo Genuenſem populum proſequebatur, tractus, honoreſque ſibi Genuæ habitos hac grati animi ſignificatione ſponte remuneratus. Adfuerunt præterea Comites Lavaniæ, Comites Albintemelii fiduciarii agri Lunenſis, Otho & Henricus Marchiones Carrettani, Otho Marchio Clavellanæ, Marchiones Cevæ, Gulielmus Marchio Boſci, complureſque alii accolæ Proceres, ac primariæ Nobilitatis viri populorum dominatu inſignes. Igitur Prætor periculo Haſtenſium fœderatorum motus, prævalidum trecentorum cataphractorum equitum cum nonnullorum peditum baliſtariorum manu ſubſidium, Ugolino equite ac Prætoris collega, & Petro Vento atque Uberto Advocato Ducibus, illis haud cunctanter mittit: quo Haſtenſium animi reſtituti ſunt; quoque non modo urbem ab impetu hoſtium tutatus eſt, & illorum excurſiones repreſſit, ſed haud exiguis quoque cladibus hoſtem affecit, fines Albanos ingreſſus, ac late populatus, cum ſæpe excurſionibus ſuis ad ipſa urbis mœnia terrorem belli conferret. Ceterum inſtitutum curſum gerendarum rerum ac procedentium conſiliorum mors Prætoris interrupit, morbo laboribuſque belli ac vigiliis & curis conſumpti. Vir ſtrenuus atque impiger fuit; rebus invigilans, nullis in providendo & agendo ſeduli ac ſapientis rectoris partibus umquam prætermiſſis. Ejus morte ſublati hoſtes, ducentiſque Mediolanenſibus equitibus aucti, ex opido Serravalle, quo convenerant, ſeſe ad Arquatam petendam comparabant: ceterum tumidam hominum orationem Genuenſes factis ſtatim retuderuot; qui, Sigenecllo uno ex Judicibus à Prætore adductis in demortui locum ſuffecto viro impigro & experienti, magnam exercitus partem Merlo Caſtellio, Ugone Grimaldo Ducibus ad Montanarium Dertonenſium opidum tentandum miſerunt, haud irrito incepto, machinis enim bellicis erectis, opidum, quamquam ecliſo & arduo loco ſitum, tormentis verberatum decem octo dierum ſpatio ad neceſſariam deditionem, ipſo hoſtili exercitu ex propinquo inſpectante, compulerunt. Quo ſucceſſu hoſtes fracti, bello omiſſo, multifariam diſſipati, in ſua quiſque reverſi ſunt, magna parte agri Alexandrini, dum exercitus ad Gavium ſoit, incendiis, ruinis, direptionibus, ceteriſque belli cladibus à Genuenſibus late pervaſtata.

Quibus rebus confectis, Genuenſes menſe Auguſto in urbem reverſi, in demortui Prætoris locum Ugolinum Madomnæ Damæ Bononienſem, in quinque, qui ſupererant, menſes ſuffecerunt: quo eodem menſe, Gulielmus Mallonius & Fridericus Grillus duo ex Prætoris aſſidentibus, ad ſtipendia copiis, quæ trans juga ordinariæ alebantur, numeranda profecti, in itinere, cum ſecum ducentos equites ducerent, opidum Boſcum aggreſſi, magnam hominum & pecudum prædam egerunt: ad idem munus, duobus poſt menſibus, Jacobus Piccamilius unus ex octo aſſidentibus Genua profectus, prope factum eſt, ut in inſidias ab Alexandrinis paratas incideret: diſcuſſum periculum eſt ab Uberto Advocato Prætore Gavii; qui, hoſtium conſilio cognito, firma armatorum manu ſecum rapta, inſidiantes, cum diluceſcere inciperet, adortus fudit, quinquaginta illorum captis, qui vincti Genuam miſſi carceribus incluſi ſunt.

Sequitur annus ejus ſæculi vigeſimus ſextus; quo A. C. 1126. Prætor fuit Pecorarius à Mercato novo Veronenſis, defectione Saonenſium & Ingaunorum inſignis, magniſque verborum certaminibus jactatus. Occaſionem duo hi populi arripuerunt conventuum, quos eo anno Fridericus Cæſar Cremonæ habuit: ad quos magna vis Italorum Antiſtitum, ac Procerum, Oraturumque civitarum Cæſarianas partes ſequentium convenerunt: ſpes illis injecta eſt ex voluntate Cæſaris, quam à Genuenſibus abhorrere fama ferebat: alebat eam ſpem Thomas Comes Sabaudius, Vicarius & Legatus rerum Italicarum à Cæſare creatus; qui ſeſe illis apud Cæſarem adſuturum promiſit, atque omnibus auctoritatis & gratiæ nervis pro illis connixurum, illorumque patrocinium & tutelam adverſus Genuenſium arma ſuſcepturum. Hac ſpe inducti Saonenſes & Ingauni, conventum obedientiæ jusjurandum dare PrætoriGenuenſi petenti recuſarunt: ſe ſequc ac civitates ſuas ceteris urbibus Sabaudii procurationi ſubjunctis contribuerunt, totam Liguriam Occidentalem ad idem conſilium ſequendum auctoritate ſua ſeſe attractoros magnifica & rumida oratione polliciti, quin etiam veſtigal ſalis, quo nullum opulentius eſſet, ad illum à Genuenſibus averſuros. Mutuis igitur promiſſis animis utriuſque inſtatis; illorum Oratores ab Henrico Marchione Carrettano conſiliorum participe ad Cæſarem introducti ejuſmodi oratione uſi traduntur: *Si in nobis imperio tuo nos ac civitates noſtras ultroſubjicientibus, ac Sabaudium tuum Italiæ Vicarium & Legatum rectorem adſciſcentibus, accipiendis, eaque deditione, auctoritate tua comprobanda, & rata habenda, non multo major res tua, Cæſar, quam noſtra ageretur; eſſet tamen æquitatis & fidei tuæ, ſacro imperio ſubjunctas urbes, illiuſque majeſtatem pie colentes, ab injuriis prohibere; nec pati, ab una aliqua civitate, quæ plus viribus poſſit, reliquas civitates, quæ pari & eodem jure erga ſacrum Imperium ſunt, ſervitio injuſto premi; quod nunc Genuenſes faciunt, ſuperbum dominatum in nos exercentes; cui nullam juris ſpecrem prætexere poſſunt. Tradiderunt ſe quidem illorum fidem patres, ac majores noſtri; ſe ſperantes, ſeſe ad exterorum impetus tutiores fore: verum permagno hac tutela illorum poſteritati ſtetit: quam Genuenſes ad dominatus interpretationem revocant, duriſſimo ſervitutis jugo nos prementes: quæ ſervitus cum per ſe ac ſemper gravis eſt; tum vero ea, qua liberis populis impera-*

impenditur in primis abominanda, cum quod pro uno plures Dominos habeuds ſuas, qui omnes ſuperbiam, avaritiam, ac reliquas indemitas libidines in miſeros ſubjunctas exercent; tum quod non contenti civitatum ſibi parentium imperio, eas viribus acque opibus exinanire atque enervare maturiarium ſtudent; negotiationem ac mercatoria commercia omnia, per cauſſam conſervandorum portoriorum, à portubus civitatum ſubjunctarum ad ſe avertentes; ac textrinam, & lanificium, ſericificium, quibus plebs alitur, prohibentes: qua re cogitur plebi, paternis ſedibus relicta, in dominam urbem commigrare; omnis alia victus parandi via preciſa: ſic fit, ut civitates ſubjunctae brevi habitatoribus vacuas exſanguesque & enectas pedibus ſuis proculcandas ſubjiciant. Ac nos multa gravia & acerba patienter adhuc tulimus; & paſſuri fortaſſe in poſterum fuimus: ceterum miſerorum Intemeliorum recens eventus nos ſaluti noſtra indormientes tandem experrexit: quos, animum tyrannicum mutantes Genuenſes, omni libertatis ſpecie prorſus adempta, jugo ſuo ſubjecerunt; arcibus in urbe excitatis, præſidio impoſito, jureque creandorum Magiſtratuum abrogato, Prætors ab ipſis miſſo illis ſubjunctis: qui idem caſus ad nos recidiſſet, niſi alieno malo docti animos ad noſtra reſpicienda adjeciſſemus: quamquam quid nos iſta commemoramus? aut cur perſpicuum jus noſtrum iſtis ambagibus controverſum facimus? jugum Genuenſium excuſtimus; neque ſub illo omnino eſſe volumus, quod ſi non liceuiſſe nobis Genuenſes contendant; doceant oportet, quo jure illis obſtricti ſimus; quando, quove tempore, aoſtrarum urbium dominatum illis tradiderimus, quamquam ac hoc quidem ſtabile jus illis in nos faceret: neque enim nulla dedito rata eſſet injuſſu Cæſaris facta; ſub cujus imperio civitates noſtra ſunt: quod ſi major potentia juris vim habet, ſi qui minus poſſunt, potentiori ſervire obſtricti ſunt, ſi nihil inops adverſus opulentiorem relinquitur juris; (hoc enim unum discere Genuenſes poſſunt, quod non magnopere diſſimulant) quid erit jam, quod leges ac Magiſtratus quaramus? aut eus uſus erit Cæſariani Imperii majeſtas? ſi pervacanea jam poſthac eorum tribunalia; ſi, qua intendimus, non jure, non legibus, ſed manu, vi, armis ſunt obtinenda: quid? quod (ut initio propoſuimus) res ſacri Imperii agitur? cujus jura tueri & amplificare obſtrictus es, Cæſar: à quo urbes noſtras abſtrahes, ſi eas Genuenſibus ſubeſſe permittes: neque enim eas tamquam beneficio ſuo ſibi conceſſas ac fiduciarias, ſed tamquam ſuas atque armis partas poſſidebunt: qua res cum per ſe in te & in ſacrum Imperium injurioſa eſt; tum vero rebus, quas ſecum trahit, deteſtanda: potentiam enim, ac ſimul ſuperbiam, & contumaciam Genuenſium auget; illoſque in poſterum minus tibi dicto audientes faciet, majoribus opibus ſaltem, cum præſertim illi (tanta eſt in hominibus ſuperbia) ſeſe re liberos aperto præferant: quamvis quandam juris camera Cæſariana ſpeciem, rem, ut ipſi diſtinxere, inanem, verbis non repudient: pro ſapiente igitur hoc facies, Cæſar, ſi arrogantium hominum ſuperbiam, viribus illis præcidendis, compreſſeris: neque jura Romani Imperii, tot laboribus ac tanto ſanguine parta, negligentia labi ſines: Genuenſeſque, vota Occidentalis ora illis adempta, quam omnium vos auctoritate & exempla noſtre ad te attractura ſumas; velut artiſſimo vinculo conſtrictos, ne oculos poſthac adverſus imperium tuum tollere poſſint, (id quod ſæpe illos feciſſe, tu & Majores tui experti eſtis) obedientiores tibi reddideris; Ligurieque viribus pro tuis uti poteris.

Adverſus ea Genuenſium Legati in hanc ſententiam diſſeruiſſe dicuntur: *Callide, Cæſar, fecerunt Saonenſes & Inganni, qui parum aquitate cauſſa ſua confiſi, tuam, Cæſar, admiſcuerunt; utilitatem tuam ac ſacri Imperii ingerentes, quaſi nulla res apud magnos & celſos Principes utilis eſſe poſſit; qua ab honeſtate ſit ſejuncta: qua utilitate, ex ſua natura alues fingentes, te tranſverſum agi poſſe ſperaverunt: noſtra vero cauſſa veritate in primis & juſtitia nititur; cujus*

longe graviora fore apud te, Cæſar, tanti faſtigii Principem, in quem omnium Chriſtianorum oculi ſunt converſi, quam utilitatis momenta ſperamus: quamquam ne in hoc quidem utilitatis loco commodius Saonenſes & Inganni, quam nos conſiſtent; cum docuerimus nihil immo a rationibus ſacri Imperii alienius eſſe, nihilque illi damnoſius, quam Liguria opida & civitates a nobis abſtractas alius regendas dare: quam rem Majores tui, Cæſar, reputantes, totam Liguriam, quantum à fluvio Varo ad Macram in longitudinem patet, nobis contribuerunt; eamque, quod ad uſum & facultatem parandarum claſſium attinet, dicto nobis audientem eſſe diplomatibus ſuis, qua extant, imperarunt, ſapienter conſiderantes Ligniſticam oram incurſionibus piratarum & Saracenorum expoſitam, ſi eamultas partis diſtracta ſit, qua ſuum quaque conſilium ſeparatum habeant, ſalvam eſſe ad illorum impetus non poſſe: quod ſi in unum corpus conflatur, illius vires communitas non modo ad illam tutandam ſatis potentes, ſed formidoloſas inſuper exteris & Chriſtiani nominis hoſtibus fore: coharere autem inter ſe hanc unius corporis compagem non poſſe, ac cito diſſolvi neceſſe eſſe, niſi illi caput detur, quod cætera membra regat, cuique ipſa pareant: hoc autem caput nullum eſſe aliud poſſe, quam urbem noſtram opibus floreutiſſimam, viribuſque longe ceteras antecellentem, ne ipſe quidem Saonenſes & Inganni, quamquam homines pramortuo pudore ſunt, negaverint: qua vires paullatim ac ſummo labore aſſiduiſque diſcriminibus collecta argumento quoque ſunt majoris virtutis & induſtria, vividioriſque ingenii, ac præſtantioris conſilii: quibus rebus qui prævalent, iis inferiores, natura ipſius jure, parere obſtringuntur: id quod ſapientia profeſſores tradunt; atque id, quod omnibus temporibus & apud omnes gentes uſurpatum eſt; quod ſapiens conſilium uſus rerum magiſter comprobavit: neque enim in Syriacis expeditionibus, & in Mauris Almerienſibus, & Dertuſenſibus domandis, eam amplis ac ſtemis Ligniſticis claſſibus Chriſtianis orbis uti potuiſſet; ſi non ab uno corpore accerſenda, ſed a pluribus membris fuiſſent coroganda, ut omittam Corſicam & Sardiniam inſulas, expulſis Saracenis, illam a Genuenſibus ſolis, hanc ab iiſdem illis Genuenſibus, Piſanis ſocius, Chriſtianæ Eccleſia reſtitutas; Muſſamumque Regem captivum a Genuenſibus Cæſari traditum, ſeſe atque urbes ſuas juris Romani Imperii eſſe, illique ſubjunctas aſſerunt Saonenſes & Inganni: de illorum igitur rebus pro arbitrio tuo statuere potes, Cæſar: quid igitur? in rebus Ligniſticis conſtituendis, duorum ne imbecillium populorum, ac nullis meritis in Reſpublicam commendatorum libidinem ſequi debes, Cæſar; an utilitatem publicam ſpectare? qua utilitas neceſſitatem hanc ſibi unius hujus corporis tacudi, neque illius in plura membra diſtrahendi, exprimit. Neque tu, Cæſar, Oriſmalium oram Genuenſibus ademptam, ac Sabaudio ſubjunctam ad imperium transferi, ſed reſtorem tantum mutas; atque a rerum maritimarum Auxiſtite populo ad earum prorſus ignarum hominem, nullumque in illis uſum prorſus habentem, ab illarumque omnis cogitatione & tractatione, natura & voluntate, & vero (remotibus ſuis & regni ſui ſita ferentibus) remotum, regimen ingens malo publico avertis. Invidioſa vocabula lanificii adempti, ac commerciorum ab eorum portubus avertendorum, ſimulabant Saonenſes & Inganni; etiam, ſi diis placet, futurorum divinatione ad noſtram invidiam abutentes: quæ res ſi ab aliis populis aliquando facta ſunt; eamen numquam fecimus, ac ne cogitavimus quidem: nam, quod caſus Intemeliorum ſe formidare dixerunt; tantum abeſt, ut eos nos hoc metu liberemus, ut contra moneamus; ſi ſimilia atque illi adminiſtrare perrexerint, prava conſilia aque in ipſorum caput recaſura: hominum enim arrogantia & contumacia, quam patientia noſtra diutius aluit, cum ſæpe monitis finem peccandi non faceret, compeſcenda ac vinculis conſtringenda, ne ſe commovere poſſet, tandem fuit: ad eandem neceſſitatem ne nos invitos trahant Saonenſes & Inganni, ſi ſapiant, eavtam:

Jugum quidem nos vestrum illis imponere nunquam studuisse, vel ea sit fides; quod suis illos legibus uti, suos Magistratibus ab ipsis creatis parere permisimus: optime igitur rebus suis consulserint, si nostra facilitate nimium abutendi finem fecerint; ac caverint, ne insania sua sese illo laqueo induant, a quo nos illis imponendo voluntate & ingenio remotissimi semper fuimus.

Iniquus Genuensibus Cæsaris animus nihil veritate caussæ inflexus, Sabaudii, & Saonensium, atque Ingaunorum factum non improbavit; quod tamen illis, nulla spe opis suæ ostensa, suis ipsorum viribus tuendum & defendendum reliquit; quibus rebus Genuæ cognitis, confestim classis quattuor triremium ac complurium varii generis navium comparata, & instructa est; ac Belmusto Vieccomite primo, deinde Amico Stralleria in ejus locum suffecto præfectis, adversus Saonenses & Ingaunos missa; quæ maritima commercia rebellibus urbibus clauderet; nonnullæ quoque naves ad Monœcum & Abintemelium stare jussæ sunt; quæ salem Albingaunum & Saonam subvehi prohiberent: missusque quoque est Signium, quod castellum Saonæ & Naulo interjectum est, Nicolaus à Cruce, cum quinquaginta cataphractis equitibus, qui terra quoque Saonenses urgeret; & Naulensibus, quorum perpetua & constans fides in populum Genuensem exstitit, præsidio esset: ad hoc publicata bona duorum rebellium populorum sunt; ac toto orbe terrarum, ubicumque Genuensium commercia & domicilia essent, prædæ & direptui data.

Ancipiti bello, hinc à Liguribus, qui defecerant, illinc à Longobardis civitati imminente, A.C. 1227. Prætor insequentis anni ejus sæculi vigesimi septimi, qui fuit Lazarus Girardini filius Girardonus Lucensis, magni animi & consilii vir, animos Genuenses titubantes confirmat; atque ad universas copias tam civitatis quam fœderatorum contrahendas hortatur; instantemque à Liguribus domandis faciendum suadet, cum multis ac firmis rationibus docuisset, nihil esse, quod novo hoste Sabaudio tanti nominis Principe frangerentur, aut debilitarentur, qui specie quam re terribilior esset: latis quidem finibus eum Principem imperare, complureisque populos subjectos habere; ceterum bella externa pecunia ali, cujus ipse semper egentissimus fuerit: ad hoc imperium Liguriæ, sterilis & aridi soli Provinciæ, non fructu suo, quem exiguum ferat, ab exteris Principibus expeti; sed opportunitatibus ab iis tantum quæri, quorum consilia res maritimas spectent: à qua cogitatione Sabaudium mediterraneum hominem longe remotum esse, ut nihil sit, quod in rem nulli fructui, nullique sibi futuram usum hominum & pecuniarum impensas faciat; accepisse quidem illum in ditionem Saonenses & Ingaunos sese ultro tradentes: qua in re nihil damni facere: ceterum eos eadem facilitate, qua acceperit, desertum: cumque intellexerit, Genuensibus ipsum acri bello petentibus, obstinateque in illo à necessitate ipsa perseverare coactis, susceptam rem majoris impendii ac laboris quam operæ pretii esse, inceptum omissurum.

Consilio probato, civitas in ea, quæ usus instantis belli postulabat, comparanda & expedienda multimodam operam confert: antiquissima fuit annonæ cura, undique eucummissis navibus accersitæ: cujus ingens vis convecta in finitima Saonensibus opida, Varaginem, Signium, Naulum, in usum exercitus distributa est, magnusque equitum & peditum numerus ex agro Lunensi, ex aliisque locis tam ditionis Genuensis quam fœderatorum in urbem contractus: quas omnes, simulque cum illis urbanas copias in aream Sarzani coactas Prætor, ad animos & corpora ad bellum acuenda & paranda hortatus, vexilla signiferis distribuit: ad hoc curas inferendi & propulsandi belli partiens, dum tormenta & ceteræ belli machinæ Genuæ fabricantur, ne illud tempus interea segne atque inane abeat, in Longobardiam propere contendit; locaque hosti opposita validis præsidiis firmat, atque in urbem reversus omnibus, quæ usus belli postulabat, paratis, nonnullis prius discordiarum caussis inter tum præpotentes Piperorum & Embrunorum gentes, quæ magnam civitatis partem affinitatibus & clientelis complectebantur, compositis, rebusque urbanis constitutis, ex urbe cum omnibus copiis movet; in quibus fuerunt plus quingenti cataphracti equites peregrini stipendio conducti: prima castra ad opidum Varaginem facta sunt: quo in loco adversa maris tempestas coorta eos nonnullos dies tenuit: quæ cum tandem desæviisset, Albisolam contendunt: cujus opidi arx prævalido præsidio ab hostibus firmata erat; eam acri oppugnatione urgere instituunt: in qua re Prætore occupato, Simon Stella necessitatem ad consilium gratiæ captandæ flectens, tuto accessu impetrato, arcem Stellæ Genuensibus tradit; quæ res animos rebellium haud modice fregit, destitutione illa in ipso initio quærendarum rerum perculsos. Auxit timorem deditio Albisolæ paucis post diebus ab opidanis facta: cursum victoriæ nonnihil retardavit iterum adversa orta tempestas: quæ cum cessasset, porro ire perrectum est, castraque in planitie urbi Saonæ & ædi Cæciliæ interjecta locata: duobusque post diebus hostium præsidium ex monte urbi imminente, in quo sita est ædes Reparatæ, valida impressione facta dejectum est; magna Saonensium, Ingaunorum, Sabaudiorum edita cæde: monte occupato, copiæ ipsius urbis mœnibus sunt admotæ, bellicæque machinæ erectæ, ac mœnia tormentis quati cœpta, agro prius circa hostiliter populato. Haud leviores in deficiendo quam in se defendendo inconstantiores (qui fere est imbecillium mos) Saonenses fuerunt; qui intelligentes suarum virium non esse bellum adversus tam potentem propinquam civitatem, expertique quam parum in Sabaudicis auxiliis, quorum spe rem fuerant ingressi, ponendum esset, ne pravum consilium pertinacia insuper cumulatum implacabiliores in se Genuensium animos faceret, ad hoc Sabaudiorum & Ingaunorum auxilio deserti, qui nocte fugientium in morem discessissent, sese in potestatem Prætoris, libero de se ac de rebus suis illi permisso arbitrio, dedidérunt: cum cruces gestantes ad genua Prætoris procumbentes supplicitter misericordiam victorum, ac veniam erratorum implorassent, data est venia, nihilque in corpora sævitum; itaque omnis effusa est in ipsam urbem, fossis impletis, muris ac portis civitatis dirutis; inchoata mole, quæ portum faciebat, disturbata, arceque in editiore urbis parte ædificari decreta. Ad fortunam consilia accommodantes finitimi Proceres, qui fuerunt Domini Culiani, & Otho Marchio Carrettanus, sese in fidem Genuensium tradiderunt, atque in imperia jurarunt; præteritorum venia à Carrettano petita.

Quibus rebus confectis Prætor porro ire pergens Finarii substitit; quo in loco obvios habuit Ingaunos: qui, illorum Episcopo verba præeunte, supplicibus vocibus humi prostrati veniam postularunt, sese atque urbem tradentes. Idem fecit Otho Clavesianæ Marchio ac frater defectionis socii: Præmr Albingaunum accedens, insulam atque arces omnes præsidio firmat; Genuamque repetens, sexaginta Ingaunos civitatis primores, ac centum quinquaginta Saonenses secum duxit, obsidum loco in custodia asservandos; dum Joannes Spinula Saonæ, & Henricus à

Volta

Volta Albinganni, Prætores relicti, inchoata omnia perficerent: Prætor Genuam reversus; partæ victoriæ ac Liguriæ pacatæ memoriam anniversario sacro die divo Joanni Baptistæ festo celebrandam decrevit. Liguriæ pacatæ cura transjuganarum rerum continuata est: in Mediolanenses se pro communibus amicis interponentes judicium & arbitrium omnium rerum rejectum est: falsi Genuenses opinione sunt; parum sibi æquos judices, ac nimis in adversarios propensos Mediolanenses experti; cum tamen Mediolanenses Capriatam Genuensibus adjudicassent.

Otium ab externis bellis urbanos motus excitavit: coierant per ea tempora bona pars primariorum civium ex Nobilitatis corpore, complures societates honorum & munerum publicorum inter se partiendorum: qui clandestina ope mutuo sese juvantes, eo artificio res ducebant, ut soli homines ex his societatibus in Magistratibus, in classium præfecturis, in legationibus essent: omnesque publicæ procurationes inter earum societatum homines, velut in orbem irent, ceteris exclusis: vehementer animos ceterorum civium artificium detectum ac consilia palam facta exasperarunt: qui omnes, tam ex Nobilitatis quam ex plebis corpore, studiis conjunctis in eas societates conspirarunt, Duce Gulielmo à Mari assumpto, viro magni animi & consilii; Prætore ipso consiliorum participe occulte assentiente, cui eæ societates, quæ essent civitati in factiones ac studia partium distrahendæ, minime probabantur.

Interea Prætori necessarium iter in patriam incidit: quo profecto, Gulielmus in vires & robur conspirationi addendas studia intendit; mandatariis & scribis tota Ligustica ditione circummissis, qui quantos plurimos possent in societatem consiliorum traherent: multi nomina in conspirationem dederunt, seseque illi adscripserunt; ut rerum novandarum cupiditas perpetuum est vulgarium ingeniorum vitium. Cum res procederent, Gulielmus successu elatus ultra officii fines provectus est, (adeo in magnis rebus modus difficilis est) hominesque, dum in publicam libertatem opprimentes ac prægravantes insurgunt, eam ipsi opprimunt; quamque regnandi libidinem in alios ulcisci tendunt, ea sese ipsi abripi sinunt: nihil igitur, quod ad auctoritatem & venerationem sibi adjungendam faceret, prætermittens Gulielmus, hortatu suorum ædes ac turres gentis à Volta, quæ erant in media urbe, occupat; tamquam principatum quendam civitatis, in ædes publicis consiliis aptiores commigrando, aperte præferens.

Reversum Prætorem pœnitentia consilii cepit, cum rem nimis ultra processisse offendisset; Gulielmumque seductum leniter increpuit; qui longe libertati graviora admisisset, quam quæ ipse in alios damnasset, atque in quæ veluti liberæ civitati non ferenda conjurasset: compluribusque bonis & quietis amantibus civibus adhibitis, remque leniter ducendo, iochoatum malum tandem discussit; cum Gulielmus in potestate Prætoris ac bonorum fuisset; vir minime ingenio factiosus, neque in susceptis contentionibus pervicax: plus operis fuit in plebe ac ditionis incolis pacandis, qui multa pro haud sanis fecerunt, portis urbis ac turribus sacrarum ædium occupatis.

A C. 1218. Rebus urbanis in tranquillum redactis, curæ in res ditionis collatæ sunt; insequentisque anni Prætor Gottifredus Puduanus cum Legatis Mediolanensibus Capriatam profectus est, ad possessionem opidi Reipublicæ stabiliendam; ac controversiarum reliquias cum Alexandrinis & Dertonensibus in re præsenti constituendas: ceterum ab Alexandrinis improviso circumventus, parum à summo discrimine abfuit: qui cum haud exiguis copiis sub signis supervenerunt, fideque data & jurejurando neglecto, tanto impetu opidum invaserunt, ut Prætor vix satis spatii ex eorum manibus evadendi, seque Gavium recipiendi, habuerit: quem opidani secuti suos, sua quisque, quæ in illis temporis angustiis auferre potuerunt, secum portantes. Alexandrini opidum captum, ne sacris quidem locis parcentes, diripiunt & incendunt; cum erudelis ira ad mortuos quoque perveniset; quos, inaudito ferinæ crudelitatis exemplo, è sepulcris erutos pinnis mœnium fœdo spectaculo suspenderunt. In miseros Capriatenses extorres, omniumque rerum inopes omnia Genuensium munificentiæ officia exstiterunt: quibus de necessariis rebus large subventum est. Aucta hoc quoque anno ditio est opulentis opidis Diano, Portumauricio, Castellario, Tabia, nec non vicis sancti Georgii, Dulcedo à Marchionibus Clavesianæ Reipublicæ donatis; certa anniversaria pensione sibi reservata.

Bello Alexandrino renovato; cum illi locum dirutæ Capriatæ tuguriis erectis communissent; à Genuensibus insequenti anno ejus sæculi vicesimo nono, Jacobo Balduino Bononiensi Prætore, quingenti equites ad id bellum decreti sunt: quorum quadringenti à civitate ipsa, centum à ditionis incolis conferebantur: quo anno ditio egregio Niceæ dominatu imminuta est; Comite Provinciæ Narbonensis, qui cum magnis equestribus & pedestribus copiis eo contendit, proditione nonnullorum partes ipsius sequentium in urbem, atque in domos & turres suas introducto: restiterant primo acriter Rubaldus Baratterius, Oggerius Biradatus, Lanfrancus Richerius; qui res Nicæenses Genuensium nomine procurabant: ceterum cedere tandem coacti, urbem Comiti reliquerunt; cum exiguum subsidium Genua missum, quod duobus commeatibus quattuor Genuenses triremes, Othone Mallonio præfecto, in urbem invexerunt, ad tantam vim sustinendam non satis fuisset. A. C. 1229.

Insequens annus ejus sæculi tricesimus finem tandem bello Alexandrino imposuit; opido Capriata Genuensibus adjudicato à Sardo Archidiacono Albensi, & Gulielmo hospitalis sancti Joannis procuratore, ac Bartholomæo Vicentino Monacho Dominicano, in quos ab utroque populo arbitrium controversiarum rejectum est: cujus opidi pacatam possessionem insequenti anno Genuenses tandem adepti sunt. A. C. 1230.

Incidit eo anno casus, qui ab Annalibus non prætermissus, ne nobis quidem silentio prætercundus visus est. Gulielmus quidam Intemelius, Roscius Molinellus, Durantes & Recuperus Portusvenerenses haud obscuri nominis piratæ maria circa latrociniis infesta faciebant: quæ res haud mediocrem invidiam & infamiam civitati nostræ conflabat, tanquam ea publici consilii auctoritate, vel certe permissu fierent: nonnullæ igitur adversus illos triremes armatæ sunt, Ansaldo Bufferio viro impigro & strenuo præfecto: qui piratas diligenter perquisitos ac captos Genuam duxit: quos Prætor pro eo ac meriti erant, capitali supplicio damnavit: misericordia hominum prava non modo vulgi, sed Procerum quoque studia commovit, magnasque turbas excitavit; cum vulgo homines omnis generis & ætatis, virique ac mulieres promiscue veniam dari vociferantes ac prope minaciter poscerent: eoque insaniæ res pervenit, ut cum Prætor ad locum destinatum supplicii exactor accederet; seditio contra illum & collegas commota sit; ingensque lapidatio facta: qua Prætor equo superfuso ad terram corruit; cruribusque fracto inter manus domum reductus est;

ex quo vulnere paullo post decessit: tandem seditione compressa, latrones furca suspensi sunt; quorum duo illico exspirarunt. Recuperus Portusvenerensis & Gulielmus Intemelius, cum diu pendulo animam efflare non possent, re nova animis obstupefactis, ac populi faventis clamore laqueis incisis, viventes in carcerem reducti sunt: rogati quid illos servasset, divi Joannis Baptistæ numen sibi adfuisse respondérunt, cujus cineribus ex imo corde salutem suam commendarint: re in religionem accepta, liberati sunt, multum monti, ut à piratica facienda in posterum abstinerent; pœnam non vitaturi, si ad turpem quæstum redissent; hanc ab illis tanti collati beneficii gratiam liberatorem Joannem in primis reposcere. In demortui Prætoris locum Rodulphus à Volta unus ex equitibus ab illo secum ductis suffectus est.

A C. 1231. Insequenti anno ejus sæculi tricesimo uno, Ugolino Rubeo Parmensi Prætore, Capuam missi sunt Simon Ventus & Gulielmus Borbonosus. Nobilitatum est hoc opidum diverso modo à ceteris locis: illa enim clarum nomen ab ingenti aliqua in illis locis edita pugna fere acceperunt; at hoc, quod causam tantorum motuum præbuerit, Liguriamque & magnam Longobardiæ partem diuturno bello inter se implicuerit, insigne factum est.

Eo anno Græcus Cæsar immunitates populi Genuensis in transmarinis locis abrogare aggressus est: destitit incepto Genuensibus acriter resistentibus; veritus iram præpotentis nationis sibi irritare: quam eandem iram, cum magno suo malo, Helmelines Mulcasses Maurus, Murciæ & Carthaginæ regnans, sibi commovit; mercatoribus Genuensibus contra fidem & pacta male tractatis: qui eo facto irritati decem triremes, Carbone Marcello & Nicolao Spinula præfectis, subsidio miserunt Helmelmi Mulcassi Regi Settæ (quæ urbs sita ad littus est io freto Herculeo) bello à Murciano & Carthaginensi petito, quæ classis magno illi usui fuit. Ea classis ad egregiam operam Setensi Regi navatam, dum in illis locis fuit, haud contemnendum addidit erga Rempublicam operæ pretium; amicitia cum Mauro Rege, qui Hispalim urbem tenebat, Genuensi nationi perhonorifica ac commerciis pernobili, juncta: qui Rex, ad effusum suum in Genuenses animum significandum, illorumque voluntates ad se attrahendas, octo byzantiorum millia dono Reipublicæ misit; atque equum eximium cum soleis argenteis ac textili aureo intratum: quæ munera à classe vecta rectoribus reddita sunt; equusque tota urbe ad plaudentis populi spectaculum circumductus. Magna pars hujus anni insumpta est in legationes ad Orientales Principes missas, ad amicitiam & fœdera sanciendа.

Eo anno Fridericus Cæsar in urbe Ravenna conventus habuit; ad quos Genuenses quoque per epistolam comiter & humaniter scriptam vocavit: obsequendum voluntati Cæsaris decretum est: profectus est igitur Prætor cum octo ex civitatis primariis Roicio à Volta, Joanne Guercio, Tedisio Fliseo, Ansaldo Nigro, Rubaldo Alberico, Almerico Pansano, Ansaldo à Mari, Joanne Spinula, duobus additis Judicibus. Contentio orta est cum Cæsare, causa Pagani à Petra sancta civis Mediolanensis, Prætoris in insequentem annum ejus sæculi tricesimum alterum A. C. 1232. à Genuensibus creati, cum Cæsar oltendisset, non placere sibi, Prætores ex urbibus, quæ à sacro Imperio defecissent, quale tum erat Mediolanum, evocari: Genuenseisque sententiæ retinentes fuissent: quæ res ingentes irarum stimulos Friderico viro pereiti ingenii subdidit: quibus impulsus Genuenses in regno Siciliæ negociatores, illorumque bona, capi, & in custodia adservari jussit, eodem mandato in Tunetanum regnum & in Syriam dato. Ægre lata Genuæ res est, quæ ingentia certamina præbuit; aliis censentibus, ulciscendam injuriam, ac consilia proinde & societatem cum ceteris Longobardiæ urbibus, quæ arma in Fridericum tulerant, conjungendam; aliis ad quietiora consilia inclinantibus, ac censentibus Fridericum placandum, ejusque gratiam recuperandam: ceterum tantæ rei decreto suspenso; ne interea, dum sententiis in turbe variatur, res Genuenses gravem aliquam plagam acciperent; missæ sunt quinque triremes, Gulielmo Mallonio præfecto in præsidium rerum Sicularum & Tuoetanarum: quæ classis, rebus Siculis in tutum redactis, duabus corbitis egregie ad bellum armatis, aucta, in Syriam ad majorem rerum molem navigavit: qua Provincia cum omnia fere Genuensium negotia continerentur, classis decem triremium ac duarum corbitarum, Ansaldo Boleto & Bonifacio Pansano præfectis, superiori addita est: neutri tamen classi, cum littora Syriaca tenuissent, quidquam sane memorabile faciendi occasionem præbuerunt Friderici copiæ sub adventum classium fusæ, ac fere deletæ, quarum Dux sese cum paucis Tyrum recepit: quæ res Genuenses, quorum classis Aconis portum subit, maris potentes fecit: cum Cæsariana classis, animis ob terrestrem cladem imminutis, portubus latens in apertum mare prodire non auderet. Nuncius acceptæ cladis immitem Friderici animum tandem flexit; qui ad præsentem fortunam consilia accommodans, Montanario Marino & Piccamilio Oratoribus Genuensibus ad se vocatis, ac benigne & comiter appellatis, homines & bona Genuensium in regnis suis capta dimitti imperavit.

Fœdus atque improbandus barbaræ stoliditatis mos hoc anno à Prætore in privatæ cædis judicio è Longobardorum legibus, cum magna bonorum & sapientium civium offensione, repetitus est. Eadem navi patriam ex insula Cypro repetentes vehebantur Othobonus Helias & Jacobus Grillus: altercatione & contentione inter illos orta, eaque communium amicorum interventu sedata, navi cursum tenente, Helias nusquam apparuit: omni suspicione in Grillum derivata, homo navi Genuam appulsa comprehensus, ac carcere inclusus est: Prætoreque anquirente; cum Grillus delictum constanter inficiaretur; cetera probationibus deficientibus, ad barbarum remedium descendit Prætor: duos enim optiones dedit; qui de obscuro crimine incertum judicium ferro singulari certamine decernerent: quorum alteri Caciæ Florentino defensio Othoboni non apparentis actoris; alteri Pistellio Novocomensi defensio viventis Grilli rei obvenit: cum concurrissent, victoria penes optionem non apparentis actoris fuit; Prætorque de Grillo tamquam legitimo judicio damnato capitale supplicium sumpsit.

Non solum armis civitas nostra tempestate, sed auctoritate quoque apud finitimos populos & fama consilii atque prudentiæ valebat. Missi sunt igitur insequenti anno ejus sæculi tricesimo ter- A. C. 1233. tio, cujus Prætor fuit Pegolottus Ugucionis filius à nobili gente Girardina Florentinus, Lucam, civibus petentibus, duo Legati, Simon Ventus, & Joannes Streggiaporcus, (ii postea Salvagi fuerunt) qui Lucensium res gravibus civilibus discordiis agitatas prudentia & moderatione sua pacarunt. Impetratum quoque est eo anno à Pontifice, ut Archiepiscopus à canonicis sacerdotibus civis Genuensis perpetuo legeretur; Joanne Pipere & Nicolao Guizulfo Oratoribus ea de causa nominatim missis.

Eo

Eo anno ruſticanorum armis res in Liguria turbari cœptæ ſunt: cum incolæ vallium Arociæ, Oneliæ, Turæ, ingentibus motibus contra Epiſcopum Ingaunum & Clavellanæ Marchionis dominantes conſurrexiſſent: qua de cauſſa, Epiſcopus Taliaferrus unus ex Marchionibus, & Amabilia uxor Othonis Marchionis defuncti, Genuam venerunt opem orantes: miſſi illis auxilio ſunt Corradus Caſtellius, Gulielmus Ventus, Emanuel Auria: qui, haud contemnendis copiis ex ditione Genuenſi corrogatis, ac bipartitis, ruſticanos bifariam adorti ſunt, infelici eventu, ab illis fuſi & fugati: quo ſucceſſu ruſticani arrogantiores facti in ipſos Genuenſes audaciam verterunt, per omnem circumjectam regionem populabundi diſcurrentes: qui eo quoque audaciæ proceſſerunt, ut urbes ipſas Abintemelium & Soanam ingreſſi, complures Genuenſes primarios cives obtruncaverint.

Ac ne inſequenti quidem anno ejus ſæculi tri- A.C. geſimo quarto, qui Remedium Ruſiam Novocomenſem Prætorem habuit, incitatus illorum furor finem habuit, delicta & maleficia continuando; ut juſtus exercitus ad illos ab urbe mittendus fuerit, cujus Dux fuit Joannes Stralleria; vexillis cataphractorum, quæ duo tum erant, Petro Venm & Tediſio Fliſco traditis; qui, primo adventu nonnullis arcibus ac vicis ſine certamine occupatis, ad neceſſariam deditionem incolas omnium vallium, quæ arma ſumpſerant, tandem attraxerunt: nonnulliſque arcibus communitis, atque Henrico Ruſcio à Volta Prætore conſtituto, rebus pacatis, Genuam reverſi ſunt.

Per ea tempora, cum fama eſſet, urbem Settam celeberrimam ea tempeſtate littoralis Mauritaniæ emporium omni veteris fortunæ opulentia abundare; mercatoribuſque ditia commercia exercentibus refertum eſſe; nonnulli ex Cantabris populis oceani accolæ, ſive illi cupiditate prædæ inducti, ſive religionis ſtudio, tamquam omne bellum adverſus Chriſtianæ religionis hoſtes juſtum ſit, (hanc certe cauſſam præferentes) cruce prætexta inſignes, ingenti claſſe comparata, in illam urbem curſum dirigunt. Vehementer imminens periculum Genuenſes commovit; quorum in ea urbe magna erant commercia ac frequentia domicilia, plurimaque illorum familiaris res ea negotiatione implicita; cum præſertim Cantabri hoſtilem animum non minus in ipſos, quam in Mauros declaraſſent; nonnullis Genuenſium navigiis ad inſulam Gades deprehenſis; ſimulque hominibus, qui in illis erant Genuenſes cives nobili loco orti, captis: extemplo igitur omnibus viribus connixi mercatores, qui erant Settæ, decem naves armarunt, quæ Cantabris ſeſe opponerent: at Cantabri fraudem & artificium ad cupiditatem addentes, Genuenſi claſſe propinqua facta, amicum ac pacatum animum ſimulantes, erroremque in capiendis navibus, quas Maurorum eſſe credidiſſent, excuſantes; atque, ut fidem dictis affirmarent, captivis redditis: cum Genuenſes ea credulitate deceptos ſub adverſum flatum venti ſibi ſubmiſiſſent, naviculam incenſam in eos adigunt; ventoque flammas in illos ferente, Genuenſes fugæ (quæ una erat certiſſima præſentis peſtis vitandæ via) ſeſe mandant; ac, relicta Settam intercluſo, in oppoſitum Hiſpaniæ littus itinere flexo, urbem Malacam tenent; conſiliſque cum Genuenſibus, qui in ea & in circumjectis urbibus negotiabantur, conſociatis, duobus ingentibus corbitis extemplo armatis, delectam ſexcentorum armatorum manum imponunt, ſubſidioque obſeſſis mittunt: quod ſubſidium, exſcenſione procul ab urbe facta, (neque enim mari introduci poterat, quod hoſtes late tenebant) terreſtri occulta via Ducibus à Rege miſſis incolume urbem intravit: quo præſidio Rex confirmatus, nuncios extemplo Genuam opem oratum mittit; ſeſe dimidium ſumptus in claſſem & expeditionem faciendi ſubiturum ſpondens: validum igitur ſubſidium viginti octo triremium ac quattuor ingentium corbitarum Genuæ decretum eſt: quod (ut quæque naves ſubinde armabantur & inſtruebantur) pluribus commeatibus demceps ſubmitti cœptum eſt: primus commeatus fuit quattuor triremium, quem Lanfrancus Spinula præfectus duxit; alter paullo poſt ſecutus decem triremium, cui præfuit Othobonus Camilla; poſtremæ quattuordecim triremes ac quattuor corbitæ Ingoni Bonifacio à Volta ducendæ datæ ſunt eorum adventu, cum præſidium invitis hoſtibus in urbem introductum eſſet; Cantabri, obſidione ſoluta, in ſua reverſi ſunt. Ingens meritum Setranus uſitata Afris more remuneratus eſt, ac promiſſa barbara fide obſervavit; nullo non modo præmio beneficium proſequens, ſed partem quoque impenſarum promiſſam ſolvere Genuenſibus inſtantibus recuſans: quibus ut ſuperior viribus eſſet, ſi res ab altercationibus ad manus veniſſet, magnam vim Afrorum in urbem ſenſim ac clam introduxit: quorum adventus Genuenſes vehementer perculit, cum aſtum ſero ſenture cœpiſſent. Timori damnum continuatum eſt: rixa enim inter ipſos & Barbaros ex ſtudio utriuſque contentionis orta, Barbari ignem Genuenſium domibus & horreis injecerunt: quod incendium magnam mercium ac pretioſæ ſupellectilis vim abſumpſit. Genuenſes, tanta plaga accepta, quæ ſuperfuerunt incendio, raptim ſecum aſportatis, urbe excedentes, claſſeque conſcenſa, in tuta ſe receperunt.

Enimvero re Genuæ cognita, tanta injuria haud A.C. inulta ſinenda viſa: ceterum, ut omnia prius ten- 1235. tarentur, quam ad arma iretur, miſſus eſt ad Settanum inſequenti anno, Petro Anſaldi filio Bononienſi Prætore, Carbo Marocellus, qui, cum ſeſe à Rege extrahi & ludificari ſenſiſſet, bellum illi, ex mandato, indixit; Hiſpalimque conceſſit ad copias cogendas: ceterum neceſſaria ad bellum comparantem mors ſuſtulit: neque tamen inſtituta cura omiſſa eſt; quam Genuenſes, qui ex circumjectis regionibus magno numero convenerant, continuarunt, viginti triremibus ac ſeptem ingentibus corbitis, triginta que minoribus navigiis comparatis & inſtructis; cum Genua inſtrumenta, ac machinas omniſque generis bellici apparatum, atque omnia ab illis petita, præterquam pedeſtres copias, quattuor triremes advexiſſent: quæ claſſis urbi admota, eam mari tantum, deficientibus terreſtribus copiis, urgere cœpit, tormentis continenter quaſſatam. Qua oppugnatione ardente, alter nuncius Genua ſupervenit, Succius Piper: cum interea Ugo Lercarius in Marocelli demortui locum Dux belli creatus eſſet; imperio, ſi bellum duraſſet, cum Pipere communicato: ceterum res tandem compoſitæ ſunt, cum neutri parti bellum aptum eſſet, paxque conditionibus nomini Genuenſi honorificis, ac nationi percommodis, tandem convenit.

Inſequenti anno, Jacobo Tertiago Mediolanen- A.C. ſi Prætore, otium ab externis & urbanis motibus 1236. fuit. At, qui illum conſecutus eſt, ejus ſæculi trigeſimus ſeptimus, Prætoremque habuit Oldra- A.C. dum Groſſum à Treſenn civem Laudenſem, in- 1237. gentibus certaminibus domeſticis agitatus eſt; cum initia externi quoque motus nonnihil turbaſſent; Dertonenſeſque, Papienſium copiis ſibi adjunctis, Arquatam uſque perrexiſſent, conſiliis ejus opidi communiendi: qui re infecta in ſua reverſi ſunt; cum Prætor, urbanis copiis ſecum eductis, ſeſe illis oppoſuiſſet.

A.C. 1158. Major fuit domeſticorum motuum moles: quorum primum creatio Prætoris inſequentis anni excitavit; cum ſuffragia uno minus fuiſſent, nonnullique idcirco eam creationem vitio factam, nec ratam habendam contenderent; nonnulli contra illam defenderent: in quam ſententiam præſentis anni Prætor propendere videbatur: cui ut auctoritatem abrogarent ii, quibus creatio non placebat; in illum ipſum impetum ſuum verterunt; negantes, illi ipſi parendum eſſe: quin contra illi magiſtratum abrogandum contendentes, quem ille male & flagitioſe gereret, leges civitatis non obſervans: is cum turrim quandam munire inſtituiſſet, ad arma ab iis, qui illum oderant, conclamatum eſt; omniſque repente civitas in armis fuit, ſciſſu ſtudiis: acriterque dimicatum eſt, non ſine cædibus ac multorum ſanguine: ceterum Archiepiſcopo, & ſacro ordine, ſimulque multis gravibus & quietis civibus ſeſe interponentibus, arbitrio & judicio controverſiarum exortarum ad illos rejecto, res compoſitæ & pactatæ ſunt, electione judicio ab illis lato comprobata, ex quo Prætor accerſiri juſſus eſt: qui fuit Paulus Sorreſina Mediolanenſis.

Vix primus hic tumultus conticuerat, cum alter excitatus eſt à Spinulis & Marocellis, præpotentibus civitatis noſtræ gentibus: compreſſa initia ſtatim ſunt Prætoris & conſili diligentia, utraque familia urbe exacta; quæ tamen eodem anno ab exſulio revocatæ ſunt, pace inter illas firmata. Eodem exſulii remedio tumultus diſcuſſi ſunt à familiis à Cruce & Ligaporcorum excitati, armis inter ſe contendentibus.

Urbanas contentiones Liguſtici motus ſecuti ſunt, ab iis populis excitati, qui habitum deficiendi alte animo imbibitum prorſus abjicere numquam potuerunt: quamquam illum recentibus malis fracti ad tempus intermitterent. Conſpirarunt igitur in Rempublicam iidem, qui ſemper, Saonenſes, Ingauni, Intemelii; quibus ſe addiderunt Portuſmauritiani. Initium motuum factum eſt à Saonenſibus, una ex triremibus cuſtodiæ ad Vada Sabatia, cuſtodibus dormientibus, capta, arceque improviſo occupata, ac Balduino Mulfero & Petro Contardo præfectis ſimul cum Prætore Anſaldo Mallonio expulſis. Proximi conſurrexerunt Ingaunum, Henrico Carmindino Prætore ejecto. Hos conſecuti ſunt Portuſinauritiani, quorum Prætor fuit Baalardus à Palo: poſtremi fuerunt Intemelii, quorum Prætor Bonifacius Embriacus, vir cautus, ac rebus invigilans, imminentemque procellam providens, ſeſe in arcem cum tota familia incolumem ſubduxit. Motibus auditis, è veſtigio quatuordecim triremes Genuæ armatæ ſunt, quæ, Fulcone Guercio & Roſcio Turca præfectis, Albintemelium primum petere juſſæ ſunt: quo cum claſſis appulſa eſſet, exſcenſio in terram magni certaminis fuit, Intemeliis acriter reſiſtentibus, quibus tandem expulſis, copiæ expoſitæ è veſtigio collem urbi imminentem, opidanis inde dejectis, occupant. Adverſo ſucceſſu fracti Intemelii, contratendere deſiſtunt: deditioneque facta, complures ex primariis vincti Genuam miſſi ſunt. Arma ab illis ad Ingaunos tranſlata ſunt: qui nihilo conſtantiores Intemeliis fuerunt, inſula Gallinaria, ex qua Ingauni Genuenſium præſidium expulerant, à claſſe prius recuperata. Idem exitus Saonenſium fuit: qui poſtremi jugum acceperunt; nullo ne ab ipſis quidem majore quam à ceteris edito conſtantiæ & fortitudinis documento: vinctique Genuam magno numero miſſi ſunt; ex quibus unus tantum Gulielmus auctor deficiendi jugo in phari promontorio ſuſpenſus eſt.

Cupiebat eo tempore Gregorius nonus, vir clariſſimarum virtutum gloria præſtans, animos Genuenſium & Venetorum inter ſe pacare; cum inter duos claros & præpotentes populos, compluribus de cauſſis, quas ſupra expoſuimus, exulceratos ſuſpectum eſſet bellum, quod magno impedimento futurum erat ipſius conſiliis ad ſacrum bellum deſtinatis. Utriuſque igitur populi Oratores Romam evocati; Gulielmoque Embriaco & Petro Vento à Genuenſibus miſſis, in ſacroſ. poteſtate fuerunt: paxque inter illos in novem annos, decreto Rom. Pontificis ſancita eſt; Pontificia exſecratione ac piorum cœtu exterminatione, ſi alteruter illam infregiſſet, pronunciata: leges pacis fuerunt, ut pacem & amicitiam pie inter ſe colerent: neuter, alterius injuſſu, fœdus aut amicitiam cum Conſtantinopolitano Cæſare jungeret, aut ſibi quidquam ſeparatim ab illo paciſceretur: bella omnia communiter ab illis ſuſciperentur, & gererentur: uterque populus inſignia & vexilla alter alterius una cum ſuis erigeret, ac geſtaret.

Anni, qui inſequuntur, ejus ſæculi trigeſimus nonus & quadrageſimus, quorum primus Prætorem habuit Philippum Vicedominum Placentinum, ſecundus Henricum Monſam Mediolanenſem, turbulenti in primis fuerunt, atque externis & urbanis motibus agitati. Conflavit civitati tanta pericula Fridericus ſecundus Cæſar. Is cum petiiſſet à Genuenſibus ut ſacro Imperio ſeſe conjungentes in verba ſua jurarent; conſtanter negarunt Genuenſes ſe quidquam facturos dicturoſve, quod eſſet libertati ſuæ imminuendæ: fidem quidem erga Imperium numquam ſeſe violaturos, ejuſque majeſtatem comiter & pie perpetuo culturos: ceterum jusjurandum petitum, quod *homagium* vulgus vocat, numquam daturos: exarſit Cæſar libero Genuenſium reſponſo, vir impotentis iracundiæ, ac præfervidi ingenii: qui, quod aperta via tenere non potuit, per cuniculos aſſequi aggreſſus eſt: nam & eos Liguſticos populos, qui numquam non defecturi eſſent, niſi cum occaſio & facultas deficiendi deerit, ſpe auxiliorum ſuorum, ac magnarum ſocietatum illis adjungendarum, ad toties infeliciter experta arma retractanda induxit: & nonnullos primarios cives, ex potentioribus ac nobilioribus familiis, ingentium præmiorum ſpe oneratos, ac magnæ apud ſe gratiæ, tum autem eximii in civitate auctoritatis ac potentiæ loci, ad clandeſtina nefaria conſilia adverſus patriæ libertatem ſecum jungenda attraxit: quibus tantis terroribus, & à ſubjuncto & externo hoſte, & à cive ipſo circumſiſtentibus; tanto animo fuit civitas, ut non ſeſe deſereret, ſed omnibus rebus occurreret.

Principes igitur Saonenſes, Albenſium, & Aquenſium, tum autem multorum ex accolis Marchionibus ſocietate ſubnixi, (ut ſunt homines in id, in quod ingenio propendent, omni levi objecta aura ſpei, facile præcipites) ſumptis armis, opidum Varaginem irrito incepto tentarunt: à valido præſidio, quo opidum tenebatur, repulſi: quin contra, opidum Albiſola illis ademptum eſt. Horum motuum cauſſa, tredecim triremes armatæ ſunt: quæ Fulcone Guercio præfecto, arma circumferendo, Cervum, Dianum, Beſtagnum, Portum Mauritium caſtella, ac vallem Oneliæ pacarunt, & ad obedientiam reduxerunt: turrimque divi Ampelii in finibus Intemeliorum ſeditioſorum, ac quietem publicam turbare ſolitorum receptaculum, expugnatam ſolo æquarunt: ceterum longe majore metu inteſtinorum motuum ac periculoſiorum civitate ſollicita, cum occulta perditorum civium conſilia emanaſſent: negotium datum eſt eidem Fulconi Guercio, cujus viri virtute, conſilio, & recto in Republica ſenſibus res Genuenſis ea ætate domi & foris in primis ſtetit; & Roſcio à Turca viro ipſi quoque acri & impigro iiſdemque pa-

A.C. 1159. A.C. 1160.

triæ libertatis peramantibus civibus; rebus invigilandi, atque occultis gliſcentibus malis occurrendi, delecta fortium juvenum manu illis addita: ad hoc ſaltus & anguſtiæ viarum ad urbem ferentium firmis ſtationibus infeſtæ ſunt; quas homines ditioni Gulielmi Spinulæ ſubjuncti adorti ſunt, nonnullis ex præſidiariis vulneratis: jam tum immodicis opibus ſpiritus ſupra privatorum hominum ſortem elatos illi familiæ ſuggerentibus; illiuſque hominibus ad eminentem quendam in civitate locum, ac potentiam communi libertati prægravem tendentibus. Rumor in urbem perlatus magnas animorum commotiones fecit: Prætorque, conſilio univerſæ civitatis convocato, eundem Gulielmum Spinulam, Sorleonem Piperem, Anſaldum Embrunum, Raimundum à Volta Burborinum, qui vocati ad cauſſam dicendam imperium neglexerunt, exſulio mulctavit; villamque Raimundi à Volta in pago Pavairano, cujus culpa eminebat, demolitus eſt: qui tamen omnes, Archiepiſcopo recenter creato Joanne Cucurno, ac duobus Pontificiis Nuncis, qui cum eo Roma venerant, ſeſe interponentibus, ab exſulio paullo poſt ſunt revocati, bonis reſtitutis: gratificati hoc ſunt Genuenſes Pontifici; recens beneficium remunerantes, quo Pontifex Naulenſem populum obedientiæ Epiſcopi Saonenſis ſubtractum Epiſcopali honore decoravit.

A At civitas in omnes partes rebus ſuis firmandis intenta fœdus amicitiæ & ſocietatis cum Mediolanenſibus & Placentinis Friderici hoſtibus junxit: à quo conſilio Genuenſes ſæpe ab illis appellati abſtinuerant; ne Friderici animum offenderent. Per idemque tempus ora Occidentalis, quæ omnis defecerat, ad obedientiam rediit; præter Saonam & Ingaunum urbes: bellumque indictum eſt Jacobo Marchioni Carrettano Finarii Domino; qui ipſe quoque à Cæſare inſtigatus, Marchione Lanza ſocio, arcem Petræ adverſus conventa oppugnatum ierat: præfectique, quos cuſtodiæ urbis ſupra creatos diximus, cum valida manu ex urbe profecti agrum Saonenſem late vaſtarunt. Nec ſegnis opera Prætoris ipſius fuit; qui cum urbanis copiis profectus Ubertum Palavicinum Cæſaris Vicarium, fines Genuenſes hoſtiliter ingreſſum fugavit.

Inſequenti anno ejus ſæculi quadrageſimo uno, cujus Prætor fuit Gulielmus Sardus Placentinus, delecta centum cataphractorum equitum ala ſtipendio conducta, cujus præfectus fuit Joannes Urſinus, unaque equites cataphracti urbani, ac baliſtarii tam urbis, quam trium præfecturarum, (ut tum civitas non minus ad terreſtria, quam ad navalia bella armata erat) fines Saonenſes ingreſſi omni belli clade pervaſtarunt. A.C. 1141.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER IV.

MAJOR mihi hinc rerum ſeries ordienda eſt; majoraque bella, majorque diſcordiarum civilium moles, acrioribuſque odiis ac diuturniore contentione agitatarum, monumentis litterarum eſt mandanda. Nam quæ adhuc ſtylo perſecuti ſumus, quamvis multa eorum præclara neque exigua fuerunt, brevis tamen potius temporis expeditiones, quam juſta bella vocanda ſunt: & civiles diſcordias prius privatæ nonnullarum familiarum inter ſe offenſiones excitabant, ad breve tempus conſopiendas, ac Magiſtratuum modo lenitate, modo ſeveritate comprimendas; cum illæ ipſis ſolis familiis terminarentur; ac cognatos tantummodo & affines, perpaucoſque clientes ſecum traherent. At, quæ poſthac ſcripturi ſumus, bella non modo magnitudine ſua, ſed perſeverantia quoque memorabilia ſunt, cum maximis & præpotentibus Principibus geſta: & diſcordiæ eo ſuperioribus atrociores fuerunt, quod omnes cives totamque ditionem complexæ, nemine ab illis intacto, civitatem in duas partes ſciderunt: & longe diverſa ratione agitatæ ſunt; non privatis rixis, ac domeſticis ſeditionibus, & tumultibus, ſed internecinis bellis, & caſtris, juſtiſque claſſibus & exercitibus hoſtilem in modum exercitæ, externiſque Principibus in ſocietatem armorum adſcitis: ut prævalentis populi vires, quæ in externos collatæ in inſignem aliquam magnitudinem & potentiam nomen Genuenſe erecturæ fuerant, in mutuam perniciem verſæ ſe ipſæ conficerent, ac civitatem continentibus cladibus agitando ac lacerando ita enervarent, ut à præceſſo rerum faſtigio ad infimum locum deducta, cum ſuis ipſa viribus ſtare non poſſet, ad neceſſitatem exteros Principes & Dominos ultro accerſendi ſæpe adacta ſit.

Initium faciendum eſt à bello, quod cum Friderico ſecundo Cæſare, ac cum Piſanis illi adjunctis ſociis geſtum eſt: quod bellum principio Genuenſibus funeſtum fuit, magna plaga temeritate ſtolide ferocis Ducis accepta; tractu autem varium, ingentibuſque motibus, atque apparatibus, rebuſque haudquaquam contemnendis geſtis clarum. In hoc bello, cum vires & potentia, tum animi magnitudo civitatis noſtræ in primis apparuerunt: nam non modo impetum Piſanorum navalibus copiis ac rerum geſtarum gloria florentium in ſe intentum repulit; ſed Fridericum ipſum Cæſarem, cujus opes atque arma toti Italiæ terribilia erant, omnibus navalibus opibus ſuis, quæ ſupra quam modicæ erant, in ſe incumbentem ſuſtinuit; cum terra quoque multis locis urgeret, finitimis populis ac ſuarum partium Proceribus in ipſos excitatis: quod etiam eo mirabilius fuit, quod non tota civitas integris viribus ſuis, ſed non plus dimidia fere ſui parte à ſtudiis Cæſarianarum partium illi abſtracta: qui primo occultis conſiliis rebus Friderici faventes, nudatis tandem animis, armiſque cum illo conſociatis, urbe Saona belli ſede electa, aperto bello patriam oppugnare non dubitarunt;

non

non illam ſeſe infeſtis armis petere, in qua amanda nemini omnino concederent; ſed adverſæ factionis cives ultum ire dictitantes: nec minus, quam vires, religionis ſtudium Genuenſium in eodem ipſo bello eluxit: qui, cum tranquillam pacem agere poſſent, ſtudio voluntati & monitis Romani Pontificis obſequendi, tantum belli molem ſibi conflare veriti non ſint.

Internecina odia inter Romanos Pontifices & Fridericum Cæſarem per ea tempora ardebant: quæ omnia in Italia cædibus, direptionibus, incendiis ſæpe miſcuerunt; ut nulla ejus Provinciæ pars à belli cladibus integra fuerit: dum Fridericus Pontificium ſolium evertere tendit; cujus majeſtas indomitæ ipſius cupiditati Italiæ imperio imminenti una impedimento eſſet. Is infeſta arma tota Italia circumferens, omni belli clade cuncta vaſtare, aſtum quoque & fraudem ad vim adhibere: quaſque civitates aperto bello petere commodum non eſſet; in iis, cum illarum primoribus ſpe præmiorum ac veterum Gibellinarum partium ſtudio inductis, clandeſtina conſilia tumultuum & ſeditionum ſtruere: quibus malis in hoc bello civitas noſtra intacta non fuit: in illum igitur paſſim graſſantem, ac funeſtis bellis omnia involventem, Gregorius nonus ſacrum bellum crucis titulo inſigne decrevit, & pronunciavit: quod Pontificis factum veteri odio novas ſubdidit faces: rabie enim ob eam rem efferatus Fridericus, ad hoc vitio ingenii vehemens, iræque impotens, contumeliam ac ſuperbum Pontificis ludibrium ad ſævitiam adhibens, quoſcunque Pontificis partes ſequentes capiebat, eis vel quinque vulneribus crucis formam exprimentibus caput perforare, vel in decuſſim effigiem crucis reddentem findere; ſacerdotibus vero obraſum verticem, cute alte detracta, vulnere in eandem formam ducto, deformare.

In tantas anguſtias adductus Pontifex, in Tranſalpinorum Regum opem confugere coactus eſt: quos faciliores ad juſta & pia arma induenda, adverſus damnatum atque hoſtem religionis judicatum fore ratus, Concilium univerſæ Eccleſiæ prius Romam indicendum ſtatuit; ut ſacrorum totius Chriſtiani orbis Antiſtitum, quibus nullæ injuriarum atque irarum cauſſæ cum Friderico intercederent, ſuffragio recte damnatus: non à ſolo Pontifice, quem ſibi iniquum multis de cauſſis Fridericus ejuraret, falſo judicio circumventus videretur: duos igitur Legatos in Galliam mittit, Jacobum Epiſcopum Prænestinum, & Oddonem Epiſcopum Portuenſem; illum ad Gallorum Regem, hunc ad Anglum: tertius Genuam miſſus eſt Gregorius à Montelongo Cardinalis: qui omnes comiter ubique accepti, poſtulata facile impetrarunt: atque uterque Rex regni ſui Antiſtites itineri ſeſe dare illico juſſit. At Genuenſes claſſem triginta navium longarum partim tardarum, quas nunc *galeatas* appellamus, partim triremium armant, quibus additus eſt haud exiguus corbitarum ac varii generis navigiorum numerus; quæ Antiſtites Romam petentes vehant.

Quo tanto in ſe intento apparatu Fridericus vehementer perculſus, omnes curas ad illum diſcutiendum confert: quare omnes viarum anguſtias, qua Antiſtitibus neceſſario tranſeundum eſſet, firmis præſidiis occupat, filiumque Entium Sardiniæ Regem cum nonnullis navibus longis Piſas mittit, qui à Piſanis beneficiariis ſuis, acerrimiſque partium ſuarum propugnatoribus, pro jure amicitiæ poſtulet, ut validam claſſem compararent; qua iter maritimum Tranſalpinis Antiſtitibus ad Concilium evocatis claudant; ſimul Genuenſium animos per Legatos ſuos tentent, coſque in partes Cæſarianas atque in ſocietatem conſiliorum traducere conentur: utramque rem Piſani non impigre modo, ſed cupide quoque faciunt; omni occaſione Fridericum demerendi læti: qui idem per occulta conſilia Genuæ haud omnino irrito incepto, facere aggreſſus eſt; multis ex primoribus civitatis ſollicitatis, ac ſpe ingentium præmiorum in ſuas partes traductis: in quibus fuit Anſaldus à Mari, quem ſummum *Halmiratem* claſſium ſuarum in Nicolai Spinulæ demortui locum ſufficit. Is illico clam Genua profectus ſe ad Fridericum confert.

Interea Piſanorum Legati anno ejus ſæculi quadrageſimo uno Genuam veniunt: quibus ad Magiſtratum introductis legationis princeps ita locutus fertur: *Sincera fide nos vobiſcum agere, Genuenſes, quæque ſuademus, ea vobis ac Reipublicæ veſtræ ſalubria putare, vel illud ſit argumentum, quod conſilium, quod hoc datum venimus, ipſi prius amplexi ſimus: neque vetera partium Cæſarianarum ſtudia, aut Friderici in nos beneficia (quorum neutrum unquam diſſimulabimus) elevare auctoritatem noſtram debent; quibus rebus præponderare bonum publicum, & civitatis noſtræ ſalutem, ut exiſtimetis, ex intimis ſenſibus veſtris, quos in Republica veſtra geritis, petimus: quamquam quid ego auctoritatem noſtram, aut cujuſquam omnino mortalium memoro; rem ad vulgus, quam ad ſapientes & graves viros movendos aptiorem? omiſſis auctoritatibus, rem ipſam ſpectate, ac pene loquentem audite. Si poſtularet Fridericus, ac pro jure ſuo ageret, ut ſtudiis ac ſocietate nobiſcum junctis, arma adverſus Pontificem ac quoſcunque ſacri Imperii hoſtes pro ſe ferretis, obſequendum tamen cenſeremus: ne vos ac civitatem veſtram ſacro Imperio, cujus juris ſimul nobiſcum atque cum omnibus fere Italiæ urbibus eſtis, perduellionis crimine obſtringeretis. Nunc Friderici poſtulatum modicum eſt: neque vobiſcum pro imperio, ſed precibus agit: non enim ut arma pro ſe feratis, ſed ne contra ſe ferata poſtulat: ac ne Antiſtites adverſus ſe à Pontifice Romam evocatos claſſibus veſtris vehatis: quo modeſtius nunc agit, cavete, ne, ſi contumacia veſtra hominem ingenio ferocem & contumeliarum inſolentem irritaveritis, acrius in vos exardeſcat: ac conſiderate, quanta inſcitia fuerit; cum tranquillam pacem agere poſſitis, alienorum caſuum ſine ullo veſtro diſcrimine ſpectatores; aliena cauſſa, nihilque vos ac Reipublicam veſtram attingente, eam negotii molem vobis conflare, eos pares eſſe non poſſitis: quid enim vobis animos facit? veſtra ne vires, an Pontificis auxilium? veſtræ vires numquam elevabimus, ſi eas adverſus nos aut alium ſimilem noſtri, cum quibus par certamen ſit, exercetis; pro vero immenſis Friderici opibus quæ tandem pars ſunt? a Pontifice auxilium hoc tempore exſpectare perridiculum eſt; qui omnium rerum ipſe inops, omni ditione ſpoliatus, vix mœnibus Romæ ſalutem ſuam tueatur: conferte nunc ex altera parte Fridericum tanto opibus, totque regnorum dominatu ſultum, tantarum rerum geſtarum gloria præfulgentem, in tanto felicitatis curſu; ejuſque arma omnibus terribilia. Circumſpicite Mediolanum urbem opulentiſſimam, ac ceteras Italiæ civitates, quacunque oculos contra Cæſares attollere auſa ſunt: qua excidia ſua temeritatem luerunt: utile alienorum malorum exemplum apud vos, non ad imitanda prava conſilia, ſed ad pares exitus perhorreſcendos, valeat. Neque cauſſa juſtitia vos moveat, tamquam ea à Pontifice ſit: nam ad neque exploratum, neque veſtris judiciis eſt: neque ſapientes viri ac de magnis rebus conſulentes, in amicitias & ſocietatibus ſibi adſciſcendis, aut repudiandis, juſtiores cauſſas ſequi ſolent, ſed ſibi aptiores, utilitatemque ac damnum in conſilium adhibere; cetera ſi adſint, lætari; ſi non adſint, non magnopere requirere: quamquam quid nos utilitatem ac damnum commoraramus, cum veritas ſalutem atque interitum poſſimus, qua ab hac deliberatione pendent? At cum impium eſt adverſus ſacroſanctum Pontificem, deum Numinis teſtatem ac venerationem inter mortales obtinentem, arma ferre. Quid autem? an & pro illo arma*

A.C. 1241.

arma non ferre, ac pro illo ſeſe ac Rempublicam ſuam
præcipitem non dare? permultum enim nobis inter ſe
iſta differre videntur: ſed futilia ſunt iſta, planeque
inania; quæ apud imperitam multitudinem, atque
inanibus rerum effigiebus portus, quam ſolidis rebus
movere ſolebant, valeant; ab ingenuis ſapientium viro-
rum ac ſuis momentis res expendere ſolitorum repu-
dientur. Quis porro neſcit, Romanos Pontifices multis
abhinc ſæculis duas perſonas gerere; alteram ſacram,
regiam ac mere profanam alteram? qua longe diverſa
inter ſe res, ac longe diſſimili ratione ab ipſiſmet Pon-
tificibus tractatæ, diverſos quoque animi habitus in no-
bis facere debent. In prima ac nobiliſſima perſona mu-
neribus eis obeundis, quorum colendorum cauſſa à Deo
inſtituti ſunt Pontifices; hoc eſt in rebus religionis pro-
curandis & conſtituendis, in ſalute animarum expe-
denda, in ſacris myſteriis adminiſtrandis, in moribus
hominum à divinæ Legis præſcripto deflectentibus adve-
ram viam revocandis ac regendis, in divino Numine
precibus, ſacrificiis, votis placando: in iis igitur atque in
multis ejuſmodi aliis magnis atque præclaris rebus, impe-
dimento eſſe Pontificibus, aut contra illos venire, nefarie
plane hominis, ac Chriſtiana Eccleſiæ & religioni hoſtis
eſt: at in muneribus alterius perſonæ exſequendis: hoc eſt
in armis tractandis, bellis movendis, ſocietatibus armorum
& fœderibus cum profanis Principibus ineundis; religio-
ſum putare iiſdem artibus & conſiliis Pontificibus reſiſtere,
quibus ipſi alios petere ſolent, extrema plane inſcitia &
dementia eſt ſummam fatemur. ſemper ſapientium ho-
minum fuiſſe, ad tempora & ad res conſilia accommodare;
quæ qualia nunc ſint, ipſa juxta nobiſcum intelliguntur.
Cavete igitur, Genuenſes, ne inanis pietatis ſpecie deceptos
in eum locum Rempublicam veſtram præcipitem detis;
in quo pœnitentia ad pravum conſilium tantummodo lu-
gendum, non ad exſurgendum à tanto caſu valeat.

Longa & meditata oratio cum nihil certam ac ſtabilem ſententiam Magiſtratus moviſſet; unus ex iis, cui negotium datum eſt, ita fertur reſpondiſſe: *Neque ſuſpecta eſt nobis, Patres, fides veſtra in conſilio dando: & egregium veſtrum in nos animum agnovimus: qui vicem noſtram tam ſolliciti ſitis, ac tamopere de ſa-lute noſtra laboretis: nec ſumus neſcii, pleroſque in ma-gnis deliberationibus utilitatem atque incolumitatem; uſ-que contraria damnum & perniciem potius habere: ce-terum Majoribus noſtris, atque omnibus fere celſo animo natis viris, alia in conſiliis capiendis longe antiquiora ſemper fuerunt; officium, fides, pietas, religio, decus, fama, exiſtimatio. Illorum nos potius quam contraria exiſtimantium veſtigiis inſiſtere, nemini mirum eſſe debet: quid autem turpius fuerit, quam ſacroſanctо Pontifici omnibus ſuis, quæ eo jure poſſidet, quo qui optimo, per ſummam injuriam ſpoliato, ac veluti carcere incluſo, alie-noque arbitrio obnoxiam animam ducenti, ac piorum Re-gum & populorum miſereordiam implorantis opem non fer-re? aut quem tandem locum hic habet diſjunctio illa ſacra ac regia & prophana perſona? qui ne tum quidem piorum ope deſerendus eſt, cum regnum perſonam videtur gerere: cum à Regibus beneficiariis ac fiduciariis ipſis ſuis, ingra-tiſſimis hominibus, injuſto ac nefario bello petitus, armis neceſſarius neque ulla lege divina prohibitis ſe defendat. Neque Romani Imperii jamdiu plane exſtincti inane ac commentitium nomen; cujus titulo fulgore barbari atque exteri Principes, atque Italicos nominis atrociſſimis hoſtes ad Italiam ſpoliandam, evertendam, duriſſimo ſervitu-tis jugo premendam, ſemper abuſi ſunt, gravius eſſe de-bet, Italis præſertim hominibus; quam Romani Pontificis ſolis majeſtas, quod ſemper Italicæ libertatis firmiſſimum columen atque ornamentum fuit: quodque ex toto Chriſtiano orbe infinita hominum multitudine ad illud con-fluente, ſpeciem quandam Romani Imperii nobis reddit; Italiamque opibus ex omnibus Chriſtianis Provinciis cor-rogatas amplificat: proinde cum animis veſtris ſtatuite, Patres, utrum ſit elegantius, ad eos ſeſe applicare, quo-rum omnes cura in Italiam exinanendam, enervan-dam, opprimendam, ſemper fuerint intenta; an Italiæ*

libertatis & dignitatis vindicem Pontificem, eumdemque
operum amplificatorem ſequi? ceterum nos perinde adhuc
locati ſumus, tanquam arma contra Fridericum ſerre,
atque eum partes oppugnare, propugnationemque Ponti-
ficis ſuſcipere, decreverimus: quorum nihil facimus,
ac ne cogitamus quidem, Pontifici tantummodo, in ne-
ceſſario atque uſitato munere ſacra perſona obeundo, in
quo impediendo pietatem læſi vos ipſi modo faſſi eſtis,
officio & ſedulitate noſtra præſto eſſe conſtituimus: An-
tiſtitesque Tranſalpinos ad Concilium rem tam ſanctam
atque Eccleſiæ Chriſtianæ neceſſariam evocatos claſſe no-
ſtra Romam vehere. Quid eſt igitur, in quo Fridericus
merito ſeſe à nobis læſum putet? quod minas ac ter-
rores jactet? quod cælum ac terras miſceat? ejus amici-
tiam nonquidem plurimi ſemper feeimus, ac faciturs por-
ro ſumus; ejuſque arma atque opes verendas fatemur;
ſed cum eo, ne pœtatem ladamus: à qua mente nullius
terroris denunciatio nos unquam dedocet, ejus numine
fretos, cujus ira ac vires longe quam ullius omnino
mortalium formidoloſiores ſunt. Cum hoc reſponſo dimiſſis Piſanis, Genuenſes Jacobum Maroccillum claſſi præficiunt.

Interea Antiſtites Tranſalpini cum duobus Legatis terreſtri itinere per Italiam clauſo, omnibuſque viis validis Friderici ſtationibus infeſtis, Nicæam venerant: quorum adventu cognito, claſſis è veſtigio eo contendit; Legatoſque ac ſacros Antiſtites Genuam incolumes advehit: quo brevi convenerunt complures ſacri Antiſtites ac civitatum Legati ex tota Longobardia, ipſi quoque ad Concilium evocati: cujus diſcutiendi nullam rationem prætermittens Fridericus, Uberto Palavicino, ac Marino Ebulio, ambobus Cæſarianis Vicariis imperat, ut fines Genuenſes, quantis maximis copiis poſſint contractis, ac quibuſcunque locis poſſint, adoriantur: ſic ſperans fore, ut Genuenſes propiore periculo diſtricti à cura maritimarum rerum ad ſua tutanda avertantur: qui imperata impigre exſe-quentes, fines Genuenſes, alter trans juga Apenni-ni montis, alter à regione Lunenſi invadunt, omnia tumultibus atque omni belli ſpecie complen-tes: quibus motibus ſpretis, Genuenſes intentam curam in res claſſis expediendas pergunt urgere.

Sed longe periculoſiora fuerunt occulta conſilia, quam aperte mota arma. Fridericus enim Genuam ſuis ipſam viribus oppugnare adortus, multos ex primariis civibus cum veteribus partium Cæſaria-narum ſtudiis ſtimulatos, tum ingentibus promiſſis oneratos in ſuas partes traduxerat: in quibus fue-runt Fridericus Grillus & Joannes Streggiaporcus, primarii ac magni nominis cives: ceterum litteræ ad illos à Friderico datæ ac maſſa cerea incluſæ intercepteæ conſilia prodiderunt; ſcribebat enim Fridericus, ſe omni ope annixi, ut iter Romam Antiſtitibus intercludat: eaque de cauſſa juſſu ſuo à Palavicino & Ebulio Genuenſibus arma illata; non ut civitati publice noceat, quam unice di-ligat, atque auctam cupiat; ſed ſibi eſſe in ani-mo, ſibi ac ſacro Imperio adverſantes aſpere ac ſevere punire. Quæ litteræ, cum, ut in libera civitate, ita comprimi non potuiſſent, quin bre-vi quod in illis erat emanaret, magnos animorum motus, ſed inter ſe diverſos, excitarunt: nam Ram-pinos (id erat tum Genuæ factionis nomen Ponti-ficias partes ſequentis, cum Cæſariani Maſcarati vocarentur) magnus timor inceſſit, de ſalute ſua ſollicitos, tanto Principe ſibi infenſo: cui ſi aper-ta conſilia parum procederent, mille eſſent viæ ipſos dolo opprimendi: igitur Maſcarati ad pœ-nas judicii ſubterfugiendas domos ſuas ſedulo mu-nire, magnoque clientium & armatorum nu-mero firmare intendunt. Roſciuſque à Volta, pu-blica majeſtate ſpreta, quendam Florentinum ho-minem in ipſa urbe homines ad ſtipendia Cæ-ſaris clandeſtine corrogantem deprehenſum, ex

apparitorum manibus vinctum in carcerem trahentium eripere ausus est: qui ad audaciam contumaciam addens, ad rationem facti reddendam vocatos imperium sprevit: eandem contumaciam adhibuerunt Joannes Streggiaporcus & Ingo Grillus: qui ipsi quoque vocati ad causam dicendam, non paruerunt: exarsit Praetor; consilioque civitatis in aedem Laurentii vocato, verba facit, multaque praefatus de suo in praeclaram urbem Genuam studio, quam non minus ipso patrio solo, in quo natus & educatus sit, diligat: cum ob honorem sumpti imperii sibi mandati habitum, tum ob perspecta ardentia religionis studia, ac Pontificis Romani susceptam propugnationem; de cujus salute & dignitate anima ipsa decernere non recusent: deploravit praesentem civitatis statum in extremum discrimen ab iis ipsis civibus ejus adductae, qui privata consilia à publicis separare audeant; quoque non pudeat, patriae libertatem, dignitatem, salutem, famam, decus, existimationem, Friderici libidinibus gratificari: gratiam barbari atque immanis Tyranni turpem mercedem tantae proditionis petentes: in quorum scelus & contumaciam asperis verbis est invectus: quae eo processerit, ut imperia Magistratuum abnuant, neque vocati se judicio sistant; quin etiam noceotes homines ac capitalia ausos de manibus apparitorum eripiant; quodque longe detestabilius est, ex privatis domibus totidem arces in ipsa urbe fecerint; quae communitae atque armatorum plenae civitatis libertati & quieti imminent: neque rem (quantum divinet animus) hic constituram: non enim dubitandum, quin à scelere ad scelus spectent: brevique urbem sicariorum gregibus refertam fore, ab ipso Friderico (id quod interceptis litteris per verborum ambages innuat) submissorum, ad omne facinus paratorum: ali nefariorum hominum audaciam bonorum languore; expergiscendum igitur aliquando; pestemque, quam alius machinantur, in eorum caput conferendam: ejusmodi enim homines non civium, sed hostium loco habendos; eo tetriorum, quod ab exterorum impetu saltem opposita moenia cives tegant; hos inter latera nostra versari, nihilque inter illorum ficas & jugula bonorum interpositum: properandum igitur, ac sceleratis consilus praevertendum; perditorumque hominum merito supplicio civitatis quietem & publicam majestatem sanciendam.

Praetore vix perorare permisso, undique à consilio conclamatur, capitales patriae hostes tollendos; neque hujus lucis usuram unius horae illis dandam. Cognita civitatis voluntate, Praetor nulla mora interposita, Fulcone Guercio ac Roscio Turca urbanae militiae praefectis, octoque regionum vexilliferis accersitis, Joannis Streggiaporci aedes petit, quas illico demolitur: indeque ad familiae Auriae domos versus, obvios in itinere habuit Dominicanos ac Franciscanos Monachos supplicibus precibus vastitatem ab aedibus Auriarum deprecantes; quos ad sana consilia reversos, imperata facere paratos dicunt: mitigatus Praetor, omissis Auriis, homines familiarum à Volta, Ventorum, Piperorum, item Thomam Spinulam, Ubertum Advocatum, Ingonem Grillum ad jussa audienda ad se vocat: qui cum imperium sprevissent, Praetor praefectos urbanae militiae, unaque Jacobum Marocellum Halmiratem cum navium gubernatoribus ad domum Thomae Spinulae mittit: quae, simulque conjuncta turris eodem die expugnata solo aequantur: cum Thomas mortiferum vulnus, dum resistit, in capite accepisset, ex quo paucis post diebus decessit: quo facto ceteri vehementer perculsi abditis locis latentes sese in publicum dare non audere; qui tamen omnes postero die una cum Auriis, fide publica accepta, ad Praetorem accedunt, seque dicto audientes fore profitentur, praeter Joannem Streggiaporcum: quem contumaciae finem non facicotem Praetor perduellionis damnatum exsulio mulctat; illiusque aedificia tam extra quam intra pomoerium disturbat; praediaque vastat, atque Friderico Grillo, Uberto Advocato, Sorleoni Piperi, Pasquali Nigro imperium pertinaciter contemnentibus urbe exactis, locum exsulii Longobardiam circumscribit: quam eandem fortunam exspectantes, Principvalles, Emmanuel, Ingo Auriae, Gulielmus, Rossius, Lanfrancus à Volta, Gulielmus & Albertus Venti, ac cum illis complures alii voluntarii exsulii causa solum vertunt; seque Buzallam & Roncum ad Gulielmum Spinulam conferunt, eamque exsulii sedem deligunt.

Rebus urbanis constitutis, civitateque intus pacata, curae foras versae sunt: classisque, quae complures dies intestinorum motuum causa Genuae subsiterat, Jacobo Marocello Duce, cum tribus Legatis Pontificiis, Antistitibusque, & Principum Oratoribus à civitate ad Concilium decretis Othobono Mallonio ac Trincherio Simachio, tandem solvit: numerus navium longarum constat; fuerunt enim viginti septem, partim triremes, partim taridae: de onerariis apud Annales nostros silentium est: ceteri tradunt, classem sexaginta navium fuisse, partim trirentium, partim varii generis onerariarum: quod & verisimile est: neque enim tam exiguus triremium numerus satis amplus fuisset, ad tantam Antistitum, Oratorum, ac magnorum virorum multitudinem, tantosque illorum comitatus ac familiarium greges, ad hoc tantam farcinarum & impedimentorum vim vehendam.

Classe profecta, Praetor ducentos pedites ac viginti quinque equites subsidio Vultabio opido mittit; quod ab Ebulio, Genuensibus exsulibus adjunctis, arta obsidione premebatur: quorum adventu Ebulius obsidionem solvit; copiasque Gavilono opido admovet, quod in deditionem acceptum illico evertit: cum per idem tempus Zolascum opidum Palavicino oppugnanti se tradidisset: qui inde Levantum validum opidum irrito incepto tentavit, acriter ab opidanis defensum.

Interea Pisani ingentem classem quadraginta triremium compararant: quam cum omnibus necessariis ad pugnam rebus instructam, tum delecta ac praevalida bellatorum manu firmatam, Duce Ugolino Buzacarino, viginti septem triremibus Caesarianis adjunxerant. Quibus rebus Genuae cognitis, ne numero saltem vincerentur, octo triremes in supplementum emisiae classis, si opus sit, octo urbis regionibus onus aequaliter subeuntibus, armant: ceterum tanta fuit Genuensis praefecti amentia verius quam temeritas; ut tanti Pisanorum apparatus cognita non modo ipsum cautorem facerent, aut impetum reprimerent, sed arrogantiam incitarent: qui exemplo ab opido Portu Veneris solvens, ne hoc quidem qualicumque supplemento exspectato, classem quamquam numero haud multo inferiorem, genere tamen navigiorum longe disparem, tum autem imbelli multitudine, atque ingenti farcinarum, omnisque generis impedimentorum vi oneratam potius quam ad pugnam firmatam, praevalidae classi atque hostilibus copus numero ac genere firmissimis opponere non dubitavit: ac sese, Rempublicam, classem, tantum sacrorum Antistitum & Procerum numerum in praecipitem casum dare: cum pervicacis & arrogantis ingenii hominem, ac superba sui fiducia con-

contemptuque hoſtium cæcatum Legati ac facri Antiſites, conſilia precibus miſcentes, ac ſuadentes & monentes, ut itinere extra inſulam Corſicam deflexo, paratam haud dubiam perniciem declinaret, à pravo conſilio deducere non potuiſſent: porro igitur ire pergens, cum littora Etruriæ prætervehens ad parvas inſulas portui Piſano & Corſicæ interjectas perveniſſet, Piſanam & Cæſarianam claſſem in conſpectu habuit: quarum alteram Buzacarinus, alteram Rex ipſe Entius ducebat, Andreolumque à Mari Anſaldi Halmiratis filium Legatum ſecum habebat: at Genuenſis nihil adſpectu tanti triremium numeri animo imminutus, claſſe in pugnam directa, infeſtis roſtris hoſtem petit: qui & ipſe naves ſuas in adventantes Genuenſes concitat: brevique prælium commiſſum eſt, à Genuenſibus in tantis omnium rerum iniquitatibus ingentibus animis initum, qui atrociorem pugnam ac majorem, quam pro numero navium ac copiarum, cum non exigua hoſtium ſanguine ediderunt: ceterum nimia mole brevi obruti ſunt, claſſiſque tota profligata eſt & capta; præter quinque triremes, in quibus fuit prætoria præfectum vehens, ac perpaucas depreſſas, atque in littus parvæ inſulæ Meloriæ, prope quam pugnatum eſt, ejectas, nonnullique ex facris Antiſtitibus ac Proceribus undis hauſti ſunt: maxima pars cum Legatis Pontificiis in poteſtatem hoſtium venerunt, ac cum illis nonnulli ex Genuenſium primoribus; in quibus fuerunt Guliel-mus Embriacus, Petrus Ventus, ejuſque filius Jacobus, Orhobonus Mallonius, & Andreas filius, Henricus à Domoculta, Andreas Bulgarus: quos omnes Entius filius ad parentem ita impetrantem vinctos, per ſummum ſacerdotii contemptum, paullo poſt miſit; cum ille filio conſulenti quid ſacris Antiſtitibus ac Pontificiis Legatis captis faciendum eſſet, duobus carminibus reſpondiſſet, quæ rudem iſtam & incomptam vetuſtatem redolentia hic adſcribere libuit:

Omnes prælati Papa mandante vocati;
Et tres Legati veniant huncſuque ligati.

Fœdo carcere omnes nihil commeatu incluſi ſunt, omnibuſque aſperitatibus diu macerati, cum immitis ſæviria nullis miſeroruni ærumnis ac ſupplicüs ſatiaretur. Galli tantummodo Antiſtites, neque ii tamen ſubito, dimiſſi ſunt, Friderico non tam miſericordia ſupplicum flexo, quam metu illorum Regis adacto, acriter ac vehementer per litteras & nuncios agentis, ac bellum, niſi dimitterentur, comminantis: reliqui retenti ſunt; quorum multi malis impares neceſſariarum rerum inopia, tetro odore, pedore, animi ægritudine conſumpti ſunt.

Hujus victoriæ lætitia Piſanis perpetua non fuit, longe majore clade illis à Genuenſibus ad eandem Meloriam inſulam reddita: divino Numine pœnas tanti ſcelcris à facrilegis hominibus, ac piorum cœtu à Pontifice exterminatis, repetente: at Gregorius tanto Eccleſiæ ictus vulnere brevi mœrore conſumptus eſt; quarto decimo pontificatus anno exacto, cujus curſum, à Friderico ſæpe aperta vi, nonnumquam etiam dolis & fraudibus petitus, perpetuo exercitum habuit vir pietate inſignis; multiſque & egregiis virtutibus, atque in Eccleſiam meritis clarus, acerque dignitatis Pontificiæ, & jurium Eccleſiæ, ac conſtans vindex. In demortui locum ſuffectus eſt Cæleſtinus quartus Mediolanenſis è gente Caſtilliones: cujus pontificatus minus menſtruus fuit: ejuſque obitu ſolium viginti menſes vacuum fuit: neque id Cardinalium diſcordiis, ſed quod obſtrmaſſent animis, non prius Pontificem eligere, quam Cardinales captivi à Friderico dimitterentur: quod ille tandem fecit, Balduini Conſtantinopolitani Imperatoris, qui tum in Italia fórte erat, auctoritate & precibus victus: qui Genuenſibus graviter infenſus haud exiguam curarum partem in illos evertendos contulit: cujus conſilius viam expediverunt ipſorummet diſcordiæ ac partium ſtudia, quæ interneciuis bellis tum primum cœptis, illos inter ſe commiſerunt: quæ bella per longum temporis tractum exercita, ſæpeque intermiſſa, ac majoribus motibus acrioribuſque odiis ſemper repetita, florentiſſimas civitatis vires tandem confecerunt: igitur Friderieus Anſaldo à Mari Halmirati cum prævalida claſſe miſſo ac vicariis & beneficiariis ſuis Genuenſi ditioni circumjectis imperat, ut quam acerrimo bello Genuenſes terra marique urgeant: quibus rebus Genuenſium exſulum animi erecti, egregiam occaſionem patriæ repetendæ non omittendam rati, ſeſe Saonam conferunt; à Saonenſibus ipſis invitati ac benigne excepti: qui ingentibus Friderici promiſſis inſtati, cupide ſtudia Genuæ oppugnandæ cum exſulibus conjunxerunt: fed diſpari animi habitu: nam exſules reditum in patriam, quam ſalvam & florentem vellent, tantummodo ſpectabant: Saonenſes ſperabant Genuenſium viribus confectis, illorumque civitate enervata, ſeſe ab eorum jugo perpetuo ſecuros facere: quin etiam nonnulli animos ad ea, quæ ſupra fortunam ipſorum eſſent, attollentes, Ligiuræ principatum ſibi deſpondebant: at Genuenſes quamquam triſti nuncio vehementer primo perculſi, tamen aninis mox collectis, tanta clade accepta, tantiſque undique circumſtentibus terroribus nihil infracti, omnes curas in reparandis viribus & in injuriis ulciſcendis defigunt. Quare poſitis togis, ſagaque induti duas & quinquaginta triremes, carinis poſitis, ædificare incipiunt: opuſque non diurno modo, ſed nocturno labore approperatum brevi ad effectum perductum eſt. Cumque ingens onerariarum claſſis, immanis pretii ineres, ac magnum numerum primariorum civium, fortiumque ac ſtrenuorum virorum vehens ex Oriente exſpectaretur; miſſum eſt propere expeditum navigium, quod cladem acceptam demonſtraret, monceretque vectores, prævalidas hoſtiles claſſes maris potentes per circumjectas oras volitare: caute igitur & explorato iter faciendum; ne ad publicam acceptam cladem tanta privaturum quoque fortunarum jactura adderetur: quo nuncio accepto claſſiarii, cum Sardiniam prætervcherentur, ſeſe ad defenſionem parant; præmiſſique ſpeculatoris navigiis caute navigantes tandem Genuam incolumes appellunt; magna cum civitatis lætitia, metu, quo diu ſuſpenſa fuerat, liberatæ.

Interea Palavicinus Ponderollum, Bozolam, Crovariam, Carpenam, Ripaltam, ignobilia oppida à Varaginenſibus prodita occupat: adverſus quem ſubitalia equitum & peditum à Mediolanenſibus & Placentinis, Guarnerio Judice & Nicolao Mallonio Legatis eo miſſis, ex fœdere poſtulata ſunt; haud retractanterque ab illis ſubmiſſa. Dum civitas in trimembus ædificatis inſtruendis, mercibuſque exonerandis eſt occupata: ecce tertio Nonas Auguſti, ſub ortum ſolis, claſſis Cæſariana, quam ducebat Anſaldus à Mari Halmiras, prætenta portui, prope à terra haud plures quingentos paſſus apparuit: ſive ille fallendi ſpe ac furto inſidiarum urbem intrandi inductus, ſive ſeſe aliquid motarum ratus; ac tam propinquum validumque auxilium exſulum propinquus, illoſve aut partium Maſcaratarum aut quavis alia neceſſitudine attingentibus, occultoque ſtudio faventibus, animos factarum; ſive qua alia cauſſa hoc conſilium ceperit: cum nihil ſucceſſiſſet, civitas enim omnis, cum ſumma omnium ordinum conſpiratione, momento

temporis in armis fuit) paucis poſt horis quam venerat, claſſe mota Saonam curſum dirigit; indeque Naulum petit; ſpe à Saooenſibus, Finarienſibus, Ingaunis facta, primo adventu illum ea urbe potiturum: verum irritum inceptum fuit; egregia enim Naulenſium in Genuenſem populum conſtitit fides: qui duas Genuenſium triremes præſidiarias ſubductas ab illius impetu defenderunt; domoſque ipſi ſuas, atque ædificia, quæcunque erant extra pomœrium, tamquam defenſioni incommoda, incenderunt: at Genuenſes poſt diſceſſum claſſis Cæſarianæ, coteris omnibus rebus omiſſis, ſummaque contentione adhibita, minus viginti quattuor horarum ſpatio, prælucentibus facibus nocturno operi, claſſem unius & qoinquaginta triremium omnibus neceſſariis armamentis bellique apparatibus inſtruxerunt; quam, Anſaldo Soldano & Jacobo Levanto Ducibus, omnis fere juventus cum magno animorum ardore conſcendit: alteroque die, poſt conſpectam hoſtium claſſem, vexillo ſublato iter in hoſtem iotendunt: quod ne noctu quidem intermittunt; ſperantes ſeſe tenebris tectos claſſem hoſtilem in portu Naulenſi improviſo deprehenſam oppreſſuros: verum à vento deſtituti ortum lucis antevertere non potuerunt: Cæſarianaque claſſis, illis appropinquantibus conſpecta, trepidans, extemplo funibus incifis, anconiſque ac ſcaphis relictis, atque omnibus curſum tardantibus in mare projectis, fugæ ſe mandat: quam exoneratam, atque idcirco celerius navigaotem Genuenſes aſſequi poſſe deſperantes, claſſem Naulum appelluot, fideque Naulenſium laudata, cujus populum Genuenſem perpetuo memorem fore aſſerunt, urbi præſidio ac ceteris neceſſariis rebus firmatæ Fulconem Guercium præficiunt: celocibuſque circummiſſis, cum nihil certi aut exploraţi haberent, quo claſſis Cæſariana, quæ velis in altum datis conſpectui ſe ſubtraxerat, iter intendiſſet, quoſque portus quæve littora petiſſet, Genuam revertuntur.

Diſceſſu Genuenſis claſſis cognito, Anſaldus ab exſulibus Ingaunis inductus arcem inſulæ urbi objectæ iovadit: quam nullo ſatis valido præſidio adverſus tantam vim firmatam Lanfrancus Bucca, nolla oppugnatione exſpectata, illico tradit, traditamque Anſaldus ſolo æquat: indeque profectus opidum Cervum fruſtra tentat; ab opidanis ac Dianenſibus conjunctis nonnulliſque militibus Genuenſibus, non ſine detrimento, repulſus, triremi una amiſſa: qua re Genuam nunciata momento temporis claſſis unius & quinquaginta navium longarum, partim triremium, partim galeatiarum, ex cura ante præparata armata eſt: quæ omoem florem juventutis vehens, illico ſolvit: qua ab alto conſpecta, Cæſarianæ naves, ne in ipſo quidem portu Saonæ ſatis ſe tutas exiſtimantes, trepidam fugam continno eapunt: quas Genuenſes aliquandiu inſecuti, cum aſſequi non potuiſſent, in portum Naulenſem concedunt: at Cæſariani, ſperantes ſe Genuam tantæ claſſis diſceſſu defenſoribus vacuam offenſuros, extrema inſequenti nocte nondum certa luce, Genuenſem portum ſubeunt: vana ſpes evaſit: Genuenſes enim, qui remanſerant, armis repente arreptis, ad portum undique concurrentes, acriter primo reſiſtunt: deinde omnibus viribus connixi Cæſarianos repellunt: ſignoque conſueto in montium cacuminibus ſublato, claſſem è portu Naulenſi acceruunt: quam rem Cæſariani ſuſpicantes fore, itinere retro petito, ſeſe in portum Saonenſem recipiunt.

At Fridericus intelligens nihil ſibi vis maris, cujus Genuenſes potentiores eſſent, proceſſurum; erreſtribus Ducibus, ac res ſuas procurantibus imperat, ut ditionem Genuenſem ex omnibus locis quam acerrimo bello urgeant: cum etiam Anſaldo mandaſſet, ut nihil de inſtituta contentione in Genuenſibus maritimo bello prehendis remitteret: impigre omnes imperata faciunt. Ebuliuſque Longobardia cum Maſcaratis exſulibus movens, auxiliaque à Papienſibus, Alexandrinis, Dertonenſibus, Vercellenſibus, Novarienſibus, Albenſibus, Aquenſibus, Caſſinenſibus ſubmiſſa trahens, Marchione Montiſferacis, ac Marchione Boſci comitibus, Vuadam uſque perrexit; verbiſque ferox ſeſe io vallem ipſam Porciferæ deſcenſurum, arcemque in phari promontorio, quæ portui Genuenſi imminet, excitaturum jactat. Eodemque tempore Palavicinus ipſe quoque ex agro Lunenſi movet; haud exigua Etruſcorum manu, regioniſque Lunenſis hominibus, ac Marchionibus Malaſpinis illum ſequentibus: opidaque Montem rubrum & Vernatam uſque pergit, ſeſeque copias ipſi urbi Genuæ admoturum minatur. Anſaldus quoque haud cunctatus è Saonenſi portu prodiens, claſſem uſque ad Vulturem opidum promovit; ibique in anconis ſtetit.

Nihil tantis undique circumſiſtentibus terroribus Genuenſes animis imminuti, ſeſe ad reſiſtendum parant: cumque ad omnia non ſatis eſſet virium; rebus maritimis tamquam minus prementibus in præſentia omiſſis, Orientalis oræ incolas, nonnullis equitibus illis datis, adverſus Palavicinum mittunt: quibus appropinquantibus Palavicinus retro caſtra movet. At Prætor cum externa militia omnibuſque civitatis viribus adverſus Ebulum majoremque molem belli proficiſcitur, nonnullis armatis in præſidio Vulturis opidi relictis: Vuadamque contendit; ac primo adventu cum Cæſarianis maoum conſerit: quod prælium Genuenſibus ſecundum fuit: Cæſarianique non ſine ignominia clam noctu, duobus ſignis amiſſis, è finibus Genuenſibus exceduot, ſeque in ſua recipiunt. Anſaldus quoque, cognitis, quæ ad Vuadam geſta ſunt, Arenzanum opidum conceſſit; ibique multos ex ſuis, cum exſcenſionem feciſſet, ac nonnulla ſigna amiſit: exſuleſque Genuenſes, qui Buzalæ conſederant, non ſe ſine periculo ibi eſſe exiſtimantes, Longobardis auxiliis deſtituti, Saonam ſe conferunt, ac cum reliquis conjungunt. Ebulio repulſo, Prætor copias in Palavicinum vertit: verum non ultra Sigeſtrum opidum proceſſit; cum ad ejus famam, Palavicinus, omiſſo oppido Vernata, in ſua conceſſiſſet.

Igitur Genuenſes à terreſtribus periculis liberi, omiſſas rerum maritimarum curas repetunt; claſſemque, Gulielmo Gabernia præfecto, Saonam mittunt: ſed irritus exitus fuit; exſules enim & Saonenſes oſtium portus vallo antennarum magnæ craſſitudinis obſtruxerant, proximaque littora firmiſſimis ligneis munimentis ſepſerant: quæ Gabernia comburere adortus, nonnullis navigiis picis & bituminis & aliorum ignis alimentorum plenis incenſis in eis immiſſis, ſubita coorta tempeſtate omittere inceptum coactus eſt, ſeque in portum Naulenſem recipere. Quare Anſaldus, obſidione ſoluta, cum nondum tempeſtas plane ceſſaviſſet, viginti triremes in Siciliam mittit; quas Uberto Ponzettæ ducendas tradit: quæ claſſis ad portum Piſanum Sorleonem Piperem, & Ingonem à Volta Maſcaratorum ad Cæſarem Legatos, qui tum Faventiam obſidebat, in terram exponunt. Anſalduſque novem triremes, quæ reliquæ erant, ſubduxit; reliquam claſſem ex Provincis Narbonenſi exſpectans. Igitur Gulielmus Gabernia, omni ſpe hoſtis lædendi omiſſa, Genuam rever-

revertitur. Anſaldus quoque cum paucis illis, quas retinuerat, navibus, iiſque haud ſatis inſtructis Saona profectus, Sardiniam primum appulit, indeque Siciliam petit.

Interea exſulum Legati Faventiam pervenerant; quibus ad Cæſarem introductis, alterum eorum in hanc ſententiam locutum accepimus: *Si nos major res tua in ope nobis ferenda, quam noſtra in illa imploranda ageretur, Cæſar, digni fortaſſe eſſemus, quas etiam, eruimus noſtris nihil rem tuam attingentibus, à te non deſereremur: quis, dum noſtram fidem adverſus quoſcumque, vel maximos Principes, tibi præſtare volumus, in miſerum hunc ſtatum nos demiſimus: quid enim eſt in malis reliquum, quod ad nos non pervenerit? domo ab inimicis noſtris iisdemque hoſtibus tuis exulis, patria exturres, omnibus fortunis everſi, omnium rerum inopes, à ſubjunctis ipſis noſtris omnibus inquietatibus vexati, contumeliis appetiti, ab omnibus deſpecti in turpi exſilio conſenueſcimus: qua per ſe acerba & indigna, acerbiora facit inimicorum noſtrorum, qui contra te arma aperte tulerunt, ex altera parte fortuna collata; quos cernimus alacres ac lætos, opibus affluentes, dignitate florentes, in patria tranquillam ætatem agere; penes illos potentiam, auctoritatem, honores, imperia eſſe: idque te non incolumi modo, ſed in maximo felicitatis curſu, atque in tanta rerum faſtigio poſito. Ac neſcimus, quo numine nobis irato fiat, in quemcumque contra te venire auſi ſint, aut imperium tuum abnuere, magna excidii mercede ſua ipſis temeritas ſteterit: Genuenſibus ſolis hoſtibus tuis ſpretum imperium tuum non modo impune, ſed etiam fructus & emolumento ſit: in quibus rebus negligendis, equidem intelligis, Cæſar, eo majorem tuam rem, quam noſtram agi, quo major eſt exiſtimationis ac famæ jactura, quam familiaris rei ac patriæ ipſius amiſſio? liberum te quidem ab omni adverſæ exiſtimationis metu res à te præclare geſta, maxima victoria parta, ingentes copiæ deletæ, innumerabiles munitiſſimæ urbes expugnatæ. Eripiunt orationem obtrectatoribus præſtantes atque hercle virtutes tuæ: ſed te non latet, Cæſar, tantarum laudum gloriam non minore labore nos tueri, quam quærere: quæ quo exceliore loco poſita eſt, eo magis telis obtrectatorum eſt obnoxia. Cave igitur, per Deum immortalem, Cæſar, ut, cum hac exceptione noſtra deſtitutorum, laudaris: neque vero te nihil pro nobis feciſſe arguemus; maximis claſſibus ſæpe, ac nunc, ut cum maxime, à te adjuti; ac virtutem ingrati animi eo majorem tibi in nobis ſtomachum faciat, quo ab illo te longius abfuiſſe cum ſemper declaraſſi; tum in noſtra defenſione, majore conatu, majoreque ope, quam adhuc factum eſt, ampleſtenda, in primis declaraturum ſperamus: cæterum non in claſſibus ſpes contumaciam Genuenſium hoſtium contundendi tota vertitur; qui navalibus opibus ac mari non minus, quam tu, poſſunt: ſed terreſtri bello acri & vehementi petendi ſunt, oraque Liguſtica, qua alunur, illis adimenda; urbs ipſa arta obſidione premenda: neque moliter, ut adhuc factum eſt, aut incurſionibus agendum: neque eo mittenda copia, quæ ad primum adſpectum hoſtium, ne fortuna quidem pugnæ tentata, tanquam aves ad primum crepitum evolent: alit id potius contumaciam hoſtium, quam audaciam frangit: quod conſilium te tua ſponte non cepiſſe, duabus de cauſis non ſatis mirari poſſumus, Cæſar: altera eſt tuum ipſius exemplum; qui ipſe non per procuratores bella gerere ſoleas; ſed infeſta armis circumferens hoſtes non magis copiis omnibus tuis, quam præſentia quoque, cujus tum minora ſunt quam operæ momenta, urgere: ut nunc in Faventia obſidenda facis: altera, quod, cum in res, quo majoris fructus ſunt, eo major laboris & operæ fieri ſolerat impenſa; majoris emolumenti ſpe Genua quam Faventia imperium petetur: quod cum per ſe, ſinaque amplitudine longe major eſt: tum ad poſſeſſionem regni Siculi, eorumque, qua in Italia tenes, tibi ſtabiliendam, magnas habet opportunitates, viamque tibi ad eam, quam ſpectas, amplitudinem communit: Mediterranei enim maris te dominum facit: qua res Gallorum arma in Italia regnantibus perpetuo formidoloſa, & adverſus Reges, quos faſtidiunt, à Pontificibus accerſiri ſolita, procul a te arcet, maritimo ſtatere illas intercluſo, quod expeditiſſimum ac tutiſſimum eſt; cum terreſtre longum atque arduum, malleque diſcriminum plenum ſit: cæterum de his rebus tuum erit conſilium, Cæſar. Nos miſerias noſtras tibi aperuiſſe, opem tuam in extrema fortuna noſtra cunctis precibus imploraſſe, fidem in vobis non deferendis obteſtatos eſſe, gravari non debes, Cæſar; neque non oratione noſtra perfrictum putare; ſed afflictum ſtatum noſtrum coram te, qui illum ſublevare unus potes, laxaſſe, æquo animo ferre.*

Ad ea Cæſar, orſus à commendatione perſpectæ illorum fidei, egregiæque in ſe voluntatis, cujus ſe perpetuo memorem fore dixit, illorum mala & anguſtias non minus ſibi quam illis ipſis graves eſſe reſpondet; quibus, non prius ſe quieturum, quam illos liberatos, atque in patriam & in priſtinam dignitatem reſtitutos videat: cæterum bellum terreſtre adverſus Genuenſes aut nullius, aut parvi admodum, fructus ſe ſemper cenſuiſſe, ac nunc cenſere: aliter omnes ſuas vires, omnemque belli procellam ceteris omiſſis, etiam ab ipſis non incitatum in illos verſurum fuiſſe: nam neque Liguſticam oram cum ullo operæ pretio Genuenſibus adimi; non enim à ſterili Liguriæ ſolo Genuam, ſed potius à civitate Liguriam ali: quæ res tamen longi laboris & immenſi operis ſit: neque enim capta opida ob egregiam Ligurum in Genuenſes fidem teneri poſſe; niſi ſingula ſingulis, iiſque non invalidis præſidiis firmcotur: & civitatem ipſam fruſtra obſidione cingi, quæ illico turpiter ſit ſolvenda; cum nudum & aſperum circumjectum ſolum copias circumſidentes alere non poſſit; & ſubvectiones longæ atque impeditæ per vias aſperas & confragoſas, atque per abſciſſas rupes ſint; ut triduo majore neceſſariorum alimentorum inopia obſidcotes, quam obſeſſos laborare, neceſſe ſit: unam igitur reliquam eſſe cum Genuenſibus belli gerendi, eam, quam inſiterit, maritimam viam; eam urgendam: mari adempto, omnia ſimul Genuenſibus adimi: non minus ſe ut ſocius & amicis ſuis conſtantiam & perſeverantiam, quam virtutem & fidem optare: niſi illa adſint, inutilia hæc eſſe: ſummæ mollicici eſſe in ipſo limine deficere; ac, niſi conſilia ſubito ſucceſſerint, animum deſpondere: non hoc à fortibus viris, quales ipſos eſſe expertus ſit, ſe exſpectare: ad ceteras igitur virtutes ſuas hanc unam patientiæ adderent; qua una in primis omnia, ac præſertim bella vincantur: neque tamen hæc in eam ſententiam dicere, quod non illos terreſtribus quoque opibus adjuvare in animo habeat; adjuturum enim ſe ſedulo: qua in re illorum potius voluntati ſe indulgere, quam ulla magnæ rei ſpe induci: proinde abirent, nunciarentque iis, à quibus miſſi eſſent, forti animo & conſtanti eſſent; ſcirentque Friderico ipſorum ſalure & dignitate antiquius nihil umquam fore.

Cum hoc reſponſo dimiſſi Legati ſunt; Ebuliuſque, litteris Cæſaris acceptis, exſulibus & Saonenſibus inſtantibus, menſe Octobri fines Genuenſes ingreſſus, firmioribus quam antea copiis arcem Signi caſtelli circumſiſtit; nihil tamen multorum dierum oppugnatione profecit; Naulenſibus arcem egregie defendentibus: cæterum, Jacobo Carretto cum haud contemnendis copiis atque hominibus Finarienſibus illi adjunctis, acrior oppugnatio integrata eſt; mœniaque murali machina

ehins quati cœpta: quare Naulenſes tantæ in ſe incumbenti moli impares Genuam auxilium poſtulatum mittunt. Conſilio à Prætore coacto decernitur, Naulenſibus pro multis illorum in Rempublicam meritis, nulla interpoſita mora, omnibus terreſtribus & maritimis copiis ſubſidio eundum: qua de cauſſa Prætor Varaginem opidum uſque proceſſit: quo ut copiæ convenirent, edictum fuerat: verum, adverſis tempeſtatibus eum contrahi copiæ non potuiſſent, ne omnino deſererentur Naulenſes, equitum centuria cum non exiguo peditatu miſſa eſt, irrito incepto: ante enim illorum adventum, nonnulli Signini præmiis empti arcem hoſti prodiderunt: quam Carrettus præſidio firmavit: cujus rei nuncius non minus Genuenſibus, quam Naulenſibus ipſis triſtis fuit: Prætorque & Magiſtratus Carretti injuriis irritati delectam equitum & peditum manum, Duce Fulcone Guercio, ad hominem bello perſequendum, ejuſque ditionem vaſtandam mittunt: ceterum exitus contrarius fuit: profligatæ enim ac fuſæ ſunt à Carretto Genuenſes copiæ, ac Fulco Dux captus. At Prætor & Magiſtratus urbi Naulo in tanta hoſtium propinquitate timentes, quinque ex primoribus civibus eo mittunt, non magis in opidi præſidium quam ad ſolatium acceptæ cladis, Lanfrancum, & Morruellum Marocellos, Henricum Nigrum, Lanfrancum Uſuſmarium, Piccamilium: cum Lanfranco Marocello affinitatis neceſſitudine ſibi conjuncto ſermonem eontulit Carrettus, pœnitentiam factorum ſimulans; ſeque novis in Rempublicam Genuenſem meritis præteritorum culpam emendaturum confirmans: qui tamen fidem promiſſorum ludificatus eſt; cum nullum finem faceret cum Finarienſibus ſuis finitimam ditionem Genuenſem incurſionibus ac rapinis vexandi: circumactuſque tandem eſt annus initio & exitu Genuenſibus funeſtus.

A. C. 1241. At inſequens annus ejus ſeculi quadrageſimus alter nullis quidem cladibus lugubris fuit; ceterum non minoribus moleſtus ac vexationibus inſeſtus; Prætoremque habuit Conradum Conceſſium Brixianum, experientem, ac fortem, magnique animi & conſilii virum. Friderici partes ſequebantur Alexandrini, Dertonenſes, Albenſes, Haſtenſes, Aquenſes, Caſſinenſes, Vercellenſes, Novarienſes, Papienſes, Cremonenſes, Parmenſes, Pontremulani, Lunenſes, Graffagnini, Marchiones Montiſferacis, Cevæ, Boſci, gens Malaſpina, gens Palavicina cum magno clientium numero, ad hoc Maſcarati Genuenſes exſules, qui conjunctos habebant Saonenſes, quos ſupra à Genuenſibus defeciſſe ſcripſimus, Ingaunos, Finarienſes, incolas Celaſci, Carpenæ, Bozoli, Montiſrubei, Laci, multoſque alios; qui omnes ſeſe ad Maſcaratorum ſocietatem adjunxerant; cum Mediolanenſes tantummodo & Placentini à Genuenſibus ſtarent.

Prætor ulcera propiora ac viſceribus magis hærentia ſigillatim præcidere aggreſſus, conſilio cum nemine communicato, ne aliqua emanaret, menſe Martio cum urbanis ac trium præfecturarum delectibus Genua proſectus, ditionem Gulielmi Spinulæ, qui in ea regione caput Maſcaratorum erat, invadit, hominis infenſius cum multis aliis de cauſſis, tum quod filium ad Fridericum in civitatem incitandum miſerat: Roncumque opidum primo adventu captt, ac præſidio valido firmat: Genuamque reverſus, eandem vim belli inſequenti menſe Aprili in Savinionem & Coſtam Bellatam ejuſdem Gulielmi opida intendit: quibus captis, Gulielmus Buzallam ſe recipit; magniſque exſulum & facinoroſorum hominum, ac rapinis & latrociniis vitam tolerare aſſuetorum gregibus communit; cum quibus incolas vallis Scriviæ, ac circumjectam regionem ſubitis incurſionibus, incendiis, direptionibus cœpit vexare. At illi, incolis burgi Furnariorum, Falconis Porciferæ ſibi adjunctis, acriter Gulielmo reſiſtentes rem Prætori demonſtrant, atque opem implorant. Ille enimvero ex decreto magni conſilii exercitu educto, ſub finem menſis Aprilis Buzallam petit; opidoque nullo certamine capto, eos, qui erant in præſidio, veniam ſuppliciter petentes cum rebus ſuis, quas ſecum ferre poſſent, incolumes dimittit: pauciſque poſt diebus captum caſtellum nec non Genuæ ædes Gulielmi, ſimulque ædes Sorleonis Piperis diſjicit: quibus rebus, quibuſque meritis magnam gratiam vulgo init; timore incorruptæ ſeveritatis, ac viri reverentia omnes in officio continente.

Igitur percrebeſcente in dies fama, hoſtes ingentem navalium ac terreſtrium copiarum, omniſque generis bellicorum apparatuum vim comparare, in Genuenſes omnem vertendam; Prætor, conſilio civitatis vocato, orſus ab ipſorum Majoribus; cum illorum res geſtas ac religionis ſtudium magnifica oratione ad cœlum extuliſſet; hortatuſque eſſet, ut tot præclara exempla ſibi ad imitandum proponerent: *Quod ſi illi*, inquit, *tot labores exhaurire, tot diſcrimina ſubire, tanta itinerum ſpatia emetiri, tam longinquas Provincias adire, pro gloria & decore numquam recuſarunt, cum à nemine læſi, nulliſque injuriis laceſſiti quietam ætatem agere poſſem; quid vobis tandem eſt faciendum; quibus non de dignitate, aut imperio, ſed de libertate veſtra, de vita, de civitatis excidio eſt à Friderico indictum certamen? Barbarus atque infinita ambitionis Tyrannus, imperioque Italia hianti cupiditate imminens, ac funeſta arma circumferens, non prius quieturus eſt, quam nobiliſſimam Provinciam parentem noſtram jugum accipere cogat: nullaque alia de cauſſa in ſacroſanctos Pontifices tam efferatus eſt, quam quod in illis oppugnandis ſeſe in arcem Italica libertatis invadere intelligat; ſimulque cum illis everſis illam eorum capite nitentem proſterni. Quid autem ceci Itali partes illius ſequentes petunt; qui nullum amicum habent, niſi ei prius jugum acceperit; Quod autem eſt hoc hominis portentum? quem haud facile ſtatuas utrum amicum an inimicum magis abominaris: quippe qui amico libertatem, inimico vitam adimat? quod illum in vos moliri, utinam tot lugubria Italiæ exempla non vos admonerent: ſed, ut cetera omittam, ſacrorum Antiſtitum caſus cogitationi ſubjicite; quos captos ac tetro carcere incluſos omnibus humana patientia intolerandis malis jam diu macerat: idque nullis illorum injuriis laceſſitus; ſed ea tantum de cauſſa, quod Pontifex Romano in pio & neceſſario munere obeundo dicto audientes fuerint, pro debita illi obedientia; cujus nullo jure Friderico contra erant obſtricti. Quid igitur illum vobis fallurum cenſetis; quos ad ejuſdem alitonas ſocietatem, crimen quoque Majeſtatis læſæ, atque imperii ſpreti, cui vos ſubjunctos putat, in ſacris Antiſtitibus, ipſo contra niteme, vehendis addidiſſe pra ſe ;ert? Non eſt igitur tanta neceſſitas indormiendum, Genuenſes; ſed, omni privatarum rerum cogitatione ablegata, negotiationeque mercatoria in præſentia omiſſa, Reſpublica toto pectore ampleſtenda, omneſque cura penitus deſigenda in vobis ac liberis veſtris defendendis, atque excidio a civitate veſtra arcendo: quarum rerum exſequendarum liberam facultatem vobis præbent impedimenta latcribus veſtris adhærentia, divina benignitate, atque opera veſtra, me Duce, modo præciſa.*

Animis ſua ſponte ſatis incenſis, tam vehemens adhibita oratio muros ardoros addidit: ingenteſque gratiæ Prætori actæ ſunt; qui peregri-

grius magis de Genuenſis civitatis ſalute & libertate laboraret, quam ii ipſi ejus cives. Dimiſſo igitur conſilio; omni contentione in res ad uſum tanti imminentis belli neceſſarias expediendas incumbentes; carinis poſitis, opereque numquam interniſſo, brevi quadraginta triremes ad eas, quas habebant, novas addiderunt: menſeque Julio ineunte, certiores facti, claſſem Cæſarianam ſexaginta triremium ac duarum onerariarum omnibus belli apparatibus affatim inſtructam, magnoque bellatorum numero refertam Piſas appulſam, eodem quo ſuperiorum annorum Anſaldo à Mari præfecto; Piſanos quoque uſque ad numerum quinquaginta duarum navium, partim triremium, partim biremium, ac varii generis navigiorum enixos, quibus Buzacarinus præfectus eſſet; inſtitutam curam & diligentiam duplicant: Legatoſque Venetias mittunt, ad auxilia ex fœdere Pontifice auctore inito poſcenda; in tanto imminenti bello à Cæſare & Piſanis omnibus opibus in ſuam perniciem incumbentibus. In fide fuerunt Veneti; ſexagintaque triremes Genuenſibus, Andrea Teupolo præfecto, haud retractanter ſubſidio miſerunt: quam tamen claſſem ideo non ultra urbem Dyrrachium Venetarum rerum Scriptor proceſſiſſe tradit; quod ad eam urbem nuncium acceperit, claſſes Cæſarianam & Piſanam à Genuenſibus in mari Corſico ſignis collatis ſuperatas: quare, cum nullus eſſet ipſorum auxilii uſus, iter retro repetiſſe: cui Scriptori, quamquam nulla hujus rei in Genuenſibus Annalibus eſt mentio, veriſimilia præſertim, quod ad claſſem miſſam attinet, tradenti, fides non videtur abroganda.

At Genuenſes nihil cunctati, navibus nuper ædificatis deductis, ſubito tres & octoginta triremes, tredecimque taridas, ac tres ingentes onerarias armant, albo colore pictas; luteo omiſſo, quo civitas ad eum diem uſa fuerat: edictumque totis Genuenſibus finibus propoſitum eſt, ut omnes ad claſſem ſine ulla mora conſcendendam præſto fiot; Prætorque, populo in aream ante ædem divi Laurentii convocato, vexilloque Georgii Genuenſium tutelaris divi effigie inſigni ſublato, operam ſuam pro ſummo præfecto claſſis profitetur, cunctis approbantibus, ac gratias agentibus, & fore hoc quoque in numero ceterorum meritorum conclamantibus: ipſe nullas partes aſſumpti muneris diligentia ſua prætermittens, octo celocibus, quas *portemaas* vocabant, ad cum uſum deſtinatis, vexilla ſingularum regionum privato illarum inſigni diſtincta diſtribuit, accerſitiſque nonaginta vexilliferis à conſilio decretis, bina ſingulis ſigna, alterum Genuenſis civitatis, alterum Venetæ, ex recenti cum Venetis fœdere, attribuit: delectuque pugnatorum & nauticorum ſociorum in urbe, remigum in præfecturis habito; claſſem florentiſſimis copiis, omnique armamentorum atque omni nautici & bellici inſtrumenti genere firmat; magna vi bellicarum machinarum in galeatias impoſita, magnaque panis torridi, & reliquæ annonæ copia in naves diſtributa.

Cumque auditum eſſet, claſſes hoſtiles Portum Veneris appulſas; ac cum Uberto Palavicino circumjectum agrum urere, Prætor, copiis luſtratis, ſub finem menſis Julii, claſſem extemplo conſcendit, iterque in hoſtem dirigit: qui interea, omiſſo Portu Veneris, Levantum validum ac frequens opidum terra & mari oppugnatum perrexerat; irrito incepto, opidanis acriter ſe atque opidum defendentibus: cum Prætor Sigeſtrum opidum prætervectus eſſet; hoſtes, re cognita, ſubito metu tam validæ apptopinquantis claſſis correpti, anguſtiis temporis urgentibus, ſcalis, ancoris, ac non exiguo armamentorum numero relicto, claſſe raptim conſcenſa, trepidam fugam Piſas verſus capiunt: quos Prætor aliquot horas fruſtra inſecutus eſt; galeatiis celeritatem triremium præ gravitate ſua non æquantibus: quare Prætor nocte oppreſſus finem inſequendi facit, triremi Piſana minoris formæ capta; quam poſtea Genuam reverſus in terram ſubduci juſſit, ſigna Piſana cruore oblita, ad ignominiam gentis, per terram trahentem. Majore mercede fuga Palavicino ſtetit, tempore eodem capto, haud exigua ſuorum cæde à Levantinis inſequentibus edita. At præfecti Cæſarianus & Piſanus, cum nonnullæ ex eorum navibus ad fauces Macræ & Arni fluviorum ejectæ eſſent, verecundia ignominiæ fatendæ, Piſas accedere non auſi, ante portum Piſanum in ſalo ſteterunt: cum interea Prætor ab hoſte inſequendo ad Levantum ſubſtiriſſet; opidoque egregio præſidio firmato, Sigeſtrum reverſus eſſet. Ibi cum audiſſet hoſtes, quibus ſe adjunxerat Andreolus à Mari præfecti filius cum duabus triremibus, in quibus vexillum Friderici vexerat, ipſius reditu cognito, ad opidum Ericem claſſem appuliſſe, galeatiis impedito navigii genere curſum tardantibus relictis, cum expeditis triremibus ad hoſtes contendit: qui, re cognita, cum manum conſerere in animo non haberent, altum petentes Saonam iter dirigunt: quo brevi appulerunt. At Prætor ſpe hoſtem certamen detrectantem adipiſcendi fruſtratus, cum diem unum ad Portum Veneris in ancoris ſuiſſet, viam, qua venerat, retro repetit; atque in itinere agrum opidi Corniliæ, quod ad hoſtem defecerat, populatur: ceterum curſum Saonam directum tenere non potuit, adverſa tempeſtate coactus portum Genuenſem ſubire; ſeſeque in eo aliquot dies tenere: quæ cum tandem exſæviſſet, ſub finem menſis Auguſti, galeatiis Genuæ relictis, cum reliqua claſſe trium & octoginta triremium portum exiens iter Saonam dirigit; ſperans ſe, quando nulla alia re poſſet, arta tandem obſidione neceſſitatem pugnæ hoſti expreſſurum: antevertit Anſaldus conſilia Prætoris, fuga ante ejus adventum in altum capta: ſpe igitur, qua venerat, fruſtratus Prætor, Saona omiſſa, Ingaunum uſque perrexit: quo appulſus agrum Ingaunenſem, longe omnium Liguſticorum fertiliſſimum, vaſtat; nonnullaque navigia ſale onuſta capit: ibi cum audiſſet hoſtem ad Andoriam opidum ſtare, curſu propero eo contendit: hoſteque non invento, deceptuſque à Bonifacio Marchione Claveſanæ, qui in colloquio ſpem fecerat Andoriæ tradendæ, quod opidum ſtudia cum Ingaunis conjunxerat; iram omnem in Andorienſes effundit, eorum regione omni belli clade pervaſtata, navigiiſque in terram ſubductis incenſis.

Eo tempore quinque naves, quorum tres fuerunt triremes, ad Prætorem venerunt, à Romeo Villanova Ballivo Comitis Provinciæ Narbonenſis Genuenſibus auxilio miſſæ: ex iis cognovit hoſtilem claſſem ad inſulam ſanctæ Margaritæ conſpectam: extemplo igitur iter eo dirigit; cumque Antipolim tenuiſſet, vexillo erecto inſulam ſancti Honorati petit, ſpe hoſtis ibi improviſo opprimendi: ceterum ille, Prætoris adventu cognito, ancoris & ſcalis relictis, trepida fuga periculo ſe ſubtraxerat; Hereſque opidum conceſſerat: qua ſpe dejectus Prætor, conſilio hoſtem, quocumque ille pergeret, inſequendi non depoſito, Cavalleriam opidum, quo hoſtem

ſtem ſe contuliſſe audierat, claſſem promovet, ne ibi quidem fugacem hoſtem aſſecutus: qui, Provinciæ ora relicta, iter in Corſicam inſulam direxerat: at Prætor adverſa tempeſtate deprehenſus diem ad littus Heres in ancoris fuit: poſtridieque in terram egreſſus, ac tentoriis ad fauces Capulli fluvii ſtatutis, ducentos medimnos ſalis in ſingulas naves imponi; cujus pretio impendia in claſſem publice facta compenſarentur: cum quo unaque cum multis navigiis negotiationis cauſſa ultro citroque commeantibus, quæ ſeſe illi ſubinde applicarant, ſpe hoſtis adipiſcendi, à qua toties ludificatus eſſet, plane depoſita, Genuam repetit: quo Idibus Septembris appulſus, magno cum honore exceptus eſt: qui, cum eſſet auditum hoſtilem claſſem ad littora Corſicæ, ſæva coorta tempeſtate, lacerratam ac paſſim diſſipatam; falſo rumore deceptus, de conſilu ſententia, ſociis navalibus & remigio commeatum dedit: qua occaſione arrepta, Anſaldus, qui integra claſſe incolumis Piſas appulerat menſe Septembri, extemplo Piſis ſolvens iter Saonam verſus capit.

Per idem tempus, cum galeatia ac duæ onerariæ mercibus magni pretii onuſtæ ex Oriente reverſæ Arenzanum opidum tenuiſſent, ventoque adverſo flante, ibi ſubſiſtere cogerentur; Prætor illis timens, edicto tota urbe pronuntiato, omnibus confeſtim conſcendere juſſis, momento temporis ex urbanis tantummodo copiis duas & triginta triremes armavit, à quibus onerariæ remulco incolumes in portum tractæ ſunt.

Per idem tempus Ebulius, delecta armatorum manu ſecum ducta, Saonam venit: inſequentique die ipſe terreſtri itinere, Anſaldus claſſe Cogoretum & Arenzanum petunt; circumjectaque ædificia diripiunt & incendunt: adverſus quos Prætor urbanas copias eduxit: cujus appropinquantis adventu non exſpectato, hoſtes iter retro repetunt: ille in urbem reverſus ſumma contentione adhibita, triduo ſeptuaginta triremes omnibus neceſſariis rebus refertas armat: cum qua claſſe Kalendis Octobris portu movit, Saonamque appulſus fauces portus obſidet: qua re vehementer commotus Anſaldus, omni elabendi via interclusa, tanta claſſe portum corona cingente, Ebulio Vicario Cæſaris, ac Marchionibos, & veteris, qui illum ſecuti fuerant, nec non Saonenſibus imperat, ne quiſquam urbe excedat; ſed ſeſe omnes pro ſe quiſque ad claſſem defendendam comparent, puppibuſque navium in hoſtem verſis, quam proxime poteſt terræ ſe applicat: firmoque vallo ex malis & antennis navium, aliaque lignea ſimilis craſſitudinis materia claſſem circumdat; ex quibus tormenta contorta hoſtem ab acceſſu claſſis arceant: cujus munimenti adſpectu commotus Prætor, ab omni oppugnationis conſilio deterritus, quam neque ſine magno diſcrimine & cum nulla effectus ſpe fore intelligebat, altam viam expugnandi hoſtis init: duas enim naves pice & aliis alimentis ignis refertas Genua acceſſitas & incenſas in claſſem hoſtilem immittit: ceterum adverſo flante vento, naves retro compulſæ, flammiſque in ipſas tendentibus, eodem incendio, quod aliis machinabantur, ipſæ abſumptæ ſunt: quo caſu hoſti animi creverunt: quo ultro illudente; Prætor dolore & ira incenſus duas alias naves in eundem uſum comparari jubet: quæ dum inſtruuntur, adverſa tempeſtas ſubito coorta, cum ab obſidione abſtraxit, & in portum Naulenſem compulit: enimvero Anſaldus occaſioni non indormiens, omnes copias, quæ Saonam contractæ erant, terreſtri via Albizolam opidum mittit: quo ipſe cum claſſe contendit, littus, quam proxime poteſt, legens. Qua fama excitus Prætor, claſſe extemplo conſcenſa, movit, abeuntemque hoſtem inſequi cœpit: quem ut à littore divelleret, ſimulans ſe Genuam, hyeme jam appetente, repetere conſtituiſſe, altum petere cœpit; ut, ſi hoſtis, eo laxamento dato, littore relicto, apertiori ac liberiori navigationi ſe commiſiſſet, ipſe obliquo & breviore itinere ſeſe inter littus & claſſem hoſtilem inſinuans receptum in portum Saonenſem illi interciperet; ac proinde hoſtem ad neceſſariam pugnam attraheret: ſenſit aſtum Anſaldus vetus & peritus Dux; ſententiæque retinens fuit. Cum conſilium non procederet, Prætor impetu potius animi & iracundia profectus, quam ulla affectus ſpe, claſſem in hoſtem concitat. Impetum venientis declinat Anſaldus; converſiſque proris, in portum Saonenſem atque intra ſepta claſſem incolumem ſubducit. Prætor in portum Naulenſem concedit: qui inſequenti die prima luce Saonæ claſſe admota, cum portus fauces totum illum diem inſediſſet; omni tamen ſpe omiſſa retractantem hoſtem ad neceſſitatem pugnæ compellendi; ne in ſpem irritam tereret tempus, claſſemque graviore anni tempore maris caſibus obnoxiam haberet; valido vento primis tenebris coorto, obſidionem ſolvere coactus iter Genuam intendit: quod inſeſtum habuit: complures enim triremes à vento magis ac magis ſæviente, majoreſque ſubinde volvente fluctus, in terram ejectæ littoribus Arenzani & Vulturis opidorum illiſæ ſunt, remigio tamen ſalvo: quas Prætor in terram ſubductas quam primum reſici jubet; rebus neceſſariis in opus proviſis: quibus rebus procuratis, cum reliqua claſſe portum Genuæ ingreditur.

Nec lætior navigatio Anſaldo fuit; nonnullis illius navibus ad Vada Sabatia in terram ejectis: quibus mox refectis, cum audiſſet Genuæ, copiis dimiſſis, claſſem dearmatam; ſecurus ab illorum petitionibus iter in Provinciam Narbonenſem intendit; ſalem petens, cujus ſumma inopia Saonæ laborabatur: qua re cognita, Genuenſes, copiis dimiſſis iterum coactis, ſeptuaginta triremes iterum inſtruunt: quæ, adverſa tempeſtate viginti dies portu ſe tenere coactæ, numquam ſe mari commiſcerunt: neque enim neceſſe fuit. Interea Anſaldus nullo ſale ad opidum Heres invento, Tolonem uſque pergere coactus eſt: in quo portu duas onerarias Genuenſes mercibus onuſtas ex Hiſpania venientes cepit, ac Maſſiliam duxit: hunc Maſſilienſes, fœderibus Genuenſibus ſpretis, in portum acceperunt: qui, mercibus ex captis navibus in ſuas tranſlatis, Saonam revertitur: in exituque menſis Octobris Andreolus filius, cum quinque & triginta triremibus ex ea urbe profectus, iter Apuliam verſus capit: idem facit paucis poſt diebus ipſe Anſaldus cum reliqua claſſe, Sicilia repetita: ita anno per fallacias hoſtis inſidiantis, & occaſiones captantis, ac bellum ludificantis vetus quam gerentis, ſine ullo operæ pretio extracto, tanti utrimque apparatus inanes evaſerunt: cujus rei cauſſam mihi diu quærenti, cum, ne timorem fuiſſe crederem, faceret ſuperbum ac ferox Piſanorum ingenium, ac de Genuenſibus contemptim loqui conſuetorum, quique nullam timoris ſignificationem, aut in ſuperioribus, aut in iis, quæ conſecuta ſunt, bellis umquam dediſſent, illa veniebant in mentem; Fridericum Ducibus ſuis à fortuna pugnæ tentanda, claſſeque ſua in præcipitem caſum danda enixe interdixiſſe; ſive ille fore ſperaret, ut Genuenſes tædio belli ac laborum & impendiorum ſatietate feſſi, quibus pares diu eſſe non poſſent, tandem ipſi per ſe, ſine ullo diſcrimine rerum ipſius Friderici, caderent: ſive illud veteratoris atque ad omnem fraudem & fallaciam com-

compoſiti ingenii fuerit conſilium ; ut bellum diu extrahendo, utriuſque prævalentis populi vires aſſiduis cladibus & detrimentis conficeret : quos enervatos & exſangues, omni libertatis ſpecie adempta, ad neceſſitatem jugi capiendi tandem ſubigeret.

At Genuenſes intelligentes cauſſam & fontem malorum & vexationum Saonam eſſe ; eſque tam propinqua urbe ab hoſtibus ſtante, numquam ſeſe ac ſibi ſubjunctos populos quieturos ; eam urbem eſſe perpetuum hoſtium receptaculum ; ex ea totam oram Liguſticam aſſiduis excurſionibus terra marique infeſtam fieri ; ipſamque urbem Genuam obſeſſam teneri : eam, arcem libertati Genuæ imminentem hoſtem ſibi in media Liguria feciſſe, illiſque veluti compedibus Genuam conſtrictam tenere : hæc igitur ſecum reputantes Genuenſes, peſtem viſceribus hærentem, omni ratione à ſe depellendam ſtatuunt : quod conſilium jampridem animo agitatum, Reipublicæ temporibus, aliiſque magis urgentibus occupationibus ad eum diem exſequi prohibiti ſunt : igitur omnibus curis in illud bellum verſis ; viam ſibi ad illud præmunire, atque omnia impedimenta, quæ tardare curſum conſiliorum poſſent, removere, & cetera, quæ ad rem perficiendam pertinerent, expedire inſtituunt : quare occulta conſilia pridem cum Marchionibus Montiſferacis, Carrettis, Cevæ inſtituta, ſed lente & frigide ducta, majore diligentia atque animorum ardore repetita, tandem ad effectum perducta ſunt : ad quæ illos deſcendiſſe creditum eſt ; quod voluntatem ſimul cum fortuna mutarint : nam cum antea inter anceps deliberationem Cæſarianas partes, in quibus diu fuerant, conſtanter retinendi : vel, illis deſertis, ſe ad Pontificem, illiuſque partes ſequentes applicandi, incertis animis diu multumque fluctuati eſſent ; cumque initio crederent, Genuenſes tantæ in ſe incumbenti moli diu ſuſtinendæ non fore ; ac proinde Liguriam, ac ceteras circa regiones in ditionem tandem Friderici venturas ; illius gratiam ejus partes ſequendo captarunt : ceterum, cum vidiſſent Fridericum aliis curis diſtentum lente & ſegniter agere ; ac ſugaciter eum Genuenſibus bellum gerere ; neque, vel Piſanis ſibi conjunctis, navalibus copiis Genuenſibus eſſe ſuperiorem ; illoſque ad ſeſe ac libertatem ſuam defendendam animos obfirmaſſe ; metu, ne, ſi Fridericus deſiſteret, aut aliquid illi humani acciditſet, ipſi ejus præſidio nudati tam potentis ac propinquæ urbis, quibus ipſi infinitu prope intervallo viribus inferiores eſſent, proculcandi objicerentur ; gratiam Genuenſium, ac præpotentium populorum ſocietate illis conjunctorum, fœdere cum illis juncto, recuperare ſtuduerunt : quo ſeſe ad propugnationem ſanctæ Pontificii ſolii, ac Genuenſium, Mediolanenſium, & Placentinorum inter ſe fœdere conjunctorum, obſtrinxerunt : inſequentiſque anni initio, qui fuit ejus ſæculi quadrageſimus tertius, A.C. 1443. Genuam venerunt, præſentiaque ſua in publico civitatis conſilio fidem promiſſorum ſanxerunt, & in leges fœderis jurarunt.

Igitur Genuenſes eum ſua ſponte, tum Marchione Montiſferacis illos per litteras & nuncios aſſidue ſtimulante, non ultra differendum rati, copias ad Varaginem contractas & luſtratas, quarum numerum ab Annalibus non traditum divinare non potui, Emanuele Maſio Brixiano illius anni Prætore Duce, Saonæ admovent : collibuſque circumpoſitis occupatis, ac ligneis muralibus machinis excitatis, urbem circumſidunt, atque auxilia à ſociis ex fœdere debita poſtulant : nemo in fide promiſſorum fuit, præter Placentinos, qui alam quadraginta tantummodo equitum cataphractorum miſerunt, tenue ac pudendum ſubſidium, vel in longe minoris rei certamen, & Manfredum Carrettum ; qui pacta auxilia miſit : ipſe quoque Marchio Montiſferacis ardentior hortator belli quam adjutor fuit : qui neque adfuit ipſe, nec pactas copias miſit ; nonnulla & genere levia & ad fidem parum probabilia excuſans : neque elevatur culpa, quod opera & auctoritate ſua Vercellenſes & Novarienſes ad ſocietatem Genuenſium adduxerit ; in quibus nulla pars operæ aut opportunitatis in hoc bello fuit : at Genuenſes ab omnium ſocietate deſerti non ipſi deſerunt ſe : ſed obſidionem urgentes, brevi in magnas anguſtias Saonenſes adducunt : qui cum ad cetera mala annonæ quoque inopia laborare cœptum eſſet, rem per celeres nuncios Entio Cæſaris filio, qui tum erat in Longobardia, ac Manfredo Marchioni Lanceæ demonſtrant, & opem implorant : illi enim vero impigre ſe movent, ac cum copiis numero & genere firmis Aquas uſque Statiellenſium pergunt, ſperantes ad famam ipſorum adventus Genuenſes obſidionem ſoluturos : à qua cogitatione Genuenſes tantum abfuerunt ; ut contra, novis accerſitis copiis, firmati, artiore obſidione opidanos premere intenderint : ſpe igitur, qua venerat, fruſtratus Entius, non ulterius injuſſu parentis ſibi pergendum ratus, retro caſtra movet ; egregia ala ducentorum cataphractorum equitum Jacobo Carretto tradita ; qui, conſilius à Manfredo ſeparatis, in partibus Cæſarianis permanſerat ; quique non audacius ſubſidium Saonam introducendum in ſe recepit, quam impigrius conſilium ad effectum perduxit, eadem ala cum compluribus è ditione Carretta corrogatis hominibus, ac magna annonæ & commeatuum copia, antequam diluceſcere inciperet, furtim in urbem introductis : quæ res varios animorum habitus (ut neceſſe fuit) in utriſque genuit : nam obſeſſos recreavit, & ad ſeſe deſcendendos, atque ultima experienda confirmavit ; & obſidentes magis irritavit ? qui copias auxerunt, ducentis equitibus cataphractis è Subalpina regione evocatis : in quos adventantes opidani audaci eruptione impetum fecerunt : quæ audacia multo ſanguine ac cæde illis ſtetit, averſi enim ſunt à Subalpinis, atque in urbem compulſi, multis ex ſuis amiſſis : hoc acceptum detrimentum audaciam erumpendi Saonenſium compreſſit, quibus cum omnia in dies artiora fierent, Genuenſibus in illis urgendis nihil de ſumma contentione remittentibus ; iterum ad Entium & Lanceam, & ad Cæſarem ipſum, qui rum erat Piſis, opem oratum mittunt, ventum ad extrema eſſe dictitantes ; nec ſuſtineri jam tantam incumbentem molem poſſe : quare, ni propere cum firmis copiis ſubſidio accurratur, Saonenſes omnium rerum inopia premente mox caſuros : ita fidelisſimam urbem, cujus tanta merita in Cæſarem exſtent, cujuſque tantæ ſint in navalibus rebus opportunitates ; ipſis ſedentibus & inſpectantibus, per ſummum dedecus in manus Cæſaris hoſtium ac Cæſaris cauſſa ſibi inſenſiſſimorum venturam. Enimvero Fridericus vehementer commotus haudquaquam negligendos Saonenſes ſtatuens, omnibus navalibus & terreſtribus opibus ſubſidio quam primum ire conſtituit : quare Anſaldum à Mari ex Sicilia accerſit ; qui cum ſex & quinquaginta triremibus mox Piſas venit : quibus haud multo poſt additæ ſunt octoginta triremes, à Piſanis, illo ſuadente & hortante, comparatæ & inſtructæ : quibus præfectus eſt Bonacurſius Paludius illorum Prætor ; ſimul Entio filio & Lanceæ imperat, ut quantis maximis poſſint copiis coactis, opem Saonenſibus ferre ne eunctentur. Quibus motibus Genuæ & Saonæ auditis, Prætor conſilio in ædem Recuperatæ vocato, ingentibuſque hoſtium apparatibus, & annonæ penuria, qua in urbe totaque ora Liguſtica eo anno laborabatur, expoſita, ſententias exquirit : variatum eſt : nam aliis durum videri, tot labores exhauſtos tantaque impendia facta profundere ; ac tum, cum victoria pene in manibus

nibus eſſet, ſubito deſiſtere; & ad nutus & comminationes hoſtis eurſum procedentium conſiliorum interrumpere: cujus terreſtres opes quam ſint formidandæ, duobus irritis conatibus ipſoſmet modo docuiſſe: maritimam vero claſſem quid aliud, quam Liguſticam oram incurſionibus ac direptionibus infeſtam facere poſſe? quæ uſitata belli damna, majorum rerum ſpe affulgente, æquo animo ferenda: perſeverandum igitur, ac valido munimento excitato, oppugnationem Saonæ brevi haud dubie caſuræ urgendam. Contra alii ſalubria ſpecioſis præferenda, in extremis præſertim rebus, dicere; contrariumque conſilium in omnes partes funeſtum eſſe, atque amenti obſtinatione ſua libertatem & ſalutem patriæ funditus perditum ire: nam primum fideliſſimos Liguriæ populos ſibi ſubjunctos, navalibus præſidiis nudatos hoſti proculcandos, ac direptionibus, incendiis, cædibus, ceteriſque belli cladibus urendos objici; eorumque fidem in poſterum labefactari, haud exiguo urbis damno: cujus claſſes illorum hominibus ac navibus, navalibuſque ſociis ac remigio ſuppleantur: deinde quem ipſos ſecuros facere ab urbanis motibus: civitate, ob maximam floriſ ac roboris partem ablegatam in bellum Saonenſe, enervata; ac multitudine natura ad omnem levem auram mobili novarumque rerum avida, ac belli tædia atque incommoda peroſa? quem autem divinare poſſe, quin illa in conſpectu tantæ claſſis, atque in ſpe tam validi ac propinqui auxilii, nullo metu cohibita, ad quamvis præceps conſilium animum ſit adjectura; ab exſulibus præſertim tot primariis civibus ſpem melioris fortunæ illi oſtendentibus occulte inſtigata, fameque inſuper & alimentorum inopia ſtimulante? ut nihil horum fiat, tertium certe tentaturum hoſtem, ne nulla de cauſſa tantas res moviſſe videatur: quem igitur dubitare, quin ille Saonam terreſtribus & navalibus copiis recta ſit petiturus, exercitumque Genuenſem tanto numero inferiorem vel primo adventu contrucidaturus, vel certe circumſeſſurus; atque hinc claſſe, illinc terreſtribus copiis Saona urbe clauſum ac veluti circumvallatum obſeſſurus? qui, omni elabendi facultate adempta, omnique ſpe ſubſidii & annonæ præciſa, neceſſariatum rerum inopia victus, ſeſe atque arma tradere hoſti illico cogatur, in miſeram ſervitutem abducendus: neque enim immanem Friderici crudelitatem minus illis implacabilem fore, quam ſæcris Antiſtitibus: fuerit parendum igitur neceſſitati, ac temporibus cedendum, legioneſque à Saonæ obſidione abductas in urbem revocandas: atque omnes diligentiæ & induſtriæ nervos, in claſſem, quantam maximam poſſint, comparandam, contendendos: bellumque maritimum, quo ipſi invicti ſint, neque Friderico ac Piſanis inferiores, repetendum: aliter hoc bellum lugubri navali clade temeritate unius hominis inceptum, longe lugubriore terreſtri totius civitatis pertinacia terminandum.

Cum hæc ſententia viciſſet, Prætor conſilii capti Genuenſem Magiſtratum certiorem facit: qui in rem frumentariam expediendam, annonamque & reliquos neceſſarios commeatus ſedulo comparandos omnem diligentiam contendit: at Prætor, cum ultima oppugnatione Saonam tentare decreviſſet, omnibus viribus connixus ad tertium decimum Kalendas Aprilis urbem irrito incepto adoritur, acriter à præſidio & opidanis defenſam: poſtero die obſidione ſoluta, quæ paullo plus menſtrua fuit, Genuam cum omnibus copiis revertitur; reſque urbanas haud ſatis quietas offendit, plebis ac tenuiorum civium animis in Nobilitatem irritatis: quorum culpa Saonenſibus defectionem jam multos annos impunitam dicerent, nec velle homines nobiles Saonam recuperare; ſic ad copias illi urbi admovendas litteris Montiſferacis ignaviam

A pene exprobrantis invitos tractos: ſic ad ejus urbis mœnia fortunam pugnæ numquam expertos, nullaque re tentata, ſegne tempus contriviſſe; quam ſi valida oppugnatione initio aggreſſi eſſent, haud dubie urbem neque opere ſatis munitam, neque præſidio ſatis valido firmatam primo impetu capturos fuiſſe: ſic ſubſidium à Carretto, quod nullo negotio ab urbe circumvallata arcere potuiſſent, ipſis conniventibus, in urbem inductum: nolle Nobiles bellum finire, quod ipſis multipliciter utile & commodum ſit: illos enim in imperiis, illos in præfecturis, illos in procurationibus eſſe; ad illos honores & emolumenta, ad ceteros labores & pericula pervenire: ad hoc homines factioſos, ac Republica ad ſuas cupiditates abutentes,
B nolle exſules affinitate & aliis neceſſitudinibus ſibi conjunctos, exſtinguere, neque acri perſequi bello, illos ad par ſibi reddendum lenitate ſua velut obſtringentes, ſimilemque verecundiam illis injicientes, ſi forte aliquando in eundem rerum ſtatum ipſi recidiſſent; rationibuſque privatis ſuis, quas Reipublicæ præferre ſoleant, ita ferentibus, ad aliquem Principem viciſſim deſcendiſſent: cum hæc vulgo fremerent, reſque ad tumultum ſpectare viderentur, Prætor gliſcenti malo obviam eundum ratus, populo in ædem Laurentii ad concionem vocato, ita verba facit: *Formidoloſus quidem, Genuenſes, externus eſt hoſtis, &*
C *Fridericus hoſtis tantarum opum Princeps nobis infenſiſſimus; ac cum eo conjunctis Piſanis, populus mari propetens, perpetuo & abominabili odio in nos efferatus: ceterum vereor ne ipſimet nobis longe capitaliores hoſtes ſimus; eoque periculoſiores, quo intus incluſa ulcera magis ladant, ac celerius corpus conficiunt, quam extrinſecus advenientia vulnera. Non novum quidem hoc facitis, Genuenſes, at, qui domi remanſiſtis, laboribus & induſtria ac periculis militantium obtrectetis: neque primo vos diſcordias domeſticas inter vos agitatis: vetus eſt hoc uſitata liberarum civitatum peſtis; qua plures illarum pene perierunt, quam externa vi. Verum illud*
D *antehac inauditum exemplum nunc primum Genua prodatur; quod inteſtina diſſidia in aliis civitatibus pax & tranquilla foris res excitare ſolent; vel contumacia plebis otio laſcivientis & libertate immodice abutentis; vel ſuperbia Nobilium & potentiorum ab injuriis non abſtinentium: ceterum eadem ab externo metu conſopiri & comprimi ſolent, iterum quiete parta eruptura. At contra nunc Genua a tanto bello mari & terra ingruente, atque extremo diſcrimine à potentiſſimo & irritato hoſte nobis imminente, ſi dis placet, civiles tumultus excitantur: quodque inteſtinorum malorum remedium eſſe debuit, id ultro illa accendit: quæ, malam, tanta iſta eſt mentis cæcitas, at inſania noſtra cum ipſa pene hoſte noſtro de libertate noſtra illi prodenda prævaricari videamur? quique concordes inſuperabiles ſumus, diſcordias noſtris viam illi ad nos opprimendos (quando aliam nullam habet) patefaciamus, ac manibus pene noſtris illum in urbem introducamus? At enim periculoſum quidem eſt & terribile externum bellum; ceterum odiorum inter nos cauſſa longe illo graviores ſunt, ac magis animos irritantes: ut nulla alia cogitatio illis proveris poſſit: aalla immo, aut genere leviores, aut refalſiores unquam fuerunt: totaque culpa, ſi quæ eſt, penes me eſt, penes quem imperium eſſe voluiſtis: non penes*
E *cives veſtros, quibus tantummodo parendi partes relictæ ſunt: an ego aut quiſquam omnino mortalium inexſuperabilibus vim afferre poteſt; aut fortunam in manu habere; quam cum omnium rerum, tum in primis bellorum dominam ferunt? an ego Saonam urbem natura & opere, tum autem valido præſidio munitam, ad hoc novo introducto ſubſidio firmatam, primo adventu expugnare potui, ſocietum præſertim auxiliis deſertus, quorum ſpe rem ingreſſa ſumus? ridicula iſta ſunt, atque ad puerorum iras commovendas vix ſatis potenter cauſſæ: per Deum immortalem, inſaniendi finem tandem facia-*
F *mus*,

mus, cives; atque in tanto diſcrimine ad ea, quibus libertas & ſalus noſtra continetur, expedienda & præparanda curas unanimes convertamus.

Mutati fuut plebis ac tenuiorum animi ſapienti oratione & tempori apta: ſecundum orationem ea, quæ ad bellum pertinerent, Prætor comparare & expedire inſiſtit: edicitque ut omnes, quicumque eſſent armis ferendis, cum illis ad omnia ſubita imperata præſto ſint: item ut omnia navigia, tam quæ ad urbem tum erant, quam ex tota Genuenſi ditione corrogata, omnibus neceſſaria rebus in uſum belli inſtruantur, & armentur: vexilloque divi Georgii ſtatuto, ſe ſummum claſſis præfectum nominat; ad quam, ſimulatque ipſe innuiſſet, conſcendendam, omnes paratos eſſe jubet: muueraque tam comparandi, quam gerendi belli pro ſua cuique ſorte partitur: tum etiam in arces & loca opportuna ditionis Genuenſia munienda & præſidiis firmanda curam extendit: maximam in primis diligentiæ & curarum partem in rem frumentariam providendam & expediendam confert: nullamque partem officii negligens, exploratores circummittit, ad conſilia & motus hoſtium ex propinquo cognoſcendos. Omnes in officio fuerunt; omniquc animorum irritatione plane depoſita, pro ſe quiſque mandati muneris partes ſedulo & obedienter exſequi pergunt: brevique præpotens claſſis comparata & inſtructa eſt: numerus navium ab Annalibus ideo, credo, non traditur, quod nullus uſus ipſius fuit, neque illa portum umquam exivit: at hoſtis, cum audiſſet Saonæ obſidionem ſolutam, cujus rei cauſſa tanti conatus ſuſcepti fuerant, Genuenſeſque ſedulo comparare; nullam cauſſam eſſe ſtatuebat, cur cum illis manum conſereret: depoſitaque plane ea cogitatio eſſet, niſi Piſani ab inſita animis arrogantia, ſeſe portus Genuenſis fauces infeſſuros, argenteiſque ſagittis urbem inceſſuros, certa præfinita die, tumida oratione jactaſſent. Qua re Genuæ cognita, Prætor, omnibus navibus illico deductis, atque undique corrogatis, neceſſariiſque ad pugnam rebus affatim inſtructis, ac magno bellatorum numero firmatis; adventum Piſanorum exſpectat: qui cum ad præfinitum tempus nuſquam apparuiſſent, neque eorum adventus jam exſpectaretur; vindemiis appetentibus, Prætor remigio & navalibus copiis precibus victus præproperum commeatum dedit: quæ feſtinatio magno periculo civitati ſtetit: paucis enim poſt diebus ecce claſſis hoſtilis centum triginta quinque navium longarum cælo albeſcente in alto apparuit. Qua ſubita & terribili ſpecie primo vehementer perturbatus Prætor, deinde celeriter collecto animo, non deſerit ſe; ſolertique animo cuncta circumſpiciens, æſtu periculum diſcutit: cum ſex enim tantum triremibus portu prodiens, maximoque divi Georgii erecto vexillo, proris in hoſtem directis, ſpeciem præbuit in illos euntis, ac pugnam quærentis. At hoſtes, ſigno pugnæ procul conſpecto, ceteram claſſem ſubſequi credentes, cum potius furto inſidiarum res tentandi, quam animo juſto prælio decernendi, domo profecti eſſent, retro itinere repetito, ora Liguſtica intacta in ſua ſe receipiunt; ſicque circumacta eſt tertia hujus belli æſtas.

Eo anno, cum unum & viginti menſes Pontificium ſolium, ut diximus, vacuum fuiſſet, tandem Anagniæ ſummo Patrum conſenſu Sinibaldus Fliſcus Genuenſis civis, è nobili Comitum Lavaniæ ſtirpe ortus, Pontifex creatus eſt, Innocentius quartus vocatus, vir inſigni pietate & prudentia, eximiaque doctrina; & quamvis manſueti ingenii, acer tamen dignitatis Pontificiæ vindex, impavidique ad omnes terrores animi. Intercedebat Friderico cum Sinibaldo artæ amicitiæ ac multorum utriuſque officiorum neceſſitudo: quo nuncio accepto, gratulantibus amicis, triſte reſponſum dedit; dolendum potius ſibi, quam lætandum; amico Cardinali cum inimico Pontifice commutato: quam vocem perſpecta Innocentii virtus ac ſibi familiari uſu cognita, & conſcientia ſui ipſius erga Eccleſiam animi illi expreſſit.

Interea anno circumacto, Philippus Vicedomi- A. C. nus Prætor inſequentis anni ejus ſæculi quadrage- 1244. ſimi quarti Genuam venit: cujus præturæ primum opus fuit, pacem & concordiam inter Rampinos nonnihil inter ſe ob creationem Magiſtratuum diſſidentes, conciliare; ne illorum diſſidia conſilia Maſcaratorum exſulum viam patefacerent.

At Innocentius initia Pontificatus infeſta habuit; non tam armis, quam dolis & latrociniis Friderici petitus: inſtituta ſunt inter illos pacificationis colloquia, Legati ultro citroque ſæpe miſſi; ac Balduino Cæſare ſe interponente: eum Pontifex occupatam Eccleſiæ Romanæ ditionem non modo pro Pontificio, verum etiam pro amicitiæ jure repoſceret; Friderieuſque uſitatis artificiis utens, ſpem rei faceret, omnia alia longe animo agitans: convenerunt tandem, ut duo ipſi Principes inter ſe capita conferrent; ſic res expeditu faciliores fore: colloquioque electa eſt civitas Caſtellana: quo Pontifex illico ſe contulit: moras nectere Fridericos, ac retractare, variaſque res cauſſari: brevique apparuit illum ludificari, ac dolo agere: Pontifex rerum componendarum avidus omnia patienter ferre: tandem eum pro comperto cognoviſſet Fridericum inſidias ipſi parare, ac nefaria conſilia in ipſius caput machinari, quo modo è latrocinantis manibus elaberetur, circumſpicere cœpit: terreſtre iter ſibi omnino interclusum intelligere, Friderico omnia circum late tenente, omniaque itinera firmis præſidiis occupante, unam eſſe maritimam ſpem, quam ſibi Genuenſes ſui expedire poſſent.

Igitur, cum per litteras miſerabiliter ſcriptas rerum ſuarum ſtatum deplorauſſet, ſeque à Friderico non modo aperta vi, ſed dolis quoque ac latrociniis ipſum petente circumvallatum demonſtraſſet; è cujus manibus ſeſe eripiendi, ac majeſtatis Pontificiæ inviolatæ ſervandæ, quæ in ſuo capite periclitaretur, unam eſſe in virtute & fide civium ſuorum ſpem affirmaſſet; omnibus precibus ab illis petit, ut fidei & religionis Majorum ſuorum, atque adeo ſuæ in ipſorum Antiſtitibus nuper vehendis memores, ad tot omnibus temporibus fortitudinis & pietatis edita exempla, hoc quoque haud in poſtremis numerandum decus, Pontificis exſaucibus immaniſſimi Tyranni erepti addere ne cunctentur; claſſemque, quod illis expeditiſſimum ſit, quanta fatis eſſe viſa fuerit, actotum comparent; ac fratris ſui filios ſecum vehentes Civitatem veterem accedant, iude ſe conſcenſurum: ſed caute atque aſtu agendum, Fridericumque celandum: neque enim dubitandum, quin contaminatiſſimus homo, quem nullus divini Numinis metus, nulluſque pudor teneat, cuique nihil ſanctum, aut religioſum umquam fuerit, ſi occulti doli parum proceſſerint, aperta vi ſit graſſaturus: neque ſperandum, ut ille majore verecundia à capite ipſo Eccleſiæ ſacrilegas manus abſtineat, quam à membris paullo ante abſtinuerat.

Utraque juſſa impigre exſequi pergunt Genuenſes, atque ut rem à ſuſpitione averterent, Albertus, Jacobus, Ugo Fliſci, fratris Pontificis filii ex compoſito petunt à Prætore, ut ſibi Parmam accedendi, certis ab ipſis conflictis cauſſis, commeatum det: negare Prætor ſeſe Pontificis propinquis in inimicam urbem concedendi facultatem facturum; ſibique illorum fidem ſuſpectam eſſe ſimulare: quos etiam, fingens Provinciam Narbonenſem per conflictas cauſſas petere, claſſem ſecum

conſcendere cogit: quam ſimul cum Prætore conſcenderunt Ugo Lercarius & Jacobus Levantus claſſis præfecti: cumque Vulturem opidum uſque proceſſiſſet, ibi iterum Flifci Prætori inſtare, ut ſeſe ad neceſſaria negotia proficiſcentes eodem dimitteret: ferocibus verbis illos increpat Prætor, ſuccenſere ſimulans; ſeque illis morem geſturum vehementioribus verbis negat: quin etiam jusjurandum ab illis exigit, illos Prætorem non deſerturos, imperataque facturos; tantoque aſtu res acta eſt, ut multitudo fallaciæ ignara mordere Prætorem cœperit, ac fremere: illud etiam reſtare, ut ad ceteras tantas ac tantorum Principum inimicitias hanc quoque novam Pontificis irritati adderent, ut nullo Chriſtiano Principe ſibi amico relicto, nullum ipſis ſit in duris Reipubliçæ temporibus, præterquam in Saracenorum ac Maurorum miſericordiam perfugium.

At Prætor inſtitutum iter in Provinciam perſequi ſimulans, cum Ingaunum uſque perrexiſſet, in Corſicam iter deflectit: indeque ſolvens claſſis, itinere celeriter confecto, Centumcellarum, quas poſteriores Civitatem veterem appellarunt, portum ſubit: cujus advcotu per occultos nuncios cognito, Pontifex continuo Sutrio, quo ſeſe inſidias Friderici vitans contulerat, noctis ſilentio profectus; cum ſex Cardinalibus, quos ſecum habebat, Centumcellas venit. Sunt qui ſcribant, illum & Cardinales, ad ſeſe occultandos, ſacerdotalibus veſtibus depoſitis, armatorum habitu ac ſpecie iter feciſſe. Claſſe raptim conſcenſa, ſecundaque navigatione uſus, portum Veneris tenuit: quo in opido cum ſeſe aliquot dierum quiete à jactatione maritima refeciſſet, inde ſolvens, Nonis Juliis portum Genuenſem ſubit; magnifice, ac apparate, magniſque plauſibus, atque alius lætitiæ ſignificationibus à populo obviam effuſo exceptus. Cum Genuæ aliquot dies cauſſa ſontica ſubſtitiſſet: ſexque interea, præter eos, quos Roma ſecum duxerat, Cardinales, ac magnus Antiſtitum numerus; ad hoc nonnullorum Principum Oratores ad illum conveniſſent: tandem cum à morbo convaluiſſet, recentis navigationis tædio à mari abhorrens, terreſtre iter elegit; Prætore & primoribus nequidquam maritimam viam ſuadentibus, ſeque illum claſſibus ſuis, ſine ullo illius impendio, ſive in portum Maſſilienſem vellet, ſive ad oſtium Rhodani fluvii vecturos profitentibus: retinuit ſententiam Pontifex; gratiſque Prætori & civibus actis, itineri ſe dedit, Prætore ac multis ex primoribus cum delecta armatorum manu illum per totos Genuenſes fines proſequentibus: quos cum exiiſſet, Prætor & primores illius juſſu Genuam reverſi ſunt.

Per ea tempora magnus motus Tartarorum fuit: quorum innumera multitudo, relicto patriæ horrido ac rigenti ſolo, amœniores ſedes ſub elementiore cœlo quærens, regna Aſiæ, ac magnam Europæ partem bupartita inundarunt, cædibus, incendiis, omnique belli fœditate ubique graſſantes: regnoque Partorum deleto, Choraſmos à ſe olim orundum populum inde exegerunt: quos extorres ac proſugos diuturnus error tandem in Syriam tulit, quam ſubito adventu occuparunt; Hieroſolymiſque potiti, ſacrum monumentum à nulla unquam barbara natione violatum, ſuaque religione ad eum diem intactum, omni nefariæ contumeliæ fœditate polluere non dubitarunt.

A. C. 1245. Initio inſequentis anni ejus ſæculi quadrageſimi quinti Philippus Guiringhetus Mediolanenſis Prætor eum urbanis, ac trium præfecturarum delectis Saonam petit: agroque tres continentes dies pervaſtato, Genuam revertitur. Interea Pontifex Concilium Lugduni coegerat, ad quod miſſi ſunt à Genuenſibus Legati, Hugo Fliſcus & Simon Marinus, Fridericoque diem dixerat; gravibus atque aſperis concionibus in hominis perfidiam, barbaram crudelitatem, rapacitatem, violentum, ſuperbiam, ſæpe invectus. Adfuit cauſſæ Friderici agendæ ampla legatio ab illo miſſa; cujus princeps fuit Petrus Vinea, vir in primis eloquens, quem humili loco ortum multæ claræ virtutes, mutiplexque eruditio cum eximia juris civilis ſcientia conjuncta ad ſummum auctoritatis locum apud Fridericum extulerant. Cum is ſeſe ad cauſſam dicendam, ut monitus à Pontifice & ſacro cœtu fuerat, mox adfuturum confirmaret, (cujus rei ut fidem faceret, Auguſtam Taurinorum uſque perrexit) interea ſe armatis copiis tam ex regnis ſuis, quam ex Germania accitis Cæſarianum nomen ſequentibus firmabat; eo, ut fertur, conſilio, ut ex Comitatu Burgundo, quem ſe ſecuturum haud dubitabat, Pontificem, formidine tam propinqui exercitus injecta, à judicio in ſe ferendo deterreret: nec vanum fuiſſet conſilium. Ceterum, cum Ludovicus Rex Lugdunum Pontificis ſalutandi, honoriſque habendi cauſſa veniſſet; ſeque ac regni florentiſſimi opes illi prolixe detuliſſet, adverſus Fridericum, ac quoſcumque Romanæ Eccleſiæ hoſtes, quæ apud ſe, Majoreſque ſuos numinis ſanctitatem ac venerationem perpetuo obtinuiſſet; tanto parato præſidio confirmatus Pontifex, Friderico retractante, ac ſuo more ludificante, cum dies præſtituta exiiſſet; Fridericum iogentibus ac nefariis criminibus oneratum (quæ in Actis Lugdunenſis Concilii expoſita non neceſſe habui hic inſerere) de ſacri conſeſſus ſententia piorum cœtu exterminat; illique ſacrorum communitate interdicit; ac jus nomenque imperii abrogat; regnum quoque Siciliæ Pontificii ſolii fiduciarium abjudicat, hominibus illi ſubjunctis jurisjurandi vinculo ac religione ſolutis: Electoribuſque Principibus poteſtatem & jus facit novi Cæſaris in dejecti locum ſufficiendi: quod idem jus alterius Regis Siculi legendi ſibi, ſummo videlicet domino, reſervat. Obedienter Electores imperata fecerunt; Henrico Turingiæ Lantgravio Rege Romanorum, duobus poſt annis, creato.

At Francus ad ſacram expeditionem, ad quam haud multo ante gravi morbo oppreſſus, atque extremum ſpiritum vix retinens voto ſe obſtrinxerat, à Pontifice Pariſiorum cruce ſignatus proficiſcens, à Pontifice illum fauſtis omnibus ſacriſque precationibus proſequente diſcedit, atque inchoatam curam in rebus, quæ ad eam expeditionem pertinerent, parandis & providendis pergit urgere: Legatiſque Genuam miſſis, claſſe ſe juvari poſtulat, ſexdecimque naves ſtipendio conduxit, cum morem gerendum Regi in conſilio decretum eſſet: cujus claſſis ipſemet Rex Hugonem Lercarium & Jacobum Levantum præfectos nominavit; fama virtutis & navalium rerum ſcientia inductus.

At Fridericus, poſt judicium latum, cum Alexandriam conceſſiſſet; Marchionibuſque Montiſſeracis, Cevæ, Carrettis, à partibus Genuenſium abſtractis, fœderis ac jurisjurandi religione ſpreta ſibi adjunctis, menſe Octobri movit, Mediolanenſeſque inſeſtis copiis petit: quibus delecta quingentorum manus ſcorpionibus armatorum à Genuenſibus ſubſidio miſſa eſt, qui virtutis opinione, in prima acie, ad primam pugnæ procellam excipiendam, locati ſunt. Primaque luce Entius Friderici filius nothus Mediolanenſes magno impetu invadit: iſque fuit illius pugnæ exitus, ut multi ex Mediolanenſium primoribus, ac non exigua pars Genuenſium auxiliariorum capti ſint: contra Entius captivus Mediolanum ductus: qui paullo poſt cum Mediolanenſibus captivis commutatus eſt. In miſeros Genuenſes Fridericus iram effudit; dexteris illis amputatis, atque altero oculo eruto: quibus diu poſt liberatis Genueoſes, ad ſolatium injuriæ, atque ad vitam tuendam, certam penſionem publice aſſignarunt.

Per

Per idem tempus, cum auditum esset, classem Pisanorum vectoriæ Genuensium classi ingentis pretii mercibus onustæ insidiari Pisis profectam; periculo commoti Genuenses continuo duas prævalidas naves Coronatam & Paradisum, quartuor triremibus additis, omnibus bellicis apparatibus instructas, delectaque bellatorum manu firmatas, vectoriis navibus subsidio mittunt; Leonardo & Matthæo ex familiari Prærotis comitatu viris præfectis, quattuor, qui illis essent in consilio, civibus Genuensibus additis, Nicolao Mallonio, Bulgarino Bulgaro, Dietisalvo Dietisalvio, Lanfranco Antiochia: qoi Pisanorum classe nusquam inventa, in portu Drepani quinque Pisanas naves forte deprehensas incendunt, navimque Flotinam nuncupatam magni pretii merces vehentem capiunt, itinereque Panhormum directo, in vectoriam classem è Syria redeuntem incidunt, quam præsidio suo tutam in portum Bonifacii profecuti sunt: ibi decem librarum millibus Reipublicæ reservatis, reliquam prædam navis Flotinæ inter se partiuntur.

Sub finem hujus anni atrox procella nocte intempesta subito exorta magna clade civitatem affecit: navibus non modo, quæ erant in portu, sed etiam, quæ in terram erant subductæ, partim depressis, partim laceratis; quodque memorabile in primis fuit, ipsa mole perfracta; quæ tamen naves, insequenti anno, qui fuit ejus sæculi quadragesimus sextus, Prætoremque habuit Albertum Mandellum Mediolanensem, magna eum cura ac diligentia refectæ sunt. Cumque vererentur, ne hostis fama cladis excitus, ad res tentandas veniret; editum est, ut nemo urbem ac ditionem Genuensium exiret; sed omnes, familiaris rei ac privatæ negotiationis curis omissis, cum armis & equis suis, si usus Reipublicæ postulasset, parati essent. Eo anno decretum est, ne Prætores ullum Jurisperitorum, qui rebus forcosibus præessent, deinceps secum ducerent; quos è civibus Genuensibus in posterum legi placuit.

Sequitur annus ejus sæculi quadragesimus septimus, in quo Prætor fuit Gulielmus Castelnovus Placentinus. Is erat eo opere Genuensium rerum status, ut Liguriæ corpore in duas partes distracto, Saonaque, ac quantum ab ea urbe Ligusticæ oræ longitudo in Occidentem porrigitur, Mascaratorum exsulum partes sequentes, additis Marchionibus Carrettis, hostili odio inter se ardentes Ligures hostilia quoque quotidie utrimque ederent opera: Fridericusque, novis quotidie accedentibus irritationum caussis, exsecrabili odio in Genuenses efferatus, omnibus consiliis pestem illis machinaretur: quarum post rema Pontificis ex ipsius manibus erepti in primis urebat: indignationem facete similitudinis commento haud dissimulare solitus; *Innocentium*, inquiens, *ante pontificatum adeptum, in familiari consuetudine lasciviulis mecum ludentem ad eam necessitatem semper adigebam, ut aut illius Regem captivum facerem, aut Regnum adimerem: nunc eodem Pontifice ad tandem ludi fortunam à me adallo, Genuenses ex transverso venientes, abaco everso, spes meas fruſtrats sunt:* quorum ulciscendorum instituta consilia urgens illud agebat, ut lento bello inter se commissos mutuis cladibus tandem confectos, ac fessos ipse omnibus viribus adortus everteret.

Insequenti igitur anno Gulielmus Castelnovus Placentinus Prætor cum copiis Genoa movit; agroque Saonensi late pervastato, in urbem revertitur: quo tempore Zolascum, Crovaria, Lacus, Cassiana Ripalta, Rotandum, Casale, Bozolum, Carpena, Cornilia, nonnullique alii ignobiles vici, qui à Genuensibus defecerant, ad famorem mentem conversi, veniæ erratorum impetrata, in antiquum imperium redierunt.

Eodemque tempore Andreolus à Mari, qui patri Ansaldo in maritimum imperium successerat, improviso adveniens, portum ipsum Genuensem cum viginti triremibus ingressus est; paullumque in eo commoratus Saonam petit, atque in itinere duas triremes Massilienses cepit, quæ iter Genuam habebant magni pretii merces Genuensium hominum vehentes; contra quem classis decreta est: quæ dum comparatur & instruitur, Andreolus, Genua repetita, ballistis, aliisque tormentis bellicis erectis urbem, per summam contumeliam, ingentibus lapidibus, varinque generis missilibus incessere cœpit: ceterum clam monitus ab iis, qui in urbe Mascaratis partibus occulte studebant, prævalidam classem mox in illum exituram; protinus proris conversis altum petit, speciem præbens Sardiniam petentis; ceterum haud ita multum provectus iter Saonam flectit: classemque in portum atque intra septa munimentorum recipit: qui à Prætore paullo post cum quinque & viginti triremibus Genua profecto aliquot dies obsessus est; triremisque ab illo Pisas ad statum rerum suis demonstrandum emissa cum non fefellisset, classe Genuensi insequente & urgente, ad littus Varaginis in terram ejecta est; magnaque vectorum pars capta. Prætor, cum nulla spes esset hostis ad pugnam eliciendi, Provinciam Narbonensem petit, classemque vectoriam mense Augusto Genuam incolumem perduxit: dimissumque remigium est, quod raptim coactum fuerat, aliaque classis comparari cœpta est. At Andreolus post classis discessum, occasione liberi exitus arrepta, quinque triremibus præsidio Saonensibus relictis, continuo portum egressus Corsicam petit; nonnullisque navibus in itinere captis, cum insulam tenuisset, arces aliquot à Lanfranco & Antonio Advocatis aliquanto ante munitas, validiore præsidio ac copiosiore commeatu firmat: indeque solvens in Siciliam tandem appellit.

Insequenti anno ejus sæculi quadragesimo octavo, Rambertino Bovarello Bononiensi Prætore, cum civitas in expediendis navibus ad Ludovicum Regem trajiciendum destinatis toto animo & opera esset occupata; Fridericus ea fama commotus, veritus ne Genuenses tanti Regis opibus septi in itinere Siciliam nudam præsidiis, quæ omnia undique ad se contraxerat, invaderent; totus in eo apparatu discutiendo animo & cogitatione insistit: eaque de caussa quinque & viginti triremes ex regnis suis evocatæ portum Saonensem tenuerunt. Pisani quoque, Ubertus Palavicinus, Lunenses, Graffagnini, ex altera parte Jacobus Marchio Carrettus, Friderici jussu, ac Mascaratis exsulibus instigantibus, bellumque undique cientibus, in Genuenses moverunt. Adversus tantos motus Genuenses nihil animis demissis se communire instituunt; delectaque quadringentorum peditum cohorte Placentia accersita; ad quos conducendos missi sunt Amicus Steggiaporcus & Joannes Turca; trecentisque equitibus in urbe ipsa scriptis, ac centum ex ditione Genuensi trans juga accersitis; loca omnia Genuensium finium irruptionibus hostium opportuna præsidiis firmant: quibus rebus expeditis, curaque ad rem navalem translata, quaternis triremibus regionatim armatis, ut sic tota classis numerum triginta duarum conficeret; Ludovico demonstrant, omnia ad eum trajiciendum promissa parata & instructa esse.

Interea Fridericus ad Parmam ingentem plagam accepit; florentissimis ejus copiis, ac numero & genere firmissimis profligatis ac deletis. Patmenses enim biennali obsidione ad extrema adducti ab ultima desperatione: cum Fridericus sese ex illis non civitatis dominatum, sed excidium petere aperte ferret; alia civitate, quam Victonam appellavit, ædificari, atque ædificns publicis & privatis fre-

quentari cœpta, loco mœnibus maximo, templo in media urbe designato, insularumque & viarum spatiis permensis. Parmenses igitur ultima desperatione instigante, improvisa atque audaci eruptione Cæsarianas copias solute ac negligenter agentes; ut in nulla tali re à populo diuturnis malis macerato & consecto, ac vix ad arma sustinenda valido suspecta, adorti ipso in cursu fundunt; novamque civitatem funditus disturbant. Ita Victoria urbs prius deleta, quam condita est: cujus præda Parmenses, ac qui cum illis militabant, (in quibus sexcenti Genuenses fuerunt publice, ut paullo superius diximus, missi) ditavit: omnes enim thesauros suos, omnemque regiam gazam, (in qua fuit diadema ipsum regium, atque magna gemmarum & margaritarum infiniti pretii vis) in eam urbem congesserat Fridericus, in quam etiam, præter concubinarum & spadonum greges amœnissimis hortis inclusos, feras omnis generis inusitatarum Italorum oculis specierum, ex omnibus orbis partibus infinito sumptu conductas, Romanam potentiam æmulatus ad spectacula introduxerat, quod vanitatis plenum consilium, dum fortunam animo non æquat, magno illi stetit, à profusis sumptibus in res nugatorias factis ad extremam pecuniæ inopiam ac necessitatem scortei nummi signandi adacto: qui, atque una Entius filius è clade elapsi, turpi atque ignobili fuga Cremonam concesserunt.

Quo nuncio accepto Innocentius, fortuna hominis despecta, cum Genuensibus egit, impetravitque, ut bona Mascaratorum exsulum, qui civitatem ac res Pontificias vexare non desisterent, publicarentur; ipsique, & illorum filii, ac nepotes à magistratibus & bonoribus lege excluderentur. Per hæc tempora Genuæ Mascarati & Rampini, veteribus nominibus omissis, communi ceteræ Italiæ nomen Gibellinorum & Guelphorum acceperunt: quod nomen pridem in Germania ortum à Cæsare cognomento Gibellino, & Guelphone Duce Bavariæ, qui suasu Romani Pontificis contra illum arma tulit, Princeps Fridericus ad id tempus inauditum in Italiam intulit; ceteris nominibus earundem Pontificiarum & Cæsarianarum factionum extinctis: quæ varia fuerant; cum singulæ civitates suum quæque privatum nomen haberent: quæ factiones jam inde ex eo tempore in Italia excitatæ, cum Rom. Pontifices & Germani Cæsares inter se diffidere cœperunt, populique pro suo quisque ingenio, ac pro exsuarum varietate, sese ad alterutrum Principem applicarent; divina & humana miscuerunt, miseramque Italiam continentibus multorum sæculorum cladibus lacerarunt ac fœdarunt: tantaque fuit exsecrandarum factionum rabies; ut, non modo Italiæ civitates, quarum nulla ab hac labe fuit intacta, internecinis inter se bellis sæpe commiserint; sed in singulis ipsis civitatibus populo bifariam diviso, ipsos fratres in fratres, ac filios in parentes, parentesque in filios armarint.

A.C. 1249. Insequens annus ejus sæculi quadragesimus nonus, Alberto Malavolta Bononiensi Prætore, rebus externis, quam Genuensibus insignior fuit: Hispali opulentissima urbe à Rege Castellæ in Hispania expugnata; Mauris & Saracenis ex illa ejectis, qui eam urbem complura sæcula tenuerant: quæ urbs illarum regionum caput cum maritimis commerciis in primis opportuna sit; ea de causa amicitia & fœdus cum eo Rege ictum est, ac leges negotiationis sanctæ; Legatis ad eum missis Hugone Fisco Jurisconsulto, & Gulielmo Bolleno; qui colloquia tantummodo instituerunt, nulla re transacta: ceterum inchoata consilia postea à Nicolao Calvo ea de causa ad Regem misso ad effectum perducta sunt: Ludovicusque Rex a Genuensi classe in Ægyptum trajectus, expositis in terram copiis, (quæ res magni certaminis fuit, Saracenis acriter resistentibus) primo adventu urbem Damiatam à Saracenis desertam cepit, paullo post, copiis Memphi urbi, quam *Cairum* nunc vocamus, infelici omine admotis, luctuoso Christiani populi fato una cum magna Procerum vi captus est, copiis profligatis: qui non plus undeviginti dies ab illis retentus, Sultano interea fato functo, se ac suos centum millibus marcarum argenti redemit, à classe Genuensi in urbem Antonellam vectus, in qua biennium fuit: quo toto tempore pius Rex, ac perpetui moris sui de Republica benemerendi retinens, multis atque ingentibus beneficiis Christianos illarum Provinciarum incolas, Christianamque rem affecit.

Læti in primis ac fausti Genuensibus fuerunt, duo qui sequuntur tertii decimi sæculi anni, quinquagesimus, & quinquagesimus unus: quorum primus Gerardum Corrigium, secundus Menabovem Turricellum, utrumque sine collegis, Prætores habuerunt; concordia civium tandem composita, ac populis, qui defecerant, in antiquam ditionem receptis, Fridericoque implacabili hoste sublato: institutа autem sunt præclara consilia priore anno, at insequenti ad exitum perducta, initio facto à Fliscis: quæ gens à gentili suo Pontifice beneficiis & honoribus haud modice aucta, ad hoc tanti nominis auctoritate subnixa, in magnas opes, magnamque potentiam creverat: ii exsulum misericordia commoti, quorum multos affinitatibus, aliisque necessitudinis caussis attingebant, de illis in urbem recipiendis, concordiaque civitatis firmanda sermones ferere cœperunt; circumeunteſque, graviores & quietiores cives prehensare, hortari, orare, monere, ut ad concordiam animum adjicerent; quæ non magis in exsulum, quam in ipsorum, qui urbem colant, rem esset: quem enim ex civilibus dissensionibus fructum utramque partem tandem petere, nisi ut civitas, quæ concors adversus exteros sit invicta, in duas partes distracta, mutuisque damnis paullatim vires suas carpens, atque assiduis cladibus sese ipsa conficiens, jucundum hoc spectaculum hostibus suis præbeat? præter suum ac publicum bonum, divinum quoque Numen lædi: cui pax, concordia, amicitia inter homines cordi sint: contra, odia, dissidia, contentiones, rixæ abominationi: lædi Christianas leges, ac Christianam professionem, cujus fundamentum sit caritas: averterent parumper ab ira & injuriarum cogitatione animum; atque ad bonum publicum converterent; caussasque irarum & dissensionum Reipublicæ, & divinæ voluntati condonarent: nullum tempus sancto consilio exsequendo aptius umquam fuisse: cum civem suum Pontificem maximum patriæ amantissimum, controversiarum discepiatorem habituri sint; cujus fidei, probitati, prudentiæ ipsimet exsules, qui toties illum læserint, stomachumque illi sæpe fecerint, sese committere sint parati: cum nullum orandi, instandi, monendi, obtestandi finem faceret: perveniret tandem, ut omnium rerum arbitrium ad Pontificem rejiceretur: cujus judicio se staturos sollemni promisso ac jurejurando utrique se obstrinxerunt.

A.C. 1250. 1251.

At Prætor cum copiis ab urbe profectus, agro prius vastato, duobus munimentis in collibus urbis Saonæ circumpositis excitatis, iisque valido armatorum præsidio firmatis, Genuam revertitur; quo paullo post nuncius de Friderici obitu perlatus est: qui tanta lætitia civitatem affecit, ut præ illa vix mentis compotes essent. At insequenti anno; cum copiæ jam Varaginem contractæ essent, Prætorque ex urbe movisset ad agrum Saonensem vastandum: Saonenses & Ingauni, ac ceteri populi, qui defecerant, unaque cum illis Marchio Carrettus consiliorum socius, præsidio Friderici, quo omnes ipsorum spes nitebantur, destituti, ac mox societate exsilium

lum Genuenſium deſtituendi; cum pax & concordia Genuenſium eſſet in haud dubia ſpe: intelligentes quam non ſuarum virium ea dimicatio eſſet, Legatos ad Prætorem mittunt; veniam erratorum ac pacem ſupplicitèr petentes; ſeſeque paratos imperata obedienter facere profitentes: venis data eſt; & civitas Saonenſibus data à Genuenſibus tædio diuturni belli ſeſſis: ipſique & Ingaum, ac ceteri populi Liguſticæ oræ, qui ſimul cum illis defecerant, in antiquam ditionem ac veterem conventionum formulam recepti.

Per idem tempus Lucas Petrus Gradenicus & Jacobus Dorus Venetorum Legati Lucam venerunt: quo Genua miſſi ſunt Guido Spinula & Hugo Fliſcus, ad pacem inter utramque civitatem & fœdus ſuperioribus annis Pontifice maximo diſceptatore initum, antequam dies præſtituta exiret, renovandum: qui cum opidum portum Veneris conveniſſent, pacem & fœdus eadem formula in decennium ſanxerunt. Eo anno Pontifex, cum, mortuo Friderico, Italiam repetere decreviſſet, Maſſiliam venit: ibique præſto habuit quattuor Genuenſes triremes à civitate ad illum trajiciendum miſſas: ceterum Pontifex, maritima via rejecta, terreſtri itinere Genuam venit, à Geoueoſibus reverenter ac cum omni regalis opulentiæ apparatu acceptus: in qua orbe haud dm commoratus, Mediolanum petit; paulloque poſt præpoſitus Eccleſiæ Parmenſis, juſſu Pontificis, Genuam venit, ex cujus auctoritate ac præſcripto exſules in civitatis conſilio in patriam atque in jus civium reſtituti ſuot, omnibus ætatibus atque ordinibus lætantibus ac gratulantibus. Hac civitatis concordia malis, quibus per decennium civitas vexata eſt, ac bello, quod populus Genuenſis cum Friderico Cæſare, ac Piſanis armorum ſociis, ac populis Liguſticis, qui ab ipſo defecerant, ac ſecum ipſe geſſit, finis tandem impoſitus eſt.

Morte Friderici, atque adventu Pontificis magna rerum mutatio in Italia facta eſt: Gibellinorumque opes, quæ Friderico vivente innixæ ſupra ceteros ſe extulerant, illo defuncto, alte concideruntcontra partes Guelphæ ad cum diem depreſſæ in immenſum creverunt. Florentinorum quidem odium in Ubertos, ac nonnullas potentiores familias, ob illarum ſuperbum & impotentem dominatum conceptum, ceterum metu Friderici compreſſum, tandem erupit: quas familias populus armis arreptis urbe exegit; Guelphiſque, qui exſulabant, introductis, popularem Reipublicæ ſtatum conſtituerunt; qui illius civitatis potentiam & imperium mire amplificavit. Luceoſium enim ſocietate ſibi adjuncta, armiſque tota Etruria circumlatis, complures ejus Provinciæ urbes atque opida partim vi, partim metu adactas, imperio adjecerunt, Piſanis ac Senenſibus ſocietate armorum inter ſe conjunctis contuſis, illorumque opibus ita fractis, ut Piſanos ad iniquas conditiones pacis accipiendas adegerint: immunitate omniom rerum, omniumque commerciorum gementibus & mœrentibus expreſſa, opidoque Ripafracta, cujus maxima eſſent ad bellum momenta, illis adempto: quas res me Hiſtoriam Genuenſem ſcribentem haud ab re ſtrictim attigiſſe, ea, quæ mox ſcripturus ſum, indicabunt: nunc ad res noſtras revertor.

A.C. 1251. Nihil memorabile habet inſequens annus ejus ſæculi quinquageſimus alter ſub Prætore Guiſcardo à Petra Sancta Mediolanenſi; præter opidum Andoriam de Marchionibus Claveſſanæ emptum: at qui conſecutus eſt annus, ejus ſæculi quinquageſimus tertius, qm Henricum Conſalonerium Brixianum Prætorem habuit, inſignis eſt mœnibus Saonæ iterum dejectis, ac foſſa ruinis proſtrati muri impleta: quam facultatem in fœdere Genuenſes ſibi reſervarant: cum biennii dies rei exſequendæ præſtituta exiſſet: factum eſt id odio Saonenſium pravum animum non ſatis tegentium.

Inſequenti anno ejus ſæculi quinquageſimo quarto, Rodulfo Graidano Brixiano Prætore, Piſani cladibus à Florentinis acceptis attriti neceſſitate ad pacificandum cum Genuenſibus animum adjecerunt: Genuenſeſque pruxmo bello ſeſſi, non minus cupidi pacis in judicium Florentinorum de controverſiis conſenſerunt: qui, Lanfranco Marocello & Hugone Fliſco Legatis Genuenſium auditis, cauſſaque plane cognita, opida Ericem & Trebianum à Piſanis occupata Genuenſibus adjudicarunt. A.C. 1254.

Hic annus non modo Genuenſibus, ſed omni Chriſtiano orbi, atque omnibus bonis luctuoſus fuit, morte Innocentii quarti in urbe Neapoli; qui pontificatus ondecim amplius annorum curſum omnibus laudibus cumulatum egregio facinore terminavit; regno Neapolitano, poſt obitum Conradi Regis, Manfredo ipſo Friderici filio notho Principe Tarentino haudquaquam reſiſtente, Pontificii ſolii imperio adjecto: hunc virum cum exquiſita doctrina, cujus illuſtria exſtant monumenta ipſius ſcriptis immortalitati conſecrata, atque inſigni pietas, tum vero præſtantia in Rempublicam Chriſtianam merita, aſſiduique & indefeſſi labores clarum & memorabilem in primis faciunt: cujus conſpecta virtus ita admirationi & caritati omnibus fuit, ut cum vulgo lugentes dicitarent, talem virum aut numquam naſci, aut numquam mori oportuiſſe. Decreta fuerat ad eum legatio, cujus princeps Prætor ipſe fuit: quæ, morte Innocentii audita, iter inſtitutum nihilominus perſecuta eſt: eademque, quorum cauſſa venerat, egit cum Alexandro quarto natione Campano, qui Innocentio ſucceſſit.

Anno inſequenti ejus ſæculi quinquageſimo quinto Prætor fuit Martinus à Summariva Laudenſis: per quod tempus cum Piſani ægro animo pacem iniquam ferrent, ſua ſponte mœrentibus animis ſupervenit occultus nuncius à Manfredo Apuliæ Rege, qui illos inſuper io Florentinos incenderet, ac ſpe ſocietatis ſuæ, atque ingentium auxiliorum io Etruriam, ſimul atque ſe moverint, mittendorum, ad arma Florentinis inferenda incitaret. Cupide paruerunt conſilio Piſani, omnia quamvis præcipitia potiora ducentes, quam tam artis vinculis à Florentinis ſeſe conſtrictos teneri: ſed aliqua juris ſpecies paci ab ipſis ultro ac ſuppliciter appetitæ infringendæ prætexenda erat: quæ igitur in præſentia una occurrebat, eam arripiunt: negare igitur ſeſe judicio ſecundum Genuenſes, contra ſe à Florentinis lato ſtaturos, atque iniquitatem ac pravum animum Florentinorum vulgo lacerare & exſecrari qui non ſuam tantum vicem, ſed alienam quoque rapaces ſint; quibuſque ſatis non fuerit tot Piſanorum res illis ademptas ſibi ipſis adſciviſſe, niſi etiam, quæ reliqua ſunt, aliis per iniquum judicium donent: tantam tamque inſatiabilem cupiditatem miſeros Piſanos exinaniendi in Florentinis eſſe: non ceſſuros ſe igitur Genuenſibus opidis tam opportuois; ſed illa, ac ſeſe, & libertatem ſuam armis defenſuros: cum igitur judicatum non ſacerent Piſani, neque opida reſtituerent; Legati in Etruriam miſſi ſunt, Principalles Auria & Nicolaus Grimaldus: qui Florentinos & Lucenſes in Piſanos judicium Florentinorum contumaciter ſperneotes, alienaque injuſte occupantes ſocitarent: qui cum Florentiam veniſſent, in conſilium introducti talem orationem habuiſſe dicuntur: A.C. 1255.

Longe major veſtra res agitur, Florentini, in Piſanis ulciſcendis, quam noſtra: a quibus graviùs quamnos majoreque in re laſi eſtis: nam noſtri nihil illi habent, niſi parvorum ac perexigus fructus caſtellorum poſſeſſionum: at vobis ea, quæ inter mortales ſunt maxima, quantum in ipſis fuit, ademerunt, famam, æſtimationem, fidem, veſtro judicio non ſtantes: quod ad

ad nullam aliam rem, quam ad veſtram contumeliam quæſtuiſſe videntur: nimirum cui tamquam iniquo non parendo, (neque enim ullam aliam cauſſam non parendi comminiſci poſſunt) veſtram ſapientiam, fidem, religionem aperte damnant. Haud ferenda eſt vobis, Florentini, tanta ac tam inſignis contumelia: ſed arrogantium hominum contumacia pro ac juſto bello perſequenda: poſtulat id a vobis Florentinum nomen tot egregiis rebus geſtis clarum, poſtulat civitatis veſtræ magnitudo & potentia, quæ omnia circum ſe late perdomita habet; poſtulat denique juſta ac generoſa indignatio: an gens tot res a vobis victa, ac libertate veſtris nutibus obnoxia utens, tantum veſtris contemptum diutius impunitum ferat? idque vobis nullo graviore negotio implicitis, quod vos connivere cogat? at enim juſtu quidem ha cauſſa ac graves armorum ſunt: ceterum bellum difficile, ac diſcriminum & impedimentorum plenum: tum autem tractu longum, neque ſatis explorati exitus futurum eſt: nullum immo facilius, ac brevius, ac certiore victoria ſpe unquam ſuſceptum eſt: ſi enim vos ſoli Piſanos ſuperioribus cladibus ita fregiſtis, ut eis, quas illis impoſuiſtis, conditionibus, atque obſidibus magno numero datis ſalutem a vobis redimere coacti ſint: quid futurum eſt, vobis hinc copiis veſtris terra, illinc nobis claſſibus noſtris mari illos urgentibus? quæ tanta amentia vis tenet; ut utrumque populum eodem conſilio, eodemque facto ſibi ſimul irritantes, utrumque mutua ſocietate ſubnixum, faciliore occaſione ipſos ulciſcendi armemus: quam occaſionem ſtultitia Piſanorum nobis oblatam, majore ſtultitia nos omittemus: neque vero ſpernendum eſt, Florentini, ſuperba & inquieta Piſanorum ingenia ac ſupra fortunam elata in fide conveniendi, ad quæ frendentes ac gementes deſcenderint, diutius manſura: ac non ad omnem levem ſpem alienæ opis, ad jugum, quod malo & meum vitio acceperant, diſcutiendum, omnibus virium ſuarum conatibus conſurrecturos: quam occaſionem mirandum eſt Manfredum adhuc illis non præbuiſſe: atque adeo quis divinare poſſit, non inter illos occulta conſilia ejus res, qua utriſque expediat, jam ſeri cœpta? quare, cum non illud nunc in deliberatione verſetur, utrum bellum, nec ne, tamquam utrumque veſtra poteſtatis ſit, cum Piſanis habeatis, Florentini; ſed utrum vos ſoli cum illis aliqua præpotenti ſocietate muniti, an vos cum illis ſolis Genua civitatis nulli omnino urbium, qua ſub cælo ſunt, maritimis opibus fecunda ſocietate ipſi ſulti illud geratis: utrum conſilium ſit ſapientius, juxta vobiſcum intelligitis: qua civitas bellis civilibus defuncta, ac civium concordia conſtituta; totaque ora Liguria pacata, & in antiquum imperium recepta; quin omnibus viribus ſuis uſquam alio avocatis, in Piſanorum exidium pro veteri odio peque atrocibus omnium temporum injuriis vobiſcum ſit incubitura, dubitare non debetis.

Oratio ſua ſponte jam inclinatis animis admota facilem aſſenſum habuit, prorſuſque ſic faciendum reſpondent Florentini; quin etiam gratias Genuenſibus agunt, quos videant de ipſorum dignitate & exiſtimatione tantopere laborare: factaque dictis continuantes, Guiſcardum à Petraſancta Prætorem Lunenſem, cum utriuſque populi mandatis Genuam mittunt: facile fœdus & ſocietas inter cupidos convenit. Guiſcardus divi Georgii ſigno, quo Genuenſes in bellis uti ſolent, impetrato, diſcedit. Eodem anno Guhelmo Albitumelii Comiti, ejuſque filiis, totique poſteritati, perfidiæ in Rempublicam damnatis jus fiduciariæ ditionis abrogatum eſt.

A. C. 1256. Inſequens annus ejus ſæculi quinquageſimus ſextus, Philippo à Turri Mediolanenſi Prætore, minime ſegnis nec mediocriter fructuoſus Genuenſibus fuit; antiquæ ditionis opidis recuperatis, ac novis imperio adjunctis, rebuſque ubique bene & feliciter geſtis: quin etiam intigit miraculo illuſtratus. Piſani enim ſive compertum habentes, ſive ſuſpicantes, fœdus & ſocietatem inter Genuenſes & Florentinos, illiſque conjunctos Lucenſes adverſum ſe initam; ſive fato illos ducente, ad hoc fiducia promiſſorum Manfredi inducti, bellum, quod ab aliis exſpectabant, ipſi occupant facere: infeſtoque exercitu fines Lucenſes ingreſſi, opidum ad pontem Serchii circumſidunt: qua re audita, Florentini haud impigre in Piſanos movent; Luceoſibuſque ſibi io itinere adjunctis, hoſtem petunt: quem adepti, neceſſitatem pugnæ effugere non valentem primo incurſu fundunt, magna illorum edita cæde, neque exigua parte in fluvium Serchium præcipitata, atque undis hauſta: quæ clades Piſanos ſubegit ad graviores neceſſitates accipiendas: quæ dum io Etruria geruntur, Genuenſes cum omnibus pedeſtribus & equeſtribus copiis, quas armare potuerunt, ac cum octoginta triremibus Genua movent; portumque Lunenſem ingreſſi Ericem opidum circumſidunt; famaque cladis à Piſanis acceptæ ad illos perlata, opidum oppugnare inſtituunt: ac ſuburbio, quod Piſani opido continuum ædificarant, muroque & foſſa cinxerant, facile potiti, majore certamine opidum invadunt, ac tandem expugnant: militibuſque præſidiariis incolumibus dimiſſis, Genuam ovantes redeunt.

Novæ eo anno inimicitiarum ac bellorum cauſſæ ad vetera diſſidia inter Genuenſes & Piſanos additæ ſunt: quarum origo fuit Chianus Marchio Callaritanus: is cum ferre non poſſet, Judicis Alborenſis opes Piſanorum ſocietate innixas in Sardinia ſupra ſuas excellere; ut pari poteotia ſe muniret, Genuenſium amicitiam beneficio ſuo provocatam ſibi adjunxit, Caſtello Caſtro opido in judicatus Callaritani finibus illis donato: quod opidum traditum acceperunt Ogerius Scottus & Joannes Panſanus, ea de cauſſa cum duabus triremibus in Sardiniam miſſi; quarum præfectus ex familiaribus Prætoris fuit vir nobilis, cui in conſilio additi ſunt tres Genuenſes cives, Peſchetus Mallonius, Dietiſalvus Dienſalvius, Petrus Advocatus: quæ cum octo Piſanis congreſſæ, haud incruento certamine victas eas capiunt, captaſque Genuam ducunt: quibus ſucceſſibus Genuenſes confirmati, ut nullum locum Piſanos urgendi relinquerent, quattuor & viginti triremes de integro deducunt: quas omnibus rebus abunde inſtructas, Simone Guercio & Nicolao Cicada præfectis, Piſas mittunt: quæ portum ipſum Piſanum ingreſſæ, tribus onerariis ac nonnullis minutioribus navigiis captis, iter in Sardiniam dirigunt: eo appulſæ res triſtes offendunt, morte Chiani Marchionis ab inimicis ſuis interfecti: huic Gulielmus Cepolla avunculus ſucceſſit: qui ſocietate ac fœdere cum Genuenſibus renovato, Genuam venit: ſubitoque morbo correptus, Republica Genuenſi herede nominata, deceſſit.

Turbulentæ eo anno nonnihil res urbanæ fuerunt, hæreſis enim quæſitor Anſelmus Dominicanus Prætori ac civitati ipſi ſacris interdixit: quod Prætor leges quaſdam in hæreticos ſanctas ab ipſo appellatus in tabulas publicas referre recuſaſſet: provocatum eſt ad Pontificem, reſque coram illo jactata: iſque exitus fuit, ut Genuenſes ſacris illico reſtituti, leges in tabulas referre coacti ſint.

Quod ad piorum animos augendos & confirmandos ab Annalibus traditur, mihi nullo modo omitteudum fuit; neque fides miraculo abroganda: feruut hoc anno corpora clarorum martyrum Fluctuoſi, Augurii; Eulogii, ex Catalouia in promontorium oræ Liguſticæ, quod quindecim millium paſſuum intervallo ab urbe Genua diſtat, vulgo caput Montium appellatum, divinitus ac ſine ullo humano miniſteno tranſlata, & in vetuſtam ſacram ædem Fluctuoſi nomine dicatam, illique adjunctum cœnobium illata.

Sequi-

A.C. 1357. Sequitur annus ejus ſæculi quinquageſimus ſeptimus, mutata Reipublicæ forma inſignis: qua in re mirari licet ſcribentium Annales illorum temporum ſupinam negligentiam; qui factum dumtaxat, idque admodum jejune, narrantes, cauſſam rei, qua nulla memorabilior poſteritati traditur, quaque nulla ad exemplum fogiendarum, vel ſeqoendarum rerum, quod io primis à Scriptoribus quæritur, majoris eſt uſus, ne ſuſpicione quidem attingant: à qua re illos abſtinuiſſe puto metu offenſionis eorum hominum, qui tum vivebant: me diu cogitantem eo conjectura ſert, ut putem odium plebis in Nobilitatem cauſſam horum motuum fuiſſe; quod omnibus ſæculis & apud omnes gentes ita uſitatum fuit, ut naturale prope dici poſſit: hoc igitur odium, cujus ſuperioribus annis in oppugnatione Saonæ ſpecimen apparuit, ſua ſponte gliſcens primores cives & optimates ex populi corpore aluiſſe verſimile eſt: indignantes, credo, Nobilitatem ſolam in magiſtratibus, ſolam in imperiis, ac claſſium præfecturis, ſolam in legationibus eſſe: ſe vero à Republica gerenda plane excluſos, ab omnibuſque contemptos ignobilem ætatem agere: qua de cauſſa puto Nobilitatem otu civitatis conſulentem, ad invidiam mitigandam, proximum ſeptennium à collegis Prætori addendis abſtinuiſſe: quæ res quamquam videri poterat tras primariorum popularium in præſens permul ſiſſe; non tamen illorum animos ſedavit; cum viderent nihilominus regimen expeditionum atque omnium rerum penes Nobilitatem eſſe: occaſionem igitur conſilii dudum inter ipſos occulte concocti exſequendi præbuit adverſa ſordium fama Prætoris ſuperioris anni: in quem diſcedentem atrox ſeditio multitudinis concitata eſt, lapidibus illum inceſſentis, magniſque clamoribus ad mortem pro illius merito depoſcentis: qui tumultus deinceps creſcens coegit hominem, itinere retro repetito, domo Alberti Malevoltæ Bononienſis, quilli in prætura ſucceſſerat, ſe abdentem concitatæ multitudinis furori ſubtrahere: quæ fuga Prætoris adeo motus urbanos non ſedavit, ut potius tumultum incitarit. Vulgo igitur alii ad arma conclamare; alii lo populo, vociferari; alii Capitaneum de popolo depoſcere: impetus illos in ædem D. Syro ſacram ruit: in quam cum plebs atque primarii populares cives convenirent; clamore voluntatum indice, Gulielmus Buccanigra popularis Capitaneus, & Prætor populi Genuenſis creatur: quem illicu in ſublime arreptum, ac magno cum plauſu, ac clamoribus lætitiæ, & honoris indicibus circumgeſtatum, tandem populus in excelſo ſolio collocat, & in ejus verba jurat: idem poſtero die populus in ædem maximam convocatus Prætorem facere adigit; atque in imperia Capitanei ejuſdemque rectoris jurare: inſequenti die duo & triginta antiani de corpore plebis quaterni regionatim, qui eſſent Prætori in conſilio, lecti ſunt: aliquotque poſt diebus cum res in primis illis tumultibus non ſatis eſſent conſtitutæ, antianorum, & convocati conſilii decreto, magiſtratu, & imperio Capitanei, illo abſente, decennii tempus præfinitum eſt; vectigalque annuum mille librarum in victum & cultum decretum: additique ſunt illi, judex, duo ſcribæ, duodecim à familiaribus miniſteriis, quinquaginta armati à corporis cuſtodia.

Tertia hæc fuit Reipublicæ forma, ac tertius rerum ſtatus, poſtquam civitas noſtra Cæſarum dominatu exuto, Comitibus illorum beneficiariis parere deſiit: ſuiſque ipſa legibus, ſuiſque magiſtratibus in libertate vivere cœpit, à Conſulibus ad exteros Prætores, & ab his ad Capitaneos tranſgreſſa: tumque primum Nobilium & popularium factiones ferì cœptæ ſunt, omnium, quæ civitatem noſtram umquam vexarunt, peſtilentiſſimæ, ac, quamquam minus cruentis motibus, quam Gibellina & Guelpha; acrioribus tamen & diuturnioribus, atque inſanabilioribus odiis exercitæ: altius enim morbus pectora hominum inſedit: qui omnibus legum remediis ſæpe fruſtra tentatis valentior, vires paullatim abſumendo, ac ſanguinem hauriendo, ad extremam tabem atque imbecillitatem corpus perduxit: quod exſangue & enervatum cum ſuo ſucco ali non poſſet; neque ſuis viribus hærere; externi imperii alimenta, ac ſuffulcra, ſua ſe libertate ſpolians quærere coactum eſt: quæ ab interitu prohibuerunt quidem; ceterum ſanguinem, robur, calorem, non reddiderunt; tamque alte ulcus penetravit, ut ne leges quidem duodecimvirales tanto conſiliorum apparatu latæ, quæ cetera factionum vulnera ſanarunt, hoc exſtirpare potuerint: quod novis cauſſis in dies magis exaſperatum, materiam nonnullis præbuit, ſcelerata parricidii & tyrannidis conſilia in patriam ſtruere: quæ tamen in ipſo exſequendi initiu, evidente divini Numinis beneficio diſcuſſa ſunt: tandem ad neceſſitatem legum ab externis Principibus petendarum; tamquam in nobis parum conſilii atque ingenii ad nos ipſos regendos ſit, adegerunt: quæ leges, quamvis ſapientes ac ſanctæ, non tamen mala & pericula noſtra ſiſtent, niſi viſceribus hærentis peſtis omnes fibras nobis unu ſuiſque præciderimus; quæ una eſt in unum corpus coaleſcendi ſpes. Ceterum ego nimium provehor caritate patriæ, ac boni publici ſtudio de ſpatio ablatus; nunc ad inceptum redeo.

Moderationis ſpecimen edidit novus Reipoblicæ popularis ſtatus; Nicolao Vento & Jacobo Nigro ambobus ex Nobilium corpore ſexdecim triremium præfectis adverſus Piſanos miſſis: quibus iu ſe venientibus ſeptem Piſanæ triremes procul conſpectu, numero territæ fuga ſeſe peſti ſubtraxeruut: imminenti periculo præſidio turris cujuſdam in ora Sardiniæ, ſub quam ſe receperunt, vitato: per quod tempus qui erant iu præſidio opidi Caſtri, extrema fame victi Judici Alborenſi deditionem fecerunt: Genuenſeſque eo nuncio accepto, Marchionis avunculo ſuadente, qui ea de cauſſa protinus Genuam ſe conrulerat; ſpemque fecerat, ſi auxilia Genuenſium adjuvarctur, ſeſe ex Fano Giliæ opidum & cetera amiſſa loca recuperaturum: haud gravate delectam alam centum & quinquaginta cataphractorum equitum illi decreverunt; quam Jachino Calderario ducendam dederunt: hac Philippus Calderarius, claſſis bujus præfectus creatus, in Sardiniam trajiciens, in itinere navim Piſanam, magnam argenti vim vehentem, cepit: Genuenſeſque Fanum Giliæ iutroducti, occultis conſiliis nouuullorum civium opidi Piſanis tradendi detectis, auctores proditionis comprehenſos horribili ignis ſupplicio necarunt.

A.C. 1358. Inſequens annus ejus ſæculi quinquageſimos octavus, in quo ſub Buccanigra Capitaneo Renatus Roſcius Lucenſis Prætor fuit, memorabilis in primis fuit; non magis motibus & caſibus ſuis, quam ſeminibus magnorum ac dioturnurum bellorum inter Genuenſes ac Venetos jactis: initio facto in urbe Ptolemaide, quam poſteriores Aconem vocarunt, eorum diſſidiorum ac bellorum, quæ per multos annos, atque adeo ſæcula non minoribus odiis, minoreve irarum certamine, quam viribus exercita ingentibus cladibus ac multo ſanguine utrique populu ſteterunt: quæ bella vel indociis, vel pace (numquam tamen fida) nonnumquam intermiſſa, acriora ſemper & infeſtiora quacunque levi de cauſſa exſurgebant: quippe quæ non leves illæ ſuborientes, atque ad tempus mutabiles cauſſæ, quæ conditionibus facile tolli poſſent, conflarent, ſed tacita alia ſubeſſet cauſſa, quæ duos præpotentes maris Mediterranei populos ad funeſtum bellum inter ſe armaret: ea erat æmulæ virtutis

certamen, ac de principatu mariti marum rerum contentio; in quem ambo impotenti cupiditate tendebant: quæ cupiditas alte animo insidens, cum natura perpetua esset: bellorum quoque ab illa manantium nullus erat terminus: quæ bella tandiu durarunt, donec utriusque populi mutata fortuna finem tandem illis imposuit; cum Veneti potentia & imperio in immensum crevissent; contra Genuensium vires intestinæ discordiæ, continentiaque & internecina civilis bella ita fregissent, ut populo Genuensi exsangui & confecto nullum jam esset cum Venetorum florentibus opibus par certamen: iis igitur bellorum seminibus neutrius populi voluntas, eum utrique alius negotiis satis esset implicitus, sed casus, ac duorum ducis sortis hominum factum materiam & causam præbuit: ut vere à sapienti viro traditum sit, *incendia, quibus magnæ urbes conflagrent, non semper a theatris & basilicis, sed nonnunquam ab humilibus taguriis oriri.*

Magna erant ea ætate in ora Syriæ Genuæ osium & Venetorum commercia; magnamque rei familiaris partem in ea negotiatione implicitam uterque populus habebat; & magnas opes, magnamque potentiam, frequentaque domicilia possidebat: sed nullam urbem frequentius incolebant, quam Aconem, situ loci ac portus amplitudine commercii maritimis in primis opportunam. Hujus urbis, quæ Veteribus Ptolemais fuit, tertiam partem Veneti, tertiam Genuenses, reliquam tertiam incolæ ipsi Syri tenebant. Suam utraque nario separatam regionem, ac suum separatum forum, ad hoc suum quæque magistratum habebat; eum sacra ædes tantummodo esset communis: peramplaque privata ac publica ædificia, unaquæque oatio, ac magnam vim cellarum & tabernarum magni pretii mercibus refertarum exstruxerant; ut non jam ea urbs privatorum negotiatorum societatum receptaculum; sed duorum integrorum populorum, duarumque Rerumpublicarum suis legibus utentium domicilium videretur.

Forte ita tulit casus, ut, Simone Marocello & collega nationis Genuensis Consulibus, in privatæ ac parvæ rei altercatione Venetus quidam, cujus nomen non traditur, ætate robustior Genuensem & ipsum obscuri nominis adolescentem verberaret: quod factum ad publicam injuriam Genuenses revocantes, ut est natio perciti ac fervidi ingenii, omnique levi de causa facile irritabilis, armis repente arreptis, magno tumultu, magnisque clamoribus Venetos improviso deprehensos adorti ex ædibus ipsorum publicis expellunt, nonnullis eorum vulneratis. Graviter & iniquo animo rem tulerunt Veneti; neque orationem Genuensium auribus admiserunt sese purgantium, ac temeriam illam primam animorum concitationem, quam consilio regere sæpe in manu nostra non sit, excusantium.

Forte eo tempore Baxoccius Mallonius cum navi Veneta, quam à pirata quodam captam emerat, in portum Aconis earum rerum ignarus venit, Venerique non tam rei suæ recuperandæ, quam referendæ injuriæ studio navem appulsam oullo adito magistratu capiunt: at Genuenses injuriam non ferentes, armis sumptis, non modo captam navim recuperant, sed omnes Venetas naves, quæcumque erant in eo portu, viribus superiores capiunt, magnoque damno Venetos afficiunt. Quibus rebus Venetis cognitis; Veneti factas sibi ac nationi suæ injurias apud Genuenses conquerentur; sibique satisfieri postulant: decreta est legatio Bononiam; in quam urbem Veneri quoque Legati convenirent: ibique, re æquo animo cognita, convenit, ut damna illata æstimarentur, ac sarcirentur. Cum procrastinarent Genuenses; sese ab illis extrahi & ludificari Veneti rati armis sua re petenda statuunt, injuriasque ulciscendas: quare ordinariæ vectoriæ classi xiis. longas & ad pugnam instructas naves, partim triremes, partim galeatias comites eam addunt: quæ classis cum portum Aconis subisset, omnes Gen. naves, ut in nullo tali metu, improviso deprehensas capiunt & incendunt: neque ira satis exstiatam, facibus admotis, cœnobium sacræ ædis divi Sabæ continuatum, quam Genuenses tenebant, comburunt: qua re commoti Genuenses ad arma discurrunt; acreque inter ipsos & Venetos, cum quibus Pisani se coojunxerunt, prælium mox accensum est; magna cæde utrimque edita; ac multis ædificiis utrimque incensis: cumque utraque navis in eadem orbe se ad bellum compararet; non modo gladiis ac hastis quotidie dimicabant; sed compluribus utrimque bellicis machinis excitatis, omni tormentorum & missilium genere sese mutuo incessebant: vetosque Pisanorum turris à Genuensibus dejecta est.

Interea, enim Genuæ resciviscent, Venetos simul cum vectoria classe naves longas conjunxisse; ut paribus auxiliis rebus Syriacis subvenirent, ipsi quoque nonnullas corbitas ac decem triremes classi suæ vectoriæ in Syriam proficiscenti addunt: quas adversa tempestas adorta est; quattuorque illarum retro in portum Genuensem compulsæ sunt: ceteræ, post longam jactationem, quassatæ ac mancæ portum urbis Tyri tenuerunt. Quarum adventu cognito, Veneti, qui erant Aconæ, cum undeviginti triremibus portu exeuntes Tyrum petunt; portusque fauces insident: adversus quos Genuenses vecordi & inconsulto imperu exeunt: quam temeritatem haud leve damnum secutum est, tribus triremibus amissis. At Veneti, res Syriacas validioribus præsidiis firmandas cum statuissent, ingeotem classem comparant: adversus quos Genuenses quatruor corbitarum ac viginti quinque triremium classem, cui præfectus est Roseius Turca, navigare in Syriam jubent: cui paullo post, cum auditum esset, longe majorem esse navium Venetarum numerum, octo triremes addiderunt, hoc est alveos bellatoribus & foeus navalibus fere inanes, incolis Syriæ Genuensibus hominibus supplendos; alveis navium Syriam magis quam copiis egere credentes: quæ classis, cum Tyrum appulsa esset, pervigilio divi Joannis movit, atque ante portum Aconis in ancoris steiit, tamquam pugnandi copiam hosti faciens: qui insequenti die, Pisanis ac Massiliensibus, ac ceterarum nationum hominibus, quoscumque stipendiis conducere potuerunt, socius, cum octoginta amplius navibus varii generis portu egressi magno impetu Genuenses juvadunt: viribusque longe superiores haud magno certamine fundunt, viginti quinque triremibus captis: cum perpaucæ, quæ sopetfuerint, fuga elapsæ in portum Tyrensem sese recepissent, Genuensesque, qui erant Aconæ, tanta clade animis infractis & vestigio urbe exceduot. At Veneti, ira nondum exstiata, residuum odium, quando in homines non poterant, in ædificia ipsa effundunt: cellis & tabernis direptis, ædificisque privatis & publicis solo æquatis, eum ne turri quidem opere conspiciendo à Genuensibus ædificatæ pepercissent: cujus turris fores, una cum aliquot lapidibus, viri ceteroqui minime vani ingenii, impotenti lætitia usitatæ gravitatis obliti, Venetias mittunt; aliquotque navigiis in aquam à fundamentis turris exstantem immissis, per superbum nominis Genuensis ludibrium Genuensium turrim navigabilem factam jocabantur. Hæc clades omnes nationes, tam Syriæ veteres incolas, quam in illis regionibus commercia habentes, à Genuensibus alienavit; (ut mos est hominum animos ac voluntates ad fortunam inclinare) præter Principem Tyri, Catalanos, Aconenses cives, Equites Hospitalarios; qui in fide & in amicitia manserunt.

In-

Interea Alexander Pontifex, his motibus auditis, qui curſum conſiliorum ſuorum ad expeditionem Syriacam deſtinatum tardare atque adeo interrumpere poſſent, vehementer commotus, extemplo ab utroque populo legationes honorificas eum amplu mandatis ad ſe mitti poſtulat: omnes dicto audientes fuerunt; Genuenſeſque quattuor cives longe primarios miſerunt, Principivallem Auriam, Lucam Grimaldum, Ubertum Paſſium, Ugonem Fliſcum; Veneti Joannem Canalium, Philippum Sturlatum, Andream Zenum: miſſus eſt etiam à Piſanis, eodem Pontificis vocatu, Renatus Marſupus Juriſconſultus: quos Pontifex, cum omnes Romam convenissent, ad ſe introductos ita allocutus dicitur: *Numquam putaſſem, filii, Chriſtianam rem exſecrabiliorem adverſarium unquam habituram, aut vero habere, quam hos ipſos religionis noſtræ hoſtes Sarracenos; neque ullo funeſtiore bello Chriſtianum orbem infeſtum fore, quam eo, quo ab illis jam multa ſeculu urſtur: ecce vos, filii, novi hoſtes ad res inſuper aggravandas additi eſtis: eoillis exitioſiores, quod illi, bellum aperte inferendo, ut nobis ab illis cavearnus, neſque ad nos ipſos defendendos paremus, ſaltem admonent; vos arma Chriſtianis detrahendo, ac, ne ſeſe adverſus hoſtes impune tegant atque defendant, quantum in vobis eſt, prohibendo, fratres veſtros illis trucidandos produtis: patiemini, filii, me hanc neceſſariam orationis acerbitatem adverſus vos ſubire; quod ſemper parentibus erga filios licuit: quo modo vero arma vos Chriſtianis detrahere inficiari re poteſtis, qui diſcordiis veſtris illis ab iniure Syria intercluditis? quibus enim aliis claſſibus commeatus, ſupplementa, neve copia ad bellum tuendum neceſſaria trajici poſſunt; quam veſtris, filii, quos ſolos Deus maris Mediterranei potentes feeit? Ac Sarracenos, in Chriſtiana Eccleſia opprimenda, pietatis ſe ſuo proximos putant; ſeque in falſa religione noſtra, ut credunt, evertenda, ac ſua, quam veram rentur, extollenda, rem divino Numini acceptam in primis facere exiſtimant; at vos nihil deteſtabilius in illud ipſum divinum Numen admittere vos poſſe, juxta mecum intelligitis: pudeat vos Chriſtiani nominis, pudeat Majorum veſtrorum religioſorum hominum: quod ſi nullu verecundia vos movet; at ſaltem Dei immortalis motus, quem tam graviter laeſus, vos ad ſanitatem revocet: quiſerus interdum, ceterum certus injuriarum ſuarum vindex, haud diu ſe multum paſſurus eſt: hoc cauſſas odiorum ac diſſidiorum veſtrorum tandem condonate: quam rem cum ob omnibus, qui Chriſtiano nomine cenſentur, commune officium poſtulat; tum a vobis quadam magis neceſſaria vobis impoſita ratio exigit: quæ prater Rempublicam, qua omnibus communis eſt, res familiaris veſtra reſpectus movere debet, in Syriacis commerciis maxima ex parte occupata, cum tanto veſtro compendio, ut civitates veſtras, quarum alias in lacunis, alia in undo & aſpero ſito ſita eſt, alia perangueſtis finibus utitur, opibus ſupra ceteras ſere Europe auxeritis: qua tam eadem induſtria ſint tuenda, qua parata ſunt; non intelligitis, Syria amoſſa, materiam vos ac civitatis veſtræ detrahi vobis ſubtrahi? ſi cauſſa, qua vos ad arma inter vos egerunt, graves eſſent, non quidem venia, ceterum miſericordia aliquo modo digne eſſetis, privatu ne vixa inter duo obſcura & contemptu capita temere exoria tantas procellas cieſ? reſpiſcite aliquando, atque expergiſcimini; ſoludamque bonum ac ſalus veſtra, qua n ſalute publica disjuncta eſſe non poteſt, unanibus iſtis iris ac futilibus odiorum cauſſis propendere. Pro jure ſacroſancta poteſtatis agere vobiſcum poſſem, filii, ſed precibus malo: controverſias veſtras multo judicandas permittite, ac cauſſas diſcordiarum pro communi parente cognoſcendas, pacemque inter vos componendam, qua facilius conveniet, Chriſti Vicario diſceptatore atque arbitro, quam vobis de illis inter vos altercantibus.* Cum verecundia, tum veritate impulſi, ſeſe in ſacroſancta poteſtate fore omnes reſpondent, ſine ulla retractatione, eu, quod ipſe judicaverit, ſtaturos: omnia igitur ejus arbitrio & moderatione tranſigenda & conſtituenda, ſollemni compromiſſo permittuot. Qui brevi leges pacis dixit, eaſque pœna graviſſima ſanxit, ſacris atque Eccleſiæ communitate illis interdicendo, qui priores eas perfregiſſent: caſuque factum eſt ut eo die pax Romæ convenerit, quo elades in Syria accepta eſt: conditiones ac leges pacis omnes acceperunt: quæ potius bella & contentiones in præſens ſuſtulit, brevi majoribus motibus revicturas, quam animos veteribus odiis inter ſe exulceratos conjunxit.

Eo anno egregium, ac neutiquam ſilentio prætereundum, Lucenſium amicitiæ & fidei erga populum Genuenſem exſtitit officium; duobus millibus marcarum argenti dono miſſis ad difficultates publicas ſoblevandas; tot impendis in res Syriacas & Sardas factis, totque detrimentis acceptis: acceptum donum eſt, gratiis ingentibus actis; ac mox reſtitutum, ad majores neceſſitates ſervari juſſum.

Otium ab externis bellis, ne res Genuenſibus umquam quietæ eſſent, domeſtici motus excepere; quos excitavit ambitio Buccanigræ Capitanei: ſive ille ingenio vaſto, atque ad immoderata & non conceſſa tendente fuit; ſive illum Magiſtratus immutavit. Is, cum nimia illa poteſtate paullatim abuti cœpiſſet, jam eo pervenerat, ut Rempublicam privatis conſiliis ac magis pro arbitrio, quam ex legum præſcripto, adminiſtraret; Legatos & præfectos, quos ſibi libuiſſet, legeret; munera, procorationes, honores, quibus vellet, mandaret; neque ſe ullis legum vinculis conſtrictum putaret: quibus rebus acerbum odium Nobilitatis ſibi irritavit, conjuratioque in illum multorum ex primoribus civitatis facta eſt: quæ tantum abfuit, ut hominem everteret; ut contra, illius opes ſtabiliverit: maturuot enim nondum ſatis matura conſilia; ut multi ex conſortibus vere incunte, anno A. C. 1259. ejus ſæculi undeſexageſimo, urbe exceſſerint; quos Capitaneus exſulio mulctavit, illorum domibus diſturbatis: nonnulli, quibus fuga expedita non fuit, comprehenſi vadibus cavere coacti ſunt, ſeſe Capitaneo dicto audientes fore; neque ulla occulta conſilia contra illum ſtructuros: quo ſucceſſu ſuperbia & arrogantia Capitanei aucta eſt: qui ſtipendio illi publice auctο, in ædes Opicii Fliſci paternis laxiores & magnificentiores, tum autem ſitu opportuniores de publico apparatas commigravit.

Hoc anno Genuam venit Othobonus Fliſcus Cardinalis Innocentii quarti fratris filius, iter Dertonam habens, ad fratris filios in ea urbe in cuſtodiam traditos liberandos: poſtulavitque ſibi Legatos comites publice dari, quorum adſpectu atque auctoritate Genuenſis nominis, faciliores expediti res forent. Mos geſtus eſt tanti faſtigii civi æquo petenti: miſſi igitur ſunt Othobonus Camilla, Jacobus Marocellus, Guido Spinula, Hugo Fliſcus: qui Cardinalis haud multo poſt tempore Genuam rediit. Ejus reditus Buccanigræ atque illi ſtudentibus ſuſpectus nonnihil fuit, viri auctoritatem magnaſque opes & potentiam verentibus; ac timentibus, ne ille eum Nobilitate ejuſdem corporis homu conſilia Magiſtratus ſibi abrogandi confocaret: ceterum omnem eam ſuſpicionem Cardinalis moderatio & ſapientia mox diſcuſſit; qui deſperans conditionibus & verborum diſceptationibus res poſſe componi; Buccanigramque voluntate principatu umquam ceſſurum, proindeque ad vim & ad manus neceſſario veniendum providens; eamque rem à perſona, quam gereret, maxime alienam ratus; ſimul ſecum reputans, quam graviter apud omnes bonos, & Pontificem ipſum, totumque ordinem Antiſtitum eſſet offenſurus, ſi ipſe vir ſacer

motuum & civilium armorum, funerumque, quæ illa comitari ſolent, auctor viſus fuiſſet; uratione inſtigantium auribus non admiſſa, omnem ejuſmodi cogitationem à ſe penitus removit. Hoc annu ignubiles vici Balucum, Bajardum, ac Buzanæ dimidium de Marchionibus Cevæ & Albintemelii empti ſunt.

A.C. 1260. Inſequens annus ejus ſæculi ſexageſimus nihil memorabile habet, præter Vapulantium inſtitutum; quod Peruſiæ, ut ferunt, ortum, tota Italia brevi ſe diffudit, à compluribus civitatibus acceptum: ſed nullo in loco majorem vim majorave incrementa, quam Genuæ, aſſumpſit; amplis ſocietatibus cum in urbe ipſa, tum totis Genuenſibus finibus ad noſtra uſque tempora celebratum. Diſciplina eſt in ſuas ſingulas domos ſingulas ſocietates crebro convenire; ibique ſeſe ad pietatem, & religionem, ac virtutum Chriſtianorum uſum mutuo hortari, ſacriſque operari: cucullum ad talos demiſſum habent, quo os obducunt, ne de facie noſcantur; loco oculorum binis foraminibus luci pervio; à tergo perampla feneſtra in orbem apertum, ex qua nudum tergus apparet: hoc cucullo induti ac tecti, ſtatis anni diebus, primis ſe intendennbus tenebris, in publicum prodeunt, magnam vim tædarum præferentes, ac oumeroſum flagellum ex funiculis cannabeis, ex quibus ſphæruiæ argenteæ aculeatæ pendent, geſtantes; quo verbera ſibi ipſi alte infligentes tergus lacerant, totaque poſteriore corporis parte cruore late fluente fœdata, horrido ſimul ac miſerabili adſpectu urbem circumeunt; ædeſque ſacras ingreſſi, principe ſocietatis verba præeunte, veniam peccatorum ac divini Numinis pacem magnis ac conſonantibus elamuribus expoſcunt.

Per ea tempora Michael Palæologus Conſtantinopolitanum Imperium à Latinis diu poſſeſſum receperavit: qui ſeſe navalibus upibus, quibus eo tempore omnino carebat, munendum ratus adverſus Venetos perpetuos Cæſarum Græcorum hoſtes; quarumque in Græcis expellendis magna pars operæ fuerat; quique cumplures urbes ac loca Imperii tenebant; in opem Genuenſem confugit; quorum A.C. 1261. fœdus & ſocietatem, anno ejus ſæculi ſexageſimo uno, Syrna urbe, &, ut aliqui tradiderunt, Chiu quoque inſula illis donata, ſibi adſcivit: Gulielmo Vicecomite & Guarnerio Judice ea de cauſſa Legatis Conſtantinopolim miſſis, ſexque onerariis ac decem triremibus ſubſidio mox ſubmiſſis, Martino Buccanigra Capitanei fratre præfecto. Qua re cognita, Urbanus Pontifex, qui Alexandro ſucceſſit, Genuenſibus pacis dudum cum Venetis, Pontificæ auctore, initæ violatoribus ſacris interdixit. Eo annu dimidium vici Buzanæ de Janella Advocato emptum eſt.

A.C. 1261. Ineunte vere inſequentis anni, qui fuit ejus ſæculi ſexageſimus alter, Anſaldus Auria Conſtantinopoli cum navi ſua profectus, cum læto nuncio Genuam venit; peramplas Venetorum ædes inſtar regiæ in ea urbe à Cæſare Genuenſibus donatas; eaſque illico ab illis ſolo æquatas; lapideſque nonnullos ex ruina collectos (quos Genuenſes factum Venetorum ad Aconem imitantes, parque illis reddentes Genuam miſerunt) Magiſtratui reddit.

Isannus finem Buccanigræ dominatui attulit: in quem in dies deteriurem atque impotentiorem factum, Nobilitas atque omnes boni & de rebus familiaribus bene conſtituti cives, conjunctis ſtudiis, majore quam prius conatu conſpirarunt: quam rem muveri cum ſenſiſſet Capitaneus; quamquam tanta in ſe unum incumbente mole vehementer primo perturbatus eſt; ceterum vir acer celeriter eullecto animo non deſerit ſe: eodemque tempore Nobilitas & primores civitatis de Capitaneo dejiciendu, Capitaneus de inimicis comprehendendis ac mulctandis conſilia ſtruebant; atque utrimque ſumma ope comparabatur: tandem res à verbis & conſiliis ad manus & ad arma pervenit: dimicatumque eſt diu & acriter: vicere tandem boni, Lanfranco Capitanei fratre interfecto; cujus morte Capitaneus à ſuis deſeri cœptus animo concidit: res tandem Archiepiſcopo partes ſuas interponente compoſitæ ſunt; atque utrique parti ab injuriis & periculis cautum. Gulielmuſque, magiſtratu, quem ſeptennium male ac flagitioſe geſſerat, illi abrogato, in ædes Petri Auriæ, cum quo ſibi vetus amicitia intercedebat, cum familia ſua ſe recepit, comiter & benigne ab illo acceptus; manente etiam in publicis diſſidiis memoria privati juris: poſteroque die priſtina Reipublicæ forma conſtituta eſt, Martino à Fano Fortunæ Prætore electo, Palmerioque filio, ſi forte ille recuſaſſet, in ejus locum ſuffecto; qui Palmerius Kalendis Junii magiſtratum iuit. Eodem anno Othu Ventus decem triremium præfectus navem Venetam ingentis pretii mercibus onuſtam cepit: quæ onere multitudinis, quæ illam conſcenderat, depreſſa eſt; magna vectorum parte undis hauſta.

Inſequenti anno ejus ſæculi ſexageſimo tertio, A.C. in quo Prætor fuit Lazarus Lazarius Bononienſis, 1263. claſſis viginti quinque triremium, aliquot additis varii generis ac nominis navigiis, Cæſari Græco petenti ſubſidio miſſa eſt. Petru Grimaldo ac Peſchetto Malloniu præfectis, hoc honore illis habito, cum ob ſpectatas virtutes, tum ob recens haud exiguum meritum; magna argenti vi, hujus ipſius expeditionis cauſſa, Reipublicæ mutuu data: qui, Epidaurum Peloponneſi urbem, quam nunc *Malvaſiam* vocamus, itinere directo, promontorio ſuperato, nonnullis triremibus Genuenſibus in itinere ſibi adjunctis, ut claſſis omnino ad numerum triginta octo longarum navium aucta ſit, certiores facti, Venetam claſſem ſex & viginti triremium numero Conſtantinopolim petere, continuu ad illam contendunt: eamque adepti invadunt: qui in prælio ingens militare flagitium malu publico, peſſimo exemplu à Genuenſibus admiſſum eſt: apparuitque, odia civilia hoſtilibus præponderare, tanta enim factionum rabies illorum mentes tenuit; ut, præ illa, omnia divina & humana levia ducentes, cives ſuos, Rempublicam, fidem, famam, dignitatem publicam hoſti, cum ob ceteras injurias, tum ob plagam ab illo ad Aconem recenti memoria acceptam in primis inviſo, prodiderint; quattuordecim triremibus, quæ ſolæ pugnarunt, in medio ardore prælii deſertis: quas Veneti, quamquam primo acriter reſiſtentes, tandem funduot; quattuor triremibus captis, ac Grimaldo altero ex præfectis interfecto. Qui prælio ſuperfuerunt, claſſem reliquam in portum Epidauri ſubducunt: pauciſque poſt diebus, quattuor galeatis Venetis magnam commeatuum ac bellicorum apparatuum copiam in Euboeam vehentibus, dum prætervehuntur, captis, Conſtantinopolim petunt: numero triremium ad ſexaginta aucto; omnibus Genuenſibus, qui per ea maria commeabant, ſeſe majori claſſi aggregantibus. Eorum adventus minime gratus Cæſari fuit: qui, cum conſilia de conditionibus ſocietatis multum ac diu inter ipſos jactata, magniſque contentionibus agitata nullum exitum reperiſſent; à Cæſare dimiſſi, pleni ignominiæ Genuam reverſi ſunt; omnibus ordinibus & ætatibus illos animo & vultu reſpuentibus, quos Prætor, cum de conſilii ſententia pro eo, ac meriti eſſent, plectendos ſtatuiſſet, trierarehos, gubernatores, ac ceteros omnes, quicunque militares ac nauticas procurationes habuiſſent, vadibus acceptis, ad neceſſitatem judicio ſiſtendi adegit: quæſitoreſque Ubertum Cicadam, Idonem Lercarium, Anſaldum Auriam, Alberto Bergomate Juriſconſulto additu, ſibi in conſilio adlegit. Pecunia anquiſitum eſt: ma-

magnaque ſumma Otho Ventus, Simon Giarita, ac Tancila damnati ſunt, item reliqui variis ſummis, pro ſua quiſque ſorte: mulcta ſevere exacta; quæ mulcta facit, ut potius credam, illorum facta ad ignaviæ & ſordium, quam ad perfidiæ & prodationis crimen revocata: quod capite, non pecunia puniendum fuiſſet: hoc judicium, quod multos dies civitatem exercuit, ſuperiore anno à Lazaro Prætore inchoatum, hoc anno ejus ſæculi ſexageſimo quarto à Guhelmo Scarampo Haſtenſi, qui illi ſucceſſit, in univerſo conſilio palam latum eſt. Mulctatus quoque eſt pecunia ſuperioris anni Prætor, ſimulque ejus accenſus, ac nonnulli apparitores, legum præſcriptum tranſgreſſi, multorumque haud recte factorum comperti.

A.C. 1464.

Genuenſium & Venetorum animis ad bellum accenſis, omnibuſque utriuſque populi curis ad ea, quæ ad illud gerendum pertinebant, continenter verſis; Genuenſes vere ineunte prævalidam viginti triremium ac duarum ingentis magnitudinis corbitarum claſſem omni nautico armamento omnique bellici inſtrumenti genere emulate inſtructa; ad hoc omni commeatuum copia affatim refertam parant, in Syriam deſtinatam, ad res in ea Provincia proſtratas erigendas, & ad ſuperiorum annorum ignominias præ eorum vitio acceptas aliqua ex parte delendas. Idoneus in primis ad eas res exſequendas viſus eſt Simon Grillus, cui ſummum imperium mandant, quattuor civibus illi in conſilio additis, Rogerio Ancona, Ogerio Scotto, Petro Camilla, Amichetto Grillo. Is vir verſatili & leni ingenio, ad omneſque hominum naturas in primis apto, ad bellicas laudes, quas in eo, cui tanta res commiſſa fuit, neutiquam vulgares eſſe oportuit, liberalitatem quoque & comitatem addiderat: quibus rebus miras hominum, præſertim tenuiorum, voluntates ad ſe attraxerat: præfectuſque creatus, clientium & affectantium gregibus ſtipatus, ac ſupra privati hominis modum conſpectus, in publicum prodiens magnam ſibi invidiam conflavit; Nobilitatiſque oculos in ſe convertit; cum ſuſpectum illis eſſe cœpiſſet celſum & vividum ingenium: quare vulgo pro ſe quiſque fremere, hominem genere clarum atque opibus polletem, tum autem plebi ac tenuioribus in primis acceptum, nimium ſeſe illis venditare, nimiſque familiariter illis uti: profecto id non temere fieri; atque in tanta comitate aliquid Reipublicæ minime ſalubre latere: quæ ſuſpicio paullatim gliſcens, tandem pleriſque ex Nobilitate contra illum induit arma: in quibus atrociſſimi in illum coorti ſunt Fliſci & Grimaldi adverſæ Guelphæ factionis capita. At Grillus periculum parum cogitata ratione ſibi contractum, majore prudentiæ diſcuſſit, tantumque tot potentium civium in ſe unum intentum impetum, quem aperte contra tendendo frangere non poſſet, leniter declinando eluſit: invidiam enim emittatu à ſe protinus amandato, privati hominis ſpecie in domum Prætoris conceſſit: ibi per emiſſarios & amicos circumviſſos modice queri cœpit, Nobilitatem, quam unam, ſi quid ſecus ſibi accidiſſet, præſidio ſe habiturum ſperaſſet, ex illius corpore homo, eam potiſſimum in ſe coortam: ſuſpicionem de ſe falſo conceptam, ſi à ſe mores ſui ac curſus anteactæ vitæ non ſatis removeant, at ſaltem recentem Buccanigræ caſum debere removere; qui docuerit, quam plebis favori ſit fidendum; à qua ille ad ſummum rerum faſtigium elatus ad primum armorum crepitum ſit deſertus: quod ſi ſui corporis hominem opprimi plebs ſedens ſpectarit, quid ſibi alienigenæ ab illius ſavore ſperandum fuiſſe? globum juvenum, quæ una res in ipſo offenderit, bono publico circum ſe habuiſſe: eſſe enim viros acres & ſtrenuos ad uſus expeditionis ſibi commiſſæ corrogatos: quæ quoniam ratio non probetur, ab ea in poſterum ſe deſtiturum. His atque aliis ejuſmodi ſuaviter agendo, triduo, quo in domo Prætoris fuit, non modo omne periculum à ſe removit, ſed mandatum honorem omnium ordinum favore ſibi magis ſtabilivit: qui omnibus rebus expeditis menſe Junio ſolvit; Siciliamque prætervectus, certior in itinere factus, ingentem Venetorum vectoriam claſſem infiniti pretii mercibus onuſtam in ſinu Hadriatico eſſe, de conſilii ſententia iter à Syria ad certioris ſpei rem avertit: ſinumque ingreſſus claſſem ad Dyrrachium aſſequitur; proraſque in eam dirigit: idem faciunt Veneti, Genuenſibus in ſe euntibus conſpectis: cum claſſes appropinquaſſent, Veneti ſuperioribus ſucceſſibus elati, gallinis in mare projectis velut ignaviam & imbelle ingenium exprobrantes, cum illis pugnare Genuenſes jubent: qui ſuperbo ludibrio irritati, naves ſuas magno impetu in Venetos concitant; non minoribus animis à Venetis excepti, magnoque irarum certamine inter animos tot irritationibus accenſos res geſta eſt: atroxque prælium à meridie ad mediam noctem extractum eſt: tandem victoria penes Genuenſes; omnibus fere hoſtium navibus captis, prædaque ingenti & magnæ æſtimationis parta: quæ & militantes privatim ditavit, & ærarii inopiam publice ſublevavit.

Interea Veneti initio hujus anni, cum audiſſent Genuæ claſſem comparari ad Syriæ res tentandas, ipſi quoque diligenter comparare inſtituerant: ac claſſem longe Genuenſi ſuperiorem quinquaginta navium partim triremium, partim galeatarum, partim varii generis navigiorum inſtruxerant, brevi portu exituram: qua re cognita, Simon, ne gloriam partæ victoriæ majore clade deformaret, neve temeritate ſua claſſem ſibi commiſſam, ac rem publicam in præcipitem caſum daret, ſatiſque & ad gloriam, & ad animos Genuenſium præteritis malis fractos & abjectos reficiendos & erigendos, ea ætate profectum ratus, tempori cedere ſtatuit: retroque itinere converſo, Genuam repetit: quo ſpoliis hoſtilibus onuſtus brevi incolumis pervenit: at claſſis Veneta ſpe Genuenſis claſſis adipiſcendæ fruſtrata, Syriam petit; quæ nulla memorabili re geſta (neque enim facultas ulla data eſt) onerariis tantum Genuenſi ad Tyrum capta, Venetias rediit.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER V.

A. C. 1265. SEQVITVR annus ejus ſeculi ſexageſimus quinctus: in quo civiles diſcordiæ, à quibus per multos annos quies fuerat, renovatæ ſunt; funeſtique civilis belli, quod ab illis manavit, ſemina jacta; quod acrioribus odiis, quam ſuperius, atrocioribuſque crudelitatis exemplis exercitum, majoribus cladibus ac funeribus civitatem deformavit: conſtatum eſt autem non tam à Guelpharum & Gibellinarum partium ſtudiis, (quamquam hæc nomina malorum auctores in ſpeciem retinuerunt) quam à quattuor præpotentium gentium Spinularum, Auriarum, Grimaldorum, Fliſcorum immodica ambitione: quæ familiæ ſupra ceteras opibus auctæ, ac populorum dominatu fultæ, nimiis ſpiritibus ſumptis, neque æquabilitatem privatæ fortunæ cum reliquis civibus ferentes, occaſionem ex iis factionibus arripuerunt conſilia dominandi jamdiu occulte concocta ad effectum perducendi; cum, diviſis bifariam ſtudiis Spinulæ & Auriæ Gibellinarum partium, Grimaldi & Fliſci Guelpharum principatum in ſe firmaſſent. Earum familiarum impotens regnandi libido, ne cum dominatu quidem, ex quo virtute & conſilio egreſſi & memorabilis civis virique fortiſſimi Simonis Buccanigræ dejectæ ſunt, finem invenit: à ſummo enim Magiſtratu lege excluſæ: quod aperta via tenere non poterant, ut dominarentur; per cuniculos aſſequi tentarunt: diſcordias enim inter populares corporis cives, quibus Reipublicæ procuratio & rerum imperium ceſſerat, ſerendo; prævalidaſque illius corporis familias, quæ & ipſæ ſupra modum creverant, artificio aggreſſæ; atque eas privatis amicitiis, per varias occaſiones, amplexæ, illarum laborantium vicem ſe dolere ſimulantes, opemque modo his, modo illis ferentes, tandem ſeſe in ſocietatem regnandi inſinuarunt; ſtudia reliquarum gentium ex Nobilitatis corpore eadem contagione imbutarum ſecum trahentes: quas ipſas quoque Nobilitatis nomen ab honoribus & muneribus publicis arcebat. Tulerunt quidem quattuor hæ familiæ complores claros viros ac militiæ bonos; qui patriam multarum egregiarum victoriarum, & magnæ gloriæ, virtute & laboribus ſuis compotem fecerunt: ceterum, ſi quis bona & mala ab illis emanata conferat, haud dubito aliquos fore, qui de gratia ſplendidarum familiarum meritis debita magnum cumulum à malis invectis detrabi putent: cum tamen gloriam eorum, qui præclaris rebus geſtis nomen Genuenſe illuſtrarunt; illorum odio, qui tot malis & detrimentis civitatem involverunt, haodquaquam imminuendam ſtatuant: quorum poſteri, ſi modo æquo judicio uti volent, nihil erit, quod ægre ferant, noſtrum ſtudium in his infectandis, atque in illis laudandis æque ardens fuiſſe; neque quod rem ad partium ſtudium revocent; tamquam ego popularis corporis civis illuſtres quattuor familias, quibus Nobilium nomen ac factio haud parum ornatur, invidia onerare ſtuduerim: qua ſuſpicione me plane liberat, quod in quattuor clarorum popularium gentium, Adorniæ, Folgoſiæ, Montaltæ, Guercieæ immodica ambitione exagitanda, praviſque artibus, quibus plerique ex illarum hominibus principatum appetiverunt, partumque geſſerunt, odio civium ſubjiciendis, non minus vehementes, minuſve acres fuimus: quod idem paullo ſuperius fecimus in Gulielmi Buccanigræ ambitione perſtringenda, ejuſque flagitioſa Reipublicæ gerendæ ratione aperte damnanda.

Auctor movendarum rerum fuit Ubertus Spinula: qui, cum ſuis perſuaſiſſet, non aliter Guelphorum potentiam majores in dies vires aſſumentem, ac peſtem & perniciem Gibellinis machinatorem, conſiliaque regni invadendi ſtruentem, comprimi poſſe, quam ſi Gibellini ſummum rerum imperium ad unum detuliſſent; magno clientium numero tam ex ipſa urbe, quam ex circumjectis regionibus corrogato; quos partim auctoritate ſua ipſe attraxit, partim Gulielmus quidam à Petra ex valle Seriviæ, & Joannes Ravaſcherius, Gulielmuſque Bottinus ad illum adduxerunt; juventuteque familiæ ſuæ latera cingente; neque exiguis infimæ ſortis hominum de plebe Genuenſi beneficus & promiſſis allectorum gregibus ſtipatus; quos obæratos, ac ſceleribus & maleficiis contaminatos, atque ad vim, facinus, ſeditionem paratos, cupiditas novandarum rerum, ac ſpes impunitatis delictorum ad illum attraxerunt. His igitur copiis ſultus Spinula, initio menſis Octobris, nocte concubia cum Thoma fratre domo proſiliens, prætorium aggreſſus, Prætorem improviſo deprehenſum, totamque familiam ſimul cum eo captam domi ſuæ in privatam cuſtodiam iocluſit; ipſeque in occupato prætorio ſubſtitit; cum ejus cohors tota urbe diſcurrens Uberti Spinulæ Domini & Capitanei Genuæ nomen ingentibus clamoribus ſubjiceret. Poſtero die, luce orta, Ubertus populo in aream ad Laurentii convocato, cui interfuerunt omnes primarii cives, ex prætorio profectus, Guerciorum præpotentem ac nobilem familiam optimiſque in Republica ſenſibus perpetuo uſam, per quorum plateas iter fecit, obſiſtentem habuit: qui tamen non ſatis, ut in improviſa re, à viribus parati brevi certamine victi & dejecti ſunt, illorum ædibus & turribus captis: ceterum, cum in conſilium veniſſet, compluribuſque verbis conatus ſuos honeſtare obtendiſſet, acrius illi, quam ipſe animo præceperat, à bonis & primariis civibus reſtitum eſt: adverſus quorum conſentientia ſtudia tendere non auſus, non ſatis adhuc ad vim afferendam paratus inocepto deſtitit: verbis ſimulans, ſe conſilium quietis publicæ cauſſa ſuſceptum, quoniam illud civibus non placeat, quietis quoque publicæ cauſſa æquo animo deponere; ceterum re ſeſe ad aptius tempus reſervans: rea igitur ita compoſitæ ſunt; ut Prætor, ſtipendiis debitis acceptis, magiſtratu illico abiret: atque interea, dum dies novi Prætoris creandi venit, qui tum erat ad quartum Nonas Februarias, regimen rerum penes Guidonem Spinulam & Nicolaum Auriam eſſet: nullique Uberto & conſortibus excitati motus fraudi eſſent.

Inſe-

A.C. 1466. Insequenti anno ejus sæculi sexagesimo sexto, Spinula & Auria nihil retractantes novo Prætori magistratu cesserunt: is fuit Jacobus Paludius Parmensis, octo collegis ex Nobilium corpore de more additis. Infelix hic annus fuit, rebus adversis Venetos à præfectis nostris male gestis: quorum classis cum compluribus detrimentis Genuensesaffecisset, haud exigua navium, hominum, mercium præda acta; Genuenses decem & octo triremes, ingentemque corbitam adversus illos armarunt: quarum præfectus fuit Lanfrancus Borborinus; tribus illi in consilio Legatis additis, Balduino Dictisalvio, Rainaldo Cœba, Bonavia Comite; Conrado Vento corbitæ præfecto: quæ classis mox novem triremibus aucta est: cum audirent esse classem triginta triremium è Venetorum portubus solvisse. Igitur Borborinus corbita, quæ iter classis tardabat, Bonifacii relicta, cum triremibus ad perquirendam hostium classem profectus, illam tandem adeptus est ad littora Siciliæ, inter Drepanum & Mazariam urbes: consiliisque peritorum rei nauticæ spreto, qui illi magnopere auctores fuerunt, ut in alto procul à terra pugnaretur, sive arrogantia, sive formidine jam tum fugam spectans, classem littori quam proxime applicuit: navibusque inter se catena devinctis, continuatam illius seriem fecit, malo pravoque consilio. Venetis enim primo concursu victoribus, factum est, ut omni facultate fugæ retinentibus vinculis adempta, naves in potestatem hostium ad unam veneriut: cum præfectus ipse, ac reliqui primores, omnisque turba nautica propinquo effugio invitati, ne tentata quidem pugna, turpiter se in terram ejecissent. Tanta ignavia Genuæ ad proditionis crimen haud immerito revocata est: ipseque præfectus decem millibus librarum damnatus, atque exsilio multatus, bonis publicatis: eandem exsilii & publicationis bonorum pœnam præfecti triremium & gubernatores subierunt: cum præfecti singuli duabus librarum millibus, gubernatores mille damnati essent; illorumque domus ac turres dejectæ & complanatæ.

Nihil adversis casibus infracti Genuenses alteram viginti quinque triremium classem eadem æstate compararunt, Uberto Auria Duce: qui jam tum adolescentiam nondum egressus magni futuri Ducis multis locis egregium specimen præbuerat: is ignominiæ delendæ cupidus, Hadriaticum sinum ingressus, hoste diligenter perquisito ac nusquam invento, nonnullis onerariis captis & incensis, ne inutilis omnino & segnis ejus expeditio esset, iter in Cretam insulam flexit: quo appulsus urbem Caneam vi expugnatam diripit, ac prætorium incendit: itinereque retroverso domum repetens in classem vectoriam Venetorum incidit, in qua erant triginta triremes: sapienter igitur prælio enim hoste viribus tanto superiore declinato, institutum iter prosequens in Siciliam appulit: prædamque inter navales socios partitus, parte Reipublicæ obveniente retenta, Genuam reversus trecentos quinquaginta captivos quæstoribus tradidit. Eodem quoque anno Peschcrus Mallonius trium triremium præfectus, quarum una Portusvenerensium fuit, ad littora Syriæ ingentem Venetorum onerariam cepit; ingenti præda rerum & hominum facta: qui Genuam reversus ipse quoque centum & triginta captivos Reipublicæ tradidit.

A.C. 1467. Insequentis anni ejus sæculi sexagesimi septimi, cujus Prætor fuit Guidottus Rodobius Vercellensis, primum opus fuit interdictum à sacris, quod adhuc durabat, à Pontifice sublatum; civitasque sacris & communitari Ecclesiæ restituta: Oratoribus ea de causa ad Pontificem missis Nicolao Cicada, Ansaldo à Mari Jurisconsulto, Lanfranco Catalusio, Gulielmo Cybo. Haud retractanter hoc factum est à Pontifice; ut Genuensium animos beneficio delinitos facilius in societatem consiliorum, quæ de bello sacro integrando à Christianis Principibus agitabantur, traheret: qua de causa Legatus Pontificis ac Regum Galliæ & Siciliæ Oratores, ex composito, eodem tempore Genuam venerunt, oratum, ut cum Venetis pacificaretur; cum duorum populorum maris potentium discordiæ sacris expeditionibus magno impedimento essent: Legati comiter accepti, ac cum benigno responso dimissi sunt; in Genuensibus nullam umquam moram sacris expeditionibus fore; qui Majorum suorum contestata pietate nihil absonum facturi umquam sint: quod idem responsum datum est ipsis Principibus à Genuensibus Oratoribus Simone Mallonio & Petro Camilla ad Regem Gallorum, & Marinetto Marino Jurisconsulto ad Pontificem, certo quoque nuncio ad Siculum, missis: quod vero ad pacificationem attineret, sese in sacrosancti Pontificis & reliquorum piorum Regum potestate futuros, nulla tamen re transacta, per has verborum ambages Genuensibus rem extrahentibus: quorum omnia consilia in Venetos ulciscendos atque accepta damna illis reddenda rum versa erant. Armatæ igitur sunt adversus illos quinque & viginti triremes: quæ classis Lucheto Grimaldo ducenda data est; Peschero Mallonio & Otholino Nigrollo in consilio additis: qui Syriam petens duas Venetorum triremes & onerariam, quas in itinere forte obvias habuit, cepit: cumque portum Acouis tenuisset, turrim à Venetis ad defensionem portus ædificatam & munitam expugnavit: ostioque portus quindecim triremibus infesto, ipse cum reliquis decem Tyrum se contulit, ad consilia cum urbis Domino, ipso quoque Venetorum hoste, de Venetorum rebus oppugnandis conferenda: quo absente, viginti Venetorum triremes supervenerunt: quæ Genuenses triremes numeru inferiores adortæ, quinque illarum ceperunt; cum reliquæ, rebus inclinatis, fuga salutem expedivissent; Tyrumque appulsæ se cum reliqua classe conjunxissent: præfectus, cum nulla reliqua esset opera Reipublicæ navanda, cum tota classe itinere retro repetito, tribusque triremibus ad commercia Venetorum vexanda missis, nonnullisque Venetis navibus in itinere illi forte oblatis captis, Genuam cum reliquis decem & septem triremibus reversus est; trecentaque captivorum Venetorum capita ac merces in navibus captis inventas Reipublicæ tradidit. Hæc fere memoratu digna inter Venetos & Genuenses eo anno gesta sunt: cum utriusque nationis naves privatim, & ad negotiationem & ad piraticam faciendam armatæ, per varias occasiones, & hoc anno & per totum hujus belli tempus, mutuo sese parvis damnis carpere numquam destiterint: quæ minutiora sigillatim persequi, satietatis potius, quam ullius operæ pretii fuerit. Lex eo anno lata nullo modo præterunda fuit: qua Genuensis nationis Consules per omnes Hispaniæ & Syriæ urbes sparsi; illi Consulibus sedes & domicilium Setiæ habentibus, hi Consulibus Tyri considentibus parere jussi sunt.

Annus qui sequitur ejus sæculi sexagesimus octavus, Guidone Corrigio Parmensi Prætore, nulla re domi aut foris gesta, nullam materiam scribentibus præbet: ac ne insequens quidem, cujus Prætor fuit Bonifacius Carriosa ex Regio Lepidi, ulla alia re est insignis, quam adventu ad urbem splendidarum legationum, à Sultano Memphitico, à Tartarorum Principibus, ab Imperatore Græco, ad Pontificem & ad Regem Gallorum, ad Regemque Siculum missarum; ad illorum curam ad versos eos Saracenos, qui tum sacram urbem tenebant, instigandam: quos graves omnibus accolas capitali odio ceteræ nationes persequebantur. Res quoque hoc anno cum Rege Siculo constitutæ sunt: controversiæque, quæ multæ illi cum natione Genuensi

A.C. 1468.

A.C. 1469.

nuensi intercedebant, sublatæ à Simone Guercio, Janella Advocato, Simone Cancellario Genuensium Oratoribus ea de causa missu.

A.C. 1270. At annus ejus sæculi septuagesimus, qui Prætorem habuit Orlandum Putagium Parmensem, cum toti Christianæ Reipublicæ, tum nominatim Genuensibus infelix in primis domi forisque, ac funestus fuit: nam & foris vires civitatis ingenti naufragio haud parum accisæ sunt; & domi libertas oppressa. Eas res nunc stilo persequi pergam.

Nihil adversis ecsibus vividus atque invictus Ludovici Francorum Regis, pietateque incensus animus infractus, omnibus consilii sacrum bellum alebat & fovebat: qua de caussa Legatis superiore anno Genuam missis, magnum navium numerum omnis generis, magnamque egregiorum bellatorum & nautarum multitudinem conduxerat; ut decem millia Genuensium in ea expeditione fuisse tradantur: quam haud mediocribus auxiliis ipsa quoque civitas publice missis adjuvit: quibus præfecti sunt Ansaldus Auria, Philippus Cavaroncus, Franciscbinus Camilla. Omnibus igitur comparatis & instructis, Rex cum tribus filiis, Philippo, Petro, Tristano, Alphonso fratre Comite Pictavien-si & Tolosate, Rege Navarræ genero, magnoque Procerum & Principum numero conscendit: qui in multas partes utile in primis atque aptum suscepto bello ratus Africam prius domitam relinquere, cursum Tunetum dirigit: secundaque navigatione usus, cum oram Africæ tenuisset, copias in terram exponit: primumque opus belli fuit, Quarantanam munitissimam arcem, omnibusque necessariis rebus ad bellum firmatam tentare: quam Genuensium in primis virtute, qui classem ad arcem applicuerant, expugnavit: ea expugnata, copiis Tunetum admotis, urbem arta obsidione circumsedit: quæ obsidio dum diutius, quam animo præceperat Rex, extrahitur, ingens vis pestilentis ac contagiosi morbi, ex intolerandis illis Africæ æstibus concepti, exercitum invasit: quæ, ingenti multitudine ignotorum capitum primo absumpta, in Principes ipsos tandem incubuit, magnaque illorum funera edidit: atque unum ex regis filiis Tristanum, ac post illum, Pontificium Legatum sustulit: post quos ipse quoque Rex singulari pietate atque omnium virtutum gloria longe præstantissimus, quæ illum in Divorum numerum retulerunt, lugubri Christianæ Reipublicæ fato exstinctus est: cui Philippus filius maximus natu in regnum successit. Postridie ejus mortem Carolus Siciliæ Rex, Regis mortui frater, cum magna navium classe, magnisque pedestribus copiis Tunetum appulit; castraque eum Philippo conjunxit. Ludovici morte non tamen aut obsidio soluta est, aut bellari desitum; cum Christiani, obsidione nihil relaxata, eodem tempore & urbem urgerent, & tota regione circa excurrentes, ferro, igni, omnique belli clade grassarentur; Maurique acriter resisterent, urbem constanter defendentes; ac Christianis occurrendo, minus liberos illis excursus facerent. Pax tandem cum Rege Tunetano, Siculo auctore, inita est: cujus conditiones fuerunt; Tunetanus quinquaginta duo millia unciarum auri Christianis Regibus præsentia solveret, ac totidem proximo biennio; certum tributum anniversarium Siculo Regi penderet; concionatores Christiani Euangelii admitteret, eosque inviolatos præstaret; Genuensibus, quas debebat, pecunias persolveret.

Fœdere icto, Odoardus Angli Regis primogenitus filius cum ingenti triremium & corbitarum classe supervenit; magna vi pedestrium copiarum, magnoque Principum & Procerum sacrorumque Antistitum numero secum vecto: ingemuit egregius adolescens, occasionem virtutis ostentandæ ea pace sibi præreptam: partemque pecuniæ à Tunetano exactæ sibi obvenientem à Regibus oblatam recusavit: sine igitur bello infructuoso imposito, autumno circumacto, Christianæ classes simul conjunctæ ex Africæ ora solverunt: portumque Drepani in Sicilia incolumes subierunt: in quo cum diem tantum fuissent, atrox tempestas illas adorta est: cujus tanta vis fuit, ut omnes naves, quæ fere Genuenses erant, præter Anglicam classem, quæ in intimum sinum portus retractior intacta fuit, lacerarit ac disjecerit: ceterum Genuenses majorem Regis Siculi, quam tempestatis sævitiam experti sunt: qui, pro eo, ut egestatem miserorum benignitate sua sublevaret, omnia ex naufragio recuperata, tamquam jure sibi obvenientia, illis abstulit, nequidquam expostulantibus, ac fidem recentium fœderum testantibus. Ab infelici expeditione Philippus revertens, cum Cremonam venisset, petente Pontifice sacræ expeditionis percupido, atque omnia impedimenta removere studente, pacem inter Venetos & Genuenses auctoritate sua interposita in quinquennium composuit.

Hoc anno, jamdiu ab Uberto Spinula structa invadendi dominatus consilia, superioribus annis frustra tentata, majore apparatu, majoreque conatu repetita, effectum habuerunt: cum ipse interea majoribus opibus viam sibi ad illum communisset; Auria gente opibus prævalida sibi adjuncta, Ubertoque ejus familiæ principe in societatem imperii assumpto: quem virum ceteroqui egregium, ac patriæ perutilem, rebusque gestis clarum civem suis consiliis imbuit. Occasionem cogitata exsequendi ambobus præbuerunt turbulenta Reipublicæ tempora, ac corrupti sæculi licentia; quam præpotentium nobilium familiarum prava ambitio in civitatem invexerat, dum unaquæque majores sibi opes conflare studens, infimæ sortis hominum, quorum gregibus latera septa habebat, libidini indulget: legumque vi potentia sua perfecta, ac publica majestate soluta, Magistratibus non parentes, ceteris idem faciendi exemplum præeunt: ut, nullo pene metu maleficia cohibente, libidinem animi unusquisque pro lege haberet; nulliusque res aut vita à facinorosorum audacia tuta esset; nihilque intra aut extra pacatum aut quietum; sed vulgo spoliarent, raperent, vulnerarent, cæderent. Quo sæculi vitio Luchetus Grimaldus utens, Albintemelii præturam malis artibus sibi adscivit. Eum cum familia Curiorum opibus & clientelis valida ac Gibellinæ factionis caput Prætorem repudiaret, tanquam vitio ereatum, eamque speciem verbis pretexens, ceterum re ab adversarum partium homine abhorrens, arma contra illum sumpsit: ut idem morbus magistratus negligendi contagione sua in totam Genuensem ditionem manarat: quibus auxilio Genua profecti sunt, Ansaldus Balbus Castellius, Ughetus Auria, Gulielmus Turrius cum valida clientium manu: qui prælio à Lucheto superati sunt, compluribus ex illis captis ac carceribus inclusis: ad quos restituendos cum nullis precibus Luchetus aut propinquorum allegationibus adduci potuisset; Spinulæ & Auriæ conjuncti, magna vi amicorum & clientium suorum convocata ram ex Nobilitate, quam ex plebe, præclaram speciem præferentes popularis libertatis vindicum, ac regimen civitatis universo populo asserentium; facile convocatis persuaserunt, ut omnes in ipsorum verba jurarent. Eorum igitur animis in se firmatis, duæ hæ familiæ ad quinctum Kalendas Novembris armis sumptis prætorium invadunt; cum Prætor cedens, magna multitudine civium tam nobilis quam popularis corporis illum sequente, illorum manibus se eripuisset, atque in ædes Fliscorum ad divi Laurentii recepisset: quo ingentes concursus hominum Guelpharum partium facti sunt; sese patrocinium libertatis ac Magistratuum expulsorum susceptum venisse prædicantium adversus Spinulas & Auriας; qui

qui ad nefarium ſcelus mentiendi quoque impudentiam addant; hominumque patientiæ verbis illudentes, tanto parricidio honeſtum ac popularem titulum præferant; ſeque (ſi diis placet) ejus libertatis aſſertores vocent, quam, armis palam adverſus ipſum Magiſtratum latis, illoque de ſedibus ſuis dejecto, manifeſte opprimant; ac regimen popularе appellent, quod civibus ablatum in ſe ipſi privatim verterint, ac, cui populo jugum parent, ad eum imperium transferre ſe dictitent: res à verbis mox ad manus venit; acreque prælium commiſſum eſt: in quo victores Spinulæ & Auriæ fuerunt: victoriamque petitum principatus præmium illico ſecutum eſt; Uberto Spinula & Uberto Auria, ut privatis conſiliis compoſitum fuerat, Capitaneis Genuenſis libertatis creatis; ſummoque omnium rerum imperio, nullis legibus aut conditionibus circumſcripto illis mandato: in corumque pro tribunali ſedentium verba ab univerſa civitate atque ab utraque Factione juratum eſt: qui ad animos multitudinis, cujus favore imperium invaſerant, retinendos; &, ad adumbratam ſpeciem popularis Reipublicæ ſtatus, qua ambitioſa conſilia velabant, præferendam, rectorem plebi ex illius corpore hominem dederunt, Abbatem populi nuncupatum; ſedibus ac domicilio publico, familiaque, & accenſis, ac nonnullis aliis inanibus honoris inſignibus decoratum; honorifico præterea conſidendi loco inter ipſos medio conceſſo. Haud melioribus artibus, quam partum eſt, imperium à novis Dominis exerceri cœptum; compluribus egregiis civibus, certo exſulii loco illis definito, urbe exactis: quos nullius criminis compertos cum adverſarum partium ſtudium, tum præſtans ingenium, vividuſque & experiens animus injuſtum regnum numquam concocturos ſuſpectos faciebat: lenire tamen invidiam multis modis Capitanei aggreſſi ſunt: nam Archiepiſcopo adhibito, ut ſacræ poteſtatis majeſtas venerationem conſiliis adderet; ſalubri ſeveritate maleficia acriter puniendo, licentia peccandi cohibita, civiumque animos multis matrimoniis contractis inter ſe conciliando, civitatem in tranquillum redegerunt: cum Intemeliorum civitatem, in qua ipſa quoque res turbulentæ erant, Babilano Auria eo publice miſſo, pacaſſent; vico Lerma facinoroſorum hominum receptaculo deleto: ad hoc ſpeciem quandam priſci regiminis retinuerunt, peregrinio Prætore vocato: cui apparitoribus & ceteris inanibus magiſtratus inſignibus relictis, vim tamen ac robur omne ademerunt, imperio ſuo illum ſubjungendo; neceſſitateque impoſita omnia ad ipſorum præſcriptum dirigendi.

A.C. 1271. Acceſſitus eſt igitur inſequenti anno ejus ſæculi ſeptuageſimo uno (nam quod reliquum tempus ſuperioris anni fuit, poſt imperium Capitaneis mandatum, Prætore caruit) Prætor Accurſius Lanciavecchia Alexandrinus: qui mos tamen duobus inſequentibus annis ejus ſæculi ſeptuageſimo altero, & tertio, ita voluntate dominantium ſerente, intermiſſus eſt: quorum duorum annorum primo Othobonus Fliſcus magni nominis magnarumque opum Cardinalis, odio & indignatione ardens, Grimaldis ipſa quoque præpotenti familia in ſocietatem conſiliorum aſſumptis, exſulibus Romam congregatis facile perſuadet, ut, quoniam patriam, ex qua injuſte exacti ſint, ac res ſuas recuperandi nulla alia ſit via, quam civitate ipſa Carolo Regi tradenda, id facere ne cunctarentur: neque eo conſilio ſervitutem patriæ parari, quæ jam impotentiſſimis tyrannis ſerviat; ſed dominum mutari, ac patriam ipſam ſplendidiore catena alligari: æquoribuſque oculis illuſtrem ac præceliſum Regem, tum autem ſibi ipſis æquum, dominantem adſpici, quam infenſiſſimorum hoſtium ſuorum, ſibique iniquiſſimorum, atque eodem jure, quo ipſos, natorum, faſtum & ſuperbiam ferri. Probato conſilio, cum Rege tantæ acceſſionis cupientiſſimo ſocietas Gibellinorum Genua expellendorum, nulla mora interpoſita, jungitur.

Ex eo fœdere res turbari multifariam cœptæ ſunt: nam Rex res & mercatores Genuenſes in regno Siciliæ retentos in cuſtodiam dedit; nequidquam Genuenſibus fidem fœderum teſtantibus: quam ſe Rex haudquaquam violare dictitabat, non contra civitatem ipſam, ſed contra ejus libertatem injuſte prementes veniendo: cujus juſſu nihil, quod ad eos ubique vexandos pertineret, omittentis, Nicolaus Auria, & Michelettus ejus frater, ac Thomas Squarciaficus Syriam Provinciam cum procuratoribus publicis petentes ab arcis Meletenſis præfecto fraude circumventi ac capti & retenti ſunt. Par referre illi potuiſſent Capitanei; Siculis ac Regi ſubjunctis, quorum haud exiguus numerus in ditione Genuenſi commerciorum & negotiationis cauſſa commorabatur, illorumque rebus retentis: abſtinuerunt tamen, veriti nimiam Regis iracundiam ſibi irritare; illoſque tantummodo haud invitos finibus Genuenſibus cum rebus ſuis, certo præfinito die, faceſſere juſſerunt.

At Grimaldi & Fliſci munera inter ſe partiti, hinc hi in Orientali ora, illinc illi in Occidentali res miſcere cœperunt; cum Grimaldi arcem Stellæ & Delphini occupaſſent: ceterum illorum conatus ſubito diſcuſſi ſunt à prævalenti Gibellinorum Factione; cum ex altera parte Nicolaus Auria Grimaldos profligaſſet, arce Stellæ recuperata ac diruta; altera Ubertus ipſe Auria alter ex Capitaneis adverſus Fliſcos profectus, eorum conatus in ipſo initio oppreſſiſſet: quibus rebus confectis, duo procuratores Anſaldus Balbus & Ubertus Sardena (ii poſtea in Fliſcos ſunt adſciti) miſſi ſunt, ille ad Orientalis oræ, hic ad Occidentalis pacem & tranquillitatem tuendam & ſtabiliendam. Ac ne dictio quidem transjugana moribus caruit: quos excitavit Mantredus Boſci Marchio, Tagioli opidi incolis ſibi adjunctis: qui tamen compreſſi ſunt à Conrado Spinula Uberti Capitanei filio eo publice miſſo.

A.C. 1273. Majore mole inſequenti anno res turbatæ ſunt: Rex enim aſſiduis Fliſcorum & Grimaldorum, ac totius Guelphæ Factionis precibus fatigatus, illum ad delatum civitatis imperium accipiendum inſtigantibus, majore conatu rem ſibi capeſſendam conſtituit: bellum igitur illis undique excitavit: ejuſque juſſu Marchiones Saluciani & Carrettani, Alexandrinique, nonnullis Longobardæ populis ſibi adjunctis, ſuis ſedibus moventes ditionem Genuenſem invaſerunt: eodemque tempore regius quidam Vicarius, Nicolao Fliſco, qui opida Vezanum, Tivegnam, Spedam, Inſulam, Carpenam, Manarolam, Veſignam tenebat, aditum patefacientе, fines Genuenſes cum infeſtis copiis ingreſſus, oram tumultibus & cladibus belli implevit. Miſſus eſt adverſus illum Anſaldus Balbus; qui, dum Genuæ comparatur, illius impetum diſtineret; cujus haud ſegnis opera fuit, Vicario regio retro Spedam compulſo. Interea Genuæ exercitu comparato; claſſeque quattuordecim triremium armata, quæ Jacobo Squarciafico ducenda data eſt; Ubertus Auria alter ex Capitaneis Dux adverſus Vicarium profectus eſt. Ab utroque egregia opera Reipublicæ navata eſt: nam Squarciaficus opidum Manarolam, Auria Spedam expugnavit & incendit; atque omnia opida, quæ à Fliſco teneri modo diximus, Reipublicæ recuperavit. Pari virtute & felicitate Reſpublica trans jugum & in ora Occidentali geſta eſt ab Ægidio Nigro & Anſaldo Balbo; Leone & Ricardo Marchionibus Boſci ab illo contuſis, opidoque Vuada ditioni Genuenſi ſubjuncto; ad hoc Ulneta, Cuſio, Pornaſſio opidis captis, quæ à regius tenebantur: cum incolæ opidorum Mirbelli, Campi, Roſſilionis, Maſſonis, Tagioli, ſe imperio Genuenſi ſubjeciſſent.

A.C. 1274. Longe majore virium apparatu inſequenti anno ejus ſeculi ſeptuageſimo quarto, qui ipſe quoque Prætore vacuus fuit, res geſta eſt; cum Genuenſes ſocietatem & fœdus cum Marchionibus Montiſferacis, Haſtenſibus, & Papienſibus junxiſſent. Carolus enim Rex uno eodemque tempore terra & mari Genuenſem ditionem invaſit: qui, nonnullis triremibus ex Provincia Narbonenſi in Corſicam miſſis, arcem Lombardam à Genuenſibus ædificatam expugnavit: adverſus quam claſſem Genuenſes duas & viginti triremes raptim armatas miſerunt, Lanfranco Pignatario præfecto, (Pignatarii Imperiales poſtea facti ſunt) non ſine operæ pretio. Pignatarius enim, claſſe hoſtili non inventa, cum audiſſet eam in ſua ſe recepiſſe, curſum in Siciliam dirigit; atque in portu Drepanitano nonnullas naves capit: idem facit in portu Meſſanenſi, magno numero navium ibi quoque capto: adeoque nomen ſuum Pignatarius toti Siciliæ ac circumjectis inſulis & regionibus terribile fecit; ut nemo ſeſe aperto mari committere auderet: inde Neapolim petit; qua in urbe tum ipſe Rex conſederat: vexilloque Genuenſis populi erecto, littus legens Gallica inſignia lacera ante ipſos oculos inſpectantis Regis per undas traxit: Genuamque reverſus omnem navium & hominum prædam Capitaneis tradidit; à quibus captivi triduti ſpatio dimiſſi ſunt.

At terra Anſaldus Luſius Spinula ad arcem Mentonum expugnandam à Capitaneis miſſus, à Siniſcalco Provinciæ Narbonenſis fines Genuenſes inſcitis copiis ingreſſo retro repulſus eſt; compluribus ex ſuis ex laſſitudine æſtivo amiſſis. Ad acceptam ignominiam delendam, reſque Genuenſes in ora Occidentali tutandas, miſſus eſt terra Nicolaus Auria Capitaneï frater cum pedeſtribus copiis: ipſe Ubertus Capitaneus claſſem ducendam accepit; qui ex itinere revocatus eſt nuncio accepto, prævalidam Regis claſſem quadraginta triremium haud procul ab oſtio portus tamquam urbem obſidentem ſtare: itinere igitur raptim retro repetito, Ubertus portum clam hoſte ingreſſus faucibus inſeſſis, regiis claſſem oppoſuit. At regii de ſucceſſu deſperantes, ſilentio noctis ſolventes, Orientem petentes, in itinere inſula portus Veneris capta & incenſa, in ſua reverſi ſunt. Non prophanis modo, ſed ſacris quoque armis eo anno civitas petita eſt: cum Gregorius Pontifex ſacris populo interdixiſſet, ab Othobono Fliſco Cardinale inſtigatus, conquerente, Genuenſes nonnulla prædia hæredotiorum ſuorum invaſiſſe.

A.C. 1275. 1276. Anno ejus ſæculi ſeptuageſimo ſexto, (nam quinquus nulla re domi foriſve geſta ſilentio præteriit) quorum annorum Prætor fuit Simon ab Ancona; in demortui Gregorii Pontificis locum ſufficitus eſt Innocentius quinctus, Burgundus patria, animo in nationem Genuenſem mirifice propenſus. Hunc cura omnium antiquiſſima fuit Genuenſium animos inter ſe diſſidentes pacare: pacemque inter illos & Neapolitanum Regem conciliare: quam rem, aſſidue monendo, hortando, caſtigando, precibus conſilia miſcendo, tandem aſſecutus eſt; Genuenſium Oratoribus ad ſe vocatis; qui fuerunt Joannes Ugolinus Juriſconſultus, Guido Spinula, Babilanus Auria, Lanfrancus Pignatarius: paxque cum Rege compoſita eſt; Grimaldis, & Fliſcis, illorumque partes ſequentibus, exſulibuſque omnibus patriæ & bonis ſuis reſtitutis.

Innocentio quincto mortuo, cum non plus ſex menſes in pontificatu fuiſſet, Othobonus Fliſcus Cardinalis, Innocentii IV. celebris nominis Pontificis fratris filius, ſucceſſit: qui Hadrianus quinctus vocatus eſt: neque dubitatur, quin exſpectationi ingenti de ipſo à claris virtutibus excitatæ reſponſurus fuerit; ni ſubita mors illum trigeſimo quincto pontificatus die ex humanis ſuſtuliſſet: primum atque unum omnino ab illo editum eſt in Genuam patriam meritum, atque egregium mitis animi ſpecimen; interdicto, quo Pontifex, ipſomet Othobono agente, Genuenſem nationem ſacris arcuerat, abrogato.

Hoc anno ab ea parte molis, quæ ædi divi Marci continuatur, tuta navibus ſtatio ædificari cœpta eſt. Eo quoque anno Reſpublica Liguſticis opidis Vezano, Carpena, Inſula, Veſigna, Malora, Spedia, Tivenia, Volaſtra, Montenigro, Amelia, Caſtilione, Zignaculo, Ripalta acta eſt, de Nicolao Fliſco uno ex Lavaniæ Comitibus emptis: quod idem continuatum eſt ſequenti anno, quo Prætor fuit Rogerius Guidobo- A.C. dius Parmenſis; dimidio opido Vuada de Thoma 1277. Marchione Malaſpina, ac plus dimidia parte Varaginæ da Thoma Ponzono emptis.

Turbari iterum cœptæ ſunt res, compluribus ex gente Fliſca & Grimalda in exſilium actis, rerum novandarum inſimulatis. Cum Piſanis quoque novæ contentiones Conſtantinopoli ortæ; ut animos hereditariis ac perpetuis odiis exulceratos quævis levis cauſſa facile inter ſe committebat: ea de cauſſa Piſana triremis Euximum ingreſſa eſt, ad detrimenta negotiatoribus Genuenſibus inferenda: re cognita, Genuenſes, qui Peram incolebant, triremi à gente Bacheria Genuenſi commodata, extemplo armata, ipſi quoque portum ingrediuntur: Piſanamque ad Soldacam urbem adepti, ſub ipſos opidanorum oculos prælium committunt: in quo victores Genuenſes, Piſanis cum parte rerum ſuarum dimiſſis, captam navim incenderunt.

Res inſequenti anno ejus ſæculi ſeptuageſimo A.C. octavo, quo Rogerio prætura continuata eſt, in 1278. antiqua mala redactæ ſunt; Grimaldis & Fliſcis, illorumque clientibus exſulibus haud quieſcentibus: qui, Alberto Fliſco Hadriani mortui fratre duce & auctore, ſocietate armorum ac fœdere cum Morruello Malaſpina & fratribus, populi Genuenſis fiduciariis icto, in regimen civitatis conſpirarunt; ac, mille ducentis peditibus, trecentiſque equitibus coactis, fines Genuenſes hoſtiliter ingreſſi, à nullaque belli clade abſtinentes, opidum Clavarum captum diripiunt. Adverſus eos copias urbanas duxit idem, qui ſemper, Ubertus Auria alter ex Capitaneis: quem exſules non exſpectandum rati, Clavaro, quod octo dies tenuerant, relicto, fines Genuenſes egreſſi, ſe in vallem Trebiæ recipiunt. Bellum perſequens Auria, ac porro ire pergens, opido Arculæ ditionis Morruelli Malaſpinæ copias admovet: cujus opidi ſatis muniti expugnatio cum non primi impetus effet; haud operæ pretium ratus Auria, ſeſe diutius à patria abſentem à tam levi cauſſa retineri, Emanuele Nigro obſidioni præfecto, à quo brevi expugnatum eſt, Genuam revertitur.

Per idem tempus Albertus, Manfredus, Franciſcus Marchiones Malaſpinæ Genuam venerunt, injurias ſibi à Morruello impoſitas expoſtulatum. Per multas diſputationes res eo deducta eſt, ut illi pretio accepto, jure ſuo in opido Arcula Reipublicæ cederent: quo eodem tempore Mirbelli Domini, præpotentem vicinum populum beneficio ſuo demereri ſtudentes, dimidium vici Lelmæ dono Reipublicæ dederunt.

Eo anno Carolus Princeps Tarentinus, Caroli Regis filius, Provinciam Narbon. petens, Genuam cum ſex triremibus venit: cui lautia ampla præbita ſunt; ſplendidaque inſuper addita munera. Ingenti ac tetra aquarum diluvie hoc anno multæ civitatis partes fœdatæ ſunt; muris urbis multis in locis, ac portis ſtratis, fundamentiſque turrium convulſis.

Nihil

Nihil memorabile habet insequens annus ejus sæculi septuagesimus nonus, quo Prætor fuit Guliel-
A. C. 1279. mus Brunus Hastensis; præter nonnullas partes opidi Montalti de Conrado Marchione Montalti emptas. Insequenti anno, Cavalcabo Medicio Papiensi Prætore, semina futurorum bellorum cum Ve-
A. C. 1280. netis erumpere cœperunt: quorum tres triremes, fide inducirum violata, totidem Genuenses triremes magni pretii mercibus onustas nihil tale inspicantes, ad Cephalenias adortæ sunt: ceterum prava incepta in auctorum caput reciderunt: præsio enim ad Peloponnesi littora tria passuum millia prope ab urbe Clarentia commisso victores Genuenses fuerunt, 11. ex Venetis navibus captis: qui victoriam ingenti mansuetudinis & moderationis edito documento clariorem fecerunt. Venetos enim captos multum prius increpitos, quod fidem inducirum fregissent, liberos dimiserunt. Idem exitus alterius pugnæ fuit, inter eundem utriusque nationis triremium numerum, ad Siciliæ littora commissæ: ad quam pugnam Genuenses à Venetis invadentibus inviti ac retractantes, fidemque fœderum infringi testantes, attracti sunt. Eadem clementia adversus victos usi sunt; quos omnes dimiserunt, ad amicum & pacatum animum testandum; præfecto tantummodo, trierarchis, & gubernatoribus retentis: quos tamen eosdem præfecto nationis Venetæ in urbe Messanæ sedes ac domicilium habenti donarunt; quos ad Ducem Venetias transmitteret, ob admissum crimen, puniendos.

Nihil aliud memoratu dignum habet insequens
A. C. annus ejus sæculi octogesimus unus, quo Michael
1281. Salvaticus ex opido Valentia Prætor fuit, præter contentionem cum Pontificio Legato exortam, cum ille sacris populo Genuensi interdixisset; quod ab illo extra ditionem Genuensem, ad causam dicendam adversus exsulum accusationes, evocati non paruissent: Genuensesque diploma Innocentii quarti proferrent, quo difertis verbis Legati Pontificii prohibentur Genuensi populo sacris interdicere Pontificis injussu, illove inconsulto: contemptum est igitur à Genuensibus haud rite latum judicium, de Theologorum sententia. Eo quoque anno Guilelmo Marchioni Montisferacis ditionem suam ex citeriore Hispania cum duabus Genuensibus triremibus illi publice commodatis repetenti, lautia ample præstita sunt, ac viaticum insuper datum.

Pisanorum & Genuensium inexpiabilia inter se odia numquam animo deposita; sed vel satietate cladium ac tædio laborum consopita, vel pace numquam inter tam infensos animos ac perpetuis injuriis efferatos fida ac stabili; ad tempus intermissa, perque omnes levissimas occasiones resumpta, majore quam antea mole hoc anno millesimo ducente-
A. C. simo octogesimo altero in internecinum bellum eru-
1282. perunt: quod majoribus, quam umquam aliàs, cladibus per quinquennium gestum, opes Pisanorum multitudine superiorum cladium affectas ita attrivit; ut, quidquid floris, quidquid roboris habuit, detracto, enervata civitas numquam pristinas vires recuperarit; sed assiduis damnis deinceps imminuta, (nam ne postrema quidem clade animis infracti retineri potuerunt, quo minus toties infeliciter experta retractarent arma) cum viribus suis stare non posset, libertate amissa, in alienum venerit imperium. Hoc bellum Pisani Genuensibus longe aliàs res agentibus occultis consiliis diu machinati sunt: quos suis ipsos opibus oppugnari adorti, Corsorum animos tentarunt, gentis ingenio inquietæ ac novandarum rerum perpetuo cupidæ, omnique aura spei objecta ad defectionem paratæ: facile igitur fuit Judicem à Ginerca virum magnæ in ea insula potentiæ, magnarumque clientelarum, ac complurium opidorum dominatu fultum (quamquam ipse illiusque Majores honoribus & opibus à Genuensibus sæpe auctus fuisset) ingentibus promissis oneratum, ac spe majorum opum, latiusque proferendi dominatus inductum, ad deficiendum à veteribus Dominis, ac bene de gente sua meritis impellere. Hoc viro in suas partes traducto, cujus auctoritatem reliquam Corsicam secuturam sperarent; Pisani non jam cunctandum rati, bellum orsi sunt; idque à parvis initiis: nam triremis Guilelmi à Mari Genuensis, quæ Carolo Andegavensi adversus Aragonenses operam navaverat, defensoribus vacua, qui fere in præsio ceciderant, cum è clade ab Aragonensibus accepta evasisset, hominibus decem octo tantummodo superstitibus, à duobus Pisanorum navigiis in Bajanis littoribus capta Pisas cum præfecto & reliquis ducta est.

Eodemque tempore Judex à Ginerca in Corsica defecit: compluribusque corrogatis atque armatis hominibus, quos partim illius auctoritas, partim suum ipsorum ingenium ac rapinarum spes ad res miscendas attraxit, Genuenses Bonifacii incolas vexare cœpit; in quorum finibus arcem communivit latronum receptaculum. Ex ea incursionibus ac latrociniis totam circumjectam regionem infestam facere; nemini, ne extero quidem, ad insulam accedenti parcere; sed uodique prædas agere: qui, cum à Genuensibus monitus injuriarum finem non faceret, neque de damnis satisfaceret: Genuæ confestim quattuor triremes armatæ sunt: quæ ducentos equites ac quingentos pedites, quorum trecenti hastati fuerunt, ducenti scorpionibus armati, veherent: quibus tam navalibus quam terrestribus copiis præfecti sunt Franciscus Camilla & Nicolaus Petratius: qui in terram egressi, Bonifacianis sibi adjunctis, primo adventu munimentum à Ginercio excitatum expugnant, ipsumque congredi ausum fundunt ac fugant. Ille Alerium se recipit, inde Pisas confert, atque in Pisanorum fidem & ditionem tradit; in illorumque imperia jurat; Palmerio Mignardo Jurisconsulto ea de causa Genuensibus Pisas misso nequidquam reclamante; Deumque atque homines testante, jus aperte violari in Ginercio veteri Genuensium imperio subjuncto perpetuoque ipsius & illius Majorum jurejurando obedientiæ obstricto, rum autem ex insula ob apertam defectionem ac manifesta maleficia & latrocinia exacto in fidem accipiendo. Cujus oratione Pisani spreta, in fidem Ginercium acceptum pedestribus & equestribus copiis armant: cum interea Camilla & Petratius in Corsica Tallam, Istriam, Ornanum, Roccam vallis, Contendolum castella expugnassent; totamque Ginercii ditionem octo & triginta dierum spatio in potestatem redegissent. At Genuenses, hujus belli causa, tres & viginti triremes, atque octo pamphilos, (quod navigii genus ipsum quoque centum quinquaginta remis agebatur) armant; Nicolaumque Spinulam classi præficiunt. Tam in hoc bello gerendo, quod magnæ molis fore animo providebatur, quam in ceteris, quæ hoc ipsum bellum antecesserunt, & consecuta sunt, Capitanei munera inter se ita partiti fuerant, ut Spinula, qui opibus excellebat, quique gratia & auctoritate apud plebem plurimum poterat, ad res urbanas regendas, quod in novo dominatu in primis necessarium videbatur, domi subsideret: Auria, cujus virtus, ac rerum bellicarum & navalium scientia, jam inde à prima adolescentia, assiduo illarum usu & tractatione parta spectata erat, in expeditiones majorum conatuum exiret: sic fore, ut Respublica & domi pacata, & militiæ fortiter ac feliciter administraretur. Ipse igitur Ubertus Auria classem Nicolao Spinulæ commissam conscendit,

non ut quidquam de jure Spinulæ in imperando detraheret; ſed ut, ſi facultas pacis componendæ aliqua daretur, cujus Genuenſes percupidi erant, ipſe, pro ſummi imperii poteſtate, populi nomine rem tranſigeret. Claſſis quarto Idus Auguſti cum è portu ſolviſſet, atque uſque eo proceſſiſſet, unde in conſpectu inſulam Meloriam habuit; hoſtiliſque claſſis, quæ fuit triginta triremes, ac magna vis minorum onerariarum armatis refertarum, obviam exiſſet; cauſſa viſa non eſt Nicolao præfecto, cur claſſem in diſparem Martis aleam daret: quare majori numero ceſſit, ſeque in altum ſubduxit: jactiſque ancoris, conatus hoſtium ſpeculabundus exſpectat: qui ſatis habentes claſſem Genuenſem arcuiſſe, nulla re tentata, non ultra Meloriam proceſſerunt: Spinulaque itinere retro repetito in portum Lunenſem ſe recepit: vindemiiſque appetentibus, cum voluntariam militiam ſine ſtipendio profeſſi non facile retinerentur, remigium demiſſum eſt, ac claſſis ſubducta. Idem fecerunt copiæ in Corſicam miſſæ; quæ peracto ſtipendio, locis captis præſidio firmatis, domum reverſæ ſunt: quare facile fuit Ginercio in Corſicam reverſo cum centum & viginti equitibus ac ducentis peditibus à Piſanis acceptis, atque ab illorum navibus vectis, loca à Genuenſibus paullo ante capta recuperare: at Piſani neminem ſibi obſtaturum rati, remigio & copiis à Genuenſibus dimiſſis; cum viginti duabus triremibus, quarum præfectus fuit Ginicellus Sigiſmundus, curſu propero portum Veneris contendunt: exſcenſioneque facta inſulam vaſtant; cum ne ſacræ quidem ædi parcerent, ex qua tintinnabulum abſtulerunt: quo nuncio Genuenſes commoti, claſſem mox deductam inſtruere incipiunt. Piſani, re cognita, nullamque eſſe cauſſam cur Genuenſes exſpectarent rati, claſſe illico conſcenſa retro iter vertunt: quos Motronem prætervehentes atrox tempeſtas adorta maximam navium partem in terram ejecit littori illiſam, magno mortalium numero abſumpto.

His initiis bello commiſto, quod atrociſſimum fuit omnium, quæ inter duos hos præpotentes populos, ac maximis rebus geſtis claros, umquam geſta ſunt: Genuenſes majore mole majoreque conſilio ſibi hoc bellum capeſſendum ſtatuentes, Magiſtratum quindecimviralem creant; cui à conſilio civitatis & à Capitaneis ampliſſima omnium rerum poteſtas mandata eſt: bi quæcumque ad inchoatum bellum pertinerent magna cum cura & diligentia providere & expedire inſtituunt: edictoque propoſito, navibus omnibus privatorum facultate diſcedendi negotiationis cauſſa ante Kalendas Auguſti interdicunt; ut eas Reſpublica præſto haberet, ſi quis forte ad bellum earum uſus eſſet: nihilque eorum, quæ leviora viderentur, negligendum rati; vetant in poſterum quemquam, qui minori decem triremium numero præſit, Halmiratem vocari, aut vexillum divi Georgii imagine inſigne geſtare: atque ut omnia juſta fierent, Matthæus Canis cum triremi in Corſicam & Sardiniam mittitur; qui bellum Piſanis commiſſum tota utraque inſula pronunciet: cumque publice magna eſſet alvcorum penuria, quorum magnam copiam privati cives habebant, ad privatorum commerciorum uſum à ſingulis paratorum; ut quidem ne ex hac parte Reſpublica laboraret, carinis poſitis, centum viginti alveos triremium ædificare inſtituunt, quinquaginta ad ipſam urbem in proximo littore, reliquos tota ora Liguriæ, quantum fines Genuenſes patebant: materiam eorum, qui ad urbem ædificabantur, è ſylva montis Urſalis ditionis Pereti accerſita eſt: quam cæſam Thomas Marchio Ponſoni corrumpi juſſam, exportari paſſus non eſt: quam injuriam Genuenſes majoribus curis diſtenti in præſentia diſſimulare coacti ſunt; aliaque materia in ſylva Bajardi, lignatoribus confeſtim eo miſſis, cæſa eſt. Quibus rebus Piſani ex ſpeculatoribus, quos publice Genuæ habebant, cognitis, ne ulla in re Genuenſibus cedere viderentur, totidem ipſi quoque alveos imponunt: nam per ea tempora uterque populus, ne ullam alter ab altero timoris ſignificationem daret, magnificum ſibi reputans potius aperta vi, ac cum denunciatione terroris, quam per inſidias aut occulta conſilia bellum gerere, raro ac numquam audito exemplo, ſcribam alter ab altero cum quattuor ſpeculatoribus publice miſſum mutuo in ſuam urbem recipiebat; qui certa & explorata de conſiliis & conatibus hoſtilibus ad ſuos perſcriberet: qui mos cum aliquamdiu duraſſet, ſub hoc inchoatum bellum ſolutus eſt; ſcribaque & exploratores dimiſſi; initio à Piſanis facto.

Sub finem hujus anni, Piſana claſſis ſeptem triremium quattuor Genuenſium triremes, quarum præfectus fuit Gulielmus Ferrarius, nacta è Corſica redeuntes, quo ſupplementum ſagittariorum vexerant, ſeſe in illas concitat: quæ cedentes beneficio ſecundi flantis venti peſti ſe eripuerunt: à quibus inſequendis cum reverterentur Piſanæ naves, quattuor earum in ſinu Nebienſi ab adverſa tempeſtate demerſæ ſunt. Dum bellum utrimque magna ope paratur; non tamen interea ab armis omnino otium erat: ſed uterque populus exiguis navium agminibus partim publice emiſſis, partim privatæ negotiationis cauſſa ultro citroque commeantibus, mutuis ac parvis damnis inter ſe carpebant, levibuſque præliis per varias occaſiones, quibuſcunque in locis illos inter ſe obvios caſus feciſſet, contendebant.

Nos minutiora hæc, qui & legentibus faſtidio ſint, & ſine ullo operæ pretio narrentur, omittemus, cum majora ſatis & operam noſtram & legentium animos occupent: initio igitur inſequentis anni ejus ſæculi octogeſimi tertii Genuenſes, ut par A. C. Piſanis referrent, Sardorumque arma in illos verterent, complu ribus ejus inſulæ primoribus ſpe præmiorum & veteris imperii tædio in ſuas partes traductis, claſſem unius & viginti triremium bellatoribus refertam, in quibus fuit Emanuel Malaſpina ab ipſis in amicitiam acceptus, atque honorifico ſtipendio conductus cum quinquaginta equitibus è ditione ſua adductis, in Sardiniam miſerunt, ſub Petro Arcanto & Caccianimico à Volta præfectis, adres in ea inſula ſeditionibus & tumultibus miſcendas: quæ claſſis cum inſulam tenuiſſet, maxima detrimenta Sardis, qui in partibus Piſanorum erant, terra & mari intulit: at ex altera parte Piſani non minus impigre aut ſegnius bellum gerentes, per eadem tempora claſſem ſexdecim triremium, Roſcio Buzacharino præfecto, in Corſicam mittunt: quæ exſcenſione in terram facta, copiis Ginercii ſibi adjunctis, circumjectam regionem ſanctæ Manſæ vocatam haud exiguis cladibus vaſtarunt: ſed longe plures Genuæ æſtimata eſt decoris jactura: cum Ideſius Mallonius & Montanarus Squarciaficus novem triremium præfecti, adverſus totidem Piſanas miſſi, quæ delectam bellatorum manum in Corſicam adverſus Genuenſes vexerant, mandatis non obſervatis, ac re male geſta ignominiæ pleni Genuam revertiſſent: quare Genuenſes damnorum & ignominiæ dolore incenſi, è veſtigio claſſem quattuor & triginta triremium, quarum ſex tantummodo ſtipendio merebant, reliquæ voluntariæ fuerunt, omnibus rebus neceſſariis inſtructam, atque haud exigua armatorum manu ætate & viribus florente firmatam, è portu emittunt; cui præfectus eſt Thomas Spinula: qui cum celeri navigatione Piſanam ditionis Piſinæ inſulam tenuiſſet, primo adventu ſuburbia occupat; turrimque demolitur, ac centum quinquaginta [illegible]tales capit; qui-

quibus rebus confectis, cum Sardiniam petere decrevisset, ut expeditius navigaret, captivos ac saucios Genuenses cum tredecim triremibus Genuam remittit: qua re cognita, Pisani continuo ipsi quoque prævalidam classem quattuor & quinquaginta triremium omnibus rebus instructam, Adreotto Saraceno præfecto, adversus Genuenses mittunt: quæ, classe Genuensi ad Planasiam non inventa, in Sardiniam cursum dirigit: Genuensique classe nusquam obvia facta, ne frustra omnino in ea loca venisse videretur, cum insulam tenuisset, copiis in terram expositis, Algerium Castellum privati dominatus nonnullorum Genuensium civium aggreditur: quod aliquot dierum obsidione circumsessum in deditionem accipiunt certa pactis, quorum fides observata non est.

Interea Spinula, qui, Pisanis obsidione Algerii distentis, liberum excursum toto circumjecto mari habebat, agmen Pisanarum triremium atque onerariarum opulentis mercibus plenarum, cum forte in illum incidisset, non incruenta victoria cepit: qui tanta præda ditatus certior factus de classe hostili tanto sibi superiore Algerium obsidente, intelligens se cum ingenti publico periculo tam potenti classe propinqua in illis locis esse, iter retro repetens Genuam contendit, Gulielmo Ficomataro cum quattuor expeditis triremibus relicto, qui Pisanorum littora excursionibus, direptionibus, incendiis, ac quibuscumque posset cladibus belli, infesta faceret: qui, vexillis cum insignibus Pisanis erectis, per eam simulationem portum Pisanum ingressus, navim deprehensam cum viginti hominibus, in quibus duo fuerunt Senatorii ordinis, capit; captamque ac captivos Genuam ducit: at Spinula decimo Kalendas Julias incolumis cum omnibus navibus ipsi commissis appulit, Reipubliceque noningenta ac triginta mortalium capita in navibus Pisanis capta, ac viginti octo millia marcarum argenti tradidit: quæ res magno solatio civitati fuit; majoribus damnis hosti redditis, quam superiore anno ab illo acceptis. Ex ea præda decem marcarum millia inchoatæ interioris portus ædificationi decreta sunt: ceterum, ne ulla in re hostibus cessisse viderentur, neve illorum animi inflarentur, quod, Genuensibus sedentibus nec opem ferre audentibus, opidum Algerium oppugnassent; totidem quot Pisani triremes è vestigio armant, omnes voluntariam operam navantes, præter quattuor stipendio merentes: quibus Halmiras præfectus est Conradus Auria Uberti Capitanei filius: hanc classem omnes ætate & virium robore florentes ex omnibus civitatis ordinibus conscenderunt, omni versicolorum vestium ex serico & auro opulentia insignes: quæ ad quinctum Kalendas Julias è portu solvens iter in portum Pisanum intendit: cumque ad Meloriam aliquot dies in ancoris fuisset, turrimque expugnatam demolita esset, nuncio accepto, classem Pisanorum è Sardinia reversam in portum, qui vulgo *Faleſi* vocatur, ad Plumbinum se recepisse, eo contendit: ceterum ostium portus ingentibus molibus à Pisanis obstructum offendit: ut nullo modo penetrare Genuenses possent, ac manum cum hoste obsesso conferere. Dum in ea obsidione est Conradus, quindecim Pisanorum triremes, quæ in clade paucis ante diebus à Spinula accepta fuga se pesti subtraxerant, & in portum Callaritanum receperant, classis Genuensis, atque eorum, quæ ad Plumbinum gererentur, ignaræ, in alto apparuerunt, eo tendentes: quas conspicatus Conradus, viginti duabus triremibus ad fauces portus relictis, ipse citatum agmen triginta duarum triremium in advenientes hostiles naves rapit: quæ classem Genuensem in se tendentem à longe conspicatæ, agmine retro verso trepidantes fugam effusam capiunt; Genuensibus eas insequentibus: at hostes validi venti ac sibi secundi forte exorti beneficio è manibus Genuensium evaserunt, quattuor tantummodo à Genuensibus captis: reliquæ undecim in terram se ejecerunt, non sine magna hominum & rerum suarum jactura: at classis Genuensis, cum aquæ penuria laboraret, simul multitudine captivorum prægravante, omittere in præsentia obsidionem coacta ad ostium Arni fluvii iter dirigit; eo consilio, ut aquatione facta, captivisque Genuam missis, exonerata obsidionem Falesii illico repeteret: ceterum sub vesperum acerrimo orto Euro, nequidquam contra tendens in portum Lunensem compulsa est: in quo, nihil de sævitia remittente vento, quatriduum fuit: tempusque interea datum est Pisanæ classi è portu Falesio erumpendi, ac sese sine ullo tumultu intra septa portus Pisani prævalidæ ac magnæ crassitudinis ferrea catena communiti recipiendi: qua re cognita, Conradus nullam esse jam caussam intelligens, cur, hoste pugnam detrectante, atque in tuta abducto, in spem irritam tereret tempus, Genuam repetit; ac Reipublicæ quinque & nonaginta Pisanorum capita tradit.

Feroces utriusque inclyti populi animi cum perpetuis & inexpiabilibus odiis accensi, tum ardore continentium certaminum irritati, nullo belli tædio capiebantur, nullisque cladibus ab armis toties per variam fortunam tractatis & depositis, mox resumendis, deterrebantur, quippe quos non magis mutuæ injuriæ, earumque rerum cupiditas, quæ in arma agere mortales solent, quam veteris decoris æmulatio utrumque populum stimularet: nihil igitur Pisanorum inquieta ingenia toto eo anno exhaustis laboribus debilitata, eodem anno, æstate nondum exacta, quattuor & sexaginta triremes armant; quibus præfectus est Roscius Buzacharinus à clara gente Sigismundorum: virique tumidi & elati ingenii contemptim de Genuensibus loquentes, sese cum ea classe non modo oram omnem Lagusticam incursionibus & ceteris belli cladibus pervastaturos jactabant, sed ipsas portus Genuensis fauces insessuros: globosque purpurea fascia involutos per Genuensium contumeliam in ipsam urbem jactaturos: igitur solventes in oram Liguriæ iter dirigunt: portum Lunensem ingressi fines opidi portus Veneris ac circumjectam regionem vexare incipiunt, sed valida impressione opidanorum magna cum audacia erumpentium retro in naves compulsi sunt; circiter trecentis de suis amissis: at Genuenses audacia & arrogantia hostis toties victi commoti, iraque & indignatione ardentes, tantum certaminis animis imbiberunt, ut nihil de summa contentione remittentes, nocturnum opus ad diurnum addentes, tridui spatio septuaginta triremes armarint; omnibusque armamentis ac necessariis bellicis apparatibus instruxerint: quam Ubertus ipse Auria alter ex Capitaneis in hostem ducendam suscipit; è portuque illico solvens ad hostem contendit: qui Genuensi classe ad se tendente in alia conspecta, sublatis ancoris protinus iter retro convertit; seque trepida fuga in sua recepit: ita tanti conatus, nulla re gesta aut tentata, & effectu irriti, & tractu brevissimi evaserunt: Genuensesque fugati hostis decore exsultantes, itinere retro repetito, portum Genuensem ovantes ingrediuntur: vindemiisque appetentibus, ac tempore gerendarum rerum exacto, remigio ac sociis navalibus omnibusque militantibus ad privatas res suas visendas commeatus datus est: navesque, quibus navigatione ad eam diem interdictum fuerat, ad privata commercia obeunda dimissæ: quodque anni reliquum fuit, quies a bellis & ab expeditionibus fuit: cum eo anno si quis diligenter rationem subducat, inveniet, ducentas

triremes è portu Genuenſi emiſſas: ſunt qui tradant hoc anno opus immenſæ molis inchoatum, quod à continente in altum procurrens portum facit, navibuſque ab impetu aperti maris objectu ſuo tutam ſtationem præbet, opus inter cetera Italica admirabili ſtructura ſua in primis viſendum: cujus fundamenta ſolidæ craſſitudinis, quanta totius ſtructuræ eſt latitudo, ſcopuli ſunt vaſtæ magnitudinis ex montium viſceribus eruti, perque multos annos difficilibus ac laboriosis ſubvectionibus eo congeſti, & in immenſam altitudinem coacervati, ac deinde impetu fluctuum multorum annorum ſpatio velut ſolida ſtructura inter ſe compacti: ſtructura, quæ ab undis exſtat, ſolidæ craſſitudinis ex ſaxo quadrato tota eſt; cujus radices ab interiore parte bumibore alia ſtructura marginantur; ad merces expoſitas commodius excipiendas: exterius latus eadem vaſtorum ſcopulorum congerie ab undis exſtante ab impetu fluctuum communitur: qua infracti nullo ruinæ periculo ſtructuram quatiant, aliter haud dubie rutturam: cujus operis architectum fuiſſe Marinum Buccanigram ſerunt.

A.C. 1284. Sequitur annus milleſimus ducenteſimus octogeſimus quartus; quo nullus umquam per omnia tempora, quibus cum Piſanis bellatum eſt, memorabilior fuit, aut clariore victoria inſignior: ad quam ſcribendam etſi properat animus, non tamen minores res omittendæ ſunt; quæ plurimæ eo anno ac variæ perque varias occaſiones publice ac privatim geſtæ ſunt: ad littora igitur urbis Neapolis navis Genuenſis Joannis Coronati à duabus privatis triremibus Zoni Scornazani Piſani capta eſt: cui haud diu ea præda læta fuit, iſdem triremibus à quinque Genuenſibus triremibus, quæ in Orientem privatæ negotiationu cauſſa iter habebant, captis: per idemque tempus Matthæus Pactius ipſe quoque Piſanus civis, cupiditate fratris ulciſcendi, in pugna ad portum Faleſii à Genuenſibus cæſi, duas triremes ac myoparonem armarat, qui ad Sagonarias cum duabus tardis Genuenſibus (eæ tum erant majoris formæ triremes, quas nunc *galeaſſas* appellamus) prælio commiſſo, tandem in fugam verſus eſt: quæ facinora Genuæ ita accepta fuerunt; ut homines, qui tam in tardis, quam in quinque ſuperioribus navibus dimicarant, immunitate tributorum, ac nonnullorum aliorum onerum ſint donati: captaque eſt à Piſanis navis quædam opidanorum portus Veneris: quod damnum illis eſt redditum à Vinciguerra Zacharia Genuenſi cive; navi Piſana ad promontorium Sacrum, quod *Corſum* nunc appellatur, capta, ac Genuam attracta. Cumque Piſani audiſſent, quinque triremes Genuæ privatim à quinque civibus ſigillatim armatas; Lamba Auria viro in navalibus rebus magni nominis, Benedicto Zacharia, Montanario Marino, Antonio Vſuſmario, Andreolo Fallamonica: quæ magnam vim mercium magni pretii ac ditium mercatorum in Orientem vehèrent; cupiditate tam opimæ prædæ, quattuor & triginta triremibus mox deductis, quarum præfectus fuit Joannes Cavalca è nobili gente Cajetanotum, è portu excuntes, naves Genuenſes perquirere inſtituunt: quibus numquam repertis, ne fruſtra omnino exiſſe viderentur, Corſicam petunt: arceque Calvi irrito incepto tentata, diſcedunt: certioreſque pro re comperta facti, claſſem, quæ è portu Genuenſi exierat, quam ducebat Henricus à Mari præfectus, ut præſidio eſſet quinque opulentis navibus, quas diximus, quæque ad inſulam Talariam navem Venetam Piſanorum mercibus onuſtam ceperat, non plus eſſe omnino viginti duas triremes; decem ex ſuis navibus à ſe dimiſſi, ac quattuor & viginti, quas retinuerunt, flore & robore virorum, quod ex dimiſſis omne detractum eſt, firmatis, Duce Petro Vercio, claſſem Genuenſem quærere inſtituunt; quam ad inſulam Sardiniam adepti ſunt. Enimvero Genuenſes hoſtem in ſe venientem conſpicati, capta navi Veneta incenſa, ne impedimento pugnantibus eſſet, certamen non detrectantes ad pugnam ſe expediunt: claſſeſque proximæ factæ magno impetu ingentibuſque utrimque armis ſeſe mutuo invadunt: pugnatum eſt diu & acriter, ut inter tam infenſos animos: ſub veſperum Piſani tandem averſi ſunt, novem navibus amiſſis: quarum una à Genuenſibus victoribus demerſa, reliquæ octo captæ ſunt; initio capiendi à Lamba Auria facto, qui ſingulari certamine cum una ex Piſanis congreſſus eam tandem cepit, ac poſt eam aliam: quod idem fecit Antonius Uſuſmarius: reliquæ, quæ ſuperfuerunt, beneficio ſe intendentium tenebrarum evaſerunt. Igitur præfectus, militibus & ſocis navalibus aliquot dierum quiete à præteritis laboribus refectis, quæ merces & mercatores in Orientem vehebant, periculo ac metu liberis, inceptum iter in deſtinata loca perſequi juſſis, ipſe Genuam repetit: ovanſque ac gloriæ plenus cum captivis navibus, civitate ad ſpectaculum effuſa, portum ingreditur, magnumque captivorum numerum Reipublicæ tradit.

At Piſani ob cladem acceptam mœſti; ex eaque intelligentes rem Piſanam militum robore & fortitudine, ad hoc copus navalibus & viribus Genuenſi parem; ab ea parte, cujus ſemper maxima in bellis momenta fuerint, hoc eſt à Ducibus claudicare; longeque ſuos Duces ſcientia rerum bellicarum ac virtute & conſilio à Genuenſibus ſuperari; ad pudendum cetetum neceſſarium deſcenderunt conſilium, ut extero homini, in quo animus par eſſet muneri mandato, ſeſe ac res ſuas omnes tam urbanas quam bellicas regendas committerent: is fuit Albertus Maurocenus Venetus, magnæ inter Venetos auctoritatis, magnarumque opum vir, ad hoc factis clarus: quem tanm honore delato accerſunt Piſani fama virtutis & conſilii rerumque militarium ſcientiæ inducti: illa etiam tacita ſuberat ſpes, occaſionem eam fore præpotentem ac formidoloſi nominis urbem Venetas Genuenſi bello illigandi: qua tanta nova ſuper addita mole oneratos Genuenſes ruere illico neceſſe eſſet: magna enim erat Venetiis Alberti auctoritas, & potentia; cum ſuis ipſius opibus fulti, tum artæ affinitatis neceſſitudine cum Duce Venetorum ſubnixi. Erat autem illis temporibus longe major, quam nunc, Venetorum Ducum potentia, liberiuſque imperium: qui nunc novatum aliarum ſuper alias additarum legum, in quas Duces in magiſtratu incundo jurare adiguntur, novorumque aliorum ſuper alios coacervatorum magiſtratuum vinculis conſtricti nudum fere titulum imperii habent, honoris & inſignium ſpeciem retinentes; cum re nihil aliud fere ſint, quam caput conſilii publici.

Perhonorificis & amplis conditionibus acceptis Maurocenus Piſas venit, magnis plauſibus & acclamationibus à cunctis ordinibus obviam effuſis exceptus: cui in magiſtratu & in imperio poſito mandant, ut nullis impendus parcens, quam acerrimo bello Genuenſes, ubicumque poteſtas data fuerit, perſequatur: ille impigre in mandatum munus incumbens, carinis poſitis, alveos viginti majoris formæ triremium ædificari jubet: at Genuenſes triginta triremes ſine ſtipendio militantes raptim deductas & armatas Benedicto Zacharia præfecto in hoſtes emittunt: qui, cum littora Etruriæ tenuiſſet, atque aliquot dies portus Piſani fauces inſediſſet, nemine adverſus ſe prodeunte; ne tempus gerendarum rerum inane aburet, ſublatis an-

ancoris in Sardiniam curſum dirigit; eo conſilio, ut copiis, quas Genuenſes in ea inſula habebant, ſibi adjunctis, omni ope urbem Tunitanam, quam *Saſſarum* nunc vocamus, oppugnaret. Catalanorum navi in ſinu Callaritano capta, in Tizanem portum inſulæ Corſicæ ſe recepit; ibique, quæ ad deſtinatam oppugnationem pertinerent, ſedulo inſtruere cœpit: at Piſani rati Genuam eſſe, tanta parte virium à claſſe abſtracta, defenſoribus exinanitam offenſuros, ac propterea, ſi eo omnibus civitatis ſuæ integris viribus acceſſiſſent, occaſionem magnæ alicujus rei haud deſperandam, omnibus viribus conniſi claſſem ingentem ſeptuaginta duarum triremium parant: quam omni bellico apparatu ac nautico armamento inſtructam, omnique telorum ac machinarum genere refertam, omni etiam opulentia inſignium armorum ac veſtium ornarunt; magna vi argenteearum ſagittarum ac globorum purpurea faſcia velatorum, quos feliciore eventu quam ſuperiore anno arroganti ſuperbia ſeſe in ipſum Genuæ portum convecturos jactabant, in naves impoſita, claſſem conſcenderunt. Maurocenus ipſe Prætor, Lotus Gherardeſcus Ugolini Comitis filius, Anſelmus Comes, maxima Senatorum pars, omniſque fere Nobilitatis atque urbanæ juventutis flos; quin etiam quidquid roboris in finibus Piſanis, diligenti delectu habito, repertum eſt, tamquam dimicatione ultima de ſumma Republica ac de poſſeſſione maritimi imperii decreturi: quo apparatu cognito, è veſtigio Genuenſes Zachariam revocant: qui mandato accepto conſilium Saſſaris petendæ omittere in præſentia coactus itineri ſe illico dat.

Interea Piſani omnibus rebus paratis & inſtructis ſolvunt; ac Genuam contendunt: quo cum perveniſſent, ab oſtio portus, nemine prohibente, ſagittas ac globos, quos diximus, in urbem ſcorpionibus ac machinis allatis contorquent, probra ingerentes, ſuperbiſque & arrogantibus clamoribus timorem & ignaviam Genuenſibus exprobrantes: qui certamen detrectent ultro illis in domo ipſorum oblatum ab hoſte, qui ea de cauſſa ab domo ſua profectus ipſos per haud exiguum maris ſpatium petierit: neque ſeſe aperto mari committere audeant, ac communem Martem experiri; ſed veluti timidæ pecudes, elauſtris incluſi hoſtem oſtium portus inſidentem, illoſque faucibus prementem ſedentes ac trepidantes ſpectent: nullo omnino reſponſo ad probra & contumelias jactatas dato, illud tantum reſpondent Genuenſes, nihil eſſe quod faucibus portus infeſſis glorientur Piſani, qui id non fiducia virium ac conſcientia virtutis fecerint, ſed inſidiati ſint, ac tempus ceperint, quo maxima virium ac juventutis Genuenſis pars procul ab urbe ſit ablegata: quare ne ipſis quidem Piſanis decorum fore cum imparatis atque improviſo deprehenſis, tum autem præſidio nudatis, prælium committere: neque ita partam victoriam ulli gloriæ illis fore: ſi igitur viri fortes eſſent, ac ſi decus vere ſpectarent, propere faceſſerent è portu ac littoribus Genuenſibus, ſeque in ſua reciperent, ac tempus Genuenſibus ad comparandum & ad copias ſuas multifariam ſparſas contrahendas darent: id ſi fecerint, promittere Genuenſes, in eamque rem fidem ſuam obſtringere, ſe brevi illos adituros, atque deſiderium eorum armis experiendi, utra gens bello ſit melior, cupide expleturos. Quare Piſani cum aliquot dies fruſtra ibi tempus triviſſent, paullum ab urbe recedentes Varaginem Liguſticæ oræ Occidentalis opidum concedunt: at Genuenſes omnes curas in comparandum, ne nocte quidem opere intermiſſo, intendunt.

Per ea tempora Zacharias oram Liguſticam ab Oriente tenuit: qui à promontorio, quod *Caput montium* vulgo vocant, claſſem hoſtilem littoribus Varaginis prætentam cernens, (pari fere ab urbe intervallo eſt locus, ubi ipſe ſubſiderat) littora legens magno remigum conniſu ad urbem contendit, incolumiſque portum ſubit: cujus adventu refecti ſunt Genuenſium animi; cum claſſis Piſana interea profecta libera Liguſtica littora reliquiſſet, in ſuaque conceſſiſſet. Oſtium portus à Piſanis infeſtum, probra & tela ingeſta, Scriptores Annalium Genuenſium ſupprimunt: quin etiam nonnulli negant; parum, credo, decorum id nomini Genuenſi putantes: ſed falſo: nam contra Piſinorum tumida oratio, ac futilis arrogantia, Genuenſibus in gloriam vertit: qui hominum vaniloquentiam factis refutarunt, Piſanis exitiali clade, quam mox ſcripturi ſumus, affectis. Exteros Scriptores ſecutus ſum, in primis Joannem Villanum æqualem pene illorum temporum, ac certum & locupletem hiſtoriæ auctorem ſemper habitum; tum autem veriſimiliora tradentem: nam & ſeſe id facturos Piſani ſæpe gloriati ſunt; & facere licuit, nemine impediente; & globos purpura velatos illos attuliſſe, noſtri ipſi Annales teſtantur.

At Genuenſes inſtituta opera urgent, cum neminem è claſſe Zachariana exſcenſionem facere paſſi eſſent, ne ulla mora in deſcendendo & conſcendendo feſtinantibus fieret. Res mira ab Annalibus traditur, ab hora tertia ad veſperum novam claſſem octo & quinquaginta triremium deductam, atque omnibus neceſſariis rebus inſtructam. Tantum claſſem Ubertus Auria alter ex Capitaneis ducendam ſumpſit, Zachariania navibus cum ipſo Duce ſibi adjunctis: conſcenderunt præterea claſſem multi ex primoribus civitatis: in quibus fuerunt duo præfecti filii omneſque fere Auriæ gentis, quicumque armis ferendis fuerunt; ac Conradus Uberti Spinulæ alterius Capitanei filius cum delecta gentilium ſuorum Spinularum manu: ſub veſperum claſſis ſolvit, magno concurſu omnium ordinum atque ætatum ad tantum ſpectaculum facto, omnia læta ac fauſta illis comprecantium atque ominantium: præfectuſque hoſtilem claſſem perquirbundus, eaque de cauſſa modo ad lævam, modo ad dexteram flectens, Corſicam tenuit: ibi certior factus, Piſanos in ſua ſe recepiſſe, nihil cunctatus, ſacro promontorio ſolvens iter in illos intendit; ſecundaque navigatione uſus ad octavum Idus Auguſti Meloriam tenuit; quæ inſula eſt è regione portus Piſani tria paſſuum millia procul à littore. Ibi cum ſubſtitiſſet, concione advocata ita milites allocutus dicitur: *Uſitati patres Imperatorum moris, quo milites ante pugnam alloqui ſolens, ſervandi, ac nonnulla vos admonendi, quam hortandi cauſſa, vos ad concionem vocandos ſtatui, cives: nam laborem adhortandi hoſtis mihi ipſe ademit; qui animos veſtros injuriis & contumeliis ſuis in ſe irritando vicem meam perfunctus eſt. Vidiſtis, cives, ſuperbum hoſtem, per ſummum contemptum veſtrum fauces portus inſidentem: audiſtis probra ingerentem, omnis verborum contumelia vobis inſultantem, ignaviam exprobrantem; ſagittas & globos in intimum ſinum conjectos inſpexiſtis. Si tanta indignitates indignationem veſtram atque iras non ſatis accendunt; nequidquam aut mea aut cujuſquam oratio vos acuere conabitur: prælium igitur meditantes docete, non in verbis aut maledictis belli fortunam verti; Genuenſeſque non verba, ſed facta exercere ſolitos; ita vos ac Majores veſtros ſemper pugnaſſe. Argentea illa ſagitta ac globi faſcia purpurea velati valeant non ad vos deterrendos, ſed ad cupiditatem tam opimæ prædæ acrius incitandam; ſentiant hoſtes non argenteis vos armis aut purpuratis, ſed ferreis pugnare ſolitos: experiantur que utra tela melius figant. Magna quidem ſunt iſta ad vos inflammandos, cives; ſed illa longe majora, quæ ſimul cum contumeliis ingentia detrimen-*

ta

za ac clades conjunctas habent: quorum memoriam locus hic, in quo nunc consistimus, parva hac insula Meloria, quam tenemus, nobis renovant: in hoc, inquam, loco, cives, lugubrem illam ac memorabilem cladem civitas nostra ab his ipsis Pisanis tum, cum nullum illis nobiscum esset bellum, per summum scelus summamque injuriam accepit: classis igitur vestra profligata ac deleta, parentes vestri a perfidis hostibus partim crudelissime jugulati, partim in miseram servitutem abducti, ut sanguinem suum ulciscamini, postulant, recte id pro jure suo à vobis repetentes. Patria ipsa vestra ed maculam nominis Genuensi jamdiu insitam delendam hortatur: quare, impulso inconsulto, memoriam atroci injuria repotentes eos animos induite, quos habituri tum fuissetis; maxime recentis cladis vos accendente: quid? quod cupiditas dolorem & injurias vestras ulciscendi non modo à Christiana mansuetudine non abhorret, sed contra cum pietate est conjunctissima? Deum enim ipsum immortalem præclari facinoris auctorem habetis: quem omnium mortalium terrimi hostes vestri, ac cælo & terræ damnati, sacrorumque & Ecclesiæ communitate justo Vicarii Christi judicio exacti, simul vobiscum læserunt: cum illius sacerdotes sacrosque administros, quos ne verbo quidem violare fas est, pii ac necessariis muneris obeundi causa domo profectos, comprehensos arctissimisque vinculis constrictos immanissimo Tyranno ad cruciatus & supplicia tradiderunt. En divinum tandem apparuit Numen, meritas pœnas, quamquam seras, ab impiis hominibus repetens: quarum neminem justiorem aut acriorem exactorem, quam vos ipsos statuit; qui simul cum ipse injuriam accepistis: cujus ulciscenda, ac majoris cladis hostibus vestris reddenda, quam quantam ab illis accepistis, occasione vos armans; hostemque vobis viribus imparem in eo loco, in quo plagam accepistis, capiendum præbens; voluntatem suam evidenter declarat; cujus imperium de ipsius penu re missum ne contemnatis; ac ne majore vos piaculo in divini Numinis injurias non ulciscendas, quam hostes vestri in faciendis obstringatis; neve divinam iram ab hostibus in vos versatis; per illum ipsum immortalem Deum cavete, cives. Quam adhuc habui orationem, ea universo nos, qui patriæ militamus, complectitur: at, quæ pauca additurus sum, ea ad vos tantummodo privatos milites, ac virtutem dumtaxat operam Reipublicæ navantes pertinent: nihil illa aut me Ducem, aut imperatorii muneris & curarum socios attingunt. Tria sunt, milites, in quibus spes omnis victoriæ posita esse solet: vel majores copiæ, vel præstantior virtus Ducis, vel major militum robur ac fortitudo: harum quavis si hoste præstes, modo duabus reliquis par sit, speranda est victoria; si omnibus antecellas, tum certa plane & explorata est: copiarum numerum nobis majorem Respublica præbet: da me ac consortibus laborum & curarum vires fortibus ac strenuis, nihil est quod quidquam sublatum dicam: quibus ipsi hostes fatentur, sese de virtute ac scientia rei militaris concedere; peregrino Duce accersito, summaque imperii illis mandata: duobus his suffulseris subnixa Respublica, ne tertio labascat, vestræ sunt partes, milites: quas modo fortiter ac strenue impleveritis, dedecus accepti ignominiæ (avertat omen immortalis Deus) totum vestrum erit, milites: proinde considerate quam acrem vobis necessitatem pugnandi præsens fortuna vestra subduxerit; in eum locum deducti, ut laus parta victoria vobis cum Republica ac cum Ducibus sit communicanda; offensionis & flagitii nemini omnino locum sitis habituri; majora ac minus excusabilis culpa, quam ullius unquam exercitus, peccaturi. Hoc si bene fixum animis est, victoria vestra est, milites: ad quam, ut latiore clausula finem vos alloquendi faciam, simul ad atroces injurias & contumelias ulciscendas, postremo ad decus, gloriam, opulentam prædam animos & corpora parate. Magno assensu auditus est præfectus; militibus subinde succlamantibus, omitteret minime necessariam orationem, atque hostem omni ope ad pugnam attrahere niteretur; annisuros se profecto, ne navatæ operæ aut patriam, aut imperatorem ipsum unquam pœnitcat.

Cognito Pisis Genuensium adventu ab iis, qui in portu post reditum è Ligustica ora subsistebant, ac re per celeres nuncios in urbem perlata, tantus ardor animis est injectus, recenti gloria portus Genuensis infesti inflatis, ut arreptis repente armis, nullamque moram patientes, tamquam non ad dubium certamen, sed ad certam & exploratam victoriam properarent; naves, quæ se Pisas contulerant, quæ maxima pars fuit, repente conscenderint; magnis clamoribus pugnam cientes, Archiepiscopoque ac sacro ordine è ponte inspectante, ireque fortes ac felices jubente.

Hic incidit res, sive casu, sive divino consilio; à qua scribenda abstinuissem, veritus, ne in hostis invidiam homo Genuensis illam confinxisse viderer, nisi ea ab Annalibus exteris traderetur: crucem enim hastæ vexilli Pisanorum præfixam, dum vexillum attollitur, delapsam ad terram afflictam scribunt: quin etiam nonnulla privata monumenta à nonnullis Pisanis civibus gravibus viris adservata inspexi: in quibus scriptum est, crucem argenteam non ex vexilli hasta, sed ex manibus ipsius Archiepiscopi ponte superstantis, dum classiarios fausta precatione prosequens, ac manum in formam crucis commotum more sacerdotum in illos intendens illam attollit, delapsam in flumen ac demersam. Quin etiam nonnulli rem detestabilem ac piis auribus respuendam addunt, cum res in omen tristis eventus vulgo accepta animos nonnullorum perculisset, auditam esse vesanam nonnullorum ætate & ingenio ferocium vocem: *Propitius vero sit Genuensibus Christus, modo nobissimum faciat ventus.*

Pisani igitur faucibus Arni erumpentes cum reliquis navibus, quæ erant in portu, conjuncti aciem instruunt, nullam moram pugnandi facturi. Interea præfectus Genuensis, omnibus ad pugnam necessariis expeditis, suorumque animis præparatis, bipartitam aciem ita instruxit: primum agmen, quod fuit octo & quinquaginta triremium nuper armatarum ipse ducendum sumpsit: media stetit prætoria navis, cujus latera cinxerunt dextrum Conradus Spinula, lævum triremis sancti Matthæi, quæ præfecti filios ac gentiles illorum vehebat: huic continuatæ sunt naves ab octo Genuensibus regionibus, in quas omnis civitas tum divisa erat, armatæ; quattuor dextra, totidem sinistra: quibus interpositæ sunt triremes ab utraque ora Ligustica collatæ: octoque celoces præparatæ sunt, quæ præsto forent ad omnes subitos casus, atque ad subita imperia celeri cursu perferenda. Benedictum Zachariam cum triginta triremibus suis in subsidiis pone insulam collocavit, sapienti consilio, quod Ducem non fefellit; ne hostis tanta navium multitudine deterritus certamen forte detrectaret: dato mandato, ut signo accepto illico ex insidiis prodeat, seque cum reliqua classe conjungat: omnibus rebus instructis, protinusque in pugnam directis, in hostem vadit; qui jam moverat; conspectaque navium Genuensium paucitate despecta, magno impetu inferebatur. Quantis copiis concurrium sit, haud parvo numero auctores variant: Annales Genuenses minimum tradunt: non enim plus octo & octoginta fuisse Genuenses triremes affirmant, quibus addunt octo pamphulos: Pisanorum numerum silent, quas tamen duas & septuaginta numero superiore mense Genuensia littora petiisse, scribunt: sed se ipsi refellere, fidemque sibi abrogare videntur, qui, præter Zacharianas naves, triginta accersitas, octo & quinquaginta à civitatis regionibus armatas, atque

que in expeditionem eductas ſcribunt: quæ ſolæ explent numerum octo & octoginta: cui addendæ ſunt eæ, quas ab utraque ora collatas urbanis tricenibus interpoſitas diximus; ut veriſimilius ſit, quod exteri tradunt; in primis Joannes Villanus, qui Genuenſium navium numerum ad centum triginta, Piſanarum ad centum auget: quamquam Cotrus Mediolanenſis nonnihil utrumque numerum imminuat.

At præfectus Genuenſis hoſtem eo jam progreſſum cernens, ut nulla jam ſit regrediendi ac certaminis detrectandi facultas, ſignum dat Zachariæ: ille è veſtigio prodiens, claſſeque explicata, in conſpectu hoſtis fuit. Terribilis ſpecies novi agminis animos Piſanorum perculit; impetumque incitatum nonnihil conſopivit; cum validiore hoſte, quam animis præcepiſſent, ſibi rem fore cernentium: verum, cum propinquitas omnem declinandi prælii facultatem adimeret; ejus neceſſitatem ſubire coacti, collecto animo, hoſtem propinquum factum invadunt: qui ſeſe & ipſe magno impetu in illos concitat. Raro alibi duæ claſſes majoribus aut obſtinatioribus animis concurrerunt: ingens igitur prælium ſubito accenſum eſt, ira, indignatione, veteribus odiis, multorum temporum injuriis, tum autem æmula virtute utriuſque animos ſtimulantibus, quod à miſſilibus omnis generis cœptum, ad manus & ad gladios atque haſtas, quæ Martem atrociorem faciunt, pervenit: cum naves inter ſe conſertæ ac mutuo urgentes, pedeſtris ac ſtatariæ pugnæ ſpecem ederent: quæ ubique atrox, circa tamen ipſas prætorias acrior fuit: nam & flos virorum in illis erat; & à circumſtantibus magis in Ducum quam in ſuummet ipſorum periculum intentis; tamquam illorum caſu eventus pugnæ vertertur, omni ope adjutæ ſunt: Zachariaſque prætoriæ laboranti, triremi ſua lateri impigre prætenta, magno ſubſidio fuit: idem auxilium Finarii triremi navi Auriæ vehenti in non exiguum diſcrimen adductæ tulit: ceterum miſerabilis in primis ac fœda erat certaminis facies, multis eadenibus ac varia peſte pereuntibus: cum alii in ipſa pugna obtruncarentur, alii ſemivivi in mare præcipitarentur; qui miſericordiam ſuperſtantium implorantes & ad naves adnatantes, quæque ſors obtuliſſet, apprehendentes, ſupernis remorum ac contorum ictibus necabantur: horribiliſque erat in primis maris ſpecies cruore interfectorum rubens, ſagittis, ſcutis, haſtis, galeis thoracibus, exanimatorum corporibus late conſtrati: certimen accendebant Duces paſſim diſcurrentes, ac milites monentes; ſæpe duos hos claros populos manum vario eventu conſertiſſe, ſed in parvarum rerum diſcrimen ac facile reparabilibus damnis certatum: nunc ad univerſæ rei dimicationem ventum; in illius pugnæ eventu fortunam utriuſque populi verti: de ſumma enim Republica fortunam indixiſſe certamen; cui nihil inter maris inferi imperium, & omnium rerum interitum, medium propoſitum ſit: tot annorum controverſias ultimo illo certamine decerni: quidquid utraque natio viribus poſſit, in illa claſſe eſſe; qua amiſſa, amiſſam quoque omnem eſſe Rempublicam: cum nihil ſupereſſet, unde tantum damnum repararetur: obhirmarent igitur animis, aut vincere, aut mori: quorum alterum ipſos ac communem patriam maritimi imperii compotes faceret, alterum à miſeriis & ærumnis liberaret. Tanto igitur irarum certamine ab hominibus cum ſua ſponte odio efferatis, tum Ducum oratione inſuper accenſis dimicabatur, ut prælium diu extractum non modo fatigatione non ſeneſceret, ſed ardore certaminis irritatum magis magiſque exardeſceret:

A ceterum prætoria Piſana à prætoria Genuenſi tandem capta; vexilloque, quod altera navis geſtabat, dejecto, Piſanæ naves quacumque facultas data eſt, effuſam fugam capiunt: perpaucæque peſtem vitarunt, portu ſe includentes; cæque, maxima hominum parte amiſſa, maxima pars depreſſa eſt, viginti octo tantummodo à Genuenſibus captis: deſiderata fuiſſe ſexdecim Piſanorum millia, partim captos, partim cæſos, paullo plus, Villanus tradit: noſtri Annales cæſos paullo plus quinque millia prodidere; captivorum tantum numerum, qui cum aliis antea per varias occaſiones captis ac Genuæ in cuſtodia adſervatis ſimul carceribus meluſi ſummam novem millium paullum excederent; cum exteri numerum tum captorum ad undecim millia augeant, ut illud dictum in Etruria percrebuerit, *Genuam eundum, ſi quis Piſas cernere cupiat.* In Captivis fuit ipſe Mautocenus Prætor, Lottus Comes, decem & octo Doctores, ac magna Nobilitatis & primorum pars.

Tanta clades Piſis audita totam urbem luctu implevit; cum non magis fortunam publicam & fatum civitatis, quam privatos caſus vulgo lamentaretur: miſerabiliſque in primis erat civitatis ſpecies: cum mulieres tumultum ac trepidationem augerent: quæ in publicum prodeuntes, ac viris immixtæ, omnem pudoris rationem ac ſexus diſcrimen magnitudine mœroris adimente, ipſæque ac viri alii alios tamquam magis mentis compotes, privatos ac publicos caſus rogitantes, pluribus & inconditis agminibus paſſim vagarentur: viiſque in mare ferentibus inſeſſis, ut quiſque è clade ſuperites ſubinde adveniebat, cum circumſtantes non prius dimittebant, quam caſus ſuorum plane ſciſcitati eſſent. In qua re matronarum gemitus eminebat, quæ, ut quæque triſtem nuncium aeceperat, à nunciis digredientes, pectora tundentes, ac capillum laniantes, aliæ fratres, aliæ filios, aliæ parentes, aliæ conjuges mortuos, aut captivos flebilibus vocibus appellabant: eos tamquam vivos ac præſentes rogitantes, cui fortunæ ſeſe, parvuloſque natos, ac miſeram familiam reliquiſſent. Nullaque omnino domus Piſis fuiſſe dicitur clade intacta: cum pleræque familiæ duobus, nonnullæ etiam pluribus funeribus lugubres fuerint. Ita parva, ac nullius antea nominis, atque aſperi, & nudi ſoli, nullorumque incolarum altrix inſula Meloria, quam verius ſcopulum appellaris, duabus inſignibus cladibus in perpetuum nobilitata eſt.

At præfectus, tanta parta victoria cum parvo ſuorum ſanguine, machinis ligneis ante portum à Piſanis ædificatis, incenſis, cum nullum jam belli opus reſtaret; expugnatione turrium, quæ portum muniebant, longa & difficili viſa, ac nulla ſpe eo tempore tentanda, à Meloria ſolvit, itinere in patriam directo: in quo prope factum eſt, ut atrox tempeſtas repente coorta lætitiam tantæ geſtæ rei corrumperet: omni claſſe haud dubie demergenda, ſi procul à portu Lanenſi tempeſtas illam adorta eſſet: cujus impetum, ſeſe in portum propere recipiens, momento temporis atque, ut ajunt, corpore antevertit: tantaque fuit venti, præter omnem uſitatum morem, ſævientis rabies, ut vix nobiliſſimus ille portus tutam ſtationem claſſi in intimum ſinum retractæ præbuerit: qui ventus cum tandem exſæviſſet; præfectus portum exiens, ſecunda navigatione in portum Genuenſem eſt invectus: ipſeque una cum primoribus, totoque militantium agmine, ac navalibus ſocus, omnibus ordinibus obviam effuſis, magno cum gaudio & honore exceptus eſt; ac vindex dignitatis publicæ ſalutatus.

Nec minus hoc in bello modeſtia, quam virtus & fortitudo Majorum noſtrorum elnxit, minorive admirationi toti Italiæ fuit : quorum animos uſque adeo egregia parta victoria non inflavit, aut ad ullam ſuperbam arrogantiam extulit; aut conceptum gaudium nulla inſolentis lætitiæ ſignificatione, ullave triumphi ſpecie oſtentandum duxerint : quin contra, omnia benigni Numinis favori accepta referentes, demiſſis ſupplicationibus tota urbe, & ad ſacras ædes habitis, gratias Deo immortali, ob tantum beneficium, pie & religioſe cum egiſſent; poſtremo eadem divi Sixti ingreſſi, cujus die feſto clariſſimæ victoriæ compotes facti eſſent ; ſacris operati aureo aureo ad
B
ſacrorum ornatum templum honeſtarunt : quo eodem anniverſario & perpetuo dono ſollemniter in idem templum delato, memoriam tanti parti decoris in perpetuum renovandam decreverunt. Maurocenus, Venetis Legatis ea de cauſſa miſſis, haud retractanter reſtitutus eſt, nullo pretio redemptus. Genuenſeſque inchoatum victoriæ curſum perſequentes, fœdus & ſocietatem cum Florentinis & Lucenſibus adverſus Piſanos jungunt: qui tot cladibus fracti, ad hoc tanta undique mole terra ac mari imminente, ſummum omnium rerum imperium ad Ugolinum Girardeſcum Comitem, Guelpharum partium acerrimum propugnatorem deferunt.
C

A.C. 1155. Inſequentes tres anni, quorum duo primi Henricum Spettam Haſtenſem Prætorem habuerunt, 1156. tertius Henricum Bruſamanticam, compluribus 1157. minutioribus expeditionibus traducti ſunt ; partim ad res Piſanas premendas, hoſtemque aſſiduis damnis carpendum factis; partim ad rerum Syriacarum & oræ Liguſticæ tutelam : quas ſingulas nominatim perſequi longum, nullumque operæ pretium fuerit. Anno horum trium ſecundo, Ubertus Auria tantis victoriis clarus, laboribus feſſus, ſatis ſeſe gloriæ & Reipublicæ feciſſe putans, magiſtratu ſe abdicavit; in cujus locum
D
ſuffectus eſt Conradus filius.

Anno ejus ſæculi octogeſimo octavo, prætu-
A.C. 1158. ra continuata eſt Henrico Bruſamanticæ, viro integro, acrique ſcelerum & maleficiorum vindici. Retinebant adhuc ſpeciem quamdam libertatis Capitanei; ut fere regna nova ſolent. Appetente igitur fine magiſtratus, (neque enim perpetuus mandatus fuerat) populus congregatus imperium illis in quinquennium prorogabat : moderationis ſimulationem adhibuerunt, triennio contenti. Conſilia pacis cum Piſanis jamdiu agitata, captivis, qui erant Genuæ, magnam contentionem adhibentibus, ſedulamque operam ſuam interponentibus, cum multæ legationes ex illorum primariis ultro citroque ſæpe commeaſſent, tandem ad effectum perducta ſunt; paxque ipſa convenit, Ugolino Comite & Galluræ Judice, qui tum in ſummo magiſtratu locati rerum poticbantur, ægre rem ferentibus: quæ, civitate reditu tantæ civium multitudinis corroborata, ipſorum potentiæ & dominatui infringendo eſſet : cujus impotenter exerciti tædium & odium jam cives capere cœperat. Comes igitur & Judex, ut rem diſturbarent, toti in uſitatas Piſanis artes verſi, cum Piſanis piratis, qui tum erant in Sardinia occulte egerunt, ut res Genuenſes vexarent : quod
F
illi læti imperio, impigre exſequi inſtituerunt, circumjecto mari excurrentes, ac prædas navium & rerum Genuenſium agentes : turbavit ea res animos Genuenſium pacis cupidos, miſſuſque eſt ea de cauſſa Piſas Nicolaus Petratius, injurias ac fidem pacis violatam conqueſtum, damnumque refici petitum : Prætores culpam à publico conſilio avertere, remque comibus verbis extrahere.

Interea Genuæ tres triremes ad commercio-
A
rum tutelam adverſus Piſanos armatæ ſunt, Petro Embruno præfecto ; cui diligenter mandatum eſt, caveret à rebus Piſanorum attingendis, ac ſe tantummodo ad res Genuenſes tutandas, & ad injurias prohibendas miſſum putaret : tantumque fuit in Genuenſibus pacis ſervandæ ſtudium, ut, quamquam Piſani ludificarent, dieſque jam exiiſet pecunias pactas à Piſanis deponendi, ab hoſtilibus adverſus illos abſtinerent. Ceterum eadem res longe acriora odia Piſanorum in Ugolinum accendit; cujus opera & ambitione procedentia pacis conſilia diſtinebantur : cujus ipſi eo quam Genuenſes cupientiores erant, quo & bellum majoribus cladibus illis ſtabat, & viribus attritis longe Genuenſibus inferiores futuri erant : conſpuratione igitur principum adverſæ Factionis in illum facta; cujus auctor & caput fuit Rugerius Ubaldinus Archiepiſcopus Piſanus, cui ad publicum cauſſam accedebant peracres adverſus Ugolinum privati odii ſtimuli, ob cædem fratris filii ejus juſſu factam; captus eſt Ugolinus : qua in re Piſani immanis & exſecrandæ ſævitiæ facinus ediderunt : quorum animos tanta rabies invaſit, ut cum Ugolino parvulos ejus liberos omnis criminis inſontes, nihil miſericordia ſimplicis & innoxiæ ætatis efferatas mentes flectente, turri incluſerint : in qua omnibus alimentis ademptis fame conſumpti expirarunt. Turris, in qua tetrum facinus conceptum eſt, adhuc Piſis viſitur, abominando & nullum ævum delendo famis nomine nobilitata: auctorem facti generis mortis eundem ipſum Rugerium Archiepiſcopum fuiſſe nonnulli Piſanorum Annales tradunt ; vafro commento ſe divinarum legum pœnas ſubterfugiſſe putantem, quæ ſacris hominibus cæde atque humano ſanguine interdicunt, ſententiam legis verbis ludificantem ; tanquam is hominem necaſſe negandus ſit, qui, alimentis ſubtractis, neceſſariam
D
mortis cauſſam præbuerit.

Annus, qui ſequitur ejus ſæculi octogeſimus nonus, Beltramo Calcano Mediolanenſi Prætore, A.C. neque foris otioſus omnino fuit, & domi haud 1159. parvis motibus agitatus : ejus initio Reſpublica quod erat reliquum opidorum Quiliani & Vadæ pretio ſibi adjunxit. Ingentibus copiis per ea tempora Sultanus Ægyptius urbem Tripolim oppugnabat : qua in obſidione haud ſegnis opera Genuenſium fuit. Benedictus enim Zacharias Genuenſium triremium ac nonnullarum corbitarum præfectus, urbe expugnata magnum Chriſtianorum numerum præſenti diſcrimini ereptos incolumes Cyprum vexit. Moverant ſe Genuenſes, qui Theodoſium incolebant, cum tribus triremibus raptum armatis; quibus præfectus eſt Conſul ipſe Paullinus Auria, opemque latum ierant : ceterum cum Cyprum tenuiſſent, nuncio accepto Tripolis expugnatæ, & Zachariæ in Armeniam ad Regem profecti, eo ipſi quoque itinere directo, ſe cum Zacharia conjungunt.
E

Majora in Corſica geſta ſunt à Luchetto Auria, eo cum claſſe quattuor triremium, myoparonis, ſeptem taridarum, ac nonnullorum minutiorum navigiorum ; ac cum pedeſtribus & equeſtribus copiis miſſo, ad recuperanda loca à Judice Gineræ per tempus belli cum Piſanis geſti aliis auctoribus occupata : pacta pecunia ea de cauſſa à Piſanis exacta : cedenteque Judice, cum nonnihil initio reſtiſſet ; nonnulliſque locis, quæ retinere non poterat, ab illo incenſis, Luchettus loca amiſſa deinceps recuperavit ; quæ fuerunt arx Lulmetum, Roccavaldis, Gineræ, Iſtria, quam fiduciariam juſſu publico Nicolino Petratio dedit; exercituque paulum refecto, Aleriam contendit: in quam urbem indu-

inductus eſt à familia Cortingorum, cujus principes erant Epiſcopus ipſe Alerienſis, ac Panorcus, & Opicii fratris filii, quæ gens in fide erga populum Genuenſem perpetuo manſerat. Conſiliis à reliqua gente unus tantum Ugucio ſeparatis, quod gener Judicis eſſet, Petram latam tenens, oppugnationem exſpectavit: quam haud diu ſuſtinuit, opido tradito, jurejurandoque in imperium dato: poſt ea Luchettus arma circumferens, Dominos Bagnacæ, Marchionem Viridis, Joannellum Loretum Epiſcopum Marianenſem, qui omnes contra Reipublicam arma tulerant, in antiquam ditionem & obedientiam redegit: quibus rebus confectis, inſulaque pacata, Luchettus ſe, Bonifacium ſubduxit; ibique exercitum dimiſit: qua re cognita, Judex novis motibus excitatis, omni ope contendit ſe in gratiam reſtituì: repudiatus eſt; cum hominis poſtulata minus æqua viſa fuiſſent. Longe deteriore conſilio æquiſſima Piſanorum poſtulata, reique publicæ in primis utilia & perhonorifica repudiata ſunt; cum de illis ingens fuiſſet in conſilio certamen: petierunt enim Piſani, ut dies arcis Callaritanæ, qui appetebat, ex conditionibus pacis, tradendæ in annum prorogaretur: exvebantque Reipublicæ traditione nonnullarum arcium in ipſa inſula Sardinia, ac turris portus Piſani, arcis Gorgonæ, ac quinquaginta obſidum, ad hoc reliquam pecuniam debitam oumerabant.

Majore diſcrimine eo anno res urbanæ turbatæ ſunt: tumultuum auctores fuerunt Grimaldi & Fliſci: qui perpetuum Spinulæ & Auriæ gentium regnum non ferentes, conſiliis cum Mallonis, Nigris, Cattelliis, Salvagis, Embriacis, Marinis, Marocellis, Fallamonicis, Piccamiliis, Guizulfis, Cibo, ac nonnullis aliis nobilibus familiis, quæcumque Guelphas partes ſequebantur, occulte concoctis, illarumque ſocietate fulti, magnoque clientium numero corrogato, armis ſumptis, ad armaque clamantes ædem ac turrim divi Laurentii occuparunt; eodemque tempore ædes Abbatis populi cum Capitaneis conſentientis, atque ædes Uberti Fliſci, quibus Capitanei pro prætorio utebantur, in quibuſque tum forte conſilium civitatis habebatur, invaſerunt: acriter primo Abbas cum familia ſua reſtitit: deinde plebe auxilio advolante eos ſubmovit: nec feliciore eventu Capitaneos tentaverunt, cum multa ſuorum ædes ab illis repulſi. Eodem quoque tempore Philippus à Volta, qui arma pro Capitaneis ſumpſerat, ædes Archiepiſcopi, quam ſedem motuum auctores ſibi delegerant, illos dejecit: qui omnes in divi Laurentii ædem ſe ſubduxerunt: ceterum, ne ſacri quidem loci præſidium ab impetu furentis plebis illos tutos fecit: quæ foribus templi, deteſtando exemplo ignem ac faces ſubjecit: nec peſtem ſubterfugiſſent; niſi, ingenti bonorum & præſtantium civium multitudine ſe interponente, miſericordia tot nobilium familiarum ipſoſmet Spinulas, & Aurias, ac ceteros ipſorum Factionis primarios cives, affinitatibus ac multiplicis neceſſitudinis jure attingentium perituraruin, Capitaneos flexiſſet: impetu igitur concitatæ multitudinis rectorum auctoritate compreſſo, extemplo incolumes in domos ſuas reducti ſunt: eorum quattuor tantummodo poſtero die exſulio damnatis.

Urbanis tumultibus ſedatis, curæ externorum bellorum ſucceſſerunt. Igitur, cum Piſani promiſſa non facerent, neque arcem Callaritanam ex pactis conditionibus traderent; inſequenti anno ejus ſæculi nonageſimo, qui Prætorem habuit Joannem Lucinum, univerſo civitatis conſilio convocato, novus Magiſtratus, quem *Credentiæ* vulgo appellarunt, quattuordecim civium creatus eſt: ampliſſima rerum bellicarum poteſtate illi mandata: qui, omni commercio cum Piſanis vetito, primum omnium luſtro condito, civitateque, & Liguriæ opidis illi contributis cenſis, oneribuſque pro modo facultatum diſtributis, compertum habuerunt, eas eſſe Liguriæ facultates, quæ centum & viginti triremes armarent. Formula præſcripta, ex qua in decem triremes Roccabruna duo hominum capita conferret, Mentonum tria, Albintemelium quinquaginta, Podium Rainaldum tria, Fanum Romuli ac Ceriana ſexaginta, Tabia viginti quinque, portus Mauritius quinquaginta, Fanum Stephani quinque, Petra lata ſuperior & inferior decem, Henricus, Philippus, Albertus Comites Albintemelii triginta tria, Linguilia & Caſtellarum quindecim, præfectura Triorix quinquaginta, Dianum quadraginta, Cervum quindecim, Andoria triginta, Albingaunum ſexaginta duo, Epiſcopatus Ingaunus quadraginta quinque, Marchio Claveſanæ quadraginta, Coſium & Thomaſium octo, Pinatium ſexaginta duo, Naulum viginti quinque, Epiſcopatus Nalenſis tria, Quilianum decem, Saona ſexaginta duo, Albizola ſex, Varago & Cellæ quinquaginta, Vultur centum, vallis Porciferæ ſeptuaginta quinque, Biſamnis centum, Reccum viginti, Rapallum triginta, Clavarum centum, Sigeſtrum ſeptuaginta quinque, Levantum viginti, Paſſanum & Lagnotum tria, Matarana ac geminum Carrodanum quinque, Corvaria centum, Carpena ſeptuaginta quinque, portus Veneris viginti quinque, Vezanum decem octo, Arcula decem, Trebianum tria, opidum Ericis tria: hic numerus mille quingenta capita excedit: quod, ſi claſſis duplicaretur, duplicata collatio fieret: ſi triplicaretur, triplicata: & ſic deinceps uſque ad numerum centum viginti.

Hoc cenſu habito, Magiſtratus Credentiæ, ſocietate cum Lucenſibus Piſanos bello perſequendi juncta, qui terra ſtrenue rem geſſerunt, ſex triremes, ac myoparonem armarunt, Henrico à Mari præfecto: qui cum claſſe decem triremium ab eodem Magiſtratu prius armatarum, quibus præfuit Nicolaus Buccanigra, conjunctus, Ilvam inſulam, Piſanorum præſidio ilejecto, ceperunt, quadraginta-que obſides Genuam miſerunt; Iluenſibuſque, ad illorum animos in Genuenſem populum firmandos, promiſerunt, illos eo jure futuros, quo eſſent Bonifaciani.

Cum ne his quidem damnis affecti Piſanorum obſtinati animi ad conventa obſervanda flecterentur, majore conatu bellum capeſſendum decretum eſt: fœdere igitur cum Lucenſibus acriori bello Piſanos urgendi renovato, ingens ac prævalida quadraginta triremium claſſis armata eſt; ac Conrado Auriæ alteri ex Capitaneis ducenda data: qui extemplo portum Piſanum contendit: cui eodem tempore terreſtres quoque copias Lucenſes admoverunt: qui portus operibus potius quam prælio à Genuenſibus expugnatus eſt, turri maxima vaſtæ altitudinis ſubruta: quæ fulturis ſuſpenſa, illis juſſu Auriæ incenſis, cum ingenti fragore Lucenſibus mirantibus corruit; us, qui in illa erant, majore ex parte ruina oppreſſis, cum pauci perniciei ſe ſubtraxiſſent, qui à Genuenſibus capti Genuam miſſi ſunt: poſtridie copiæ Ligurum tranſlatæ ſunt; opidoque deleto, præter templum, quod religio intactum ſervavit, portu Piſano repetito, turres reliquæ ſubrui, ſuffulcris ſuppoſitis, cœptæ: qui in illis erant, eundem caſum maximæ turris recenter proſtratæ horrentes, dedinonem fecerunt. Genuenſes catena ferrea, qua portus claudebatur, perfracta, turribuſque omnibus dejectis, Genuam ovantes reverſi ſunt; catenæ fragmentis ſecum portatis, ad inſigne poſteritatis monumentum multis in urbis locis ſuſpenſis; quæ adhuc viſuntur.

Bellicis laudibus haud minor domi moderationis gloria reſpondit: nam, cum cognati, & affines, atque omnes, quicumque aliquo jure Capitaneos attingebant, cum illis egiſſent, inducerent

A. C. 1190.

animum, ut magiſtratu abirent; conſiliaque procibus miſcentes docerent, noſlum diuturnum imperium quamvis æquum & Reipublicæ utile in libera civitate æquis oculis adſpici; ac proinde ſuaderent, ut leniter gliſcentem invidiam, cauſſaſque ſubnaſcentium tumultuum & ſeditionum præciderent; nec tantopere ampleſterentur ſummum illum honoris locum; ut civitatis quieti & otio conſulerent; facileſe exorari paſſi ſunt: tempuſque magiſtratu abeundi ſibi ipſi præſtituerunt, proxime appetentem diem divi Simonis & Judæ feſtum.

A.C. 1291. Cum is dies inſequenti anno, qui fuit ejus ſæculi nonageſimus unus, veniſſet, Ubertus Spinula & Conradus Auria magiſtratu ſe abdicarunt: quem vicennium obtinuerant: negotio prius publice dato Simoni Spinulæ & Uberto Auriæ Capitanei parenti, Reipublicæ emendandæ & conſtruendæ; lata lex ab illis eſt, ut peregrinus Capitaneus quotannis ad ſummum imperium cum ſumma omnium rerum poteſtate accerſeretur; omniaque civitatis munera, procurationes, magiſtratus, æqualiter inter Nobiles & popularis corporis cives dividerentur. Fuit hoc anno ſub Capitaneis Prætor urbis Gulielmus Drudus Haſtenſis, in Capitaneorumque locum ſucceſſit Lanfrancus Suardus Bergomas, vir ſtrenuus atque impiger: qui omnia, quæ fuerant ejus muneris, magna cum virtutis & prudentiæ laude implevit. Hoc anno cum nullæ ad eum diem certæ ac publicæ eſſent rectoribus civitatis ſedes, mercedeque conductis ædibus Magiſtratus uterentur, prætorium ædificari cœptum eſt; in quod ad Rempublicam gerendam Magiſtratus convenirent, conſiliumque civitatis vocaretur; in ſolo, quod templo maximo & ædi divi Matthæi interjectum eſt, quod, ac quidquid in illo ſuperficici fuit, de familia Auria Capitanei, priuſquam magiſtratu abirent, mercati ſunt.

Res quamvis privatis conſiliis tentata, quæ argumento eſt, quam vivida omnibus ætatibus fuerunt noſtrorum hominum ingenia, nullo modo ſilentio nobis prætereunda fuit: hoc enim anno Tediſius Auria & Ugolinus Vivaldus, duabus triremibus privatim comparatis & inſtructis, magnæ audaciæ animique immenſa ſpectantis rem aggreſſi ſunt; maritimam viam ad eum diem orbi ignotam ad Indias patefaciendi: fretumque Herculeum egreſſi, curſum in Occidentem direxerunt: quorum hominum qui fuerint caſus, quique vaſtorum conſiliorum exitus, nulla ad nos unquam fama pervenit; hæc inventarum Indiarum, ac novi orbis noſtro adjecti gloria ætati noſtræ, ejuſdemque nationis homini divino conſilio reſervata.

Infelix & lugubris in primis hic annus Chriſtianis fuit, totus Syriæ imperio tandem amiſſo; ducenteſimo circiter anno, poſtquam magna cum Chriſtiani nominis gloria partum fuerat: urbe Acone, quod poſtremum opus belli fuit, à Memphitico Soltano expugnata; Chriſtianiſque, qui in ea urbe ſunt inventi, quorum triginta millia fuerunt armis ferendis, partim cæſis, partim in ſervitutem abductis: cum ſedula duarum Genuenſium triremium diligentia, quas Andreolus Pellatus ducebat, Cyprium Regem, unaque cum illo haud exiguum Procerum & omnis generis mortalium numerum peſti eripuiſſet: quos pluribus commeatibus ex urbe eductos in nonnullas onerarias, quæ forte præſto fuerunt, impoſuerunt: cujus urbis expugnatæ fama Chriſtiani, qui Tyrum & reliquas Syriacæ oræ urbes incolebant, perculſi, avitis ſedibus relictis, ſeſe in inſulam Cyprum ſubduxerant. Infelicis autem Syriacarum exitus cauſſa fuit non tam barbarorum virtus, quam prava & diſſoluta rerum regendarum noſtrorum hominum ratio; in primiſque diſcordiæ, magnis de hac ipſa urbe Acone inter Patriarcham Hieroſolymitanum, Templarios, Hoſpitalarios Equites, Regem Cypri & Regem Siciliæ, ſuam quemque eam urbem ſibi vindicantes ortis contentionibus; re interdum ad manus & ad ferrum revocata; cum Genuenſes quoqoe ac Veneti & Piſani haud exigoas juris partes in eadem urbe ad ſe traherent.

Eo anno initium belli inter Catalanos & Genuenſes factum eſt, navi Genuenſi à Catalanis capta; quæ tamen mox à nonnullis Genuenſibus triremibus recuperata eſt. Hujus belli ſemina diu ante jacta fuerant; cum, in contentionibus inter Piſanos & Genuenſes de Sardinia & Corſica inſulis, Catalani ſæpe Piſanis adverſus Genuenſes haud obſcuram opem tuliſſent: renovatæ ſunt odiorum cauſſæ, Petro Aragonio Rege, Gallis cæſis & exactis, Sicilia potito; cum multis ſubinde damnis Catalani Genuenſes afficerent. Latrocinantium magis quam belligerantium more hoc bellum per complures annos geſtum eſt; utraque natione per varias occaſiones mutuis damnis altera alteram carpente: numquamque univerſis viribus ac juſta pugna concurſum eſt; cum in bella Piſana & Venetia multæ claræ editæ ſint pugnæ, complureſque inſignes & memorabiles clades illatæ & acceptæ.

Anno inſequenti ejus ſæculi nonageſimo altero, quo Beltramus Riciensus Bergomas Capitaneus, & Gulielmus Gardinus Haſtenſis Prætor vocati ſunt, Genuenſes ab Oratoribus Regis Gallorum & Caroli ſecundi Siciliæ Regis auxilium ad Siciliam recuperandam poſtulantibus, fruſtra tentati ſunt; conſilio civitatis in contrarias ſententias diſtracto. A.C. 1292.

Qui ſequitur annus ejus ſæculi nonageſimus tertius, Simonem Golmellum Bergomatem Capitaneum, & Petrum Carbonerium Prætorem habuit. Graviter hoc anno & ſevere in maleficos animadverſum eſt; quorum infinitus creverat numerus: oneraque & tributa civibus viritim impoſita ſunt, cauſſa Piſani belli, quod adhuc durabat. A.C. 1293.

VBER-

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER VI.

A.C. 1191. Hoc anno bellum cum Venetis renovatum eſt, eo, quam ſuperius, majus, quo de majore re dimicatum eſt; cum in priore bello odium tantum, ex mutuis injuriis conceptum, utrumque populum inter ſe commiſiſſet; at in hoc ad vetus odium numquam ſimul cum bellis & certaminibus depoſitum acceſſit de ſummo in navalibus rebus honoris loco, ac de maritimo imperio contentio: quo nullus eſt ad animos hominum incitandos acutior ſtimulus; cum neuter populus alterius potentiam nimis creſcere vellet, quæ eſſet ſuæ deprimendæ. Suſpectum quidem ſemper Venetis fuit Genuenſium vividum ac peracre ingenium, egregiaque indoles ſæpe experta; ceterum vires minus formidoloſæ finitimis Piſanorum, atque internecinis bellis implicitæ: at, ubi poſtrema inſigni clade Piſanorum opes ita attritæ ſunt, ut omni eorum pube partim ceſſa, partim capta, ſeſe Piſani à tanto caſu in multa ſæcula erigere non poſſent; Veneti, ut curſum tantæ felicitatis interrumperent, quamquam dies induciarum nondum exierat, bellum facere occuparunt. Multis autem cladibus hoc bellum utrique populo ſtetit: in quo narrando Annales utriuſque populi haud parum variant; cum Veneti nonnullas clades à Genuenſibus Venetis illatas comprimant; Genuenſes contra non quidem damna accepta deteſtentur omnino; ſed generatim tantum ea attingant. Poſtrema vero inſignis clades, atque ad omnem poſteritatem memorabilis, inter omnes tam Venetos quam Genuenſes Scriptores conſtat.

Nullo autem tempore magis in flore virium Genuenſes fuerunt: cum illud à graviſſimis illorum temporum Scriptoribus tradatur, ſeptuaginta triremes quotannis à Genuenſibus civibus privatim ex ipſo corpore civitatis armari & inſtrui ſolitas, commerciorum & mercatoriæ negotiationis gratia: cum longe major numerus à populis oræ Liguſticæ, quæ tota Genuenſium ditione tenebatur, eadem de cauſſa armarentur: nullumque eſſet maritimum opidum ex paullo validioribus, quod non triremem ſaltem armaret: cum nonnulla duas, aut eo amplius inſtruerent; ut tum hoc navium longarum genere potius quam onerariarum res mercatoria exercebatur; quibus Reſpublica ad bella, ſi qua inciderant, utebatur; hominibus in illorum temporum diſciplina non minus ad uſus bellicos, & ad arma tractanda, quam ad privatos quæſtus inſtructis: ut mirum non ſit proximo bello Piſano, quod ſeptennio fuit, ſexcentas viginti ſeptem naves longas varii generis & nominis armatas eſſe: de qua re in *Elogiis noſtris clarorum Ligurum* copioſius diſſerimus.

Nunc, ut ad inceptum redeam; tam Veneti, quam Genuenſes Annales tradunt, inutium armorum à levi re à Venetis factum: quorum quattuor triremes majoris formæ, quas *galeatas* appellant, cum numero bellatorum, tum ingenti bellicorum apparatuum vi, quos in Cyprum vehebant, animos faciente; ſeptem triremes Genuenſes ad mercatoriam negotiationem potius quam ad bellum inſtructas adortæ ſunt, certamen detrectantes, ac fidem induciarum teſtantes: quibus rebus cum ab incepto non deſiſterent Veneti; Genuenſes ad neceſſariam pugnam adacti virorum fortium opera ediderunt; triremibus Venetis victis ac captis: quas tamen extemplo cum hominibus ac ſuis omnibus rebus dimiſerunt, multum increpitis, quod fidem induciarum, quarum dies nondum exierat, cum amplius duo anni ſupereſſient, nulla re provocati violaſſent. Gravius tulerunt rem Genuenſes, quam Veneti; omnes bellorum cauſſas abominantes: quaterni igitur Legati ab utroque populo miſſi in urbem Cremonam convenerunt; cum Veneti non minus ſeſe pacis cupidos ſimularent. Nihil per ingenia certamina eſt tranſactum: Venetis ludificantibus, Genuenſibus vero bona fide ac ſedulo agentibus: qui, ut omnia juſta impleterent, Legato Venetias ad Ducem miſſo, teſtati ſunt, ſeſe omnis culpæ pernicioſi belli ſuſcepti exſortes fore: per ſe enim non fieri, quominus fides induciarum rata eſſet: irrita omnia fuerunt.

Anno igitur, qui ſequitur, ejus ſæculi nonage- A.C.
ſimo quarto, Simone Gulmellio Bergomate civi- 1194.
tatis rectore, Genuæ viginti triremes armatæ ſunt, mercatoriæ negotiationis cauſſa in regna Orientis miſſæ: quæ cum in itinere audiviſſent claſſem Venetam, fide induciarum violata, tres ingentes Genuenſes onerarias immanis pretii mercibus onuſtas cepiſſe; compluribuſque aliis detrimentis res & ditionem Genuenſem affeciſſe; mercibus in opido Pera in terram expoſitis, ſeſe ad pugnam comparurunt; Nicolao Spioula, qui tum Legatum apud Cæſarem Conſtantinopolitanum agebat, præfecto creato, viro expertæ fortitudinis & audaciæ, ac magni conſilii & auctoritatis: is ad Venetos nuncium ad res per induciarum tempus injuſte ablatas repetendas mittit. Veneti nuncium convicio acceptum contemptim de Genuenſibus locuti, cum ſuperbo reſponſo, *ſeſe jure belli ablata non modo non reſtituturos, ſed claſſem ipſam Genuenſem capturos*, dimittunt. Exarſerunt quidem Genuenſes, coorumelia inſuper verborum injuriis addita: ceterum ſapiens & cautus Dux, cum numerum hoſtilium navium de nuncio cognoviſſet, ſatis hominis non eſſe intelligens, claſſem tanto numero inferiorem hoſti capiendam objicere, ſeſe in portum Araciæ recipit: in quo cum non ſatis tutum ſe ad hoſtiles impetus intelligeret, altum petit. Hoſtis in claſſem Genuenſem procul conſpectam curſum dirigit; nullumque urgendi finem faciens, detrectantem Genuenſem ad neceſſitatem pugnæ adigit: igitur Spinula proris in hoſtem verſis, paucis (neque enim longæ orationi anguſtiæ temporis locum dabant) navales ſocios ita ad pugnam eſt cohortatus: *Deprehenſi ab hoſte, tanto & navium & pugnantium numero inferiores, omnis elabendi via clauſa, deſerimur magni prælii ſubire cogimur, cives: in quo nulla ſpes alia ſalutis eſt, quam ipſius ſalutis deſperatio. Hoc uno telo, quod acerrimum eſt, hoſtis*

hoſti ſuperiores ſumus, ceteris omnibus rebus impares: quod igitur in aliis prælio ſalutis & victoriæ eſſe ſolet, tanta fortitudo, ea in hoc prælio peſtis eſt; ac pro eo vecors audacia eſt adhibenda; neque alia ratione certam & imminentem perniciem a nobis amovere poſſumus, quam in perniciem præcipites nos dando: neque aliter periculum diſcutere, quam cæco impetu in illud ruendo. Quod igitur in ceteris pugnis virtus facere ſolet; id ut in hoc rabies efficiat, neceſſe eſt: hoc animo ſi pugnamus, quæ max inſtat, inſtimus, vincere poſſumus, cives: aliter haud dubie peritura. His dictis, naves in hoſtem inordinatum & incompoſitum paucitatis contemptu, ac ſparſim, pluribuſque agminibus venientem concitat: quem tanto impetu invadit, ut ira ac rabie Genuenſibus virtutem acuente, ſubita audacia obſtupefactum primo fere incurſu fuderit; viginti quinque navibus captis. Hæc pugna, quam Annales Veneti omnino comprimunt, nimis ſcilicet populo Veneto erubeſcendam, non tam claſſis victæ magnitudine, quam admiratione virtutis, magnis ac claris victoriis æquata eſt: eodemque aurei aulæi dono ac ſacro anniverſario ad ædem divi Germani, cujus die feſto parta eſt, decorata.

Tantus novus hoſtis additus inteſtinas diſcordias, quæ inter Guelphos & Gibellinos per quinquaginta annos civitatem continenter vexarant, ad aliquantum tempus conſopivit: qua in re opera & officium ſedulæ paſtoris Jacobi Varaginenſis Archiepiſcopi, viri pii ac ſancti, conſtitit: qui hortando, monendo, rogando, divini Numinis diſcordias abominantis metum injiciendo, non prius abſtitit incepto, quam inchoata conſilia ad effectum perduxit: eo igitur auctore, concordia
A.C. & pax inita eſt anno ejus ſæculi nonageſimo quin-
1295. cto, qui rectorem habuit Jacobum Calcanum Mediolanenſem.

Clades accepta non tam ferociam Venetorum contudit, quam iram & indignationem accendit, cum dictitarent, ne nimis magnam Genuenſes putarent, ſi, tot detrimentis à Venetis acceptis, ipſi ſemel viciſſent: quæ victoria non tam ipſorum virtute quam Veneti præfecti negligentia parta eſſet: ceterum ejus fortuiti eventus gaudium ipſos illis breve facturos; vaniſſimorumque hominum inanem arrogantiam funeſtam illis fore: qui præpotentem civitatem, cum cujus opibus & virtute haudquaquam par illis certamen ſit, ſibi hoſtem ſumere audeant: ſeſe enim ingenti claſſe armata, in Liguriam navigaturos; ipſaſque portus Genuenſis fauces navibus ſuis infeſſuros. Hæc atque ejuſmodi multa cum tumida oratione jactarent Veneti; Genuenſes verborum ferociam rebus ac virtute retundendam rati, è veſtigio comparare inſtituunt; nuncioque ad Venetos miſſo, gratias ultro agunt, qui occaſionem Genuenſibus præbere in animo habeant, experiendi, utra gens militari gloria præſtet: properarent igitur comparare: ſeſe enim quoque nihil in comparando de ſumma diligentia remiſſuros: ceterum, ne nimia itineris longitudo certamen differat; medium aptiorem fore locum, qui utrique populo & laborem viæ adimat, & efficiat, nulla in re alter altero ſuperior fuiſſe videatur. Siciliam igitur ſe delegiſſe, quæ media pari fere intervallo utrique populo ſit: ejus inſulæ littora ipſorum controverſias decreturæ. At Bonifacius Pontifex maximus tantis motibus & apparatibus belli cognitis, ne muneri ſuo deeſſet, pacem inter Chriſtianos populos componendi, utriuſque populi Oratores, ac Pontifices ipſos acceſſivit; quos ad ſe introductos in hanc ſententiam ad pacem hortatus dicitur; *Bellica virtute animo & navali induſtria nihil Majoribus veſtris inferiores, uterque ab illorum patate, ac religione, animique moderatione, & ſapientia degeneratis, filii: illi enim nihil alieni appetentes, nulla ſummos loco ambitione tranſverſi acti, omnia ſua ſtudia in Chriſtianam rem tuendam, augendam, propagandam vertebant: illorum animos impetus omnis in religionis noſtræ hoſtes ferebatur: vos contra, Chriſtiani nominis ac profeſſionis obliti, vires atque opes veſtras in vos ipſos atque in mutuam perniciem veſtram confertis. Quem tandem alium fructum ex contentionibus iſtis veſtris petitis, filii, quam cum, quem ſuperiore bello percepiſtis, mutuarum cladium? jucundum interea ſpectaculum communibus & atrociſſimis hoſtibus noſtris præbentes, quos ac vires veſtras internecinis his bellis conſcindendo: qua formidoloſa in primis ſunt illis; quippe ſine quorum claſſibus nullus ſit ad vos Chriſtianorum Regum & exercituum acceſſus. Si vos fratrum veſtrorum, quos in Oriente dirriſimum ſervitutis jugum premit, nulla miſericordia capit; ſi religionem negligitis; at ſaltem vos ipſos ac res veſtras reſpicite: quibus, præter commune hoc cum ceteris Chriſtianis pietatis officium, quadam major neceſſitas impoſita eſt, providendi, ne hoſtes noſtri ſupra modum creſcant: commercia enim, quibus utrique veſtrum alitur, omneſque fere res veſtræ in regnis Orientis implicitæ ſunt: quæ regna cum veſtro exitio ab immanibus hoſtibus noſtris tenari, ipſi juxta nobiſcum intelligitis. Per Deum immortalem, filii, reſipiſcite aliquando; utraſque veſtras perlevibus de cauſſis irritatas, ceteris detrimentoſas, vobis ipſis exitioſas, Chriſtiano nomini, fratrum veſtrorum miſeriis, rebus ac ſaluti veſtræ, Majorum veſtrorum conteſtata pietati condonate: Chriſti Vicarium audite; ac divini Numinis ultricem iram vobis ante oculos ponite.* Nihil ſedula Pontificis cura profectum eſt: tantum uterque populus certaminis animis imbiberat: ſacrique Antiſtites & Legati, cum quattuor menſes in Aula Pontificia fuiſſent, re infecta in ſua reverſi ſunt.

Interea Genuenſes menſis curriculo claſſem ducentarum triremium comparârunt: quæ poſtea ad centum ſexaginta redacta eſt: in qua præter remigium, is ipſe Jacobus Varaginenſis Archiepiſcopus, qui præſens fuit, numerumque ſe iniiſſe in Annalibus ſuis tradit, ducenos vicenos bellatores, & ſocios nauticos, in ſingulis triremibus fuiſſe tradit, omnes Liguſtici nominis: ceteris repudiatis; quorum magna vis Genuam confluxerat, ut tam ſplendido certamini intereſſent: ad numerum hominum & bellicos apparatus, quibus claſſis affatim inſtructa fuit, omnis opulentia inſignium armorum & veſtium acceſſerat: octo enim millia hominum numerata ſunt, oloſericis & aureis veſtibus indutorum. Tantæ claſſis idem Ubertus Auria clade Piſanorum clarus præfectus fuit: qui cum Siciliam appuliſſet, ac decem octo dies in ancoris fuiſſet, hoſtem exſpectans; illo nuſquam comparente, hyemeque appetente, ſatis ad gloriam profectum ratus, in patriam reverſus eſt. Eo anno aquæductus, diuturni laboris ac magnæ impenſæ opus, ad finem perductus eſt: quod ab Annalibus non omiſſum, ne nobis quidem ſilentio prætereundum viſum eſt. Ridicule Auguſtinus Juſtinianus veteribus Romanorum aquæductibus opus hoc æquat; amori patriæ potius nimium indulgens, quam verus rerum æſtimator: infinitis enim partibus inferius eſt hoc opus operibus illis, in quibus Romanæ potentiæ vis haud in poſtremis expreſſa eſt.

Felicibus belli ſucceſſibus inteſtinæ contentiones continuatæ ſunt; Factionibus Gibellina & Guelpha
ad arma inter ſe inſequenti anno ejus ſæculi nona- A.C.
geſimo ſexto inſurgentibus; inter quas magno o- 1296.
diorum certamine ac cruento prælio in ipſa urbe dimicatum eſt: in quo nonnulli nobiles cives ceciderunt. Ceſſere tandem Guelphi; Grimaldis & Fliſcis ejus Factionis capitibus civitate à Spinulis & Aurîs expulſis: qui victores, cauſſam prætexentes, quod nihilo magis civitas principatu ab ipſis depoſito quieviſſet; quin etiam ſummum duorum capitum imperium plurimum valere, ad audaciam

in-

inquietorum hominum coercendam, & tranquillitatem civitatis tuendam; principatum fex annos interruiſſum uſurparunt. Creati igitur ſunt, dum ſumma ac ſoluta omnium rerum poteſtate, Capitanei civitatis Conradus Spinula & Conradus Auria, utriuſque Uberti filii; nulluſque externus Prætor eſt accerſitus, omnia Capitaneis ad ſe trahentibus.

Rebus urbanis in tranquillum redactis, bellicarum rerum curæ redierunt: igitur cum auditum eſſet, Venetos ingentem claſſem comparaſſe, qua Genuenſium res infeſtas facerent; armatæ ſunt adverſus eos quinque & ſeptuaginta triremes, Gando à Mari præfecto: qui portu ſolvens, ac per Orientis maria diſcurrens, hoſte multis in locis perquiſito, neſquam invento, in ſua ſe recepit: qua re cognita, Veneti, qui portubus ſuis ſe continuerant, ejus metu liberati in apertum mare prodeuntes multis atque ingentibus detrimentis Genuenſium res & ditionem affecerunt: quæ non minus quam ſuperiorum annorum damna ab Annalibus noſtris omiſſa, ex Scriptoribus Venetis, penes quos fides eſt, haud ab re duximus in hiſtoriam noſtram inſerere; ſi prius dixero, quod ab Annalibus noſtris traditum, omittendum non fuit: pertinere enim videntur ad civitatis noſtræ dignitatem augendam, quæ à civibus noſtris non modo publice, ſed etiam privatim fortiter & magnifice ac religioſe facta ſunt. Eo igitur anno Roſcius Auria, cum egregiam multorum annorum operam pro claſſis præfectus Conſtantinopolitano Cæſari in Ponto Euxino navaſſet, nonnullaque loca expugnaſſet, hoc laborum & meritorum præmium optavit, ut corpore divæ Anaſtaſiæ virginis ac martyris donaretur: quod Genuam delatum, in ædc divi Matthæi collocatum eſt: in qua magna cum veneratione & religione adſervatur: nunc ad inſtitutam ferium ſolemnem confluit.

Tradunt igitur Venetorum Annales in numero navium variantes, cum alii ſexaginta ſex triremes, alii quadraginta ſex tantummodo fuiſſe dicant; Venetos, Rogerio Mauroceno præfecto, initium belli feciſſe à Pera, quæ tum vicus erat nondum mœnibus cinctus, capta & incenſa: eadem clade urbi Phocenſi, quæ Folia vetera appellatur, illata, magnaque illius parte eodem incendio abſumpta. Inſequentique anno Joannem Superantium A.C. 1297. cum quinque & viginti triremibus Theodoſiam urbem, quæ nunc Caſa appellatur, ad Tauricam Cherſoneſum Genuenſi imperio parentem occupaſſe, ibique hyemare coactum, maximam remigii partem vi frigoris amiſiſſe. Hæc Veneti Annales: quæ ego à noſtris compreſſa, vel negligentia omiſſa ſtrictim attigi. At, quæ ſequitur, inſignis & ad omnem poſteritatem memorabilis clades, inter utriuſque populi Annales conſtat.

Genuenſes igitur anno ejus ſæculi nonageſimo A.C. 1298. octavo cum audiviſſent, Venetos claſſem nonaginta octo triremium inſtruxiſſe; ipſi quoque octo & ſeptuaginta triremes armarunt: nonnulli tradunt parem fuiſſe Genuenſium navium numerum. Sabellicus numerum Venetarum navium fatetur, quas nonaginta quinque fuiſſe dixi; Genuenſes non plus ſeptuaginta fuiſſe tradit: quæ res gloriam Genuenſium amplificat; ſiquidem numero tanto inferiores concurrerunt. Tanta claſſi præfectus fuit Auria alter ex Capitaneis, qui Conrado ſucceſſerat, vir acer, ac ſtrenuus, magnique conſilii ac rerum navalium uſus: qui unum Hadriaticum ingreſſus, cum cognoviſſet hoſtem ad Corcyram nigram ſtare, nihil majore numero hoſtilium navium deterritus, avidus clades acceptas ulciſcendi, ad eum contendit: nec Venetus, hoſte in conſpectum dato, certamen detrectat: utrique claſſem in pugnam dirigunt: ſuis quique ſpes in certamen afferentes. Venetus numero navium tanto ſuperiore confidere; Genuenſem conſcia virtus & clariſſima de Piſanis recenter parta victoria ferocem facere: quem viribus conſilium additiſſe ferunt; quindecim triremibus à claſſe ſegregatis, & in altum miſſis; quæ, favore venti captato, pugna conſerta, latera Venetæ claſſis invaderent: quod ab illis diligenter ſervatum, non in poſtremis cauſſam victoriæ fuiſſe memorant. Eam rem ſilentio prætereunt Annales noſtri; ut ceteros omnes ejus pugnæ caſus, quos varios fuiſſe neceſſe eſt: tantum enim viciſſe Lambam dicunt; atque omnem fere claſſem Venetam cepiſſe, cum non plus duodecim triremes evaſerint: ex captiſque navibus ſex & ſexaginta incenſiſſe; eodemque incendio Corcyram nigram, quod opidum poſtea *Curzola* vocatum eſt, ad quod pugnatum eſt, captum igne à Genuenſibus injecto conflagraſſe: ipſumque Lambam Ducem, cum reliquis decem octo captivis, ac ſeptem millibus Venetorum captis, Genuam rediiſſe, portuunque triumphantium more ad ſeptimum Kalendas Novembris intraſſe; tota civitate obviam effuſa ad habendos honores, qui tantæ gloriæ civitatem comporem feciſſet: trimphumque minus conſpiciendum feciſſe Andream Dandulum præfectum Venetæ claſſis ſpectaculo ſubtractum: quem ipſi Veneti Scriptores tradunt ignominiæ impatientem, atque in rabiem verſum, capite ad aſſerem colliſo, illico expiraſſe. Nihil horum ab Annalibus Venetis traditur: tantum captivorum numerum minorem faciunt, non plus enim quatuor millia ponunt: in cerramine carminalo, quod uno aut altero verbo Annales noſtri attingunt, paullo diligentiores ſunt; diuturnum enim ac cruentum, & atrox, id quod neceſſe eſt, tam acribus odiorum & irarum ſtimulis utroſque irritantibus, fuiſſe dicunt: magnamque Venetorum editam ſtragem. Tanta victoria anniverſario ſuero more Majorum, atque auri aulæi dono ad altare divæ Mariæ in æde divi Matthæi ad ſextum Idus Septembris, quo die parta eſt, celebrari decreto publico juſſa eſt. Hanc pugnam Annales noſtri poſtremum opus ſecundi hujus belli cum Venetis geſti faciunt: quod tempore quidem primo brevius fuit, ſeptimum enim annum non exceſſit, ceterum cladibus atrocius: at Veneti Scriptores multa addunt, quæ nomini Genuenſi perhonorifica ab Annalibus noſtris præterita minus mirabitur, ſi quis illorum temporum in ſcribendo negligentiam notam habuerit: tradunt igitur Veneti Annales, Venetos, reparata claſſe, viginti quinque triremes Marcio Boncio præfecto miſiſſe; quæ inſulis in Ægæo & Jonio mari ditionis Venetæ præſidio eſſent; hancque claſſem non feliciore eventu quam ſuperiorem ad Corcyram cum Genuenſibus conſiſtiſſe, eoque majore mœrore ac luctu ſecundam hanc minorem cladem quam longe majorem Corcyrenſem Venetos affeciſſe; quod quemadmodum in affecto corpore modica accellio, quæ vires debilitas aggravet, magis ſentitur, quam in valente integris viribus reſiſtentibus magna morbi incumbentis vis; ita hujus minoris Helleſpontiaci damni Venetorum viribus attritis, quam illis vigentibus gravioris Corcyrenſis Venetiis major ſenſus fuerit: hac victoria parta, Genuenſes impetum in Cretam inſulam vertiſſe, primoque adventu Cydonem urbem occupaſſe. Addunt præterea, reparatis à Veneto viribus, ſæpe vario eventu dimicatum eſſe: tandem utrumque populum malis feſſum ad pacem neceſſitate magis quam voluntate attractum: quæ anno, qui inſequitur, ejus ſæculi nonageſimo nono A.C. tandem convenit, captivis redditis: ſimiſque bello 1299. Venetorum quam Genuenſium cladibus inſigniori impoſitus eſt: quæ res animos Piſanorum vehementer perculit, metuentes ne Genuenſes moleſto negotio liberati arma in ipſos verterent, quibus ipſorum affectæ vires pares non eſſent. Ad neceſſitatem igi-

igitur compulſi ſunt inducias à Genuenſibus in viginti ſeptem annos redimendi, civitate Jurritana in Sardinia Genuenſibus cedentes, omnibuſque, quæ ipſi in Corſica tenebant, relictis: ad hoc centum triginta quinque millibus librarum Genuenſium, pro impenſis in bellum factis, perſolutis.

At Capitanei, Guelpharum partium capitibus urbe exactis, ſatis potentium familiarum ſuarum ac res Gibellinas ſtabilitas putantes, ad invidiam imminuendam, principatu ſponte ceſſerunt: reſque ad externos Prætores & rectores rediit. Conradusque Spinula à Petro Aragonio evocatus in Siciliam profectus, claſſium præfectus à Rege creatus eſt. Interea ſemina diſcordiarum, paullatim gliſcentia, majoreſque vires ac majus robur in dies aſſumentia, in apertam tandem ſeditionem cum magna civitatis pernicie eruperunt.

A.C. 1300. Inſequenti anno ejus ſæculi ultimo, qui Bellottum Calcanum Mediolanenſem Prætorem habuit, Grimaldi, cum quinque triremibus noctu urbem furto ingreſſi, cum magno clientium numero, urbe diſcurrentes, magnum tumultum excitarunt; Lanfranco Spinula, inter pedes oblato, interfecto: momentoque temporis civitas in armis fuit; ac Grimaldi fuſi, multique eorum capti, carceribus incluſi ſunt. Sacris eo anno populo Genuenſi à Bonifacio Pontifice interdictum eſt; per cauſſam, quod Gens Spinula & Auria, quæ rerum genuæ potiebantur, partibus Aragonenſibus, contra juſſum Pontificis, faverent; Petrumque Regem pecuniis & claſſibus juvarent: quod tamen interdictum anno inſequenti A.C. milleſimo trecenteſimo primo ab eodem Pontifice 1301. remiſſum eſt; pace inter Carolum Andegavenſem Neapolitanum Regem, cui Bonifacius impenſe favebat, & eos Genuenſes, qui in contrarias partibus erant, inita.

A.C. 1302. 1303. 1304. 1305. Quattuor inſequentibus ejus ſæculi annis, Genuæ, ſub Prætoribus, ab externis bellis & ab inteſtinis motibus otium fuit: nihilque in illis memorabile eſt, præter molem auctam, & portum Genuæ in longitudinem centum quindecim cubitorum amplificatum & excavatum; atque adventum ad urbem Calabrenſis Ducis Caroli Regis filii, magnifice & apparate ab Opicio Spinula, omnibus conſiliis viam ſibi ad futuram amplitudinem ſtruente, excepti.

A.C. 1306. At anno, qui inſequitur, diſcordiæ atque inteſtina certamina longe majoribus quam antea motibus repetita ſunt: novæque diſcordiarum cauſſæ ad veteres additæ, ac novæ Factiones, tamquam veteres parum civitatem lacerarent, exortæ. Formidoloſa erat Spinularum potentia; cum ſuis viribus, quæ ſupra quam modicæ erant, fulta, tum maximæ populi partis cum illis conjuncti favore ſubnixa; ac non modo Guelphis, & contrariæ Factioni, ſed Auriis ipſis inviſa, haud ferentibus Spinularum opes ſupra ſuas excellere; majoremque illorum eſſe in rebus publicis & apud populum quam ſuam auctoritatem: quæ res Aurias à veteri Spinularum amicitia, cum quibus ſemper omnia conſilia conſociata habuerant, abſtraxit; & cum adverſariis ipſis, ac perpetuis inimicis ſuis, adverſaque Guelphorum Factione conjunxit; cum ſolus Barbanas Auria, conſiliis à gentilibus ſuis ſeparatis, in veteri amicitia manſiſſet; ſeque cum Opicio Spinula tum gentis ſuæ capite conjunxiſſet; quod tamen conſilium tandem in ipſius caput recidit. Auctores hujus diviſionis fuiſſe traduntur Guelphæ Factionis principes: qui iniquo animo ferentes totam Rempublicam Gibellinis, atque Auriis, & Spinulis ceſſiſſe, non ſatis æquis oculis inimicos ſuos regnantes adſpiciebant; ſeſe contra ſine honore, ſine dignitate, in contemptu omnium ignobilem ætatem agere, indignantes: cumque non ſe ſatis potentes intelligerent, ad inimicos ſuos conjunctos evertendos; quod aperta vi & armis ſe aſſecuturos deſperarent, id artificio tentare conſtituerunt: nullam autem expeditiorem eſſe, quam diſcordiarum viam ſtatuentes; Aurias & Spinulas inter ſe committendo, quorum conjunctorum inſuperabiles vires una diviſio poſſet evertere; diſcordias inter has duas familias, ad cum diem conjunctiſſimas, ferere cœperunt. Aurias igitur aggreſſi ſunt, illorum vicem ſeſe indignari ſimulantes; illoſque in Spinulas inſtigantes, qui primum potentiæ & auctoritatis locum ſibi in civitate peterent, pluſque opibus & gratia apud populum valerent: quam rem illis turpem & ignominioſam nullo modo, ſi viri eſſent, ferendam dicunt; omnem ſuam & ſuorum opem, ſi aliquando expergiſci ac dignitatis ſuæ vindices eſſe decreviſſent, prolixe illis deferentes.

Facile fuit ſua ſponte jam inclinatos, ſpe tantorum auxiliorum addita, impellere. Auriæ igitur, in conſiliis imbuti, ſimulque cum illis Grimaldi & Fliſci, compluribus nobilibus familiis, quibus æque inviſa erat Spinularum potentia ac faſtus, ſtudia conſociantibus, occulta conſilia in Spinulas ſtruere cœperunt: exorſi à querelis, quod leges & decreta ad Spinularum potentiam, ac plebis, quæ tota ſere illorum eſſet, favorem magis accommodata eſſent, quam communem Rempublicam ac bonum civitatis ſpectarent: tandem die Epiphaniæ feſto armis arreptis, ſeditionem excitarunt: quibus acriter Spinulæ, plebe comitante, ſeſe oppoſuerunt: atroxque prælium accenſum eſt: quo in veſperum producto, victoria tandem penes Opicium ac Spinulas fuit: qui inſequenti die, magna totius ſere populi voluntate, Capitaneus & rector civitatis cum ſummo imperio creatus eſt, Barnaba Auria collega addito.

Adverſæ Factionis capita cum Auria gente urbe expulſi, nihil urbano prælio fracti, inſequenA.C. ti anno ejus ſæculi ſeptimo, in ditione Genuenſi, 1307. quoniam in urbe non poterant, tumultus integrarunt; magnoque equitum & peditum numero conducto, Tabiam & Onelham prævalida opida occuparunt: adverſus quos Barnabas ipſe Auria alter ex Capitaneis, ac Rainaldus Spinula, una cum Prætore urbano, (qui magiſtratus, etiam Capitaneis regnantibus, non intermittebatur, rebuſque forenſibus & judiciis præerat) profecti ſunt: qui, portu Mauritio ſede ſibi facta, colloquia de pace inſtituerunt; quæ tandem ad effectum perducta eſt, haud diu duraturæ; omnibus motuum auctoribus civitate reſtituta, qui ſub finem anni in urbem reverſi in verba Capitaneorum & Abbatis populi de plebe hominis jurarunt. Addiderant ſibi, uſitato more revocato, Capitanei cum magiſtratum; ad invidiam levandam, plebiſque animos & voluntates tenendas: tamquam ſummum civitatis locum ac regimen rerum cum plebe communicaſſent; cum ille ſpeciem tantum principatus teneret, vis omnis penes Capitaneos eſſet. Tumultus quidem hæc pax ad parvum tempus ſiſtere potuit; ardentia odia atque exſecrabilia partium ſtudia mitigare non potuit: quæ cum contentionibus, rixis, tumultibus, ſeditionibus, ferro, ſanguine, mutuis cædibus, domorum incendiis, non ſatis ſatiarentur, inquieta ingenia, atque in res novandas ſemper avida, novas ſectas, novaſque factiones inveniebant; tamquam diſſidiorum cauſſas dedita opera ſibi multiplicantia: inviſum erat non modo adverſæ factioni, ſed ſuis etiam nimium Opicii imperium, nimiuſque faſtus, formidoloſæque cunctæ civitati opes: quas ille nova ac ſplendida affinitate firmatas invidioſiores fecerat; Argentina filia Theodoro Palæologo Andronici Græci Cæſaris filio Marchioni Montiſferacis in matrimonium data: quam affinitatem Marchio expetierat, ut hominis potentis, ac multorum populorum dominatu fulti, tum autem Genuæ rerum potentis, viribus juvaretur ad nonnulla loca ditionis ſuæ amiſſa recuperanda. Hæc res Aurias, ut modo

dixi-

diximus, ab Opicio abſtraxit, ac cum Guelphis conjunxit. Hæc eadem hoc anno Spinulas ſuos, eos, qui ad divi Lucæ cubant, ab illo abduxit; cum ſe ab illo oegligi indignarentur, ſoloſque apud illum eſſe in pretio & in honore Spinulas, qui Luculum incolunt, acerbe ferrent. Hi igitur cum Auriis ab Opicio jam alienatis, ac Grimaldis & Fliſcis, occultis conſiliis Opicii evertendi conjunctis, Barnabæ Auriæ perſuadent, ut filiam ipſe quoque ſuam Marchioni Saluciarum matrimonio conjungat; ne inferior Opicio eſſe videatur: quæ res effectum habuit, cum Salucianus ex re ſua non minus duceret, ſeſe eadem Genuenſis opis acceſſione adverſus Palæologum commuoire.

Graviter & iniquo animo rem tulit Opicius, de qua ab Auria cælatus eſſet: dolorem tamen, quamquam animi impotens, in præſentia diſſimulavit: indignationem & iram accendit Auriarum & Grimaldorum factum; qui inſequenti anno ejus ſæculi A. C. 1308. octavo, die Chriſti Domini natali, animorum conjunctionem, unam eandemque veſtem iiſdemque coloribus variatam induti palam profeſſi ſunt: quam rem tamquam in ſuam contumeliam factam, ac tamquam bellum aperte ſibi comminantem accepit Opicius: qui inimicorum conatibus prævertens, per cauſſam, quod illi occulta conſilia rerum novandarum molirentur, Barnaba collega non repugnante, armis arreptis, plebeque excitata, Auriis ac Grimaldos & Fliſcos Guelphæ Factionis capita urbe exegit: ac, ſive ne ſic quidem ſatis ſe tutum putans, niſi ſuſpecto collega amoto, ſive ſocium principatus non ferens, impotentem animi libidinem inſequenti anno in Barnabam effudit, aſtu noo aperA. C. 1309. ta vi uſus: nam, cum ambo io conſilio de rebus publicis agerent, Odoardus Spinula, Opicii patruus, armis arreptis, Barnabam captum in ædes publicas, quæ tum erant Abbatis populi domicilium, in cuſtodiam dedit; Opicio invidiam rei ab Odoardo injuſſu ſuo factæ verbis deteſtante: poſteroque die conſilium univerſæ civitatis convocatum, Barnabæ magiſtratu abrogato, principatum civitatis ſummumque ac perpetuum imperium uni Opicio mandat.

At exſules opulenta opida portum Mauricium, Andoriam, Albingaunum occupant, adverſus quos Opicius prævalidas copias ab urbe mittit: quæ irrito incepm redierunt: cum interea Barnabas, cuſtodibus cœnantibus occaſione arrepta è carcere evaſiſſet: quem Spinulæ ſancti Lucæ occulti Opicii hoſtes in ædibus ſuis triduo occultaverunt: quorum opera, cum Saxellum incolumis ſe recepiſſet, magni ad eum civium concurſus Factionis Guelphæ ſubito facti ſunt: qui conſilia cum illo Opicii imperio, per vim, ac ſcelus, & perfidiam in collegam parm dejiciendi coquere cœperunt: quæ tandem conA. C. filia inſequenti anno ejus ſæculi decimo in apertum 1310. bellum eruperunt; ingentibus pedeſtribus & equeſtribus copiis coactis, quibus ſepti Grimaldi & Fliſci, compluribus Factionis Guelphæ comitantibus, ac cum illis Auriæ ad urbem accedunt: quibus Opicius, validis copiis urbe eductis, magna audacia ad ædem divi Andreæ, prope ab orbe quattuor paſſuum millia occurrit: prælumque illic commiſſum eſt, quale, acribus odiis illud accendentibus, eſſe neceſſe fuit: io quo Opicius victus eſt; Prætore, qui ſecum exierat, interfecto: ille vero fuga periculum evaſit; ſeque in opidum Gavium contulit: ira Opicius, principatu tanta contentione petito, fraudeque ad vim adhibita, parto brevi excidit. Victores urbem ingrediuntur; iramque & conceptum odium, quando in ipſum noo poterant, in rei Opicii evomunt; illius atque Odoardi & Rainaldi Spinularum ædibus incenſis, boniſque proſcriptis, ipſoque ac Luculanis Spinulis perpetuo exſilio mulctatis: ſedecimque hominibus, nollo populi conſilio vocato, civitati, & dA tioni uſque ad Kalendas Junias regendæ præficiunt; ac Robertum Bevaniam Abbatem populi creaot: cumque Kalendæ veniſſent, regimen rerum inter Nobiles & populum diviſum eſt; duodecimvirali Magiſtratu creato, pari utriuſque corporis numero.

Nec tamen res diu quieverunt. Spinulæ enim Luculani exſules Opicio Duce, Marchione Mootisferaeis armorum ſocio ſibi adjuncto, cum octo peditum millibus ac ſexcentis equitibus urbem petunt; atque in littore ad ſanctum Petrum arenæ (ita vocatur locus) caſtra ponunt; ſperantes ſuum adventum aliquid in urbe moturum: qua ſpe fruſtrati, B ſimul annona deficiente, atque effuſis imbribus conflictati caſtra retro movere atque in ſua ſe recipere coacti ſunt. At Guelphi, Franciſco Fliſco cum quadringentis equitibus miſſo Buzallam Spinularum ditionis opidum incendunt: quibus adverſis ſucceſſibus oihil ferox Opicii animus infractus, iram ſuam pari excidio & incendio opidorum patriæ ultus eſt; Montaldo, quod viginti dies obſeſſum tenuit, & Vultabio opidis funditus everſis: adeo omnia pudoris & caritatis erga patriam jura exſecrabilis Factionum rabies perfringebat: cum ex altera parte Gaieottus & illius fratres Spioulæ haud diſſimili furore agitati, opido Monoeco occupato, cum triremi C tota Liguſtica ora diſcurrentes, prædamque navium ac mercium civium ſuorum agentes, Genuenſia littora ac commercia civitati infeſta facerent; nihil turpe aut crube ſcendum putantes, quoniam inimicos ſolos non poterant, patriam ſimul cum illis premere & detrimentis afficere. Miſſus eſt contra eos Faravellus Auria, cum duabus triremibus; qui longo & cruento prælio congreſſus, triremem tandem cepit; ex captiſque hominibos duos & triginta ſuſpendio ſuſtulit; inuſitatum ad eam diem exemplum inducens, civea captos in bellis civilibus necandi.

Ea tum erat civitaos noſtræ condioo; ut ardentia partium ſtudia animos civium inter ſe armarent, D omniaque cædibus, minis, incendiis miſcerent; eoſdem tædia cladium ac laſſitudo laborum veluti ſeſſos non tam conjungerent, quam ad tempus ſedarent & conſopirent, pace numquam ſincera fide inita, & odiis alte animis inſidentibus numquam extirpatis; qui parvi temporis quiete refecti, ac viribus ſumptis, in mutuam perniciem quacumque levi de cauſa inſurgebant, intermiſſaque certamina & contentiones integrabant: ut tum accidit, pace Magiſtratus opera cum exſulibus compoſita; qui omnes civitati & rebus ſuis reſtituti ſunt, præter Opicium, biennium adhuc exſulare juſſum; in- E genti pecuniæ vi ad incendiorum & ruinarum detrimenta accepta compenſanda, illis nnmerata: cum contra ipſi opida occupata Reipublicæ reſtituiſſent: quæ pax facultatem fecit, decem triremes Hieroſolymitanis Equitibus auxilio mittendi; qui eo anno a viginti quinque quoque triremibus Pontificiis adjuti, Rhodum, ac nonnullas alias circumjectas inſulas Turcis expulſis ceperunt: eamque nrbem, & inſulam ſedem ſibi & arcem delegeruot.

Qui ſequitur annus ejus ſæculi undecimus inſi- A. C. gnis in primis eſt; magna Genuæ regiminis muta- 1311. tione facta, ac primo extero dominatu introducto: F qui mos, initio hinc facto, velut probato exemplo traditus, frequens poſteritati fuit: ut mirum ſit, quod is populus, qui in imperio in alienigenas & procul remotas gentes proferendo tam acer & pugnax fuit, nullique hominum & pecuniarum impenſis parcens, ac nulla diſcrimina fugiens, majeſtatis nominis ſui atque injuriarum adverſus maximos & præpotentes Principes acerrimus vindex; idem domi nihil de libertate ſua laboraret, ſinem contentionibus & inteſtinis malis

(omni alio remedio vano experto) externo dominatu imponens; non magis in parto externarum rerum imperio retinendo pertinax, quam in libertate ipſe ſua projicienda facilis; atque æque in jugo aliis imponendo, & ab aliis accipiendo promptus: ut vix credibile videatur, eadem præſervida ac vivida nationis noſtræ ingenia, externi dominatus minime omnium gentium patientia, id quod ſemper declararunt, rectoribus adſcitis mox ejectis; ejuſdem in primis appetentia fuiſſe.

Origo hujus moris, ut diximus, hoc anno facta eſt: quo Henricus Cæſar ad diadema Cæſarianum accipiendum Romam petens, in itinere Genuam divertit, omni honorum genere ipſe cum Margarita uxore acceptus. Is ſtatim claris virtutibus ſuis omnium animos in ſui admirationem convertit; cum omnes ſincerum ab omni labe ingenium ac concordiæ amans, diſcordiaſque & contentiones abominans; tum autem juſtitiæ & æquitatis ſtudium ſuſpicerent: quibus laudibus voluntates omnis ætatis omniſque ſortis hominum ad ſeſe ita attraxit; ut omnes homines de cœlo ſibi demiſſum prædicarent, ad vulnera miſeræ civitatis ſananda: quare remedium malorum, quod domi invenire non ſperarent, ac ſoris eſſet quærendum, id ultro divinitus oblatum nullo modo eſſe reſpuendum: ceterum nullum effectum conſilium habiturum, niſi arbitrio omnium rerum, ac regiminc civitatis, ſapienti atque optimo Principi libere permiſſo: neque aliter res ad exitium ruentes ſiſti poſſe. Quod igitur in perditis rebus ultimum malorum eſſe ſolet, ſervitus; id tum Genuenſes nuam ſalutis ſuæ arcem & columen putantes, imperium civitatis vicennale illi mandant: populuſque in aream Sarzanam congregatus in verba Cæſaris jurat: qui anno inſequenti incunte, ejus ſæculi duodecimo, Ugucione Fagiolano magni in rebus bellicis eo tempore nominis Vicario Genuæ relicto, itinere intermiſſo repetito, urbe Piſis prius adita, rebuſque laborantibus ibi quoque conſtitutis, Romam ſe contulit; diademateque accepto, Piſas repetit: conſiliſque ad Robertum Regem ac ceteros Imperii rebelles bello perſequendos deſtinatis, claſſes quantas maximas uterque populus eniti poſſet, à Piſanis & Genuenſibus inſtrui jubet. Dicto audientes fuerunt haud retractanter Genuenſes, magnaque diligentia comparare inſtituunt; Lambo Auria recenti Corcyrenſi victoria fulgente præfecto deſignato: ceterum tantorum conſiliorum inchoatus curſus ſubita optimi Principis morte in opido Bonconvento interruptus eſt. Fagiolanuſque paullo poſt Piſas ſe contulit, Dux belli adverſus Lucenſes à Piſanis accerſitus.

Morte Henrici, cujus vel ſola nominis majeſtas ad efferentes ſe inſanarum Factionum libidines cohibendas ſatis valebat; ac diſceſſu Fagiolani, omni verecundia liberati Genuenſes ad ingenium redierunt; contentioneſque ac civilia bella majoribus motibus integratunt: quæ miſeræ civitatis fatali rabie in exitium ſuum præcipitis prævalentiſque populi vires ita attriverunt; ut, qui imperium ſuum in longe diſſita regna ac remotiſſimas oras extendiſſent, validaſque urbes & inſulas expugnatas adverſus maximorum Principum impetus defendiſſent, urbem ipſam Venetias Italiæ clariſſimum lumen atque veteris fortunæ opulentia abundantem arta obſidione preſſiſſent, ad extremumque diſcrimen adductam, ad neceſſitatem pacis ſuppliciter petendæ iis conditionibus, quas victori imponere libuiſſet, adegiſſent; patrum noſtrorum memoria Piſarum finitimæ urbis imperium ultro delatum viribus ſuis diffiſa repudiaret.

Initium motuum à Gibellinis factum eſt; qui anno inſequenti ejus ſæculi tertio decimo, Guelphis urbe exactis, civitatis principatum invaſerunt; rebuſque regendis viginti quattuor Factionis ſuæ homines præfecerunt, duodecim ex Nobilitatis corpore, totidem ex populo: quo impedimento amoto, ipſa inter ſe Gibellinorum capita Auria & Spinula gentes arma verterunt: pace inter eas virtute & diligentia Saraceni Mantuani Prætoris more Majorum accerſiti compoſita, mox eluſa. Ejus motus origo & cauſſa fuerunt, Turriani, & Marchiones, duæ, ut in eo opido, præpotentes familiæ, Rapalli incolæ: quorum illi amicitiam Auriarum ſequebantur, hi Spinulis ſe applicarant: quibus inter ſe diſcordibus atque armis contendentibus, haud contemnenda auxilia Geoua inſequenti anno ejus ſæculi quarto decimo utraque familia ſuis quæque favens miſit. Illorum Duces fuerunt Catanius & Simon Auriæ; horum Galeottus Spinula: quæ tamen copiæ, nonnullis probis & quieti ingenii civibus ſe interponcotibus, ſtatim ex itinere revocatæ ſunt: quod pium conſilium in malum vertit; quæ enim arma extra urbem deſtinata à clientulis ſuis abſtinuerunt; ea in urbem revocata in ſe ipſæ nobiliſſimæ familiæ cum magno civitatis motu converterunt. Catanius enim Auria urbem cum cohortibus, quas ducebat, ingreſſus mox exclamavit: *Io Auria, io gens concordiæ amans, atque omnes cives fraterna caritate completens. væ Spinulis, væ gens tyrannidem patriæ molienti, atque ipſi ſibi regnare cupienti*: ad quam vocem ſubito civitas in armis fuit; atroxque prælium accenſum eſt; quod ad veſperum extractum multos ex utraque Factione abſumpſit; in quibus fuit ipſe Catanius Auria tumultuum auctor, errore à ſuis tragula trajectus. Bellum hoc inteſtinum viginti quattuor dies duravit; quibus continenter dimicatum eſt: quod nonnullorum pacis ſtudioſorum civium opera paulliſper intermiſſum gravius iterum renovatum eſt, initio à Spinulis facto: qui tempore captato, Aurias in ipſorum area, quam illi validis munimentis ac delecta florentis juventutis manu firmarant, adorti ſunt: quos etiam ex area Luculana loco eminentiori ſita ingentia ſaxa è balliſtis, aliiſque bellicis machinis contorquentes petebant: quibus tecta ædium perfringebant, ac plurima detrimenta inferebant: ceterum, fortuna brevi variante, victoria penes Auras tandem fuit; cum præpotens gens Grimalda, omneſque Guelphæ Factionis familiæ præter Fliſcos, qui cum Spinulis fuerant, ac magna Gibellinorum pars, ſe eum Auriis conjunxiſſent. Spinulæque ad extremum à Fliſcis quoque deſerti urbe cedere coacti ſunt.

At Auriæ civitatis potentes facti, inclinatam inimicorum fortunam urgere pergunt; Dominico Auria cum prævalidis copiis adverſus eos anno inſequenti ejus ſæculi quincto decimo miſſo: cujus initia quamquam ſecunda fuerunt, compluribus detrimentis hoſti illatis; tamen vertente ſe fortuna, inter Serravallem & Arquatam opidum magna copiarum parte deleta exſus eſt. Acerbe Auriæ & Grimaldi, qui cum illis faciebant, acceptam cladem tulerunt: qui dolore ardentes, omnibus ſuis & amicorum viribus conniſi, ingentibus copiis contractis, quarum numerus fuiſſe dicitur peditum quindecim millia, equites mille quingenti, itque cataphracti, Manfredo Marchione Carrettano Duce, ad Spinulas contendunt: qui à Spinulis ſeſe audacter opponentibus in tranſitu jugorum ter repulſi ſunt, cum magna ſuorum cæde: tandem ſuperabundante multitudine ex urbe ſubinde affluentium, nimiæ incumbenti moli Spinulæ ſuccumbere coacti, terga vertunt, multis ex ſuis amiſſis: in quibus ſeptem fuere ex ipſa gente Spinulæ: victores, hoſtibus fugatis, Buzallam opidum captum diripiunt & incendunt: ceterum lætitia partæ victoriæ brevi luxuriavit, & vana evaſit; magna plaga à ſuiſmet acceepta. Germam enim, per cauſſam, quod pars ſtipendiorum, quæ ſibi deberi contendebant, quorum dies

exie

exierat, non perſolveretur, ſeditione commota (qui perpetuus eſt illius gentis mos) ad mille numero interfectis, Manſredum ipſum Ducem, ac Lambam Auriam, duoſque ejus filios captivos factos tamdiu in opidis Gavio & Vultabio in cuſtodia tenuerunt, donec ſtipendia ipſis numerata ſunt. Similis fortuna in Spioulas incubuit; Uberto Spinula Rainaldi filio, cum nonnullis, à ducentis Germanis equitibus, quos conduxerant, trucidato; iraris, quod unus ex ipſorum natione Buzallæ in privatæ rixa obtruncatus fuiſſet: ita ſimilibus cladibus Fortuna in utramque gentem opes ſuas verſavit.

At Spinulæ cladium acceptarum dolore ardentes, A.C. inſequenti anno ejus ſæculi ſexto decimo magnis 1316. coactis copiis, jugis montium transſcenſis, in vallem Porciferæ deſcendunt: veſanæque iræ impetum in ipſius Reipublicæ res evomunt; Buzallæ incendium Pontis decimi Reipublicæ ditionis opidi excidio ulti.

Anno inſequenti ejus ſæculi decimo ſeptimo, A.C. cum, Spinulis contuſis, civitatiſque regimine æ- 1317. quis partibus inter Gibellinos & Guelphos diſtributum, res ſatis quietæ eſſent; ecce novæ diſſidiorum cauſſæ exortæ ſunt. Spinulæ enim patria extorres tædio exſulii ac cladibus feſſi, petierunt, ſeſe, ut ceteros cives, in civitatem recipi, æquo jure cum ceteris victuros. Variatum in urbe ſententiis eſt: Fliſci enim & Grimaldi, occaſione apta inchoatis conſulis diſcordiarum inter Gibellinas ſimilias alendarum arrepta, favoremque ſuum ad Spinulas transferentes, æqua Spinulas poſtulare dicebant; neque ullam eſſe cauſſam, cur, cum ceteri patriam incolerent, una gens Spinula fortunæ ſplendore, rebuſque geſtis & meritis in Rempublicam clara, patriæ perpetuo expers eſſet; complectendos eſſe cives, non arcendos, ſi finem pertinaciæ faciant, ac ſub legibus & Magiſtratibus eſſe velint: neque aliter civitatis quietem umquam ſtabilem fore: neque enim tantam injuriam & contumeliam, familiam cum tantis ipſam opibus abundantem, tum tot Principum amicitiis, ac tanta clientium multitudine fultam, ſedentem ac ſegnem laturam. Vehementer ſeſe iis oppoſuit Conradus Auria, tum familiæ princeps; qui cum à ſententia deduci non poſſet, Fliſci & Grimaldi, maxima parte civium aſſenriente, indignantium unius hominis uniuſque familiæ pertinacia concordiam civitatis diſtineri, Auriis inſciis, Spinolas ſilentio in urbem introducunt. Fatale tum erat Genuæ, ut omnia conſilia, quæ ad concordiam deſtinari viderentur, diſcordias immo magis accenderent; ut tum accidit. Aurias enim, quibus Fliſcotum & Grimaldorum animus, adverſæ ſcilicet factionis hominum, ſuſpectus ſemper fuiſſet, hoc facto interpretantes, illos numquam ſatis ſincera & conſtanti in amicitia fide, ipſis deſertis, ad eoſdem inimicos ſuos Spinulas tranſiſſe, quorum prius Auriis amiciſſimorum illimet Grimaldi & Fliſci fraudibus ac dictis ſuis inimicitias ipſis conflaſſent; clandeſtiniſque conſiliis, & ſb ipſorum conſcientia ſeparatis, communes boſtes in urbem introduxiſſent; armis arreptis (cum nonnihil in urbe tumultuatum eſſet) urbe excedunt: in qua adverſus tantam conſpirationem in ſe unos intentam tuto eſſe non poſſent; magna clientium multitudine ſecum educta. At Fliſci & Grimaldi, Auriis amotis, ſeſe rerum potentes cernentes, armis ſumptis principatum iovaiunt; Carolo Fliſco & Gaſpare Grimaldo ad certum tempus cum ſummo imperio Capitaneis & rectoribus populi Genuenſis per tumultum creatis, qui Prætorem juridicendo retinuerunt; honoratiore loco in conſeſſibus, ad invidiam mitigandam, illi cedentes. Graviter ea res perculit Spinulas; qui eodem die, cum magno partes ſuas ſequentium numero urbe exceſſerunt: ſicque tota civitas, totaque Genuenſis ditio, præter nonnulla loca à Gibellinis occupata, in Guelphorum poteſtatem venit.

Grimaldi igitur & Fliſci, adverſariis urbe exactis, potentes civitatis facti, imperium artificio potius quam vi aut armis partum, non minore conſilio, minoreve cura, & diligentia retinendum ac ſtabiliendum intelligentes, nullique rei indormientes, cum audiſſent, Saonenſes & Ingaunos, inter ancipitia conſilia his aut illis partibus ſe applicandi, incertis animis fluctuare, Rebellam Grimaldum ad eos mittunt, qui perſuadeat, ne à reliquis ditionis Genuenſis populis conſiliis ſoli ſeparent, ſed ſimul cum illis debitam obedientiam Capitaneis deferant: atque utroque populo luſtrato, Guelphos à Gibellinis ſecernat: qui, cum, cenſu habito Ingauni, convenſſet longe majorem in ea urbe eſſe Gibellinorum quam Guelphorum numerum, neque illi dicto audientes eſſent, ira perculſus eos civitate ejicit: illi ſe ad Conradum Auriam & Rainaldum Spinulam conferunt, cum quibus Marchiones Cerræ ac Carrettani, Comiteſque Intemelii & Linguiliæ ſocietatem conjunxerunt: quorum in ſe unum intentum impetum, cum non plus octo dies Rebellæ ſuſtinere potuiſſet, urbe adverſariis ceſſit, incolumis ab illis dimiſſus: quo exemplo incitati Saonenſes, qui ipſi quoque maxima ex parte Gibellinas partes profitebantur, à Capitaneis deficiunt: Edoardo Auria & Andaloo Spinula in urbem introductis. Hanc urbem maxime omnium opportunam ſedem ſibi belli delegerunt Gibellini; novoque muro à parte in mare vergente cinxerunt, latius ſpatium munimento amplexi: igitur Gibellini duabus his urbibus ſibi firmatis, omnibus curis in vires ſuas augendas intenti, ad florentes Matthæi Vicecomitis opes confugiunt; qui opulentiſſimam urbem Mediolanum titulo Vicarii Cæſariani imperio obtinebat, cuique complures Ciſalpinæ Galliæ prævalidæ urbes parebant: qui acceptimus partium Gibellinorum aſſertor, haud gravate cum illis arma coojunxit: ſocietati acceſſit Canis Scaligerus Veronæ Dominus, magnæ ipſe quoque potentiæ vir.

Tantis igitur ſocietatibus Gibellini fulti, animiſque ſublatis, iogentes terreſtres & equeſtres copias cogunt: quibus præfectus eſt Marcus ipſius Matthæi filius. Ex Longobardia igitur anno inſequenti ejus A.C. ſæculi decimo octavo moventes cum omnibus co- 1318. piis Genuam iter intendunt: cum interea Guelphi, his motibus cognitis, ipſi quoque in comparando, urbe municoda, præſidiis firmanda, omnibuſque neceſſariis ad tantam in ſe intentam molem ſuſtinendam expediendis, nullas diligentiæ partes prætermiſiſſent. Gibellini igitur Genuenſes fines ingreſſi, urbem arta obſidione cingunt, bipartito conſidentes, caſtris in valle Biſamnia & Porciſera locatis. Primum opus fuit oppugnatio turris promontorii Pharı: quam Guelphi muoierant, à qua haud mediocria detrimenta accipiebant, illoiumque conatus remorabantur: ad quam undique circumventam cum omnis aditus urbanis eſſet intereluſus, illi novum rem commenti ſunt: noctu coim ex ſummo malo prægrandis onerariæ turri admotæ ſunem magnæ craſſitudinis in arcem conjiciunt; per quem extentum arcula lignea uoius hominis atque annonæ ſubmittendæ capax, anſis exſtantibus eo ſune trajectis, ultro citroque excurrens annonam, quæ ſatis eſſet io uſum ſeptem hominum, qui erant in præſidio, quotidie tuto in turrim importabat. Spe igitur dejecti Gibellioi turris per obſidionem potiundæ ad opera curas convertunt: quibus continuatis, ad radices turris ſubeunt; malleiſque magna parte infimi muri præciſa, validiſque aſſeribus ſuffulta; ſuperſtantibus, ni pertinaciæ finem faciant, tuinam turris ſuffuleris incenſis, comminantur. Illi evidenti periculo victi in neceſſarium deditionem veniuot: qui ex pacto incolu-

mes dimiſſi, cum in urbem veniſſent; à furenti multitudine arrepti, nullam purgationem auribus admittente, horribili ac novo ſupplicii genere affecti ſunt; è machina bellica. tamquam par ſaxorum numerus, longe contorti, corpotibus in minuta fragmenta diſſipatis. Eo igitur impedimento remoto, Gibellini copias mœnibus admotis, cum Guelphis ad ædem divæ Mariæ Petræ minutæ manum conſerunt: quibus retro compulſis, ſubnrbia ſancti Joannis & ſanctæ Agnetis occupant, eaque præſidiis inſidunt. Quibus ſucceſſibus pereulſi Guelphi, ſeque ſolos adverſus tantas conſpirationes impares intelligentes, à Roberto Neapolitano Rege, & ceteris Italiæ civitatibus, quæcunque partes Guelphas ſequebantur, auxilia poſtulant. Rex nihil cunctatus, mille ducentos cataphractos equites ſubſidio illis extemplo ſubmittit: quorum adventus concitatum Gibellinorum impetum aliquantum ſuppreſſit: coſque copias late ſparſas contrahere coegit: ac ſeſe, valle Biſamnia relicta, in ſubnrbia capta ſubduecre: qui etiam montem ſancti Bernardi urbi propinquum validis præſidiis inſederunt.

Miſſa auxilia Rex cupidus Gennenſium amicitiæ & fidei in ſe firmandæ, ipſe paullo poſt ſubſecutus, in urbem à viginti quinque triremibus cum uxore ac liberis invectus eſt; perhonorifice atque omnibus effuſæ benevnlentiæ ſignis acceptus: qui longe majora ſpe, qua venerat, aſſecutus eſt, imperio Genuæ alli tradi decreto; Genuenſibus ratis eam rem ſtimulos Regi additutam, ad ſua ſcilicet defendenda: populo igitur in area Sarzana congregato, cum Capitanei coram Prætore atque Abbate populi magiſtratu ſe abdicaſſent; in imperia Joannis vigeſimi ſecundi Pontificis, ac Regis, in decennium ab univerſo populo juratum eſt. Quæ res exiſtimationem partium Guelpharum mire auxit; Florentinique, ac Senenſes, & Bononienſes, quos inter dubia conſilia animis nutantes metus nimiæ adverſariorum potentiæ ad eam diem compreſſerat; tanti Regis ſocietate partibus auctis, animis nudatis, armatorum ſubſidia Guelphis ſubinde mittere cœperunt. Quibus copiis auctı Guelphi montem ſancti Bernardi ecrvicibus imminentem tentare conſtituunt Audaci igitur eruptione cum quattuor peditum millibus ac ſexcentorum equitum ala, præſidia Gibellinorum montem inſidentia magno impetu invadunt: ceterum illis locum acriner defendentibus, ſuiſque illis auxilio accurrentibus, irrito incepto retro ad mœnia compulſi ſunt. Municrant urbani domum quamdam ædi ſanctæ Agnetis propinquam, qua ſtationem adverſariorum inſeſtam continenter faciebant; ponteque tecto eam domum cum mœnibus urbis conjunxerant; per quem ſubſidia armatorum & bellicorum inſtrumentorum in eam domum continenter ſubmittebant: eam igitur domum, à qua non leviter læderentur, Gibellini proximo ſecundo ſueceſſu elati, illi appropinquantes cuniculis evertere aggrediuntur: quibus cum Guelphi ſeſe omni ope oppoſuiſſent, ingens certamen brevi contractum eſt: cujus exitus is fuit, ut domus, ignibus ſubjectis, everſa ruina ſua trecentos oppreſſerit: cum certamina non magnò cum operæ pretio numquam intermitterentur; Rex, penes quem unum rerum regimen erat, cum nullus eſſet Genuæ Pontificius procurator, nullamque in rem Pontifex ſe interponeret, motæ & diuturnæ obſidionis pertæſus, univerſæ pugnæ fortunam tentare conſtituit, remque eommuni Matti decernendam date.

Inſequenti igitur anno ejus ſæculi decimo nono, A.C. 1319. copiis bipartitis, Simonem Turrianum Mediolanenſem, qui Guelphas partes ſequebatur Vicecomitum hoſtis, cum quindecim peditum millibus atque octingentis equitibus, Sextum opidum mittit: ad quod opidum magna hoſtium para confedarat: ipſe com reliquis pedeſtribus & equeſtribus copiis, magno numero ad montes circumjectos ſancti Bernardi & Peralti, prævalidis Gibellinorum præſidiis inſeſſos, invadendos, urbe movet. Primum certamen ab iis, qui via maritima profecti erant, ad Sextum cum Gibellinis commiſſum eſt: eo Gibellinis iniquius, quod Guelphi maris potentes erant: qui, quamquam initio à Gibellinis aliquoties averſi ſunt, tamen novis copiis ab urbe continenter ſubmiſſis, quas triremes vehebant, firmati pugnam ſubinde ferociores integrabant: ut cedere tandem Gibellini ſint coacti, littoribuſque relictis in proximos montes copias ſubducere.

Pari ſelicitate à Rege in montibus dimicatum eſt. Gibellini enim cum ſuos ceſſiſſe cognoviſſent, animis concidunt; pugnaque ipſi quoque excedentes, munimenta ab ipſis excitata Regi occupanda relinquunt: adverſis igirur caſibus Vicecomes fractus, ad hoc intelligens in ſpem irritam tempus teri, oppugnatis, majoribus copiis, quam oppugnantibus, fultis, obſidione ſoluta, caſtriſque retro motis, transſcenſis jugis in ſua ſe recipit: idem faciunt Genuenſes Gibellini, Gavium ſe recipientes: pace inter Aurias & Spinulas, depoſitis ſimultatibus, ſincera fide firmata. Hic finis fuit obſidionis, quæ decem amplius menſes duravit: ad octavum Kalendas Aprilis ſuperioris anni cœpta, octavoque Idus Februarias hujus anni terminata; multisque ac magnis detrimentis & cladibus civitatem affecit. Guelphi parta victoria haudquaquam modeſte uſi ſunt, in tecta ipſa rabiem evomentes; ædibus Gibellinorum regio ſumptu exſtructis magno numero incenſis ac ſolo æquatis: totaque circumjecta regione, qua nulla exſtructionum magnificentia & horiorum amœnitate magis erat conſpicienda, incendiis & ruinis deformata, & horrida facta: qui ad ſævitiam projectam impudentiam addentes, tamquam victoria non de civibus, ſed de infenſiſſimis Barbaris ac Chriſtianæ religionis hoſtibus parta, contra omnia vetuſtatis exempla, ſupplicationibus per urbem habitis, ſacriſque reliquis circumlatis, effuſam animi lætitiam teſtificati ſunt.

At Rex omnia prius arbitratus fore, quam ut Gibellini tot cladibus contuſi, ac viribus affectis, bellum repararent, nihil opus eſſe ſua præſentia Genuæ ratus, rebus urbanis conſtitutis, Ricardo Gambaſieſa gubernatore relicto, cum validis peditum ac ſexcentorum equitum, neque contemnendi triremium numeri præſidiis, Avenionem ad Pontificem ſalutandum profectus eſt. Ejus diſceſſus Genuam in antiqua mala redegit; obſidione longe diuturniore atque atrociore, quam præterita, renovata; longeque majoribus ac pluribus cladibus civitate affecta; horribilioribuſque exſecrabdis ſævitiæ editis exemplis; cum Gibellini ingentiori motu, efferatioribuſque animis ad bellum undique conſurrexiſſent: qui eo tempore totam fere Occidentalem oram, ac nonnulla loca Orientalis, ad hoc omnia transjugana Reipublicæ opida tenebant. Eodem igitur tempore Tranſapennini cum mille ducentis equitibus movent; ac ſuperatis jugis in vallem Porciferæ deſcendunt; & ſex triremes ex Occidentali ora profectæ portum ipſum urbis improviſo ingreſſæ triremem majoris formæ, ingentis æſtimationis mercibus onuſtam, capiunt: quas paullo poſt Conradus Auria, Saona cum viginti octo triremibus ſolvens, ſecutus eſt; urbſque terra ac mari obſideri cœpta eſt.

Interea Guelphi nihil ad tantos undique intentos impetus animum demittentes, Gibellinis magna audacia terra & mari ſeſe opponunt: turri promontorii Phari novo munimento ac præſidio firmata: cum cœnobium divi Benigi non contemnenda ſtatione armatorum tenerent: ex quo tamen à

Gi-

Gibellinis brevi ejecti sunt; ac nova castella, novaque munimenta in montium cacuminibus atque in alus circumjectis urbis locis ab illis exstructa; qui etiam mari duas & triginta triremes oppositas; quibus inter se catenis ac trabibus junctis, tamquam continuata munitione ostium portus obstruunt; Gaspare Grimaldo ejus custodiae praefecto: qui cum diem ad quinctum Idus Augustas Gibellinis invadendis destinassiet; illi, consilio adversariorum cognito, impigre praevertunt: sexque triremibus sub vesperum promotis, tres Guelphorum triremes, quae se a reliqua classe separantes ulterius processerant, classe Guelpha inspectante, neque opem ferre valente, vinculis, ut diximus, inter se nexa, capiunt: remigio incolumi, quod sese in terram ejiciens, periculum evasit. Eodemque tempore turris Pbari à Gibellinis expugnata est; qui erant in praesidio, cedere tandem coactis; cum oppugnationem aliquandiu constanter sustinuissent. At ii, quibus terrestria obsidio obvenerat, arcibus à Guelphis passim aedificatis relictis, adversus quas ipsi quoque multis in locis castella aedificarant, itinere per vicum Mulasanam vocatum facto, in vallem Bisamniam descendunt: quorum motu cognito, Guelphi cum mille equitibus ac quingentis sagittariis, urbe prodeuntes, ad coenobium divi Joannis Porcerani consistunt; ibique invadentem Gibellinum exspectare constituunt: quo com Gibellini cum delecta mille quingentorum peditum manu, atque egregia sexcentorum equitum ala pervenissent; atrox praelium commissum est: Gibellinis gradum acriter inferentibus, Guelphis locum constanter tutantibus. Nox certamen ingenti irarum certamine accensum, in quo multi utrimque ceciderunt, fortuna neutro inclinata, diremit. Insequenti die Gibellini munimenta Guelphorum, ac collem Carnianum urbi conjunctum, urbemque ipsam à mari magno impetu invaserunt: sed irritus ubique conatus illo die fuit; qui ab eisdem Gibellinis crebro reperebantur: multaque praelia per varias occasiones commissa sunt.

Intercepta est per idem tempus epistola popularis cujusdam civis; qua Gibellini certiores fiebant de annonae penuria, qua in urbe laborabatur: in comprehenso inductum ferinae saevitiae exemplum repetitum est; homine machinae bellicae vivo impositio, atque in mare longe contorto. Cum appareret, obsidionem lentam, ac diuturni temporis, dubiaeque spei rem fore; Gibellini, consilio ad oppugnationem versa, magna vi ignium artificio compositorum, ac machinarum, & tormentorum, apparatuumque bellicorum urbium expugnandarum in classem imposita, portus propinqui facti, infestis rostris naves Guelphorum fauces portus insidentes, canentibus signis magnoque impetu invadunt: illisque invitis via sibi patefacta, in portum irrumpunt; turrimque interioris portus, quem vulgus *Darsinam* appellat, ac cetera munimenta à Guelphis excitata aggrediuntur: Guelphisque nihil se deferentibus, quamquam primo nonnihil audacia Gibellinorum perturbatis; compluribus in locis est dimicatum: tandem nocte appetente, Gibellini irrito conatu inceptum omittere coacti sunt; compluribus ex suis in illis praeliis desideratis: cum non pauciores de Guelphis quoque ceciderint: qui, ut par Gibellinis referrent, insequenti anno incunte ejus saeculi vicesimo, urbe magno numero erumpentes, castella & munimenta Gibellinorum in cacuminibus montium Peralti & sancti Bernardi ingentibus animis invadunt: acrique pugna commissa, tandem à Gibellinis repulsi sunt; longe majore plaga ab illis accepta, quam ipsi superiore anno Gibellinis portum invadentibus intulissent. Fusi igitur ac profligati se in urbem recipiunt. Gibellinique audacia Guelphorum irritati, portum ingressi, ingenti oneraria duabusque minoribus navibus incensis, triremem captam è portu educunt. Quibus damnis offensa plebs, quae in Guelphis partibus erat, per tumultum & seditionem aream Spinulsium petit; domumque Galeotti Spinulae incendit. Eodem incendio à plebe objecto nonnullae Auristum domus conflagrarunt: processissetque ulterius res, nisi Abbas populi à Nobilibus, frementibus urbem deformari, exoratus, eo accurrens concitatum impetum frenasset; tectis domorum multorum civium ex Nobilitatis corpore prius disturbatis.

At Guelphi, urbano tumultu compresso, cum omnia ultima sibi tentanda decrevissent, ut urbem à molesta obsidione liberarent; cum praesertim Gibellini copias ex Longobardia & aliunde contioenter submissis in dies augerentur, nec circumjectos modo & urbi imminentes colles, sed omnia plana Sexti opidi & littorum Porciferae late tenerent, praevalida classe sexaginta triremium comparata, partim ex recenter ab ipsis armatis, partim regiis navibus. Constante Vicario regio classis praefecto, Sextum via terrestri ac maritima petunt, quibus in locis majus exercitus Gibellini robur confederat: hostemque magno impetu invadunt: quem acriter primo resistentem, magna illorum edita caede, tandem avertunt: qui trepida ac celeri fuga Saonam se recipit; Guelphis terra & mari illos sequentibus & urgentibus.

Interea Gibellini, qui cacumina montium tenebant, magno ipsi quoque numero, rati tanta vi hominum educta, se civitatem defensoribus vacuam inventuros, urbi copias admovent, ac per suburbium sancti Stephani ac portum divae Agnetis, quam incenderunt, perrumpere tentant: sed irritus conatus evasit, Guelphis constanter se defendentibus. Interea Guelphi, qui Gibellinos cedentes Saonam usque persecuti fuerant, de expugnatione urbis, situ & opere munitae, desperantes, ut aliquid operae pretii faceret, cursum Albingaunum dirigunt: quam urbem à Gibellinis desertam intrant ac diripiunt; cum praefectus, cum omnia summa fecisset, Calabrenses ac Provinciales Galliae Narbonensis avidos praedae retinere non potuisset.

Felices Guelphorum successus, tantaeque illorum navales opes Fridericum Siciliae Regem Roberti potentiae aemulum in causam traxerunt: qui ea de causa quadraginta triremes comparatas è portu emissas Genuensem oram petere jubet, seque cum Gibellinis conjungere; quibus Gibellini viginti triremes, quas habebant, ex portu Saonae obviam miserunt. Qua re cognita, Guelphi, qui Albingauno expugnato Genuam redierant, ingentem ipsi quoque classem sexaginta octo navium comparant; quam omnibus necessariis rebus affatim instructam, Lanfranco Ususmario praefecto, in hostem emittunt: neque dubitabatur, quin inter classes viribus & numero fere pares accensa odia nobilem pugnam ac clade Genuensi insignem essent editura: sed longe aliter res cecidit, magna cum omnium admiratione: classes enim ad insulam Pontiam obviae factae, inter se spectabundae, certamenque comminantes, neutra initium pugnae facere ausa, nulla re tentata, seque mutuo omittentes, institutum iter utraque persecutae sunt: classeque Guelpha Neapolim appulsa; turba nautica ac Calabrum remigium regiarum navium, seditione excitata, per causam, quod stipendia debita sibi non persolverentur, necessarioque victu laborarent, à classe discessit: cum Carolus Calabriae Dux Regia filius in illis retinendis summa omnia fecisset. Praefectus igitur cum classe manca ac claudicante, itinere repetito, cum aegre in portum Lunensem appulisset, ibi se continebat, aperto mari se committere nonaudens, metu

A.C. 1300. Jan.

Gibellinæ classis, quæ viribus integra per circumjecta maria volitabat; arcemque, quam in opido Vulture Guelphi tenebant, expugnaverat.

Quibus felicibus Gibellinorum successibus Castrucius Castracanis inductus, partibus Guelphis in Etruria ab ipsomet contusis, oblatam occationem urgendam ratus, cum victore exercitu Liguriam ingressus, nonnulla opida, quæ à Guelphis in Orientali ora tenebantur, occupat. Tanti nominis Ducis adventu vehementer perculsi Guelphi, cum neque mari neque terra Gibellinis pares essent, neque dubitarent, quin Castrucius omnem belli terrorem ad ipsa urbis mœnia esset translaturus, curas omnes, ceteris rebus omissis, ad municndam urbem convertunt: suburbium igitur sancti Stephani, ac collem Carinianum, quæ loca tum erant extra pomœrium, amplexi, nocturno opere diurnum expleuere, cum neminem ætas, aut sexus, aut dignitas, ne ne sacer quidem ordo operis & laboris immunem faceret, approperato opere mœnibus ex materia & humo exstructis cingunt: ceterum non tam munimentorum spe, quam discessu Castrucii è finibus Genuensibus, novis exortis motibus in Etruriam revocati, Guelphi à summo metu respirarunt: neque tamen Gibellini tantorum auxiliorum spe destituti, ab institutis consiliis oppugnandæ urbis destiterunt; quam pridie Kalendas Octobris bipartito terra ac mari aggressi sunt, copiis ad Carinianum admotis; cum locum, opere nondum perfecto, minus firmum ad resistendum rati: quam spem auxit prima fossa à Siculis militibus terra, arundinibus, aliaque varii generis materia impleta: ceterum obsessis acriter locum tutantibus, magna missilium vi superne emissorum prohibiti sunt ad secundam fossam penetrare.

Haud dissimili fortuna in maritima oppugnatione usi sunt; cum, ingentis magnitudinis navi ac nonnullis aliis navigiis magna bellicarum machinarum & tormentorum vi refertis catenæ, qua ostium portus claudebatur, admotis, illam perfringere frustra tentassent. Nox appetens finem certaminum fecit: quæ ubique eruenta fuerunt, multaque cæde utrinque parti steterunt: neque tamen irriti successus obstinatos Gibellinorum animos a fortuna oppugnationis iterum tentanda deterruerunt, qui urbem à parte in Occidentem versa ad nonum Kalendas Octobris adorti sunt, cuniculis in eam actis, quibus ad mœnia penetrarunt: cererum, cum obsessi contrarios cuniculos excavassent in Gibellinorum cuniculos exeuntes, acerrimis subterraneis prælis complures dies dimicatum est. Tandem murus cuniculis subruros in quadraginta cubitorum longitudinem procidit, qui casus aditum non modo Gibellinis in urbem non patefecit, sed difficiliorem potius reddidit: integer enim neque in fragmenta dissipatus concidit murus: in quem perfringendum dum Gibellini intenti sunt, spatium datum est obsessis, interiore ducto muro patefactum ruina locum obstruere. Irritus igitur is quoque secundus conatus fuit.

At Gibellini, cum consilia ad urbem non procederent, curis alio conversis, insequenti anno ejus
A. C. seculi vicesimo uno partem copiarum terra, ac de-
1321. cem octo triremes mari, ad urbem Naulum oppugnandam mittunt: adversus quos quindecim Guelphorum triremes, Petro Guano popularis corporis cive præfecto, profectæ sunt: quæ Gibellinæ classi ad litrora Spotorni obviæ factæ ad necessitatem pugnæ attractæ, numero inferiores, tribus triremibus amissis, omisso certamine, celeri fuga periculum evaserunt; seque in portum Genuensem receperunt. At Guelphi, quod aperta via subsidiisque submittendis assequi non poterant, ut Gibellinos à Naulo oppugnando ad sua tutanda averterent, illos extenuatos, tanta copiarum parte Naulum amandata, in subsidiis, quæ ab illis tenebantur, & in monte divi Bernardi aggrediuntur, turri interioris portus expugnata. Acriter resistunt Gibellini, ac turrim recuperant, constantiamque in inchoata Nauli oppugnatione urgenda retinent. Igitur Naulenses, omni spe subsidii terra & mari præcisa, cum ipsi suis viribus amplius stare non possent, urbem Marchioni Carrettano, Gibellinorum nomine illam recipienti, tradunt: quam mense post deditio arcis secuta est.

Gibellini Naulo potiti copias ad opidum Andoriam transferunt, vano incepto; à prævalido subsidio Genua triginta triremibus partim Regis, partim civitatis advecto repulsi: cum vanum quoque evasisset consilium Emanuelis Spinulæ Episcopi Ingaunorum; qui ipse quoque hoc Factionum morbo haud intactus, nominis ac Pontificii muneris & professionis, præ vesano partium studio animo alte insidente, oblitus, copiis, quantas plurimas potuit, in illa temporis brevitate corrogatis, iter Andoriam versus cepit; subsidiumque Genua missum in littore Andoriæ prior invadere non dubitavit. Pravo incepto merees debita persoluta est: in media enim pugnæ mole armatus versans, equo suffosso ad terram effusus obtruncatus est.

Eodem tempore castellum Montis Leonis in via, quæ Rapallum fert, situm, prodirione custodis in manum Gibellinorum venit, magno cum Guelphorum incommodo: viam enim commeatibus ab ea regione in urbem intercludebat: omni igitur ope Guelphi connisi, duobus peditum millibus ac quingentis equitibus confectum missis, castellum recuperarunt.

Glisccbat eo tempore (ut in tanta rerum colluvione, omnique civili disciplina soluta, necesse erat) scelerum & maleficiorum licentia; nulla verecundia, nullove metu legum & Magistratuum perditorum hominum audaciam cohibente, latrociniis, rapinis, cædibus omnia miscentium, scelerum impunitate nefarios homines ad alia ex aliis atrociora audenda incitante: resque ad interitum spectare videbantur: ut nullius res, aut salus in urbe tuta, nemoque à vexatione intactus esset; cum nullum esset in gubernatore regio remedium, cujus majestatem prava sæculi indulgentia corruperat. Medicinæ faciundæ ratio ab honestis popularibus civibus inita est; qui magno numero sodalitatem puniendorum maleficiorum sanxerunt: hocque munus sibi sumpserunt, ut decemviralis Magistratus, qui ex ipsa sodalitate creabatur, querelas læsorum, tam Nobilium, quam popularium cognosceret; ac, pro maleficii genere & magnitudine, facinorosos plectendos curaret; eorum nomine Prætori delato, illique in eum animadvertenti favore suo adesset: quod si parum in Magistratu esset opis, omnis sodalitas congregaretur: ac, si rie illa quidem satis valeret, tum vero cunctus populus tintinnabuli sonitu è turri maxima convocaretur. Cohibita est salubri consilio facinorosorum hominum audacia ac peccandi licentia. Eo anno turris in mole, in cujus cacumine ignis navigantibus prælucens statueretur, ædificari cœpta est.

Insequenti anno ejus sæculi vicesimo altero, Gi- A. C.
bellini facinus pravi exempli admiserunt. Sacra 1321.
ac piorum cœtu Pontifex Vicecomitibus Mediolanensibus, ramquam Ecclesiæ hostibus, omnibusque, quicumque illorum partes sequebantur, interdixerat. Christianumque populum amplissima peccatorum venia delata, ad eandem veniæ formulam, quæ contra Sarracenos arma ferentibus impartiri solet, illos incitarat. Cum diploma Genuæ in æde maxima recitatum esset, Guelphis illud venerabunde accipientibus, longe diversus animorum habitus in Gibellinis fuit: qui, contempta sacrosancta majestate, diplomata Pontifi-

nificia lacerarunt: quæ ſic lacerata Guelphi, ad invidiam inimicorum inflammandam, Pontifici miſerunt.

Eodem anno Princeps Roberti frater, ad res laborantes ſublevandas, cum ſexdecim triremibus Genuam venit: cujus opibus & favore ſubniſi Guelphi, magno peditum & equitum numero erumpentes, turrim Hircorum, quod munimentum firmiſſimum putabatur, improviſo adorti capiunt: quam tamen paullo poſt Gibellini recuperarunt: totuſque is agnus, per varias occaſiones variante fortuna, ac modo illis, modo his, mutuo ſeſe ac munimenta, quæ ab utroque tenebantur, terra ac mari invadentibus, favente, crebris prælliis, ac non levibus cladibus traductus eſt; cum Guelphi à parte Orientem ſpectante, nonnullis collibus occupatis, multis in locis caſtella & munimenta excitaſſent; complureſque ſacrarum ædium turres urbi circumjectas præſidiis ſuis tenerent: ſub exitumque anni nonnulla caſtella, quæ ab eadem Orientis parte præſidiis Gibellinorum tenebantur, illis dejectis, occupaſſent.

A.C. 1361. At inſequenti anno ejus ſæculi viceſimo tertio, Guelphi cum extrema experiri decreviſſent; quantis maximis potuerunt copiis coactis, Babilano Nigro, ac Jannotto, & Thoma Fliſcis Ducibus, urbe exeuntes, itinere per locum, qui *Caſamanteri* dicitur, facto, ſub ortum ſolis ad cacumen montis Peralti perveniunt; Gibellinorumque præſidium magno impetu invadunt: quem Gibellinis conſtanter ſuſtinentibus, tempus datum eſt iis, qui ſuburbia urbis tenebant, tinnitu à Peraltanis vocatis, ſuis laborantibus auxilio accurrendi: qui inchoatom prælium magno animo excipientes, omni ope conniſi bus Guelphos acriter ſeſe inferentes ſubmoverunt: tandem, novis ac recentibus copiis ex urbe ſubinde affluentibus, multitudini impares, monte tamdiu ab ipſis ac tanta dimicatione retento, tandem hoſti cedere ac terga dare coguntur. At Guelphi fugientes inſecuti, illos ſuburbiis quoque tamdiu ab ipſis poſſeſſis eodem impetu expellunt: qui præcipiti fuga ſeſe Vulturem opidum receperunt; rebus omnibus ſuis, ac familiis prædæ hoſtium relictis: eos Guelphi ad opidum uſque Sextum urgentes, magnum tam peditum quam equitum numerum nobilium ſimul & popularium civium capiunt: quos tamen paullo poſt partim gratis, partim exiguo pretio dimiſerunt; matronarum pudicitia intacta. Lætitia hujus victoriæ, pravo exemplo repetito, ſollemnibus ſupplicationibus celebrata eſt.

At Pontifex miſericordia commotus tam nobilis civitatis, ac de Chriſtiana Republica optime meritæ, cujuſque tantæ eſſent ad ſacra bella opes & opportunitates, ad exitium ruentis, amplas & honorificas legationes ad ſe ab utraque parte mitti poſtulat. Miſſi ſunt ab utroque duodeni ex primariis civibus; quos ante ſe ſtatos Pontifex ad pacem & concordiam hortatus eſt, tali oratione, ut dicitur, uſus: *Utinam, filii, ad bellicam virtutem & animi magnitudinem, qua parentum & majorum veſtrorum imaginem exprimitis, illorum quoque ſapientiam, & qua caput omnium virtutum eſt, pietatem & religionem adderetis; ac Chriſtiani nominis, divinaque legis, vobis aliquando in mentem venirent, qua nihil aque ſtudet, ac pacem, concordiam, caritatem tueri inter eos, qui in Chriſtianam militiam nomina dederunt: quaque nihil contra aque abominetur, atque odia, rixas, contentiones, diſcordias: injuriarum vero ulciſcendarum ſtudium ita exſecretur; ut contra, præcipuum Chriſtiani nominis munus eſſe ſtatuat, hoſtibus, ac graviſſimas injurias & contumelias nobis imponentibus, noſtra auferentibus, vulnera infligentibus, mortem denique ipſam inferentibus, bona omnia ac fauſta precari, ac precibus noſtris divinum Numen illis placare: cujus virtutis non ſolum verbis Chriſtus Dominus nos admonuit; ſed exemplum princeps ipſe nobis præivit. Hujus præceps majores ac parentes veſtri perpetuo memores, omnes odiorum cauſſas, omneſque injurias ſuas, ac partium ſtudia Reipublicæ condonabant; iras atque odia, ſi qua forte animis inſederant, in communem hoſtem evomentes: qua re id aſſequebantur, ut publicam & privatam rem honore, gloria, opibus, imperio augerent; nullinſque populi, qui navalibus copiis polleat, nomen aut formidoloſius Barbaris eſſet, aut apud Chriſtianos Reges & populos majore in exiſtimatione. Vos contra, religionis, patriæ, ac veſtrimet oblitis, omnem animi impetum in vos ipſis & in viſcera veſtra vertetis, ac vires veſtras conſumentibus cladibus ipſi atteritis; opeſque majorum virtute paullatim collectas univerſas profunditis; urbem ipſam intra & extra pomœrium intendis ac ruinis deformatis; eaque crudelitatis documenta in vosmet ipſi aſſidue editis, a quibus infenſiſſimorum Barbarorum rabies abſtinet: quibus rebus fit, ut & Barbaris riſus ſitis; & Chriſtianis Principibus contemptui: quorumque nomen longe remotis nationibus olim terribile erat, id nunc accola Proceres, ac peroxiguorum caſtellorum Domini ita deſpiciant, ut armis vos omni levis de cauſſa petere non dubitent. Majores veſtri ſacroſanctorum Pontificum monitis de ipſorum ſalute & dignitate ſollicitorum prompto atque alacri animo parebant; vos, pii adhortationibus ſpretis, quod barbari hoſtes veſtri, atque excidium veſtrum cupientes velint, idem ipſi vultis; ad Pontificis voces ſurdas aures gerittis; hoſtium deſiderio obſequimini. Quod tandem veſtrum iſtud eſt conſilium? aut quid ex diſcordiis & contentionibus veſtris petitis? aut quis tantus iſte mentis error vos tenet; ut, dulcedine injuriarum ulciſcendarum, injurias aliam ſuper aliam cumuletis, quo nullus unquam ſiat ulciſcendi modus? id enim quærere videmini, ut ſic infinitam materiam bellis ac cladibus præbeatis, qua numquam niſi omnium rerum interitu terminari poſſint: reſpiciſcite aliquando, filii; ac vos, liberos, conjuges veſtras, patriam non ſolum ruentem veſtram, ſed communem Chriſtianam Rempublicam reſpicite. Pudeat vos majorum veſtrorum, pudeat Chriſtiani nominis, pudeat hominum ſermonum. Si vos concordiam & pacem inter vos pra nimis accenſis contentionum ſtudiis componere non poteſtis; at diſceptatorem ſumite, qui pre communi amico res cognoſcat. Si majorum veſtrorum ſimiles Chriſti Vicarium idoneum ad eam rem putatis; en ego ſedulam & veſtri caritate incenſam operam meam ad vos defero: ſi alius vobis magis diſceptator placet; non minus eandem meam ac ſacroſanctæ nominis auctoritatem apud illum, quem adeundum decreveritis, polliceor; æque lete animo, vel judicis & arbitri, vel advocati partes pro ſalute & dignitate veſtra ſuſcepturus.*

Non modo ſancta Pontificis monita animos inter ſe exſecrabili odio efferatos nihil mitigarunt; ſed contra, ardor recentium certaminum in Aula Pontificis per dnos menſes jactatorum magis inſuper accendit. Oratoribus igitur reverſis; cum odia non ſatis domeſticis & propinquis cladibus ſatiarentur; eas in Orientem quoque, & in longe diſſitas terras, quæ à Genuenſibus incolebantur, extenderunt: quo miſſæ ſunt à Guelphis decem triremes ad Gibellinorum res vexandas: quas, cum nonnullis damnis Græcos hoſtes & Gibellinos affeciſſent, Boſporo ſuperato, Sinopem appulerunt, à Tarabi Domino comiter & honorifice accepti; cum quo ſocietatem junxeruot, Gibellinos & illius hoſtes Græcos acri bello urgendi.

Ceterum Tarabis, (ut mutabilia ſunt ejus generis ingenia ac numquam ſtabilis fides) occaſionem eam eſſe ratus, gratiam Conſtantinopolitani Cæſaris ingenti beneficio demerendi, ad facinus abominandæ perfidiæ animum adjecit: trierarchos igitur, & gubernatores, cetcroſque munera in claſſe faciecotes, per ſpeciem bonoris & effuſe in ipſos voluntatis, ad convivium vocatos, nihil hoſtile ſuſpican-

ſpicantes, ſigno dato, ii, qui domi latentes ad ſceleſtum facinus præparati fuerant, ex inſidiis prodeuntes, miſeros convivium hilariter & comiter celebrantes obtruncant. Tarabiſque manibus cæde hoſpitum cruentis ad littus cum ſcelerum adminiſtris advolant, ſex naves ſcalis in terram expoſitis littori applicatas magna parte defenſorum vacuas capit. At quattuor, quæ procul à littore in anchoris ſtabant, ſtrepitu exaudito, tumultuque circa triremes conſpecto, tum autem caſu ceterarum cognito, ab iis, qui è manibus ſicariorum ſorte elapſi in mare ſe projecerant, ad triremeſque à littore disjunctas adnatantes peſtem evaſerant, fuga ſalutem expediunt.

Interea Gibellini ſexdecim triremes à Conſtantinopolitano Cæſare adjuti armarant, Boſporiqoe fauces inſidebant, ut redeuntes Guelphas naves excipierent: quæ mancæ & claudicantes, ut fallerent, noctu iter facientes beneficio tenebrarum ſecundum paratum peſtem vitarunt: quarum reditus urbem fletibus & lamentationibus implevit, miſerabilem caſum tot egregiorum civium vulgo lugentibus; ac conſceleratum barbari proditoris caput exſecrantibus. Inultum tantum ſcelus tulit Barbarus, Genuenſibus inteſtino bello implicitis.

Tradunt Annales odia inter Factiones minus atrociter hoc anno exercere cœpiſſe; hominibus ab alterutra captis liberis dimiſſis, rerum tantummodo præda utriſque contentis; cum prius homines quoque capti, pecunia velut ab hoſtibus ſe redimerent. Eo quoque anno turris Phari a Guelphis duplici propugnaculo cincta eſt, ac munimento laxius ſpatium amplexo circundata.

A.C. 1324. Factionibus ut cum maxime vigentibus, inſequenti anno ejus ſæculi viceſimo quarto Robertus Rex cum uxore, ac Carolo filio Calabriæ Duce, ejuſque uxore ex Provincia Narbonenſi Genuam venit, claſſe quadraginta quinque navium, quarum magna pars Guelphorum Genuenſium fuit, vectus, Neapolim petens: ejus adventus, cum exitus decennii appropinquaret, certamina præbuit; tenuioribus fere perpetuum imperium illi decernentibus ac dictitantibus, numquam aliter civitatium ab inteſtinis turbis ac malis ſore; aliis illum tantummodo, dum in humanis ageret, Principem adſciſcentibus; aliis imperium in certum tempus prorogantibus: tenuerunt tandem Optimates, ac melior civitatis pars, ut in ſexennium dumtaxat prorogaretur imperium. Rex, Reipublicæ ſtatu emendato, ac ſodalitatibus, quæ complures erant variis titulis inſignes, ſublatis, quæ eſſent auctoritati regiæ infringendæ, Genua profectus, inſtitutum iter perſecutus eſt. Eo anno Gibellinorum claſſis undecim triremium tres Guelphorum triremes mercibus onuſtas in littoribus Provinciæ Narbonenſis cepit.

A.C. 1325. Nihil memorabile habet inſequens annus ejus ſæculi viceſimus quintus, præter claſſem viginti triremium Duci Calabriæ arma Siciliæ inferenti auxilio miſſam: quod inceptum inane evaſit; compluribus detrimentis inſula affecta. Creverat per ea tempora in immenſum Caſtrucii potentia; ejuſque opes formidoloſæ erant, ac nomen omnibus terribile: infinita hominis ambitio non anguſtis Etruriæ terminis claudebatur; ſed externa quoque imperia cogitatione amplectebatur; Liguriæque rebus animum adjecerat, diſcordiis ac Factionum ſtudiis, quæ non modo Genuenſes cives, ſed omnes hujus Provinciæ incolas infecerant, illius ſpem alentibus: conſilia igitur rerum miſcendarum in Orientali ora, quæ tota fere à Guelphis tenebatur, Gibellinis Occidentalem occupantibus, cum potentioribus familiis, quæ Gibellinas partes ſequebantur, continenter ferebat: quibus imbuti Gibellini Rapallenſes

A.C. 1326. arcem inſequenti anno ejus ſæculi viceſimo ſexto occuparunt: quam tamen poſt brevem obſidionem, Lucas Niger Guelpharum partium Dux deditione recuperavit.

At inſequenti anno quidam ex gente Bertolotta, A.C. 1327. quæ Gibellinas partes ſequebatur, valida ducentorum armatorum manu congregata, opidum Sigeſtrum, quod à Guelphis tenebatur, noctu occupavit, Guelphis expulſis, ac triginta capitibus ab illis amiſſis, rebuſque & uxoribus ac familiis ſuis relictis: quæ tamen omnia illis paullo poſt reſtituta ſunt. Caſtrucius, rebus Etruriæ, clade Florentinis illata, opportune pacatis, res Liguſticas in ſe inclinatas adjuvandas ratus, nulla mora interpoſita, Liguſticos fines ingreſſus Sigeſtrum venit; cujus adventus iter Lucæ Fliſci cum delecta manu Genua ad Sigeſtrum recuperandum profecti cohibuit, cum ille jam Clavarum uſque perrexiſſet.

Ac ne Occidentalis quidem ora eo anno motibus & turbis caruit: in qua Gibellini opidum Monecum, quod à præſidio Guelphorum tenebatur, cuſtodibus negligenter agentibus furto inſidiarum occuparunt: ceterum, cum Guelphi, copius magno numero ex circumjectis locis illis auxilio accurrentibus, opidum arta obſidione cinxiſſent, Gibellini viribus longe inferiores, ac nulla re ad tolerandam obſidionem ſatis proviſa, ad neceſſarium conſilium deditionis inclinabant. Saluti illis fuit inter Guelphos ipſos orta diſſenſio; cum alii eam arcem Reipublicæ ipſi vindicarent; alii eam Regi tradi & æquius eſſe & partibus utilius defenderent: quæ diſſenſio, cum utrique, pro ſententia obſtinate pugnarent, eo rem adduxit, ut Guelphi inceptum omiſerint; Spinulæque arcem partam retinuerint.

Interea Ludovicus Bavarus acerrimus Romani ſolii hoſtis, idemque Viceecomitum genti vehementer infenſus, Romam petens Mediolanum venerat: cujus adventu vehementer perculſi Guelphi urbem munire conſtituunt; laxiuſque ſpatium amplexi, collem Carinianum, totamque eam partem, quæ à mari ad aream Luculanam pertinet, intra pomœrium acceptum, approperato opere, muro cingere inſtituunt; ac quæcunque in veteribus mœnibus quaſſata, infirma, patefacta eran, tnovo munimento obſtruere ac firmare. At Ludovicus Mediolano profectus, iterque intermiſſum repetens, Romam intendit; Vicario in Liguria relicto, qui res regeret: quem Gibellini ac Saonenſes cum illis conjuncti non modo nihil retractantes, ſed cupide quoque acceperunt, obedientia illi delata: cum idem feciſſet eodem tempore Caſtrucius: qui à Cæſare Vicarius Piſarum creatus, in Etruriam avocatus, res Genuenſes in præſentia intermittere coactus, & in commodius tempus reſervare; Vicario ad Gibellinorum rerum tutelam Sigeſtri relicto, diſceſſit: Bertolottis turbulenti & inquieti ingenii gente alio commigrare juſſis; ac poteſtate Guelphis expulſis facta in patriam redeundi.

Eo anno facinus pravi exempli in urbe admiſſum eſt; & impunitum fuit, nullo legum aut Magiſtratus metu in tam corrupta ſæculi licentia libidinem & audaciam hominum coercente. Turba nautica per urbem vaga ad ducentorum nomerum, magna & queribunda voce Nobilitatem accuſabant, ſtipendia ſibi debita minaciter poſcentes; unumque ex trierarchis nobili loco ortum, qui tum è Syria venerat, forte inter pedes oblatum adoriuntur: qui illis urgentibus ſenſim cedendo, cum ad littus veniſſet, inopia potioris conſilii in mare ſe projicit: idem faciunt nautæ; hominemque ad triremem ſuam adnatantem captum, à portu per mediamutbem in averſam atque extremam urbis partem attractum turri ædis divi Stephani includunt: qui non prius dimiſſus eſt, quam nautis de ſtipendiis ſatisfacto.

Eodem anno Fridericus Siciliæ Rex, qui in Gibellinorum favorem impenſe propendens, Guelphis

phis aditu insulæ & commerciis interdixerat; erro-
rem recognoscens, qui portoria illius haud parum
imminuerat, edicto abrogato, aditum ac facultatem
commerciorum illis patefecit: quam rem Ro-
bertus Rex perpetuus illius æmulus iniquo animo
tulit.

A.C. 1328. Insequenti anno ejus sæculi vicesimo octavo ar-
ce munitissima Vulturis, quæ à Gibellinis jam octa-
vum annum valide præsidio, Afranio Spinula præ-
fecto, tenebatur, ac proximo urbi loca infesta con-
tinenter faciebat; à Guelphis noctu eo profectis
furto insidiarum ab ea parte, quæ custodiis negle-
ctior erat, ingressis occupata est: præfecto ipso A-
franio, qui strepitu exaudito, eo occurrit, ac
nonnullis aliis, qui cum eo Guelphis sese oppo-
suerunt, eorumque primum impetum aliquantum
sustinuerunt, interfectis: quæ res tempus Afranii
filio & reliquis præsidiariis dedit, fuga capta, è
manibus hostium evadendi: dispar eventus fuit ar-
cis Castellioni in agro Pegiensi, prope ab urbe sex
passuum millia à Guelphis eodem tempore frustra
tentatæ.

Neque vero Genuenses satis habebant odia &
contentiones atrocibus crudelitatis exemplis inter se
soles exercere; sed externos quoque Principes com-
prehendebant. Missa sunt igitur ad Robertum Re-
gem cum Friderico Siciliæ Rege belligerantem à
Guelphis quadraginta triremes, Luchino Nigro
præfecto: idem trium & triginta triremium Saonæ
armatarum subsidium ad Fridericum à Gibellinis
missum est. Illud in primis detestabile fuit, quod re-
ligio quoque ad fudia partium accommodabatur,
cum, Ecclesia bifariam scissa, Guelphi Joannem
vicesimum alterum, qui sedem ac domicilium Avi-
nione collocatum habebat, verum Pontificem se-
querentur; Gibellini ad partes Nicolai quinti jussu
Ludovici adversus Joannem Pontificis vitio creati
transissent; neque Guelphi Beringerium Marium
Genuensem civem, Franciscana instituta profes-
sum, Archiepiscopum à Nicolao creatum acceipere
voluissent.

Interea Castrucius, cum in cursu maximarum re-
rum esset, totius quæ Italiæ oculos in se convertisset,
in flore ætatis lateris dolore consumptus est: cujus
mors novorum motuum causa fuit. Castrucius enim
partum imperium heredibus, ac vicariatum Cæsaris,
quem illis Cæsar ratum fecit, relinquere quidem po-
tuit; virtutem illius retinendi transfundere in illos
A.C. non potuit. Ludovici igitur ex Italia discessu, Vice-
1329. comites anno ejus sæculi vigesimo nono, quos præ-
sentia Cæsaris compresserat, eo metu solutiad arma
consurgentes, piamque & justam causam habere
censentes, omnes Ludovici clientes bello persequen-
di, heredes Castrucii dominatu Pisaram & Lucæ ex-
pulerunt: cujus urbis potentes facti Germani, cum
ibi stipendia non persolverentur, eam urbem Gerar-
do Spinulæ vendiderunt. Peractis ea res vehementer
Guelphos; adversæ Factionis caput, strenuum ipsum
Ducem & acrem bellatorem, recentisque victoriæ
de Guelphis ac Pontificiis copiis in Longobardia par-
tæ gloria fulgentem, ad vetores clientelas & immodi-
cas opes, tanto insuper dominatu auctum horrentes.

Accedebat ad acerbitatem eumulandam Aitonus
Auria, vir qui sibi in rebus navalibus magnum no-
men fecerat: quippe per totam oræ Ligusticæ lon-
gitudinem, ac per circumjecta maria cum classe
quindecim triremium late discurrens, continentibus
damnis res Guelphorum carpebat, prædas navium,
A.C. hominum, mercium agens: qui etiam anno insequen-
1330. ti, ejus sæculi tricesimo, munitissimum atque opu-
lentum opidum Fanum Romuli Gibellinis à Guel-
phis ex bello ademptum recuperavit. Adversus illum
Fridericus Marabottus, vir callidi ingenii, novem
triremes armavit: quarum duabus in littoribus Sar-
diniæ tempestate adversa amissis, in Aitonum inci-

dit: quo procul conspecto, numero navium tanto
superiore, proris conversis, fugæ se mandat. Con-
ceitat in fugientem triremes suas Auria; totusque
dies fugiendo & insequendo consumptus est: sub
vesperum, Gibellinis nullum urgendi finem fa-
cientibus, Marabottus periculum astu discussit: te-
nebræ enim se intendentes cum hosti eorum, quæ
ab ipso agerentur, prospectum ademissent, tædam
accensam in prægrandi scuto defigit, eamque in
mare projicit: nullo noctumo lumine, quod classe,
de more nautico, præluceret, in prætoria puppi
sublato: datoque mandato trierarchis conjiti con-
sciis, ne noctumus error lumine, quod sequeren-
tur, adempto, classem dissiparet, ut locum illis de-
monstratum singuli peterent. Æstu igitur scutum in
proximum littus delerente, cum Guelphæ naves
alio cursum direxissent; Gibellini classe Guelphæ,
quam non cernebant, omissa, in lumen tamquam
in prætoria puppi erectum proris directis ad littus
pervenerunt: tædamque & scutum in terram ejec-
tum cernentes, sese vafro Marabotti commento
ludificatos senserunt.

Eo anno in urbe inter Guelphos ipsos ingens ri-
xa orta est, à tali causa excitata. Apparitores ex-
sulem quendam in ædibus nobilium Malloniorum
latentem noctu captum in vineula ducebant: con-
tumeliosum id sibi Mallonii rati, armis arreptis,
ac manu clientium corrogata, ex apparitorum ma-
nibus vinctum extorquent: luce orta gubernator
regius Abbatis populi auxilio fultus, tintinnabuli ma-
ximi sonitu è turri prætorii signum populo dat: qui
illico armatus in aciem sancti Laurentii convenit, ac
vexillum erigit: contra Mallonii culpam culpa cu-
mulantes, pro eo ut veniam errati peterent, arma
capiunt, omni fere Nobilitate, præter Grimaldos
& Flisecos in eorum auxilium accurrente: ac domos
suas circumjectasque plateas communiunt, viarum-
que sauces transversis vallis obsepiunt, ac vexillum
erigunt; ut pene civitas in Nobiles & populares di-
visa videretur. Abbas gubernatore regio assentiente,
facula accensa in area media defixa, nisi ante eam
consumptam, octo ex Mallonüis judicio sistant, sese
enimvero regiæ & publicæ jurisdictionis contemptores
pro hostibus patriæ habiturum: sequepopulum
armatum eorum domibus admoturum minctur: ce-
terum plebs moræ impatiens, vociferans, tantam
Nobilium contumaciam non esse ferendam, guber-
natore & Abbate conciatum armatorum impetum
retinere non valente, inordinate ac tumultuose ad
domos Malloniorum accedunt: repulsi sunt ab or-
dinatis Nobilibus acriter se defendentibus: non si-
ne ipsorum malo & damno. Adsuerunt intra defi-
nitum terminum Mallonii sese jurisdictioni subji-
cientes: quievitque tumultus: ceterum Nobilitas
omnis graviter in Grimaldos & Flisecos exarsit, qui
consilia & studia secum non conjunxissent; acer-
baque oratione in illos invecta, non id mirandum
esse, neque novum hoc fecisse eas familias dictitan-
tes: quæ non communis Nobilium dignitatis pro-
pugnatrices sint, sed ad principatum civitatis haud
obscura ambitione tendentes, plebis benevolentiam
captent, ejusque libidini adversari nolint: idem quo-
que facere solitos adversæ Factionis capita Aurias &
Spinulas; qui plebis toti semper fuerint: illorum-
que nutros de partibus asserendis laborare, sed de
principatu & imperio civitatis, quod spe & cupidi-
tate amplexi sint, inter se dimicare. Quattuor illas
familias malo publico ortas, quattuor faces bello-
rum civilium semper fuisse, malis & cladibus civi-
tatem involvisse: illis splendidas omnes publicas pro-
curationes, classium præfecturas, imperia cedere:
ceterum omnem Nobilitatem in contemptu vivere:
neque tantum nonnullis claris viris, quos ipse fami-
liæ tulerint, illorumque egregiis gestis rebus, si quis
rem ad calculos revocet, civitatem debere: quan-

tum illorum fastum & ambitionem odio habendam & exsecrandam : quæ discordias civiles serendo & alendo, civitatem tot malis involverit, ac tot cladibus deformarit : faverent modo plebi, atque eandem extollerent ; haud reputantes, eam illius esse naturam, ut aut servitio premenda, aut dominа habenda sit, mediа libertate modice uti nescia : eam rem brevi illos experturos : divinare id animum ; prævumque consilium in auctorum capita merito recasurum : satius esse Gibellinos accersiri, & in urbem introduci, quam inconsultæ multitudini servire : id se, si res cogat, omnino facturos.

Annus, qui sequitur, ejus sæculi trigesimus unus, finem quidem lugubri civili bello, quo jam quartum decimum annum Liguria urebatur, attulit : ceterum voluntates haudquaquam conciliavit, neque internecina odia animis alte defixa exstirpavit ; sed eorum exercitationem ad breve tempus consopivit, mox haud parvis motibus exsurrecturam : quod autem neque virtus, ac communis patriæ caritas, neque tot aliarum super alias acervatarum cladium fatietas, neque tot maximorum Principum interposita auctoritas efficere potuerunt, ut Genuensium animos tantis contentionibus exacerbatos ad consilia pacis flecterent ; eam necessitatem externus metus illis expressit ; quo in opulentis & vividi ingenii populis nullum præsentius aut validius intestinorum malorum remedium est : cum auditum esset Catalanos perpetuos Ligurum hostes, discordiarum Genuensium occasione arrepta, consiliis cum Venetis consociatis, prævalidas maritimas ac terrestres copias in Genuenses armare. Multæ autem odiorum caussæ Genuensibus cum utroque populo intercedebant ; ut necesse erat populos, quos unus idemque maritimus quæstus alebat, quique eadem navalia studia & commercia colebant, continentibus injuriis per varias occasiones inter se lædere, ac quotidianis damnis carpere : metus igitur externorum armorum, quæ duo præpotentes populi conjungebant, quibuscque si res insuper aggravatæ forent, vix ullis humanis consiliis ab interitu fisti potuisset, necessitatem concordiæ conciliandæ Genuensibus adhibuit : verum, cum res magni molimінis esset, interca induciæ in annum factæ sunt, dum de conditionibus concordiæ disputatur : qua de caussa octoni utrinque discceptatores creati sunt : inter quos cum nihil post ingentia certamina conveniret, utraque parte pro sententia acriter pugnante ; omnium rerum arbitrium in ipsum illum, cui fere regendos tradiderant, Robertum Regem rejectum est ; duodenis Legatis ex utriusque Factionis primoribus ad illum missis : inter quos dum de conditionibus pacis certatur, Catalani ingenti classe armata, quæ fuit quattuor & quadraginta triremium, ac triginta varii generis minorum navigiorum, mense Augusto in Liguriam venerunt ; ac primo agro Mentoni opidi pervastato. Mentoecum irrito incepto tentarunt ; littoraque Occidentalis oræ egentes, exsensionemque crebro in terram facta, ubique urendo ac populando, tandem ostium Genuensis portus tenuerunt, Genuensesque ad pugnam provocarunt. Responsum est, eos esse Genuenses, qui Catalanorum inimicitiam & pugnæ denunciationem in lucro & beneficio semper polucrint : ceterum inanis potius jactantiæ, quam veræ virtutis fiduciæ esse, imparatis prælium denunciare : ne dubitarent Catalani : Genuenses enim brevi comparaturos, ac littora ipsa Catalaniæ adituros, copiamque pugnandi facturos : igitur Catalani, Genuensibus certamen detrectantibus, porro ire pergentes, ad littus Clavari appuli sacram ædem ac cœnobium divi Eustachii diripiunt : quos abeuntes cum atrox tempestas adorta esset, res in religionem versa est : repetito igitur littore Clavari, omnia capta cœnobio restituerunt.

Interea Neapoli, re ingentibus contentionibus diu ac multum jactata, tandem pax in has conditiones convenit : injuriarum oblivio esset ; unusquisque in patriam rediret ; civitas à gubernatore regio regeretur ; honores, magistratus, munera, ac procurationes publicæ æqualiter inter Guelphos & Gibellinos distribuerentur. Nuncius Genuam perlatus ingenti lætitia cives affecit : quam publicis supplicationibus, gratiis divino Numini actis, testati sunt ; nuncium Oratores paullo post secuti sunt. Non tamen defuerunt Saonæ ex Gibellina Factione, quos tanta ae tam obstinata partium rabies teneret, ut paceм compositam turbare & impedire niterentur ; iniquum esse dictitantes, Fridericum Siciliæ Regem, qui laborum & impendiorum participes fuisset, cujusque copibus ipsorum Factio adjuta esset, bonis pacis exeludi : convicio bonorum ac clamoribus multitudinis nefarios homines, qui tam sancto negotio impedimento essent, ad mortem deposcentis, ab incepto destiterunt. Consilio igitur universæ civitatis habito, pax accepta est : ac primum Saonæ, deinde in urbe proclamata. Gibellinique, post diuturnum exsilium, in patriam redierunt.

Hujus obsidionis & belli ac cladium acceptarum magnitudo longe magis ab exteris Scriptoribus quam ab Annalibus ipsis nostris extollitur : quos ideo hac in re, ut in ceteris jejuniores & negligentiores fuisse puto, quod vererentur earum auctores, ac familias, & posteritatem offendere : tradit enim Joannes Villanus certus & fidelis Scriptor, qui æqualis illorum temporum fuit, clades in eo bello & obsidione (quam obsidioni urbis Trojæ tot Scriptorum monumentis celebratæ comparare non dubitat) acceptas, numerum navium, mercium, hominum amissorum, ædificiorum inceпsorum, opulentissimum regnum exinanire potuisse : neque mirum id esse ; quod ea ætate populum Genuensem omnium populorum tam Sarracenorum quam Christiani nominis opulentissimum & potentissimum fuisse dicat : quam potentiam atque opes testabantur non solum quotidiani cultus splendor, ingens auri, & argenti, ac gemmarum vis, pretiosis supellex, vestitus totus ex purpura & oloserico, atque etiam auro, cum laneas vestes quamvis pretiosas aspernarentur ; sed magnificentia domorum & exstructionum ; quæ non modo urbem, sed circumjecta urbi loca, totumque illum tractum, qui inter Nervium vicum & Sextum opidum est, per duodecim millium passuum longitudinem ornabant : quam regionem omnium, quæ sub cœlo sunt, pulchritudine & amœnitate fuit maxime conspicientem exitiale hoc bellum totum incendiis & ruinis deformavit. Loquit calamitates ab interneeino hoc bello civitati nostræ illatas Gerardus Spinula *epistola* quadam : nullius enim generis ærumnarum expertem fuisse affirmat, tot egregiis civibus partim cæsis ; partim, patria & avitis sedibus relictis, alio commigrare coactis ; & opulentis familiis ad extremam egestatem adductis, miseris natis in conspectu parentum in duram barbarorum gentium servitutem venundatis : innumeris virginibus ac matronis, parentibus, conjugibus, fratribus orbatis, patriaque extorribus, in omnium rerum egestate passim vagis, quæstu corporis vitam tolerare coactis.

Pace firmata, omnibusque in patriam reversis, curæ in res externas, & Catalanorum audaciam ulciscendam collatæ sunt : adversus quos insequentibus nonnisi mense Aprili Antonius Grimaldus cum quinque & quadragintа triremibus : qui elades superiore anno acceptas Catalanis reddidit ; complurибus navigiis illorum incensis, ac littoribus Catalaniæ populatis : qui inde cursu in majorem Balearicam directo, quinque Catalanorum triremes ad ea littora deprehensas cepit, navibus tantummodo potitus, cum remigium atque omnis turba nautica *in* terram

A.C. 1331.

ram ſeſe protinus ejiciens evaſiſſet. Grimaldus ſecundum ea bellum Catalano & Balearico Regibus indixit. Illi quadragiuta duas triremes ac complures minores naves adverſus illum miſerunt, qui interea in portum minoris Balearicæ ſe receperat; ſperantes ſeſe hominem in eo portu clauſuros: at ille impigre erumpens Catalanos audacia obſtupefactos in fugam conjecit: quem nox ſuperveniens ac tempeſtas exorta ab illis inſequendis cohibuerunt: ceterum, hyeme appetente, annonaque deficiente, Grimaldus quindecim triremibus ad res Catalanorum vexandas in Siciliam miſſis, ipſe cum reliqua claſſe Genuam rediit.

Hocanno Saonenſes, qui initio hujus civilis belli defecerant, in obedientiam redierunt, conditionibus renovatis cum Gaſſo Divitiaco Comite Terlitii gubernatore regio, coram Alberto à Sancto Matthæo Abbate populi, ac ſummo duodecimviralı Magiſtratu: qui pari numero ex utraque Factione & ex civibus tam popularibus quam Nobilibus conſtabat: qui tum fuerunt Matthæus Pontulus Juriſconſultus vicarius conſilii, Antonius Marinus, Samuel Spinula, Hadrianus Grimaldus, Ubertus Catalnſius, Andreolus Savinionus, Auſaldus Lomellinus, Leonardus Cornilia, Raimundus Caſalius, Gerardus à Panlo, Petrus Reoza, Leonardus Porcus, Joannes Piper.

Inſequens annus ejus ſæculi triceſimus tertius, A. C. 1333. variante fortuna, levibus, ceterum cruentis, prælliis, mutuiſque detrimentis inter Catalanos & Genuenſes traductus eſt, cum Genuæ duæ claſſes denarum triremium, altera Othobono Marino, altera Janotto Cicada præfectis, armatæ eſſent. Tradunt Annales à Bertolottæ gentis homine in ora Orientali tumultus coanno excitatos, opido Carpena occupato.

At inſequens annus ejus ſæculi triceſimus quartus egregio facinore à Salagro Nigro edito inſignis A. C. 1334. in primis eſt: quod antequam exponam, pauca mihi præfari libet; quo magnitudo rei geſtæ magis appareat. Corbitarum atque onerariarum, quæ ad bellum armabantur, major ea tempeſtate erat in navalibus prælis vis, majoraque ad victoriam momenta, quam navium longarum, bombardis nondum inventis: quo fiebat, ut, cum cominus, ac velut manu conſerta pugna committenda eſſet, onerariæ à bombardarum ictibus ſecuræ, veluti arces humiliteti triremium mole ſua imminentes, non modo ſupernis ſagittarum ex arcubus & ſcorpionibus emiſſarum ictibus gravius accidentibus, ſubeuntes lougas peterent; ſed ſaxa immanis magnitudinis, trabeſque & aſſeres vaſti ponderis in illas devolventes, non homines tantum exanimarent, ſed naves ipſas perfringerent, atque demergerent: contra ipſi à ſupiuis ac minime validis inferiorum ictibus, aut nihil aut parum læderentur: at nunc mutata tota ratio eſt; bombardarum enim ænearum uſu invento, triremes eminus prælium committunt: continentibuſque ictibus procul ac valide figentibus corbitas inceſſentes, nullo ictu in tam vaſtam oppoſitam molem emiſſo vano accidente; ipſas crebris locis perforatas, vel ad neceſſitatem vela demittendi, ac ſeſe hoſti tradendi adigunt; vel pertinaces demergunt: cum contra ex ictibus à corbita emiſſis, vix centeſimus quiſque collineet: quo fit, ut multis jam ab hinc annis, corbitæ quamvis ingentis magnitudinis congreſſum eum triremibus devitent, earumque nomen horreant.

Salagrus igitur decem triremium præfectus adverſus Catalanos armatarum, quattuor illorum ingentis magnitudinis corbitas ad majorem Balearicam nactus eſt, omni nautico inſtrumento omnique belli apparatu affatim inſtructas; quæ plus mille octingentos egregios bellatores, ac delectam centum octoginta primariæ Nobilitatis equitum manum vehebant: ſive Sardiniam, ad loca & caſtella, quæ Auria gens in ea inſula poſſidebat, expugnanda, petentes; ſive è Sardinia domum redeuntes; nam utrumque traditur: quas, nulla mora interpoſita, invadit, cedenteſque decem commentes dies numquam prælio intermiſſo inſecutus eſt; cum ipſe ab aſpero fluctibus mari jactaretur: quarum una tandem capta, cum turba nautica in ceteras tres naves incolumis evaſiſſet, Salagri juſſu incenſa eſt: cumque navales ſocii, ac remigium diuturno labore ac laſſitudine feſſi, fameque deficientes cibaria à Salagro poſcerent: *Nulla*, inquit Salagrus, *mihi reliqua cibaria, ſocii, omnis annona, quo expeditius & celerius hoſtem perſequeremur, meo juſſu in mare objecta. Tres igitur naves, quas cernitis, vobis expugnanda ſunt, commeatuum omnis generis plena, quibus vires aſſellatæ reficiatis:* quibus verbis Genuenſes accenſi, ac deſperatione ipſa velut in rabiem verſi, vecordi impetu naves invaduot: inter quos & Catalanos, qui uxores nobiliſſimas matronas ſecum habebant, magno animorum ardore prælium commiſſum eſt: quoderuentum & diuturnum fuit; hinc famæ, illine amoris ſtimulis utrumque incitantibus: quibus duobus nulli acriores ſunt. Tandem victoria penes Genuenſes fuit, omnibus navibus captis, octingentis hoſtibus cæſis, ac quadringentis Genuam captivis abductis; cum reliqui ſaucii in terram expoſiti fuiſſent: in primis mulierum ac nobilium matronarum ratio habita eſt; quæ, juſſu Salagri, in locum tutum à contumeliis ſubductæ ſunt: quarum ſingularum ſortem Salagrus cum paullo diligentius quæreret; invenit unam illarum nobilitate inſignem, ac forma præſtantem à conjuge rem ad iniqua inclinatam cernente jugulatum; cum animus impotenti amore amens non ferret, amatam apud alios cernere. Exarſit Salagrus atroci facinore audito; noxiumque caput innocenti ſanguine maculatum, tum autem quod ipſius continentiæ & juſtitiæ diſſiſus eſſet, merito capitis ſupplicio plecti juſſit. Salagrus igitur, matronis reliquiſque mulieribus omni injuria intactis in urbem Callarim prius expoſitis, ac liberis dimiſſis, clara victoria, ſi labores exhauſtos, conſtantiam, audaciam, admirabilisque virtutis & fortitudinis exempla ſpectes; ſi paucitatem navium, quibus pugnatum eſt, haud ita magna, parta; Genuam reverſus eſt: qui vix portum ingreſſus, cum audiſſet, nonnullas Genuenſes naves à ſex Catalanorum triremibus captas, magnamque partem captivorum ab illis ſœdo ſupplicii genere necatam; extemplo portu Genuenſi ſolvit, compluraque navigia Catalanorum ſpoliis & mercibus navium nuper captarum plena nactus, cepit; iterque in Sardiniam intendit, quattuor Catalanorum triremes, quæ piraticam in Genuenſes faciebant, quærens: elatſique bipartito diviſa, Sardiniam circumiens, triremes, quas diximus, forte obvias factas, quingentis hoſtibus cæſis, ac centum quadraginta captis, haud diuturno certamine victas capit; portumque urbis Callaris ſubiens, præfectum captarum triremium eo ipſo jugo ſuſpenſum necavit, quod Catalani ad ſupplicium & contumeliam Genuenſium hominum ſtatuerant: adverſus quos Catalanos, qui Genuenſes Peræ urbis incolas vexare non deſiſtebant, eodem anno ſeptem triremes armatæ ſunt: quarum præfectus Barnabas Catanius fuit: qui nonnullas naves Catalanorum in mari Ægyptiaco deprehenſas combuſſit, multiſque detrimentis Catalanos affecit.

Catalanorum motibus compreſſis, Venetiſque nihil moventibus, externo metu ſoluti Genuenſes ad ingenium redierunt; domeſticis turbis novatis; quas cum potentiorum familiarum ambitio, tum Roberti aſtus conflaſſe dicitur: cui hanc civitatis concordiam, quæ eſſet dominatui ſuo labefactando atque adeo evertendo, quamquam aliud in ſpeciem ſimularet, numquam fuiſſe cordi perhibent.

Joannes quidem Villanus tradit, illum, cum utriusque partis Oratores Neapoli essent de pace agentes, ab ea Guelphos magnopere abducere clam conatum; formidinem prævalcotium Gibellinorum opum, si io urbem recuperentur, illis objiciendo. Gibellini ira tumebant, tot annorum exsulio inulto; ad hoc illis invisum erat Roberti nomen & imperium, Guelpharum partium haud dissimulanter propugnatoris. Ea odia Factionis principes, quos, præter communes injuriarum causas, dulcedo regnandi instigabat, inflammare, ac consilia in adversarios & Regem ipsum struere primo conati sunt; hominibus diuturnitate malorum fessis, ac recentium cladium memoria omnem discordiarum mentionem abominantibus; ad hoc gubernatore regio viro mansueto & suavibus moribus iras lenienteque, omniumque voluntates ad se attrahente; ac de æquabili Regis voluntate non magis in hanc quam in illam partem propendente, concordiæque studio prolixe omnia pollicente. At ubi Bulgarus à Tolentino successor à Rege missus Genuam venit, longe diversi ac callidi ingenii, discordiisque ferendis apti viri, ad hoc rigidioris severitatis, quam quæ ab hominibus in libertate vivere assuetis ferri posset, oratio Principum prius sprem auribus admitti cœpta est. Hi circumcuntes, ac singulos prehensantes, dictitare consilia Regis, qui totus in Guelphos propendeat, in ipsorum perniciem structa, quæ antea dubia fuerint, nunc aperta facta, tali viro Genuam misso: prævertendum igitur esse; neque exspectandum, dum ab adversariis, qui nunquam sincera fide in gratiam redierint, opprimantur: ad hoc memoriam injuriarum & cladium acceptarum renovare; ac venisse tempus dicere, illas tandem, si homines fiot, ulciscendi: repeterent illos animos, quos tum habuerint, cum tot annos patria extorres in tantis acerbitatibus ætatem agerent; seque ad eadem adversariis referenda pararent; à quibus eam necessitatem ipsis imponi, ut exsulii mala aut ipsis iterum perpetienda sint, aut in adversarios conferenda. Consenserat cum Gibellinis Salvagorum gens, quamvis Guelphatum partes sequens, opibus & clientelis tum in primis valida: qui Regem Genuæ dominantem haud satis æquis oculis adspiciebant, variis de caussu illi infensi; fidemque dederant, sese nullam in rem interposituros. Quæ cum moveri sensisset duo octoviralcs Magistratus, quorum alter res plebis regebat, Abbatesque populi vocabantur; alter Nobilitati præerat; circumeundo, hortando, monendo, preces & lacrymas consiliis miscendo, summa omnia fecerunt, ut iras permulcerent, hominesque à prava mente deducerent: ceterum irrita omnia fuerunt. Guelphi enim consiliis cum gubernatore regio occulte consociatis, ipsoque facile in suam causam tracto, haud ex vano reputante consilia novandarum rerum à Gibellinis non magis in Guelphos, quam in Regem strui; non exspectandum rati, dum adversarii sese copias undique accersitis firment, pridie Nonas Februarias anni insequentis ejus sæculi xxxv. Imperialium Gibellinam gentem adoriuntur. Quo motu excitato, extemplo omnis civitas in armis fuit. At Gibellini viribus tum impares, externa clientium & amicorum auxilia accersitum mittunt in varia loca; ipsique interea Suffiliam, & aream divi Matthæi, totamque eam regionem, quæ Domo culta comprehensa ad aream Luculanam pertinet validis munimentis firmant, viarum faucibus vallis ac transversis trabibus obseratis; cum Guelphi gubernatoris regii favore subnisi cetera omnia urbis loca, omnesque arces & turres tenerent. Tandem ad quartum Kalendas Martias magna pars exspectatorum subsidiorum Gibellinis submissorum terra ac mari ad urbem accessit; cum maritima auxilia ab octo triremibus & compluribus minutioribus navigiis Saona profectis vecta essent: quæ primo adventu in portum penetrare non potuerunt à Guelphis repulsæ, qui omnes maris crepidines prævalidis præsidiis occuparant: ceterum omnibus viribus contisæ ad portam Vaccarum Guelphis invitis exscensionem fecerunt. Quibus copus auctis Gibellini, aream sancti Lucæ, Guelphis inde dejectis, totamque eam regionem, quæ intra & extra pomœrium ad promontorium Pheri pertinet, ac turrim Castellettum vocatam, nec non portam Auriam occupant. At Joannes Flifcus Caroli filius, tum familiæ caput, res in summas angustias adductas cernens, cum Salvagi in fide data manentes ab ipso appellati in caussam descendere recusassent, Turriliam ditionis suæ opidum concessit.

Igitur Gibellini totius civitatis potentes facti, nemine violato, nemineque urbe exacto, cum gubernator regius cum prætorianis suis illæsus, omnique contumelia intactus urbe excessisset, consilio universæ civitatis tam nobilium quam popularium civium vocato, Raphaelem Auriam Siciliæ Halmiratem, & Galeottum Spinulam Capitancos & rectores civitatis in biennium creant; collegia additis, Prætore peregrino homine ex veteri instituto, Abbatibus, & antianis: quibus rebus Gibellinorum potentia in immensum crevit; cum multæ ex primariis popularibus familiis, Guelphis partibus relictis, studio quietis ad Gibellinos transissent. Auctoritatem urbis ceteris populis sequentibus, omnis ditionis Genuensis arces ac munita loa in Capitaneorum manum venerunt, præter Monœcum munitissimum opidum, quod Guelphi tenebant; illudque sibi sedem & arcem fecerant. At Capitaneorum haud segnis opera fuit; octo enim & viginti triremes in Catalanos armarunt: quarum præfectus fuit Odoardus Auria; cum antea nonnullas quoque armassent: quæ classis ad littus Panhormitanum, Catalanu è terra inspectantibus, neque opem ferre audentibus, duas illorum naves incendit.

Anni insequentis ejus sæculi tricesimi sexti initio A. C. induciæ cum Regibus Aragoniæ & Balearium factæ 1316. sunt. Tandem utraque parte tædio laborum & diuturnitate malorum fessa, pax convenit. Interea inimicitiæ inter Factiones iisdem excursionibus, rapinis, populationibus exercebantur; cum nemini parceretur, captique utrimque aut nonnumquam interficerentur, aut ad necessitatem sese redimendi adigerentur; Guelphique, navibus suis, modo pluribus, modo paucioribus Monœco exeuntibus, totam oram Liguſticam ac commercia maritima infesta facerent, ac sæpe fauces ipsius urbis insiderent, opidaque ditionis Gennensis furto caperent, quæ Gibellinis cum minoribus copiis recuperatum venientibus mox dimittebant.

Ceterum singula hæc mioura persequi neque operæ pretium est, & longum fuerit: illud sofigne prætereundum non fuit, fauces portus à riginti duabus Guelphorum triremibus per multos dies anno insequenti ejus sæculi tricesimo septimo infes- A. C. tæ, ac civitas obsidione pressa; opidumque Vulte- 1337. bium à Lombardino Spinula Reipublicæ abstractum; portoriaque ejus nomine exacta. At Capitanei, quibus caput curarum erat, dominatum sibi firmare, omnibus machinis adhibitis pervicerunt tandem, ut sibi à die festo divorum Simonis & Judæ tutelarium civitatis nominum, imperium in triennium prorogaretur; potestasque amplificaretur, summo imperio, quod merum & mixtum vocant, illis mandato; sine ulla in rebus regendis ceterorum assidentium Magistratuum societate; jureque illis facto, Vicarium, quem vellent, qui jus diceret loco Prætoris, eligendi; atque Abbatem populo dandi.

Eo anno semina dissidiorum inter Genuenses & Ve-

Venetos jacta ſunt: decemque Genuenſes triremes, præfecto Franciſco Marino, Jonio navigantes, obvias habuerunt totidem Venetas triremes: à quibus, cum primo detrectaſſet, nihilque rei eſſe Genuenſibus cum Venetis diceret, neceſſitatem pugnæ ſubire coactus eſt: quæ diuturna & cruenta utrimque fuit; Venetis ira ardentibus, ob duas Venetas triremes majoris formæ, quæ magni pretii mercibus onuſtæ ex Flandria veniebant, ſuperiore anno a Guelphorum Monœcum tenentium navibus captas. Exitus pugnæ Genuenſibus tandem ſecundus fuit; claſſe Venetorum profligata, ac majore navium parte capta.

Inſequens annus ejus ſæculi triceſimus octavus illud tantum memorabile habet; vicenas triremes Genuæ à Gibellinis, ac totidem à Guelphis Monœci armatas, ac Regi Gallo cum Anglo belligeranti in Oceanum ſubſidio miſſas, ſtipendio ab eo conductas. A.C. 1338.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER VII.

A.C. 1339 SEQVITVR annus ejus ſæculi triceſimus nonus, quo nullus memorabilior umquam fuit; magna rerum commutatione facta, atque alia Reipublicæ forma inſtituta; ut vere hic annus dici poſſit altera Genuæ origo. Occaſionem tantæ rei præbuit caſus quidam procul ab urbe & à ditione Genuenſi ortus, atque humilis ſortis homo: ut vere dictum ſit; incendia, quibus magnæ urbes ſæpe conflagrent, non ſemper à baſilicis & theatris, ſed interdum quoque ab humilibus tuguriis oriri. Ingens in Flandria, quo claſſem Genuenſem miſſam diximus, excitata eſt controverſia inter Antonium Auriam præfectum claſſis, & turbam nauticam, conquerentem, ſtipendia ſibi integre non perſolvi: quæ contentio à verborum altercationibus ad jurgia & convicia procedens, poſtremo ad manus deducta eſt: multitudoque ſuperior, præfecto & Ducibus dejectis, claſſis dominatum occupavit. Re ad cognitionem ipſius Regis deducta, Rex ſecundum præfectum & Duces judicavit; Petrumque quendam Capurrum nautam ex opido Vulture, (qui legati & patroni nauticorum partes apud Regem egerat) ac cum eo quindecim ſeditionis auctores carcere incluſit. Exarſit hoc facto plebs nautica; nonnullique ira & indignatione ardentes, relicta claſſe, in Liguriam reverſi, ſermonem falſum diſſipant; Petrum Capurrum, ac nonnullos cum eo, quod jus ſuum ac miſerorum nautarum per judicium contra præfectum ac Nobiles poſtulare auſi eſſent, ſulpendio necatos: ac per ditionem Genuenſem circa diſcurrentes, nomenque Capurri magnis & queribundis clamoribus ſubjicientes, magnos ſibi hominum concurſus non modo ex opido Vulture, inſontis municipis ſui caſum miſerantium, ſed ex præfecturis Porciferæ & Biſamnii faciuot; ut eſt plebs ad omnem levem auram mobilis: qui omnes cum plebe Saonenſi eadem de cauſſa commota, cum nonnulli quoque nautæ in eam urbem à claſſe rediſſent, eademque mentiti eſſent; ſtudiis conjunctis in ædem divi Dominici Saonæ conveniunt. Ibi injurias & ſuperbiam Nobilitatis conqueruntur; quæ eo arrogantiæ proceſſerit, ut plebem non modo jus ſuum impetrare, ſed poſtulare, etiam indignetur: ac ſi quis contra illos oculos attollere, aut vocem libertatis memorem mittere audeat, capite plectant. Verum hujus tanti mali majorem culpam penes ſe quam penes Nobilitatem eſſe: nihil enim novum Nobilitatem facere; nihil, quod illis non non uſitatum ac naturale ſemper fuerit, admittere: at ipſos, quæ propria & uſitata multitudini ſemper fuerint, ignavia & ſocordia ſua non facere; neque ſe, armis arreptis, quod unicum remedium adverſus Nobilitatem tenuioribus perpetuo expertum ſit, libertatis ſuæ vindices eſſe: errare enim, ſi quis per judicium ac poſtulata jus ſuum ſeſe adverſus Nobilitatem obtinere poſſe ſperet: quæ, ſi ea ratio ineatur, conſpiratione & artificiis ſuis ſemper ipſorum conatus ſit eluſura: iis armis illos numquam non ſuperiores futuros: plebis arma vim & dexteras ſuas eſſe: ab iis igitur armis, quibus ſuperiores ſint, opem petendam: ſummæ inſciitiæ eſſa ab aliis remedium malorum quærere, quod in ſe ipſis habeant.

Cum hæc atque ejuſmodi à concitatis animis undique vociferarentur; urbana plebe atque opificibus ſibi adjunctis, dominatum urbis, Prætore ac Magiſtratibus dejectis, invadunt: cum prius Odoardum Auriam Gœua ad ſedandos tumultus miſſum, unaque nonnullos à gente Vegeria inturrim prætoriam compulſos, illa capta, in arce ſanctæ Mariæ incluſiſſent. Civitatis igitur potentes facti, regimen rerum penes duos populares cives eſſe volunt; quibus vicenos nautas, ac parem artificum numerum adjungunt. Morbus tamquam contagione in urbem penetravit: Genuenſiſque plebs, ne inferior aut ſegnior Saonenſi fuiſſe videretur, haud minoribus motibus adverſus Capitaneos conſurgit; vulgo frementes, Abbatem populi non ſibi à Capitaneis dandum, ſed à populo ipſo eligendum: æquum id eſſe, & ſolitum fieri, antequam Capitanei omnia ad ſe traxiſſent. Capitanei re improviſa perturbati, omne certamen adverſus concitatæ multitudinis impetum periculoſum cenſentes, cedunt. Plebs xx. ſui corporis hominibus electis jus Abbatem eligendi mandat. Illi ad nonum Kalendas Octobris in prætorium conveniunt, atque in conclave ſecedunt; Capitaneis, magna civium caterva tam Nobilium quam popularium corporis eos circumſiſtente, omnique plebe, quæ ipſa quoque eo convenit, ſortis exſpectantibus. Cum ſuffragiorum certamina electionem extraherent, moraque ſortis exſpectantibus tædio eſſe cœpiſſet; ſordidi quæſtus homo, cujus nomen propter obſcuritatem ignoratur, inconſulti ingenii & linguæ immodicæ vir, ac quocumque impetus animi tuliſſet, temere

proferri ſolitus, edito loco conſcenſo, ex quo ab omnibus conſpici & exaudiri poſſet; *Tenuiſne*, inquit, *fortis hominem, cives, ſalutare conſilium vobis afferentem audire poteſtis?* qua voce omnium oculis in illum converſis; alii hominem ſtolidum ac projectæ impudentiæ, nihilque pro ſano pronunciaturum, protinus ex eo loco deiciendum dicere; alii riſum, luſumque captantes, cum porro loqui jubere. At ille, *Utcumque*, inquit, *oratio mea accepta, aut animadverſa fuerit; imperare animo nequeo, quin, quæ mentem ſubit cogitatu, eam proferam.* Aderat inter popularium principes Simon Buccanigra, vir acer & experiens, magnique, ut res docuit, animi & conſilii: manum igitur in illum homo loquax intendens, *Quid*, inquit, *opus eſt pauis, cives, quam ut Simonem hunc Buccanigram, quem adſtantem cernitis, omiſſis ambagibus, vobis Abbatem ſumatis?* Raro ac vix umquam ulla in re tantus hominum conſenſus repertus eſt, quantus tum in populo Genuenſi fuit, Buccanigræ nomine audito. Undique igitur conclamatum eſt ejus nomen, omnibus una voce Abbatem illum depoſcentibus: quem renitentem manu apprehenſum, nonnenque ejus magnis plauſibus & clamoribus ſubjicientes, in ſuggeſtu medium inter Capitaneos conſtituunt; recuſantique ac retractanti nudatum enſem imperii inſigne in manum tradunt. Ille, cum nutu ac manu ſilentium tandem feciſſet: *Studiis quidem*, inquit, *veſtris, qua tam ardentia in me cerno, plurimum me debere confiteor, cives; ceterum titulum, qui nunquam in gente noſtra fuit, nunquam ego princeps in eam inducam: honorem igitur iſtum convenientius ad alterum deferatis, rogo:* enſemque traditum reſtituit; inferiorem videlicet familiæ ſuæ dignitate cum Magiſtratum ſignificans, in qua olim Gulielmus ſummum civitatis imperium obtinuiſſet, perhonorifico Capitanei titulo inſignis. Plebs hinc, vera dicere Simonem, fateri; illinc hominem ſibi præfectum cupere: qua incertis conſilis fluctuante; ſubita vox exorta eſt, *Dominus igitur ſit Buccanigra*: quæ vox non minori conſenſu, minoribuſve plauſibus ac clamoribus, quam prima excepta, Capitaneos vehementer perculit: qui Simoni ſuadere cœpetunt; caveret, ne adverſus concitatam multitudinem nimis pertinaciter tendendo, materiam ſeditionibus atque offenſionibus præberet: plebis igitur voluntati obſequi in animum induceret: exiſtimaretque ſe, in Abbatis delato munere aceipiendo, dignitatem familiæ non imminuiſſe, ſed Reipublicæ condonaſſe: id illum ceteræ prudentiæ ſuæ conveniens facturum. Igitur Simon ad plebem converſus, *Morem*, inquit, *cives, ſtudiis veſtris gerere decrevi; an honore ſive Abbatis, ſive Domini accipiendo:* ad quæ verba ſubito ab univerſo populo ſuccłamatum eſt: *Nequaquam Abbas, ſed Dominus eſto, Buccanigra.* Quibus ille, *Voluntatem*, inquit, *veſtram video, cives, ut Dominus ſim; ſed cum eo forte, ut una cum Capitaneis his, quos ceruitis, rebus præſim.* Conclamat multitudo; *Quin tu ſolus, nemine ſocio, Reipublicæ gerito, Duxque eſto; hunc tibi ſummi honoris atque imperii titulum deferimus:* & ſecundum ea dicta hominem è prætorio in privatas ædes deducunt; *Io Dux, io Domine*, in imcre lætis plauſibus ſubinde conclamantes: paulloque poſt, iiſdem cum plauſibus ac clamoribus, magna hominum comitante multitudine, in prætorium reductus eſt: qui in ipſo initio animum ſtatim parem tanto faſtigio demonſtravit: neque enim plebi diſſolutæ indulgens fuit; ſed laſcivientem compreſſit: quæ, animis ſublatis, quod principem ſui corporis hominem, ac tanto beneficio ſibi obnoxium haberet, non contenta libertate, qui eſt perpetuus plebis mos; imperio, in quo ſe poſitam putabat, abuti continuo cœpit: tota enim urbe armata diſcurrens, atque *Io populo, io Dux*, ſubinde vociferans, ſui ſpeciem terribilem faciebat: nonnullorumque cupiditas egeſtate inflammata eo provecta eſt; ut Nobilium domos luce ac palam invaderet ac diriperet: qua fama ad aures ipſius perlata, excitatus Simon facinoroſorum hominum ſceleri & audaciæ in ipſis initiis obviam eundum intelligens, continuo cum valida armatorum manu prætorio proſiliens, urbemque circumiens, nonnullos recenti præda onuſtos in itinere comprehenſos capitali ſupplicio affecit, rebus ſuis dominis reſtitutis; terroremque ſuum circumferens, perditorum hominum nefarios conatus diſcuſſit, ac civitatem pacavit: qua ſeveritate, quibuſque in maleficiis puniendis juſtitiæ documentis, majeſtatem imperii & civitatis quietem fancivit, populique obedientiam in ſe firmavit.

At Capitanei, cum in privatas ædes non ſine diſcrimine conceſſiſſent, neque in ea urbe, in qua ipſi imperium obtinuiſſent, alium, ipſis dejectis, regnantem æquis oculis adſpicere poſſent, ad hoc non ſe ſatis tutos inter tot in ſe ardentia odia cenſentes, urbe illico excedunt; Auriæque urbem Ingaunum, Spinulæ vallem Porciferæ verſus iter capiunt. Poſtero die omnis populus, unaque plebs ruſtica trium præfecturarum, ante ædem divi Laurentii armati conveniunt: ibique perpetuum ducatus imperium Simoni Buccanigræ univerſi mandant, ac ratum faciunt; nonnullis civibus, omnibus è popularium corpore, illi in conſilio additis. Leges præterea factioſæ ſummo cum populi conſenſu latæ: quibus omnes Guelphi à Republica gerenda excluſi ſunt, Nobilibuſque illius Factionis illorum villæ exſulii locus deſignatus; cum de Gibellinis Nobilibus nonnulli tantummodo è gentibus Spinula & Auria urbe ſint exacti; ex reliquis familiis omnibus, ac ne ex ipſis quidem Aurus & Spinulis nemo exſulii cauſſa ſolum vertere ſit coactus.

Ita Genuæ imperium à Nobilibus ad populum tranſlatum eſt; totaque Reſpublica Gibellinu ceſſit: quæque res omnibus ſæculis, atque apud omnes gentes magni moliminis, magnorumque certaminum, ac diſcriminum, magnique conſiliorum apparatus, tum autem diuturni temporis fuit; ea Genuæ eodem temporis momento mota & ad exitum perducta eſt; inopinatuſque caſus, ac ſtolidi & obſcuri hominis temere emiſſa vox, tantæ rei origo & auctor fuit. Quarta hæc fuit regiminis civitatis noſtræ forma, à Conſulibus poſt extinctum Romanum imperium incepti, deinde ad Prætorea tranſlati; ab his ad Capitaneos, poſtremo ad Duces deducti. Sunt qui cauſſam non caſimant ſtolidæ voci aſſignent, ſed Simonis ipſius artificio; quem ſive ambitione inductum, ſive patriæ caritate impulſum, ut illam à perpetuo dominatu quattuor Nobilium familiarum liberaret, ad ſplendidum conſilium animum adjeciſſe: ab illoque excordem hominem ſubmiſſum, conſilio in utramque partem tuto: ſive enim ejus vox reſpueretur, fraudem in homine amente minime ſuſpectam fore: ſive acciperetur, tum ſe id, quod intendebat, aſſecuturum: eodemque aſtu homines alios ab illo factos & præparatos veniſſe, qui, ſimulatque ipſum Abbatis nomen ac munus delatum recuſantem, atque enſem reſtituentem cernerent, nomen ipſi Domini ac Ducis ſubjicerent: quod ut non omnino à vero abſonum Simonis ingenium facit; ita rei in ſola conjectura poſitæ, cujuſque indicium nullum umquam emanarit, quis tandem fidem adjungere poſſit?

Ad memoriam novæ inſtitutæ Reipublicæ perpetuo retinendam lege ſancitum eſt, diem ad nonum Kalendas Octobris, qui dies feſtus eſt beatæ Telæ, celebrandum; vexillo aureo ab ipſo primum prætorio ad ejus divæ titulo ſacratam ædem delato; quod conſequerentur omnium opificum præfecti, ſinguli ſingula vexilla ſuorum cujuſque opificiorum corporis deferentes. In ipſo ducatus initio haudquaquam laudabilis exempli facinus à plebe admiſſum eſt; ta-

tabulis rationum Reipublicæ atque ærarii incensis, | A
five juſſu, five permiſſu conniventis Ducis; ut
videlicet animos plebis nonnihil ſeveritate in pu-
nendis maleficiis irritatos eo blandimento per-
mulceret: qua in re ut apud bonos & Nobiles non-
nihil offendit, ita illorum voluntates alio facinore
mire ſibi conciliavit: nam Rebellam Grimaldum
magno hominum globo circumventum, atque extre-
mo diſcrimini proximum eripuit è manibus furentis
multitudinis, hominem ad mortem minaciter depo-
ſcentis; ſceleratorum ſcilicet progenicm, qui ipſius
Ducis avum Lanfrancum Gulielmi Capitanei fra-
tris ſalutem & dignitatem defendentem, per ſum-
mam injuriam & crudelitatem interfeciſſet; ere-
ptumque incolumem dimiſit: ſqua ſeveritate, qui-
buſque & in maleficiis puniendis juſtitiæ exemplis,
& in privatis familiæ injuriis condonandis, mode-
rationis mitiſque animi cditis documentis, majeſta-
tem imperii fancivit; ac non modo populi obedien-
tiam in ſe firmavit; ſed maximæ quoque Nobilium
partis voluntates ad ſe attraxit; cum Nobilibus ipſis
quattuor potentiorum gentium regnum inviſum eſ-
ſe cerpiſſet: quarum faſtus eo creverat, ut reliquis
familiis nobilibus non jam pro ſociis, ſed pro clien-
tibus atque adeo ſubjunctis uterentur: hominesque
præteritis malis ſefti gauderent, ſeſe acrem otii ci- C
vitatis vindicem nactos nemini vim afferentem, ne-
minem calumniis circumvenientem: quin contra
omnes tam Nobiles quam populares corporis eives
pariter ample ſtentem; neminemque, qui communi
& æquabili jure cum ceteris eſſe vellet, ab honori-
bus & claſſium præfecturis excludentem: ut magnus
Nobilium numerus, ſtudiis cum primoribus po-
pularis corporis civibus conſociatis; lætanteſque à
patriæ cervicibus jugum excuſſum, libertatemque
ad eum diem oppreſſam à Simone reſtitutam,
omnia ſua ſtudia, reſque omnes ſuas ad illum pro-
lixe detulerint.

At non idcireo potentiorum nobilium familiarum
implacabiles animos mitigavit; cum non magis ſeſe
principatu dejectos dolerent, quam hominem è po-
puli corpore ſolum ac ſolutum legibus dominan-
tem concoquere non poſſent. Illorum igitur conju- D
rationibus ſæpe eſt appetitus; quarum exitus infelix
A.C. fuit: nam inſequenti anno ejus ſæculi quadrageſimo
1340. municeps quidam Vulturentis, qui à nobili quodam
primario eive inductus, cujus nomen Annales ſi-
lentio prætercunt, Ducem ſcorpionis ictu interfi-
ciendum ſuſceperat, re detecta capitali ſupplicio af-
fectus eſt: paulloque poſt Duci à nonnullis tenuis
ſortis hominibus conſilia in illius caput à duobus ex
Gibellinæ Nobilitatis principibus, quorum nomen
ipſum quoque ſiletur, inita, enuneiata ſunt: qui E
cum octingentorum armatorum manu aliquam ci-
vitatis partem occupare ac præſidiis firmare con-
ſtituerant, ibique exſilium promiſſa prævalida au-
xilia exſpectare; quibus ſubniſi prætorium ac Du-
cem invaderent: quos Dux ſtabulo latentes compre-
henſos, ac per judicium damnatos capite plecti juſſit.
Ad hoc nullas diligentiæ partes in novo rerum ſta-
tu ſtabiliendo prætermittens, omnes fere ditionis
Genuenſis arces recuperatas partim retinuit, par-
tim tamquam Reipublicæ atque otio civitatis in-
commodas demolitus eſt; arcem Ericis, quæ à no-
bili quodam Genuenſi tenebatur, pretio redimere
coactus. Eum ſibi morem fecerant Marchiones Car-
rettani, ac nonnulli alii Proceres, diuturna impu-
nitate eorum audaciam alente; ut finibus ſuis egre-
derentur, ac ditione Genuenſi populabundi diſcurre-
rent: quin etiam opida & loca ſæpe invaderent: quæ
res à Genuenſibus in tantis civilium bellorum occu-
pationibus, minus animadverti, aut puniri poterant.

Hoc igitur anno Georgius Carrettus Marchio Fi-
rarii haud ſecum reputans, mutatam temporum ra-
tionem, neque conſiderans cum quo viro, quam-
que acri ſuæ & Reipublicæ dignitatis vindice res ſibi
futura eſſet; fines Inguanenſes infeſto exercitu in-
greſſus, agro prius vaſtato, copias urbis mœnibus
admovet. Dux haud levia terreſtria & maritima au-
xilia, Joanne à Mari ex Nobilitatis ſe corpore viro Du-
ce, extemplo ſubſidio Inguanis mittit: in quibus
fuerunt novem triremes, quæ commodum ex Hi-
ſpania redierant; ne hominibus quidem è tam longo
itinere in patriam & ad ſuos reverſis in terram ex-
ſcendere permiſſis. Fama adventantis validi ſubſidii
perculſus Georgius, intelligens quam diſpar certa-
men ſibi cum tanto viribus ſuperiore eſſet, obſidio-
ne ſoluta, ſeſe ac copias in ſua ſubduxit: nunciof-
que ſe exercitum ad Ducem mittit. Eos vultu & Eos-
mone adſpernatus Dux, reſpondet, non aliter Geor-
gium ſibi de injuriis quam præſentem ſatisfacere
poſſe: id ſuam & Reipublicæ dignitatem poſtulare.
Georgius in ſummas angustias adductus, ceteri
omnis conſilii inops neceſſitati paruit: fideque inco-
lumitatis accepta, Genuam venit, atque inter con-
vicia populi obſtrepentis, ad mortemque illum de-
poſcentis, in prætorium deductus eſt: nihilo magis
comiter à Duce aut vultu, aut verbis acceptus, in
cuſtodiam datus eſt; paulloque poſt tetro carcere
incluſus: ex quo non prius eſt dimiſſus, quam ne-
ceſſitate illi expreſſa, Finario, Varigotto, Cervo,
ac ceteris omnibus, quæ tenebat, locis Duci ac Rei-
publicæ Genuenſi cedendi: quæ loca, ſimulque ca-
ſtella Procerum Linguliæ, qui cum Georgio con-
ſpiraverant, Duci illico tradita ſunt: qui è veſtigio ar-
ces Caſtellarii & Varigotti demolitus eſt: neque ta-
men idcireo Georgio placatus; quem lignea cavea fa-
bricata incluſit? quibus rebus confectis, Dux totam
Liguriam in antiquum imperium ipſius virtute reda-
ctam pacatam habuit, præter Monœcum, quod opi-
dum à Republica abſtractum gens Grimalda tenebat;
ac præter Albintemelium, quam urbem nonnulli ex
quattuor potentioribus familiis ſibi fedem fecerant.

At Dux, quamquam ingenio acer & vehemens,
ſeveritate & vigilantia ſua fatis ſe terribilem inimi-
cis fecerat; nullum tamen ducatus tempus quietum
habuit: numquam enim nobiles exſules vel illius
vitæ occultæ inſidiari deſiterunt, vel populos ad
defeiendum inducere: ut anno, qui ſuperiorem A.C.
ſecutus eſt, ejus ſæculi quadrageſimo altero mi- 1341.
tendus cum copiis Prætor fuerit in vallem Oneliæ:
in qua multi mortales, Antonio Auria inſtigante,
defecerant: qui Prætor, re ſtrenue geſta, eos,
qui defecerant, victos Reipublicæ firmavit: Au-
riaque hoſtis patriæ declaratus eſt, & in exſilium
actus, bonis publicatis.

Inſequenti anno indicia nefariorum conſiliorum A. C.
contra Rempublicam, tam in urbe ipſa, quam in 1343.
multis ditionis Genuenſis locis initorum, ipſius ur-
bis Genuæ Principibus Mediolani prodendæ, ema-
narunt: qua de cauſſa quidam obſcuræ ſortis de ple-
be Genuenſi homo, ac nonnulli ex opidis Cervo,
Naulo, Taſſarolo atroci ſupplicii genere mulctati
ſunt; equinis caudis alligati, ac per urbem ra-
ptati.

Improbum quoque ac mali exempli facinus inſe- A.C.
quenti anno ejus ſæculi quadrageſimo quarto à Lu- 1344.
ciano Grimaldo, qui Monœcum tenebat, in Rem-
publicam admiſſum eſt: qui defectionis crimen la-
trociniorum infamia cumulavit: triremi enim ar-
mata, piraticam facere contra nationem Genuen-
ſem, ipſoſque cives ſuos cepit; nonnullis navibus
civium Genuenſium, etiam ex Nobilium Factione,
magni pretii mercibus onuſtis captis: ut ſex trire-
mes Genuæ armandæ fuerint, Ugolino Guizulfo
ipſo quoque ex Nobilium corpore præfecto: qua-
rum tres in oram Orientalem, tres in Occidentalem
adverſus piratas miſſæ ſunt: quæ triremem Monœ-
ci ad neceſſitatem pugnæ adactam ceperunt, ac ca-
ptam Genuam adduxerunt. Tandem nobiles exſu-

les

les quattuor potentiorum familiarum, occultis insidiarum consiliis toties vanis expertis, aperta vi agendum statuunt: consociatis igitur studiis, ingentes pedestres & equestres copias comparant: quain re operæ pretium est considerare, quam ardentia sint inter Nobilitatem & populum Factionum studia; quamque, præ illis, ceteræ dissensionum caussæ leves: tantum enim nobiles potentioresquattuor familiis Simonis odium tenuit; ut aviditas popularis principatus evertendi memoriam inveteratarum Gibellinæ & Guelphæ Factionum interneecinis odiis tamdiu exercitarum obruerit, animosque ob atrocissimas mutuas injurias capitaliter inter se infensos subito conjunxerit.

At Simon improviso nuncio trepidus, capitibus regionum, quos *Conestabiles* appellabant, convocatis; de ratione periculi imminentis discutiendi cum illis deliberare instituit. Via compositionis, quam armorum, tutior & exploratior est visa: igitur Simon, Nobilibus, qui erant in urbe, vocatis, talem orationem habuisse dicitur: *Injuriam, quam sibi Nobilitas imposita putat, partim urbe exacta, partim honoribus, ac magistratibus, omnique procuratione Reipublica exclusa; non tam mihi tribuere, si veraverum æstimatrix est, quam perpetuo civitatis moti, ad hoc Respublica temporibus assignare debet. Quis enim in omni vita me mitior unquam fuit, nisi cum majestas imperii severitatem postulavit? Quæ ab omni inferenda injuria, aut natura, aut voluntate remotior? qui no populum quidem privatas meas ac domus mea injurias in Rebella Grimaldo ulcisci passus sum: quem agre furentis multitudinis manibus eripui. Neque populus in Nobilitate urbe exterminanda novi quidquam fecit; eas ipsamet Nobilitas per septuaginta hos annos, quibus prapotentes quattuor familiæ regnarunt, hoc exemplum prævia: cum altera Factio verum posita non modo adversam Factionem a Republica gerenda dejeceret, sed civitate quoque ejiceret: quod igitur Nobilitas æquis corporis hominibus, ac nulla alia re, quam partium Gibellinarum & Guelfarum nomine distincta, semper perpessa est; id se a populari corpore hoc tempore periisse muretur, aut vero indignetur? cum mutuorum etiam populum erga se, quam ipsi inter se fuerint Nobiles, experiatur; qui non totam adversam Nobilium Factionem (duæ enim ha Factiones Nobilium & popularium ad veteres hoc tempore addita sunt) urbe expulit; sed eam tantum partem, qua turbulentiorem ingenio visa est; quaque hanc Respublica formam summo totius populi consensu sanctam sese averturi præseferebat: a vobis vero pacatis & quietis civibus, qui domi manssitis, non modo omnem injuriam abstinuit, sed in honore etiam vos habuit, publicis munoribus ac truremium professuris ultro delatis: cum Nobilitas totam adversam Factionem exsulio mulctaret, ut duæ jam facta civitates viderentur; altera, quæ urbem incoleret, altera, quæ exterris patria ætatem ageret. Procurationem vero Reipublicæ vobis, qui Guelphas partes secuti estis, abjudicatam, æquo animo vos ferre decuit: si supersorem rerum statum tum, cum quattuor potentiores familiæ regnabant, cum præsenti comparando, vobiscum reputabitis, in eum locum res adductas; ut, quod vobis relictum est, minarum patria ipsa, potius in lucro, quam quod ademptum, in damno ponere deberetis. Quamquam ne hoc quidem ipsum libens, sed a vi ipsa coactus feci: nulla enim alia erat via vos in civitate retinendi; nullaque alia re irritatos populi in Nobilitatem animos mitigare potui, quam hac specie contumelia vobis injuncta: ut beneficium mihi ponas, si verum amatis, a vobis deberi, quam ullam suscensendi caussam habere existimare debeatis. Nunc, cum divina Numinis benignitate, meaque assidua diligentia & studio, ira populi en Nobilium nomen satis deferbuerit; en vos honoribus & procuratsem Reipublicæ restituere decrevimus. Quod beneficium animo pulsi metuens a me potius expressisse, quam ipsam rei æquitatem impetrassi: nam non ideo exsules quieturos intelligo, neque ab armis mihi inferendis destituros; qua non vestra, sed sua caussa induerunt: qui nunam civitatem tantummodo repetant; atque in animum inducant cum reliquis civibus æquo jure vivere: profecto nisi experierem illi in se populum experientur, quam vos illum in vos sensistis, nulla in re unquam lasi. Nunc illi non patriam repetunt, quam illis restituere parati sumus; si modo in ordinem se cogi pati possunt, ac meminisse volunt, se illius cives non dominos natos; sed regnum, quo carere non possunt, cujusque caussa patriam funesto civili bello involvere non dubitant. porro vero pergant; haud feliciore eventu quam justiore caussa dimicaturi. Proinde quattuor e vobis eligite; qui mecum de conditionibus concordiæ agam.*

Cum peroraſſet Dux, Nobiles, conditione data cupide accepta, quattuor à se electis negotium dant controversias cum Duce componendi: pauciſque commutatis verbis, res ita convenit; ut exſulibus patria ac bona reſtituantur; honores & munera publica æqualiter inter populum & Nobilitatem dividantur: duodecimque cives Duci in conſilio dati ſunt, ſeni ex utroque corpore. Neque tamen hac compoſitione arma à Nobilibus depoſita ſunt; cum urbi appropinquaſſent, ac circumjecta loca præſidiis occupaſſent, quin etiam ſuburbia intraſſent; cum per idem tempus multi in ora Orientis ex potentioribus familiis, Nobilium partes ſequentes ad arma conſurrexiſſent, Prætoribus ac Magiſtratibus à Duce miſſis expulſis: quæres ingentem trepidationem Genuæ fecit: cumque Nobiles negarent ſeſe aliter urbem intraturos, quam cohorte ſeptingentorum prætorianorum à Duce dimiſſa: Dux in ipſo temporis articulo, cum faucibus premeretur, infidelitatem hominum conqueſtus: *Si cui*, inquit, *aut meus, aut potentiorum familiarum in Rempublicam animus adhuc dubius fuit; hodiernus dies finem dubitandi facit. Hic*, inquam, *dies, Genuenſes, decernet, utrum mea conſilia per ſeſe libertatis patria aſſerenda, & concordiæ civium conſtituenda, ad regnum mihi comparandum, an adverſarii mei diſſidii, ſpellarint: an nobiles exſules per has ambages de civitate, ex qua extortes immerito ſe ætatem agere diſſidii, ac jure civium recuperando; an de impotens dominatu, ex quo ego injuſte poſſeſſo illos dejeci, repetendo laborarint: coſque ex iſtis machinationum involucris evolvet. Nam, proh Superum atque hominum fidem! quid eſt, quod illi contra Rempublicam per hos annos moliri non ſint; illius opida occupando, populos ad defectionem impellendo, quin etiam piraticam facienda, ac bonorum & verum civium ſuorum, velut hoſtium, prædas agendo; arma denique patria aperte inferendo? aut quid illis in votis fuit, quod non illico impetrarint? In civitatum ſeſe reſtitus poſtularunt; reſtitutis ſunt: ad honores & procurationem Reipublica ſe admitti contenderunt; admiſſi ſunt: poſtremo omnis illis excuſatione adempta, rem novam, qua una reſtabat, commens ſunt. proinnum enim, quo me ex decreto veſtro adverſus illorum modo occultas inſidias, modo apertas petitiones ſepſi, dimitti volunt. Qua in re quid illis propoſitum eſſe conſcitis? utrum quod ſibi & ſalutis ſua a me atmate timeant: an vero ut me, cujus jugulum toties ſceleratis conſiliis ſuis, ac latrombus & percuſſoribus ſubmiſſis peterunt, nunc aperta vi præſidiis nudatum aggrediantur? ut, me videlicet oppreſſo, unoque illo, quod ipſorum libidini & ambitioni adhuc obſtitit, impedimento ſublato, poſſeſſionem impuneſtiſſimi dominatus ſibi ſtabiliant? A me nihil tale illis timendum eſſe, neque meum ullum præcipuum eſſe in Nobilitatem, ut illi calumnuantur, odium, argumento ſunt a me in ducatu geſta; qui eam Nobilitatis partem, qua domi remanſit; quaque animum inducere potuit, ne præcipuum ſibi jus inter reliquos cives poſtularet, non modo nulla in re laſi, ſed etiam defendi: cum etiam domeſticas injurias ac juſtum odium menm Reſpublica & patrie cari-*

caritati ac ſtudio concordiæ condonarim. Quamquam quid ego me Nobilitatem non læſiſſe commemoro? quam inſuper amplexus ſum, in honore habui; quin etiam claſſium præfecturas mandavi; nullius videlicet ſtudium & operam deſpernatus, quo quietorum civium inſtituto vivere voluit: ceterum ambages iſtas præcidamus: en, ego, ne quid in me ſit, quod civitatis concordiam diſturbet; non modo præſidium dimittere, ſed ducatu ipſo à vobis mihi ultro liberis ſuffragiis mandato abire paratus ſum: quodque omnes veſtra ac Reſpublica cauſſa mihi impoſitam, ſuſcepi; idem eadem veſtra & patriæ cauſſa deponere conſtitui. Nim obſtabit jam civitatis tranquillitati & civium concordiæ Simonis Buccanigræ perſona: utinam ne eam tyrannidis obſtitiſſe experiamini: eripiam ego adverſariis orationem, quæ me appetiti regni inſimulant. Age refellant me ipſi vicißim; ni falſam invidiam, ut ajunt, dominandi cupiditate illos vocantem: ſecundumque eam orationem, magiſtratu ſe abdicavit, atque in privatas Squarciaficorum ædes conceſſit; pauciſque poſt diebus Piſas commigravit.

Neque vero quinquennale curriculum, quo Simon ducatum obtinuit, imbelle omnino fuit, aut militari gloria caruit, neque infeliciter Reſpublica foris geſta, nonnullis claris victoriis partis; quas hucuſque ſcribendas diſtuli, ne ſeriem urbanarum rerum interrumperem. Simon enim à Quarto præfectus novem triremium ad mercaturam negotiationem comparatarum Peram appulſus cognovit, duodecim Turcarum triremes per circumjecta maria populabundas diſcurrere, magnaſque prædas hominum & rerum tam Genuenſium, quam ceterarum nationum continenter agere. Quare inde profectus Simon, cum in itinere in urbe Sinope cum Palabi Turcarum principe caput contuliſſet; neque Turca res ablatas reſtitueret, pollicitus tantummodo ſe Genuenſem claſſem non læſurum; Legatis ad Cæſarem Trapezuntium cum duabus triremibus miſſis, ipſe Simon cum reliquis ſeptem Caſſam perrexit: civibuſque injurias Turcarum conquerentibus, ad eaſque ulciſcendas hominem hortantibus; mercibus in terram expoſitis, vigintique minoribus navigiis à Caſſenſibus armatis ſibi adjunctis, claſſem Turcicam perquirere inſtituit: quam adeptus, acri prælio vicit, decem triremibus captis, ac præda, quam fecerant Turcæ, recuperata. Simon, quæ erant Genuenſium, retentis, reliquis nationibus ſuas cuique res cum fide reſtituit.

Miſſus eſt præterea in Hiſpaniam Ægidius Buccanigra Ducis frater cum viginti triremibus, ad operam navandam Alphonſo Caſtellæ Regi undecimo adverſus Mauros: qui graves accolæ cum continenter in armis habebant: qui 10 bellis cum infida gente geſtis, expeditionibuſque ſuſceptis egregiis & aſſiduis audaciæ, fortitudinis, conſilii, rerum militarium ac navalium ſcientiæ edendis documentis, eum gratiæ locum apud inclytum Regem adeptus eſt, ut Rex multiplicem & conſpectam hominis virtutem duplici honoris præmio remuneratus ſit; Palma urbe Cordubæ & Hiſpali interjecta, cum honorifico Comitis titulo fiduciaria illi data, quam ad noſtram uſque ætatem Buccanigræ Proceres Ægidii ſucceſſores poſſident; ac ſummo maris imperio Halmiratus nomine inſigni illi mandato.

Per ea quoque tempora Princeps Tartarorum, qui circumjectas regiones Tanai fluvio incoluit, multis & magnis detrimentis Genuenſes & Venetos affecit; bonis eorum direptis, illiſque ex toto regno ſuo exterminatis, ac copiis Caſſæ admotis; quam urbem velut coloniam Genuenſes tenebant: quem audaci eruptione Genuenſes adorti fuderunt, ac profligarunt; plus quinque Tartarorum millibus cæſis: qui ea clade fractum ſe ſimulans, Oratores ad Ducem Buccanigram de pace componenda cum Genuenſibus miſit: quæ cum conveniſſet, Genuenſes fide pactorum freti, omnique metu ſoluti, per regna Tartari commeare ac commercia exercere cœperunt: quos perfidia ſua ineſcatos barbarus hoſtis, omniſque divini & humani juris contemptor, comprehenſos iterum omnibus ipſorum rebus ſpoliavit.

Neque in Hiſpania undecim triremium, quas ex claſſe Genuenſi Alphonſus retinuerat, cum novem Genuam remiſiſſet, inotilis mora fuit; novem triremibus ac tribus galeatiis Bonjacobi Regis Garborum fuſis ac profligatis; terreſtri quoque regione magnis belli cladibus vaſtata, magnaque præda abacta; quæ magno uſui fuit triremibus ex ea reparatis: quæ res tanti Genuæ facta eſt, ut ejus cauſſa ſupplicationes habitæ ſint. Eodem quoque tempore Chriſtianorum claſſis quindecim triremium, quarum quattuor Pontificiæ, ſex Venetæ, quinque Genuenſes fuerunt, quibus præerat Martinus Zacharias, Smyrnam inferiorem vi captam è manibus Chriſtiani nominis hoſtium eripuerunt.

Nunc ad res urbanas redeo: quæ longe turbulentiores fuerunt, poſtquam Simon ducatu abiit, prætorianique urbem liberam reliquerunt: neque inſtituta pacis & concordiæ conſilia ad effectum perducta ſunt: nam, cum inſequentis anni ejus ſæculi quadrageſimi quinti initio, duo de conſilio ex ipſius Nobilitatis corpore homines ad eos publice miſſi eſſent, qui de pacificatione agerent; Galeottus Spinula, qui Capitaneus fuerat, negavit ſe aliter, quam armatum, orbem intraturum. Cohorruerunt, qui miſſi fuot, hominis poſtulato, quo nihil eſſet ſpei pacis inchoatæ magis adverſarium: igitur protinus in urbem reverſi, portam in locum, ubi exſules conſederant, ferentem occludi jubent; legationemque renunciant: quæ res non modo plebem, ſed Optimates quoqoe nobiles, & popularis corporis ira accendit: cum dictitarent Optimates, vatem fuiſſe Simonem: perſpicuumque factum, quattuor familias honeſtam quidem ſpeciem conatibus ſuis prætendere; ceterum longe alia animo agitare: neque illos armis patriam repetere, ſed veterem dominatum moliri; cujus ſibi firmandi cauſſa tantas bellorum & tumultuum procellas terra ac mari excitaſſent, torque detrimentis Rempublicam concuſſiſſent. At plebs non modo exſules, & quattuor familias, ſed omnem Nobilitatem lacerare: eam cum exſulibus ejuſdem corporis hominibus, ad hoc cognationibus & affinitatibus ſibi conjunctis coaluiſſe conſociaſſe, fremere; illinc exſules aperta vi, hinc iſtos occultis dolis libertatem populi oppugnare, plebiſque ſimplicitatem ludificare: illorum ſuaſu prætorianos dimiſſos; ut urbem defenſoribus vacuam opportuniorem exſulum conatibus facerent: illorum aſtu Simonem libertatis & dignitatis publicæ acerrimum vindicem principatu abire coactum: ceterum non ſimul cum illo principatum interiiſſe, neque defenſorem plebi ademptum exiſtimandum eſſe; ſed alium illico in Simonis locum ſufficiendum, in quo animus tanto faſtigio par ſit: parere neceſſitati Nobilitas coacta, re ad ſeditionem ſpectante, id ſumma ope egit, ut hominem animo in ſe amico, cuique ipſi fiderent, Ducem haberent: quattuor igitur præſtantium civium nomina ediderunt; quorum duo corporis popularis fuerunt, Georgius Ricius & Joannes à Valente; reliqui duo Nobiles, Janones Geotilis, Moruellus à Mari; rem ad eam interpretationem Nobilitate revocante, ut ex conventis cum Buccanigra Nobilium quoque ratio in ducatus comitiis haberi poſſet: ceterum plebs, omnibus utriuſque

que corporis præteritis, in Joannem à Myrto ſtudia ſua contulit: cujus gravitas, moderatio, prudentia, eximia patriæ caritas eminebat; cuique plurimum ipſa fidebat: cum ne Nobilitas quidem ab homine mitis ac minime factioſi ingenii abhorreret. Is igitur ipſo natali Chriſti Domini die, ſub veſperum, poſt ingentia certamina, ſummo conſenſu plebis Dux creatus eſt: cui poſtero die univerſum civitatis conſilium in æde divi Laurentii ducatum ratum fecit, atque inſignia, principatus tradidit. Hujus initia magiſtratus anteactæ vitæ ac ſpectatæ continentiæ reſponderunt: emolumenta enim & ſtipendia repudiavit; victu ſe & cultu quotidiano fore contentum, ac legibus & inſtitutis civitatis ſubjici velle affirmans: quas ſe ulla in re violaturum, aut quidquam de pecuniis publicis attacturum negavit: ceterum plebs, cum conſilii pacis ne inter ipſum quidem novum Ducem, virum ſanctum atque integrum, & potentiorem Nobilitatem exiſtum invenirent, extrahi ſe rata, ſimul Nobilium arma & occultos dolos metuens, ad hoc exemplo plebis Saonenſis iocitata, quæ per illos dies Nobilitatem urbe exegerat, prævertendum inimicorum conſilius ſtatuens, armis arreptis, diſcurrere per urbem cœpit, populi ac Ducis nomen magnis clamoribus ſubjiciens: cui furenti nonnullæ nobiles familiæ, in quibus fuerunt Squarciafici, aliquot in urbis locis ſeſe opponere auſæ temeritatem cladibus ſuis luerunt, à plebe victæ, nonnullis illarum domibus incenſis. At qui Duci erant in conſilio tam Nobiles quam popularis corporis cives, res in eum locum adductas cernentes, ut conſilio regi non poſſent, ac ne in tanta rerum colluvione majeſtatem publicam in perſonis ſuis violandam offerrent; magiſtratu & prætorio relicto, in privatas ædes ſuccedunt; ſeque turbis ſubtrahunt: in quorum locum quindecim cives è veſtigio ſuffecti ſunt, omnes popularis corporis homines: magiſtratuſque, qui rebus bellicis præerat, cum diligenter in eos inquiſiſſent, Nobilibus, qui erant in urbe, arma ademit. Ita Galeotti & potentiorum familiarum ambitioſa conſilia, non modo in auctorum, ſed in ceteræ quoque innoxiæ Nobilitatis caput recciderunt; civilique bello civitatem involverunt: nam plebs à Nobilitate urbem incolente ſecura facta, maturum rata, periculum cervicibus ab exſulibus imminens tandem diſcutere, nullo publico juſſu, ſed ſuo ipſa impetu rapta, è pluribus locis tam mari quam terra erumpens, Nobilitatem, quæ mille armatos ſtipendio conductos ſecum habebat, magno impetu invadit: quam primo ſuperior è ſuburbiis expellit, fugientemque inſequens, in proximos montes compellit: quorum locorum præſidio freta Nobilitas conſtitit, in plebemque gradum infert, quam in fugam conjicit; cum in eo prælio multi utrimque cecidiſſent, in quibus fuit Sarra Spinula; plebique, cum adveſperaſceret, in urbem rediit. At Nobiles ſeſe irritatæ multitudini vim afferre non poſſe, intelligentes; in ſpemque irritam ad urbis mœnia terere tempus, eadem nocte profecti, in ſua ſe recipiunt.

Metu exſulum ſoluta civitas, haud diu poſt, tres triremes publice armavit: quæ, adjunctis quattuor privatorum civium triremibus, mercatoriæ negotiationis cauſſa comparatis, cum haud exiguo armatorum numero ſubſidio Ingaunis aliiſque populis laborantibus mittit, adverſus Antonium Auriam exſulum exercitus Ducem: quo fuſo; Inganni & ceterorum opidorum imperium populo Genuenſi firmatum eſt: ceterum claſſe Genuam remiſſa, novi motus in eadem Occidentis ora exorti ſunt; compluraque opida ab exſulibus nobilibus ad deficiendam inſtigata: adverſus quos duæ Genuenſium privatæ ſocietates; altera Nobilium, quæ Portæ novæ appellabatur; altera popularium, Caſtelli vocata; privatam expeditionem ſuſceperunt: quibus Dux publice datus eſt Guiſcardus Lancius Bergomas Prætor urbis, vir impiger ac ſtrenuus, neque militaris rei ignarus. Is complura opida recuperavit: in quibus fuit Onelia, quam Antonius & Stephanus Auriæ invaſerant, ac Portus Mauritius: Antoniuſque, qui ſe in opidum Cervum receperat, ſeſe atque opidum Prætori tradidit: qui, rebus ex ſententia geſtis, oraque pacata, Genuam reverſus eſt.

Graves ac moleſtæ erant Italicis Principibus Genuenſium diſcordiæ; Luchinuſque Vicecomes Mediolanenſium Princeps, controverſiarum cauſſas pro communi amico & diſceptamre ex propinquo cognoſcendas & tranſigendas ſoſceperat: omniaque Genuenſes diuturnis malis feſſi ad ejus arbitrium rejecerant. Nec minus de Genuenſium pacificatione laborabat Pontifex; fruſtra pacem & amicitiam inter duos potentiſſimos Italiæ populos, Venetum & Genuenſem, quorum maritimæ opes Chriſtianis rebus adverſus Barbaros tanto uſui ſemper fuiſſent, reconciliatam ducens; ſi alterius populi prævalidæ vires ſeſe mutuo conficerent: qua de cauſſa Epiſcopum Patavinum Cardinalem Legatum Genuam miſit: qui cum in urbe menſem fuiſſet, nullaſque hortando, monendo, increpando, Pontificias preces conſiliis addendo, boni ac ſeduli Legati partes prætermiſiſſet; Mediolanum ſe ad Luchinum confert: cum quo multum ac diu de rebus Genuenſibus locutus, Romam redit. Reſque interea in induciis fuit, Luchino ita jubente: qui menſe Julio judicium tulit, cujus ſumma hæc fuit: pax & concordia inter Ducem & conſilium, atque exſules eſſet; eamque Genuenſes ſancte colerent; exſulibus civitas & bona ſua reſtituerentur; præterquam Galeotto, Gerardo, fratriſque filiis Spinulis Friderico, Carolo, & Antonio Grimaldis, illorumque fratris filiis, Nicolao & Raphaeli Fliſcis; qui ab acceſſu ad urbem decem millium paſſuum intervallo excludebantur. Omnes Luchini judicio ſteterunt; civitaſque in pace fuit; omnibus ditionis Genuenſis opidis Duci reſtitutis, præter Monœcum & Roccambrunam, quæ opida quindecim ante annis occupata Grimaldi tenebant; Monœcumque ſibi arcem in Liguria fecerant, exſulum, obœratorum, facinoroſorum receptaculum; ex qua excurſionibus, direptionibus Liguſtica littora & maritima commercia infeſta faciebant; nemini parcentes: qui inſequenti anno ejus ſæculi quadrageſimo ſexto A. C. 1346. majore motu majoreque conatu ad bellum conſurrexerunt; triginta triremibus ac decem peditum millibus ex circumjectis regionibus armatis. Nonnullum metum motus exſulum auditus Duci & civitati injecit; quattuor igitur civibus, omnibus ex populari corpore, cum fides Nobilium cognationibus & affinitatibus exſulibus junctorum multitudini ſuſpecta eſſet, negotium datum eſt, contra exſules comparandi: ii fuerunt Joannes Tarigus, Dominicus Garibaldus, Paſquil Fornetus, Thomas Morandus à Levanm: qui, publicis pecuniis deficientibus, magno numero ditiorum popularium civium in conſilium vocatis, decernunt, viginti quinque triremes, ac plures quoque, ſi res poſcat, adverſus exſulum conatus privatorum ſumptibus armandas: quibus veſtigalibus publicis caveatur, quæ illis pro portione collatæ pecuniæ pignori dentur: quæ res brevi magnum incrementum accepit; origoque fuit celebris illius toto orbe terrarum Magiſtratus ſancti Georgii. Re tota urbe vulgata, quattuor & quadraginta cives nomina dederunt; quorum ſeptem è Nobilitate fuerunt, reliqui ex popularium corpore: ex quibus quindecim, incertum qua de cauſſa, volun-

voluntatem mutarunt: ut res ad viginti novem triremes redacta ſit, ſingulas à ſingulis civibus inſtructas & armatas; tribus Nobilibus, vigioti ſex popularibus: quorum nomina ob egregium virtutem, eximiumque patriæ amorem omittenda viſa non ſunt: fuerunt igitur Lanfrancus Drizacorvius, Guilelmus Solcajus, Gulielmus Angio, Jacobus Morandus, Nicolaus Tarigus, Coſmus Salvagus, Philipponus Pan, Matthæus Balbus Saonenſis, Franciſcus Coronatus, Nicolaus Ciconia, Franciſcus Gattegarus, Petrus Moraſcus, Andreottus Peſarus, Andreottus Setta, Anſaldus Oliverius, Ampegius Cantellus, Melianus Ferrandus, ſuffectus in locum Leonardi Coronaſcæ, Ludovicus Panſanus, Fridericus Osbegherius, Jacobus Olinus, Antonius Vivianus, Thomas Illionius, Raffus Piſcina, Ludovicus Peronus, Auguſtinus Benatus, Meliadux Adornius, Joannes Setta, Luchinus Guanus: ſummus claſſis præfectus creatus eſt Simon Vignoſius, cui in area ante ædem divi Laurentii vexillum à Duce traditum eſt: hæc claſſis, quæ minus menſis curriculo comparata eſt, cum ceteris omnibus armamentis & bellicis apparatibus inſtructiſſima fuit, tum bellatoribus, ac nautica turba affatim referta; quam non minorem ducenorum hominum in ſingulis triremibus fuiſſe tradunt. Tam validam claſſem exſules haudquaquam exſpectandam rati, in Maſſiliæ portum ſilentio concedunt: qui à Rege Philippo Francorum adverſus Edoardum Angliæ Regem conducti, freto Herculeo ſuperato, ad Galliæ littora appulerunt. Eorum adventus Franco gratus in primis fuit; cum ob ceteras res, tum quod duodecim millia arcuballiſtariorum vexerant: in quo milite plurimum Rex ponebat: nulla enim erat natio, quæ eo teli genere ea ætate aptius uteretur: ceterum in pugna Creſciacenſi, quæ funeſta in primis Gallis fuit, haudquaquam utilem operam navarunt: quos à poſtrema acie, in qua primo locati fuerant, in primam tranſlatos, tarde ac ſegniter, ut in mala ſpe ex aſſiduo decidente imbre concepta, procedentes Carolus Alanſonius Regis frater, qui equitatui præerat, ad accelerandum ac pugnam capeſſendam conviciis urgebat: ceterum nervi arcuum humore perfuſi, atque hebetati, minus, ut Genuenſes prædixerant fore, pugnæ habiles fuerunt: cum igitur potius pugnæ impedimento, quam adjumento eſſent; Carolus non minus illis quam hoſti infenſus, concitatis equis per illos medios perrupit; magna hominum edita ſtrage, compluribuſque equorum pedibus protritis: quod crudele facinus cum animos jam contumeliis irritatos accendiſſet; qui ſuperſtites fuerunt, non modo à pugna abſtinuerunt, ſed nervos etiam arcuum, id quod Paullus Æmilius tradit, inciderunt.

At Genuæ, civitate metu exſulum liberata, quæ cura adverſus illos parata fuerat, in Orientis res verſa eſt: quarum is tum erat ſtatus, ut omnia Conſtantinopolitani Imperii ignavia, & deſidia multorum deinceps Cæſarum, neglecta & ſoluta, magis, magiſque in dies dilaberentur; omneſque maritimæ urbes & inſulæ invadentibus expoſitæ eſſent; ut præter Turcas & ceteros Barbaros, multi quoque Græcorum primores ex ipſis Cæſari ſubjunctis talis ſæpe auſi ſint, Imperatoribus conniventibus, neque bello vindicantibus; ut ipſe auſus jus in re facere videretur.

In hoc rerum ſtatu duo opulentiſſimi totius maris Mediterranei populi, Venetus & Genuenſis, inſulæ Chio commerciis in primis opportunæ ardenti cupiditate immineabat; duplici cauſſa utrumque ſtimulante, ſpe proprii ingentis compendii ex tam opimis commerciis venturi: ac metu immenſi immunentis damni, ſi ea inſula in alterius ex iis duobus populis manum veniſſet. Tradunt præterea Annales noſtri, eam inſulam olim Genuenſibus à Græco Cæſare donatam: facilius credideris, promiſſam: nam Genuenſes nunquam poſſeſſionem inſulæ adeptos, aut per quoſvis annos ullum jus dominatus uſurpaſſe, nuſquam legitur. Igitur Genuenſes, ſive verum jus, ſive hanc quælemcumque juris ſpeciem præferentes, è portu ſolvunt; Simonque in itinere Tarracinenſes, quos Comes Fundanus arta obſidione premebat, miſericordia ſupplicum motus, Comite Fundano fugato, liberavit: Tarracinenſeſque eo beneficio ſeſe in fidem populi Genuenſis tradiderunt. Simon inſtitutum iter perſequens, ſecunda navigatione uſus, Euboeam inſulam tenuit: ibi offendit claſſem ſex & viginti triremium majore ex parte Venetarum; cum reliquæ eſſent militiæ Hieroſolymitanæ; quæ Ingibertum Delphinum Viennæ vehebat. Erat id commentum Venetorum: qui, quod aperto bello conari non poterant, fœdere videlicet Cæſaris alligati, vel qua alia cauſſa prohibiti, per cuniculos machinabantur: Delphinumque induxerant ad dominatum illius inſulæ petendum; qua ille illico Venetis eſſet ceſſurus. Hunc igitur Delphinum promiſſione ingentium præmiorum fidem ſuam labefactare aggreſſum, auribus & vultu aſpernatus Simon, iter perſequitur; brevique inſulam Chium tenet: caduceatoreque in urbem miſſo, pronunciat, ſi Chienſes, ut ſeſe in poteſtatem populi Genuenſis tradant, in animum inducere poſſint; honorifice atque honeſtiſſimis conditionibus illos in fide Genuenſium fore: ſi ſalutaria non audiant; tum ſeſe ad direptiones, incendia, vaſtitates, cædes, ceteraſque belli clades pareat. Verbis male acceptus cum ſuperbo reſponſo dimittitur caduceator. Simon ira incenſus copias in terram exponit: qua res non ſine certamine fuit, quingentis Genuenſibus fauciatis. Simon circumjecta regione quatriduo poſtea, urbem terra & mari circumvallare inſtituit: quam à terra perpetuo ac præalto muro totam circumdat: à mari vero catena lignea ex magnæ craſſitudinis trabibus contexta, mille trecentorum cubitorum longitudinis, portum atque omnem partem maritimam claudit; ut omnis, tam mari quam terra, aditus Græcis omnino eſſet interclusus: qui multos dies artam obſidionem perpeſſi, in neceſſitatem tandem deditionem venerunt, his conditionibus; quæ ne mitiores quidem ſuiſſent, urbe primo adventu ſine certamine tradita: in civium enim Genuenſium numerum & jus accepti ſunt, multis immunitatibus donati.

At Simon, urbe ſtrenuo præſide ac valido præſidio firmata, utramque Phocæam, quæ urbes ſunt in continenti Aſiæ littore è regione inſulæ Chii, petit; qua utraque deinceps potitus eſt; cum poſtrema voluntaria deditione ſeſe ſubito tradidiſſet; prior aliquot horarum certamine rem extraxiſſet. Simon Phocæenſes benigne appellatos ac lenibus verbis permulſos bono animo eſſe jubet: fore enim, ut imperio Genuenſi magis in dies lætentur, moderationem & manſuetudinem experti: nihil enim Genuenſes ab illis, quam obedientiam petere: præſidio igitur impoſito, iter in Mitylenem opulentam & proximam inſulam parabat; ſed ſeditione nauticorum longiorem militiam detrectantium à præclaro incepto prohibitus eſt: igitur Chium reverſus, rebuſque in ea urbe & inſula ſumma cum æquitate & fide conſtitutis, Chio ſolvens Genuam repetit: quo brevi, ſecundo flante vento, pervenit. Is vir ad bellicas virtutes non minores continentiæ & fidei laudes addidit: nam præter præmia Delphini ſpreta; filium ſuum adoleſcentem per laſciviam prædium Chienſis civis contra edictum patris ingreſſum, ex quo nonnullos racemos uvæ abſtulerat, ad ſe adductum, racemis uvæ, ad majorem

ignominiam, collo ſuſpenſis, ſuſtuario tota urbe circumductum verberari juſſit. Præterea, cum in bello per regionem circumferendo, aliquos innoxios injuſte læſos neceſſe eſſet; ad expiandam labem, ſi qua animo inſediſſet, quingentos aureos nummos in nuptias pauperum puellarum Chienſium moriens legavit. At Genuæ cum ii, qui re familiari ſua expeditionem ſuſtentarant, ſibi ſatisfieri de crediſis pecuniis poſtularent; ærarumque ingenti ære alieno ſolvendo non eſſet; vectigalia inſulæ omnia in illos tranſlata ſunt: conventumque eſt, ut, niſi intra vigeſimum nonum annum privatis ſatisfactum eſſet; tum vectigalia illis prorſus cederent; ſummo ac mero imperio, gladiique & ſanguinis jure Ducibus ac Reſpublicam Genuenſem pro tempore regentibus illibato reſervato.

A.C. 1347. 1348. 1349. Tribus inſequentibus annis Genuæ tam ab externis bellis, quam à domeſticis motibus otium fuit: qui anni nihil memorabile habent, præter pomœrium prolatum, ac mœnium opus, quibus ſuburbium ſancti Thomæ intra urbem receptum eſt, ſuperiore anno inchoatum, ad finem perductum: ac peſtilentiam illam memorabilem, Joannis Boccacii & nonnullorum ſcriptis celebrem: quæ tota Italia graſſata omnes ejus Provincias & urbes funeribus implevit; tantamque vim hominum, ut nonnulli tradiderunt, abſumpſit; ut non plus decimam capitum partem ſuperſtitem reliquerit.

A.C. 1350. Inſequentis anni initio, qui fuit ejus ſæculi quinquageſimus, Joannes à Myrto Dux fato functus eſt: cujus mors luctui omnibus bonis fuit; recordatione virtutis & prudentiæ; tum autem amoris in Rempublicam; quam in omni vita privatis commodis prætulit: cui à publico civitatis conſilio in ædem Georgii convocato ſuffectus eſt Joannes Valens; cum multi ſummum locum haud diſſimulanter ambirent; in quibus fuit Lucas Factus, cujus ambitio eo provecta eſt, ut non prehenſationibus & allegationibus, aſſitatiſque forenſis induſtriæ artificiis, ſed aperta vi, ad principatum tenderet, duobus armatorum millibus ſepeus.

Hoc anno tertii belli cum Venetis initium factum eſt: cujus cauſſa, cum ab Annalibus noſtris (ut nihil eſt illis aridius) nulla tradatur; quærenda nobis ab exteris, atque ab iis ipſis rerum Venetarum Scriptoribus ſunt; qui multi ſunt: itaque in ſcribendo variant, ut fidem ſibi ipſi mutuo abrogent: quorum nonnulli rebus Venetis ita impudenter favent, ut nonnumquam rem totam invertant: reſque Venetorum adverſas vel comprimant omnino, vel ita imminuant; ut in clariſſimis victoriis à Genuenſibus partis, omnumque externorum ſcriptis celebratis; quin etiam à maxima res Venetas ſcribentium parte teſtatis; haud facile diſcernas, penes utrum populum victoria fuerit. Cauſſa igitur belli tahs fuit. Pacis & amicitiæ fœdus ſuperioribus annis ſanctum quietem quidem ab armis & injuriis fecerat; ceterum animos tot veteribus odiorum cauſſis ac perpetua æmulatione inter ſe infenſos haudquaquam conjunxerat. Erant tum utrique nationi in Pontum Euxinum frequentia & opulenta mercatoriæ negotiationis commercia: quorum cauſſa cum magna hominum utriuſque nationis multitudo in eaſdem urbes quotidie confluxeret; multæ, ut fit, in contractibus & permutationibus verborum contentiones exoriebantur, quas vetus æmulatio, atque inſita odia, tum autem ejuſdem quæſtus ſtudium, quo nihil potentius eſt ad animos hominum diſjungendos, accendebant; ut res ſæpe ad jurgia & contumelias procederet; quin etiam interdum ad rixas & injurias venirent, in quibus Genuenſes ſemper ſuperiores erant, quippe domi ſuæ: urbem enim Caffam ac multa præterea opida in toto ambitu Euxini imperio obtinebant, in quibus ſeſe commercia exercebantur. Hic nonnulli Venetarum rerum Scriptores tradunt, naves quaſdam Venetas ad opidum Protoſperum, quod tum Genuenſes tenebant, captas, & Caffam abductas; cujus rei cum nullam mentionem neque apud Annales noſtros, neque apud exteros invenram, fides penes Scriptores Vepetos ſit.

Venetus quidem Senatus cauſſam hanc arripuit, Genuenſes bello perſequendi: triginta quinque igitur triremes, Nicolao Piſano præfecto, rapum armatas adverſus Genuenſes mittit: quas multum itineris emenſas ſubita tempeſtas adorta in portum Caryſti Eubœæ opidi remittentes compulit: in quo magna illorum felicitate factum eſt, ut quatuordecim triremes Genuenſes, quarum præfectus erat Nicolaus Magnerrius, deprehenderent: quas ſine certamine ceperunt, cum quattuor tantummodo evaſiſſent. Annales noſtri nullam pugnæ mentionem faciunt: quæ enim pugna eſſe potuit adverſus elaſſem numero tanto ſuperiorem ad bellum armatam? Veneti Genuenſes reſtitiſſe acriter tradunt; ut Veneti coacti ſint bonam copiarum partem in terram exponere, quæ Genuenſium in Venetos obverſorum latera à littore miſſilibus inceſſerent; magnæque victoriæ nomen ei geſtæ imponunt; ſeptuagintaque patricii ordinis, ac quadringentos ex reliqua nautica turba captos affirmant; ejuſque victoriæ memoriam ſacro ſollemni die Joanni decollato feſto quotannis celebrandam decreverunt: adduntque, Venetos victoria elatos Peram Genuenſium coloniam acceſſiſſe, ſpe urbis, in qua nihil præparati eſſet, improviſo potiundæ: ceterum re infecta, ſubito diceſſiſſe; cum Genuenſes, qui adventum Venetorum præſenſerant, urbem ac portum validis munitionibus firmaſſent: quarum ſpecie deterritos Venetos, nulla re tentata, inceptum omiſiſſe.

Ceterum non multis poſt diebus Genuenſes non minorem cladem Venetis reddiderunt; quod ne Annales quidem Veneti inficiantur, nihil hac in re à noſtris diſcrepantes: nam, cum quattuor triremes, quas evaſiſſe diximus, Chium venſſent, remque, ut acta erat, renunciaſſent; extemplo Simon Vignoſius urbis Prætor, quinque triremibus, quæ tum Chii erant, cum quattuor cladi ſuperſtitibus conjunctis, Philippum Auriam præfectum creatum ad res Venetorum vexandas mittit: qui urbem, qua Prætor Venetus, claſſe procul conſpecta, ab omnibus rebus imparatus ſubito exceſſerat, cepit ac diripuit; prædaque opulenta abacta, ac tribus & viginti patricii ordinis, præter ceteram captam multitudinem, ſecum vectis, Chium revertitur. Eodem anno tres triremes Genuenſes opidum Cuam Venetæ ditionis ceperunt.

Inſequenti anno quies domi ac foris fuit. At A.C. tres, qui inſecuti ſunt anni ejus ſæculi, quinquageſimus alter, & quinquageſimus tertius, & A.C. quinquageſimus quartus, tribus claris navalibus pugnis inſignes in primis ſunt: in quibus ſecundæ adverſæque res utrique populo gaudium & mœrorem miſcuerunt. Veneti enim fœdere cum Catalanis perpetuis Genuenſium hoſtibus, eorumque Rege Alphonſo, nec non cum Conſtantinopolitano Cæſare adverſus Genuenſes icto, tantis ſocietatibus aucta animos ſuſtulerunt; majoreque conatu bellum capeſſendum decreverunt: ingentem igitur claſſem armant, Nicolao Piſano præfecto creato: qui cum duodecim triremibus Venetiis ſtatim profectus, ut, dum reliquæ comparantur, ipſe interea res in Græcia præmoliretur, in Orientem iter intendit: quem

quem paullo poſt triginta triremes conſecutæ ſunt; atque in Sicilia, ut conſtitutum fuerat, triginta Catalanorum triremes præſto habuit. Claſſes igitur conjunctæ inſtitutum iter in Græciam perſequentes, Peloponneſum appulſæ, Methonis portum ſubeunt.

Interea Genuæ, animis non minus ad bellum accenſis, ingens ac prævalida ſexaginta triremium claſſis comparata eſt: quam flos Liguſticæ juventutis conſcendit: ceterum neque militum robur, neque navium numerus, neque omnes belluci apparatus, quibus claſſis inſtructiſſima fuit, tanta momenta ad victoriam fecerunt, quanta præfecti virtus. Is fuit Paganus Auria; quo viro nemo fuit ea tempeſtate, aut militaribus artibus inſtructior, bellicaque gloria clarior, aut omni heroicarum virtutum genere cumulatior. Paganus igitur Genua ſolvens, ſecunda navigatione uſus in Græciam venit; Piſanumque, cum nondum claſſes Veneta & Catalana ad eum venſſent, in itinere obvium factum in fugam conjicit: qui in portum Chalcidis, quam urbem nunc ſimulque inſulam ipſam Euboeam uno nomine *Nigrumpontem* appellant, ſe ſubduxit: urbeque valido præſidio firmata, ac portu, nonnullis navigiis in oſtio depreſſis, obſtructo, Methonem petit; quo paullo ante claſſes appulſas audierat. Ibi cum Pontio Paneratio claſſis Aragonenſis præfecto collocutus, claſſibuſque ſe in eo portu opperiri juſſis, cum nondum Græcorum auxilia venſſent, ſine quibus cum hoſte manum conſerre in animo non habebat, Nigrumpontem repetit: quam urbem paullo poſt Dux Genuenſis claſſe admota oppugnare inſtituit. Interea, cum Genuenſis triremis triremem Venetam prælio victam cepiſſet, ex captivis ſtatum rerum Venetarum & conſilia hoſtis cognoſcit: curſu igitur propere ad Paganum Chalcidem obſidentem contendit; docetque, fœderatorum claſſes conjunctas haud procul inde eſſe; Ducibuſque in animo eſſe, ipſum petere, manum cum illo conſerre: qui nuncius Paganum coegit obſidionem ſolvere, ſeque Peram conferre: in qua urbe detrimenta accepta in oppugnatione Chalcidis ſupplevit. Totam hanc hiſtoriam Nigriponti obſeſſæ & oppugnatæ ab Annalibus noſtris omiſſam miror: quam ego ab Annalibus Venetis acceptam huc inſerui.

At Piſanus, obſidione ſoluta, Methonem illico repetit: ibi Duces de ratione gerendi belli multum ac diu inter ſe collocuti, Methone ſolvunt; iterque Conſtantinopolim dirigunt, ut claſſem Græcorum ſibi adjungant; ſimul ipſe Genuenſem claſſem adipiſcendi, quam Peram conceſſiſſe cognoverant: ceterum ab adverſo flante Borea in Cretam compulſi ſunt: qua in inſula cum aliquamdiu ſuiſſent, vere incunte ſolventes, omiſſum iter Conſtantinopolim repetunt. Quorum appropinquantium adventu Paganus cognito; cum certamen detrectare illis in locis deprehenſus nec poſſet, nec vellet, anguſtus Boſpori conſinus, quas ſubito occupavit, ne ab tergo, aut à lateribus ab hoſtilibus præpotentibus claſſibus circumveniretur, ſed adverſa fronte dimicaret. Igitur Veneti & Catalani, cum Conſtantinopolim veniſſent, Græcorum triremibus ſibi adjunctis, quarum neque numerus, neque nomen Ducis traditur, claſſem Genuenſem petunt: quam die in veſperum inclinato magno impetu invadunt, non numero modo navium, ſed cœli quoque favore ſuperiores: validus enim ventus incubuit, Genuenſibus adverſus: quibus iniquitatibus nihil deterritus Paganus avide ſe certamini offert. Numquam duæ claſſes majoribus odiis aut obſtinatioribus animis concurrerunt: cujus rei illud argumentum eſt, quod prælium accenſum neque denſiſſimæ ſupervenientis noctis tenebræ, neque plurimus aſſidue decidens imber, nec ſæviens tempeſtas diremit: numquam durior conditio pugnantium fuit, tot aſperitatibus præter hoſtilia tela conflictatorum: numquam majus aut clarius virtutis, fortitudinis, conſtantiæ exemplum ab ullo populo editum eſt; quam tum à Genuenſibus: qui, præter hæc utrique genti communia incommoda, duabus inſuper, quas diximus, iniquitatibus premebantur; majoris hoſtium numeri ac venti adverſi: adverſus quæ omnia non modo invicti ſteterunt, ſed illa quoque vicerunt, cum initia adverſa illis fuiſſent, tredecim triremibus ab hoſte captis. At Graeci, nulla re tentata, omnique plaga intacti in ipſo ſtatim initio turpiter pugnam deſerunt, ac ſeſe in portum Conſtantinopolitanum condunt: ceterum pugna per totam noctem inter armorum & incurrentium inter ſe navium, ac decidentis imbris ſtrepitum, pugnantium clamores, cadentium gemitus, uſque ad lucem extracta eſt: quæ exorta fœdam & horridam rei faciem aperuit; mari ſanguine rubente, ac ſcutis, telis, thoracibus, remis, malis, antennis, navium fragmentis, humanis capitibus, brachiis, cruribus, corporibus detruncatis conſtrato. Victoria tandem penes Genuenſes fuit; triginta Venetorum & decem octo Catalanorum triremibus captis, ac nonnullis depreſſis, quattuorque millibus hoſtium cæſis: in quibus fuerunt ipſe Pontius Catalanæ claſſis præfectus, ac complures patricii ordinis Veneti; quorum nonnulli muneribus & procurationibus fungebantur. Captivorum numerus non traditur: neque Genuenſibus, qui decem triremes recuperarunt, incruentum prælium, aut ſincerum gaudium fuit; ſeptingentis ipſorum cæſis, in quo non exiguus civium numerus fuit nobilitate & honoribus præſtantium: cujus damni major prope Genuæ, quam tantæ partæ victoriæ ſenſus fuit: neque victoria, quæ tot domos lugubres feciſſet, ullis uſitatis lætitiæ ſignificationibus celebrata eſt.

Inſequenti anno ejus ſæculi quinquageſimo tertio Genuenſes, ne recens victoria ipſorum negligentia ac deſidia luxuriaret, ac vana evaderet, cum felicia initia urgere decreviſſent, ſexaginta triremes armant: quibus Antonium Grimaldum præficiunt, ſtrenuum quidem hominem, nec bellicarum rerum imperitum; ceterum ſui fiducia nimium interdum ſe provehi ſinentem. Is igitur Genua ſolvens, fœderatorum octoginta triremium claſſem, quarum quadraginta quinque Venetæ fuerunt, Nicolao Piſano præfecto, Catalanæ triginta quinque, quas ducebat Bernardus Cabrera, ad Lungherium adeptus, quæ urbs eſt in ſinu Callaritano, nihil majore hoſtilium navium numero deterritus; ac, ne animo Pagano Auriæ cedere videretur, qui numero navium tanto inferior, eundem hoſtem ſuperaſſet; varietatem atque humanarum rerum viciſſitudinem haud ſecum reputans; neque conſiderans, Paganum loci natura adjutum, quo favore ipſe omnino carebat, tantam victoriam peperiſſe; prælium non detrectavit. Annales Veneti numerum navium utriuſque claſſis immmunt: fœderatorum enim non plus ſexaginta triremes fuiſſe dicunt, quarum viginti Venetas fuiſſe, quadraginta Catalanas; Genuenſem claſſem numerum trium & quadraginta triremium non exceſſiſſe. Illud inter omnes conſtat, hoſtilem claſſem longe majorem Genuenſi fuiſſe: concurſum eſt igitur ingentibus animis; Genuenſibus ad partum decus obtinendum, hoſtibus ad acceptam ignominiam delendam contendentibus: ceterum minores vires majoribus cedere neceſſe fuit: quas hoſtis conſilio etiam adjuvit; decem triremibus retro relictis, quæ manu conſerta, hoſtem à tergo, vel à latere, prout res magis poſceret, invaderent: quæ res haud par-

vum momentum ad victoriam fuit. Terrestri pugnæ hoc prælium perfimile fuisse quidam scripserunt; cum hostes naves suas firma antennarum ac malorum catena annexas inter se junxissent, fugæ facultatem sibi ipsi præcidentes, necessitatemque aut vincendi aut moriendi imponentes. Numquam majorem plagam Genuenses acceperunt; una enim & quadraginta triremes amissæ sunt, partim depressæ, partim captæ. Veneti non plus triginta fuisse dicunt: nonnulli externi Scriptores numerum augent; unam enim & quinquaginta captas scribunt: quod si verum est; veriores quoque Annales Genuenses sunt in numero navium, quibus concursum est, tradendo. Tanta clades audita urbem & totam Ligusticam oram luctu & lamentationibus implevit; memoria tot egregiorum civium superiore anno amissorum mœrorem cumulante.

Cetcrum non tam miserabilem eo tempore tanta accepta clades civitatis nostræ statum fecit, quam civium nostrorum stultitia: cujus tanta vis illorum mentes tenuit, ut, pro eo ut res afflictas prudentia sua erigere ac sublevare studerent, eas insuper intestinis odiis & discordiis civilibus aggravarint: quas externorum malorum mœror non modo non exstinxit, sed consopivit; sed magis etiam accendit: quibus unum illud pudendum remedium inventum est; ut, quoniam ipsi per se prudentia sua stare non possent, sese aliis regendos permitterent. Joannem igitur Vicecomitem Archiepiscopum ac Principem Mediolanensem sibi Dominum adfciverunt; qui ipsos auctoritate sua in officio contineret, iis conditionibus, quæ illum verius arbitrum & disceptatorem quam Dominum facerent. Is igitur, cum Joannes à Valente ducatu se abdicasset, Gulielmum Palavicinum Marchionem gubernatorem Genuam misit: in qua urbe ab intestinis motibus Archiepiscopo Principe quies fuit.

Igitur Genuenses, rebus urbanis pacatis, animos ad externas adjiciunt: luctuque in iram verso, cogitationem à malis & cladibus lugendis ad illas ulciscendas transferunt. Insequenti igitur anno ejus sæculi quinquagesimo quarto, classem viginti quinque triremium comparant, omnibusque necessariis rebus affatim instruunt: cui eundem ipsum Paganum Auriam recenti victoria in Bosporo parta fulgentem præficiunt: cui classi postea additæ sunt decem triremes, Vicecomite Grimaldo præfecto, qui Pagano summo Duci subesset. Paganus igitur Genua solvens, cum tota Cataloniæ ora excurrisset, hoste nusquam invento, itinere retro conversō, Orientem petit. Hic multa ab Annalibus Venetis traduntur; quæ Genuensi nomini honorifica à nostrorum Annalium supina negligentia omittuntur: scribunt enim, quattuor triremes Genuenses sinum Hadriaticum ingressas, haud exiguis detrimentis Venetam ditionem afflcisse; Pharo opido & Corcyra nigra Dalmatiæ insula direptis & incensis.

Verum longe majora damna à Pagano Auria illata sunt: qui cum tota classe, quæ fuit quinque & triginta triremium, eundem sinum ingressus, Istriam usque penetravit: in qua urbem Parentium vi captam incendit; corporibus sanctorum martyrum Martini & Eleutherii prius ablatis; quæ Genuam reversus in æde divi Matthæi religiose repositit. Ejus adventu Venetiis non minus trepidatum est, quam si hostem ad portas haberent: sericque navium inter se annexarum, velut perpetua catena aditum portus obstruxerunt: navesque, ac littora, & circumjecta loca validis præsidiis firmarunt. Auria aliquamdiu in sinu commoratus; ac compluribus Venetorum navibus, quæ in illum subinde incidebant, captis, in quibus unam fuisse ferunt infiniti ac vix credibilis pretii mercibus onustam; retro, quo venerat, iter repetit.

Interea Pisanus, cum sine ullo fructu in mari infero fuisset, Sardiniamque usque processisset, ac classem Genuensem Orientem petisse cognovisset, ne Venetorum littora nuda & aperta illi essent, proris conversis, in Orientem contendit; ad Oenusasque, quam *Sapientiam* vocamus, Peloponnesō adjacentem insulam, cum sex & triginta triremibus ac viginti duobus parvis navigiis subsitit. At Auria cum in itinere audisset, classem hostilem ad Sapientiam stare, cursum eo dirigit; totamque classem Venetam, sive, ut nonnulli Annales Veneti tradunt, improviso deprehensam, ac nihil tale exspectantem, ipse ad pugnam animo & corpore præparatus, sine ullo certamine cepit: ut Veneti superioribus annis in portu Carysti ejusdem Peloponnesi opidi initio hujus belli classem Genuensem ceperant; sive, ut inter nostros Annales, & nonnullos Venetos, ac Blondum constat, modico edito certamine. Hanc victoriam non tam claram facit numerus captarum navium, ac captorum hominum, qui fuit quinque millia quadringenti, in quibus fuerunt complures Senatorii ordinis nobilitate & honoribus insignes viri; quam is ipse Nicolaus Pisanus summus Dux captus, vir rebus gestis omnium illius ætatis clarissimus, rerumque navalium peritissimus, perpetuis imperiis functus: cujus virtute res Veneta eo tempore in primis stabat. Venetiis tantæ cladis, ab eo præsertim hoste acceptæ, quem pro victo pene habebant; cujusque opes superioris anni clade ita attritas putabant, ut sese in multos annos à tanto casu erigere non posset; tantæ igitur cladis nuncius, ut ipsimet Veneti tradunt, non minorem luctum ac mœrorem Venetiis fecit, quam si ipsæ Venetiæ captæ essent.

At Auria, tanta parta victoria, reque publica ubique felicissime gesta, Genuam redit; ingentibus plausibus à tota civitate obviam effusa triumphantium more exceptus. Ejus victoriæ memoriam dono aulæi aurei ad ædem divi Matthæi quotannis pridie Nonas Novembris celebrandam, decretum est; ipsique Pagano honoris causa domus de publico parata est, cum tanta virtus ad eum diem in ipsa urbe sua tecto caruisset: cui idem domus paratæ honos non minus mortuo quam vivo habendus fuit: de publico enim, privatis pecuniis deficientibus, elatus est, ac de publico sepulcrum exstructum. Hujus viri, incertum est, utrum bellica virtus, ac clarissimæ partæ victoriæ, an perpetuum justitiæ & continentiæ studium, animusque ab omni sorde integer & ab omni quæstu abhorrens clarius nomen claraque memoriam faciant. Illud quoque omittunt Annales nostri, triremem Venetam, quæ una ex clade ad Sapientiam accepta evaserat, à triremi Genuensi Grimalda in ora Peloponneti captam: à qua eadem Grimalda duæ quoque triremes Venetæ deinceps captæ sunt, altera in portu Fraxario, altera, quæ Guidonem Trivisanum legatum in Cretam vehebat.

Insequens annus ejus sæculi quinquagesimus quintus finem funesto bello, quod quinquennio fuit, tandem imposuit; cum pax, Matthæo, Barnaba, Galeacio Vicecomitibus, qui Joanni Archiepiscopo patruo fato functo in principatu successerant, sese interponentibus, convenisset: ex ea captivi utriusque populi mutuo restituti sunt. Nonnulla in historia nostra inferere haud ab re duxi, quæ à civibus Genuensibus privatim gesta; quamquam Rempublicam nihil attingunt, dignitatem tamen civitatis nostræ augent: quæ tales

A.C. 1354.

A.C. 1355.

les viros tulerit, qui virtute, clariſque geſtis rebus, ad magnos honores magnamque potentiam apud maximos Principes pervenerint: qualis fuit Franciſcus Catalufius; cujus viri in Græcorum hiſtoria plurima eſt mentio: is igitur vir claſſium Græcarum præfectus, ſortem & fidelem Joanni Græco Imperatori, multorum annorum navatam operam egregio facinore cumulavit: conatus enim Cantacuſeni magnæ nobilitatis ac potentiæ hominis, ingentibus motibus adverſus Cæſarem conſurgens, bona ditionis Conſtantinopolitanæ parte jam illi adempta, opera & conſilio ſuo compreſſit: quod promeritum Cæſar inſigni præmio remuneratus eſt; inſula Lesbo illi & ſucceſſoribus fiduciaria tradita, ſororeque ſua in matrimonium data.

Eodem anno Genuenſes Africanos piratas mare ac maritima commercia aſſiduis excurſionibus & rapinis late infeſta facientes ulti ſunt: funeſtaſque prædas illis fecerunt, urbe Tripoli ea, quæ eſt in Africæ ora, illorum ſede & receptaculo, capta & direpta à Philippo Auria, quindecim triremium ea de cauſſa Genuæ armatarum præfecto: qui claſſem opulentis Maurorum ſpoliis ac magna captivorum multitudine onuſtam Genuam reduxit.

Domeſticos motus, quos bellum Venetum conſopiverat, quies ab externis moleſtiis excitavit: quæ res non tam aſſignanda eſt mobilibus noſtrorum ingeniis, quam Vicecomitum Principum inconſultæ ambitioni: qui pacis inter Venetos & Genuenſes ipſorum opera & interpoſitione conciliatæ velut præmium, civitatis ſervitutem petentes, modum conventorum excedere hoc anno, qui ſuit ejus ſæculi quinquageſimus ſextus, aggreſſi ſunt; nonnulla poſtulantes, quibus jus & fides fœderum perfringebatur. Conſtanter illis reſtitum eſt à Senatu ac principibus civitatis; in quibus Melianus Catanius & Laurentius Angelus acerrimi fuerunt: qui præciſe gubernatori Vicecomitum negarunt, civitatem quidquam poſtulatorum facturam, ac jura pactorum ulla vel minima in re violari paſſuram: deponerent proinde eam cogitationem gubernator ac Principes Vicecomites: quod ſi porro tendant; enimvero civitatem ad omnia ultima defenſuram, armataque libertatis & dignitatis ſuæ acrem vindicem fore: quæ libertas orationis auribus Principum inſueta, illorum indignationem vehementer commovit. Mediolanum igitur vocati ſunt Melianus & Laurentius ad cauſſam dicendam: quæ res animos jam irritatos mire exacerbavit.

Erat tum in urbe Simon Buccanigra Piſis jam pridem reverſus: cui viro res adverſæ favorem plebis potius auxerant, quam minuerant. Multa egregii viri animum nonnihil immutarunt, graves omnium temporum inimicorum injuriæ, aviditaſque inviſos homines ulciſcendi; à quibus non modo ſe principatu dejectum, ſed ludificatum inſuper præferebat: accedebant exſulii incommoda; ad hoc magnitudo ſuſceptæ contentionis, ultra officii fines viros ceteroqui laudatos provehere ſolita: ſuberat præterea tacita regni cupido; cujus experta dulcedo carendo magis quam fruendo ſentitur: poſtremo magnificum ſibi putabat, ſi Vicecomitibus Genua exactis, peramplo titulo bis liberatoris patriæ nomen ſuum ad poſteritatem inſigne feciſſet. Favorem igitur plebis vir callidus & ſollers, per emiſſarios ſuos rem leniter ducendo, adjuvabat: illorum voluntates ex inſito plebis in Nobilitatem odio captans, quam criminari non deſiſtebat; cauſſaſque diſcordiarum ferere cœpit, diverſa ab iis, quæ animo agitabat, ſimulans: plebi enim ſuadere inſtitit, ut ſimulatque tumultus increpuiſſet, ipſi arma pro Vicecomitibus Principibus caperent, illorumque defenſionem ſuſciperent: duplicem ex retento Vicecomitum principatu fructum ad plebem venturum: nam & impotentem Nobilitatis dominatum à ſe depulſuram, quo mitius exterorum imperium experti ſint; & meliorem fore tenuiorum quam Nobilium apud Principes conditionem tanto promerito ſibi obſtrictos. Nec vafrum conſilium effectu caruit: nam, cum ad decimum octavum Kalendas Decembris Nobilitas, nonnullis ex popularis corporis principibus ſtudia cum illa confociantibus, arma cepiſſet; plebs conſiliis Buccanigræ imbuta, armis & ipſa arreptis Nobilitati ſeſe oppoſuit: acreque prælium commiſſum eſt, quod diuturnum fuit, & multorum cæde ac ſanguine utrimque ſtetit; cum Nobilitati non adverſus exterum modo, quem unum hoſtem ſe habituram putarat, ſed adverſus eoſdem ipſos eives ſuos, pro quorum libertate non minus quam pro ſua arma tulerat, à quibuſque in pio negotio adjuvanda fuit, dimicandum eſſet. At Simon conſilius procedentibus lætus, ducentos armatos in ædem divi Syri, quæ erat prope ab ædibus ſuis, convocatos, paucis in illa temporis brevitate hortatus; ut memores ſuæ ac populi Genuenſis libertatis, quam felicibus initiis inchoatam Nobilitas, perſonam ipſius Simonis petere ſimulando, modo aperta vi, modo occultis dolis evertere ſæpe tentarit, atque in extremum diſcrimen adduxerit; ad illam temperandam ac ſtabiliendam animos & corpora ſecum pararent; cum illis ad prætorium convolat, portamque ſibi patefieri miraciter poſtulat. Quo metu ſubactus gubernator, ſimul Genuenſibus civibus, quos ſecum habebat, magnopere ſuadentibus, ne hominem acris & vehementis ingenii armatum, cui ipſe viribus par non eſſet, ſibi irritaret, Simoni ceſſit: quem cum prætorio potitum Nobilitas audiſſet; pugna omiſſa, in privatas ædes ſuas ſe recepit: Simonque poſtero die Dux Genuenſium iterum creatur: qui plebi & popularis corporis Optimatibus gratiis actis, ob illorum in ſe declaratum ſtudium, de Republica ita diſſeruit: *Si inimicos meos, eoſdemque Republicæ teterrimos hoſtes pro bello perſequi decreviſſem, cives; nemo, opinor, mihi tam iniquus fuerit, qui non juſto dolori ignoſcendum putaret: etenim per Deum immortalem, quid eſt in acerbitatibus reliquum, quod ego per hos annos ab illis paſſus non ſim; toties modo aperto bello oppugnatus, modo illorum inſidiis & latrociniis petitus; ac tandem eo principum abire coactus, quem non vi, aut armis, invaſerant, ut ipſorum parentes, atque ipſimet ſæpe fecerunt; ſed quem liberis ſuffragiis, ſummoque totius populi conſenſu, invito & renitente mihi mandatum Reipublicæ curſus accipere coactus ſum? in quo gerendo quid tandem fuit, quod me cuiquam bono, aut vero ipſiſmet me offenſum faciat? An parumne ora Liguſtica recuperata, atque è manibus occupantium erepta? an ſuperbia ac contumacia accolarum Procerum coercita; meritis audacia pœnis à nonnullis eorum exactis? an majeſtatis publicæ vetus ſæculorum everſa à me erecta & ſancita? an otia civitatis conſtituta, an ſpiritumque Nobilium, à furentis multitudinis impetu defenſorum? an perpetua manſuetudinis erga illos, & adverſus coſmet, a quibus domus mea tam graviter læſa fuerat, adhibita? quibus tamen meritis illorum in me efferatas animos atque invidia amentes placare numquam potui; neque lenitate mea ad meliorem mentem converti, & ad inſitum faſtum & nimios illos ſpiritus libertatis & quieti publicæ adverſarios depondos inducere: cum contra mea facilitas illorum audaciam ſcelere inflammatam, ad alia ex aliis gravioria in dies in Rempublicam & in communem patriam admittenda proveheret: ad loca Reipublicæ occupanda, ad conſpirationes cum ceteris Principibus faciendas, ad arma patria aperte inferenda; quodque projecta in primis impudentia eſt, ad piraticam ipſam faciendam, ac prædas de rebus & bonis civium ſuorum tamquam de hoſtilibus agendas: ut mecum certare vellent, plura ne mea eſſent in patria jure & tranquillitate defendenda & conſtituenda merita; an illarum*

in eadem patria vexanda & laceranda malefacta : quæ tamen prava hominum consilia pristinam mentem meam nihil immutarent ; libenterque lenitate & naturali mansuetudine mea illos ad sanitatem adducere studerem ; si illorum ingenia ullum medicinæ faciendæ locum darent. Nunc insanabilis illorum ambitio mihi invito, clementiæ partibus tandem detractis, severitatis necessariam personam induxit. Age boni Medicos imitemur : qui, ut totum corpus serventur, vitiosum membrum ab eo abscindere non dubitant : sic nos discordiarum ac seditionum & intestinorum malorum ardores, quibus vigentibus numquam civitas conquiescet, à nobis & à Republica amoveamus. Neque quemquam moveant Majorum illorum splendor, atque in patriam merita, laboresque bellici : qui si iidem fuerunt, atque illorum progeniem cernimus ; odio potius quam laude, aut benevolentia illorum memoria digna est : si probi viri fuerunt, tum isti duplici pœna digni ; qui & ipsi improbi sunt, & qui à Majorum suorum probitate degenerantes, illisque injuriosi illorum nomen sceleribus suis fœdant.

Hac oratione habita, Nobilitatis principes, omnesque ex eo corpore, à quorum opibus sibi timendum esset, exsulio mulctavit; reliquis, qui in urbe remanserant, diligenti inquisitione arma ademit: ac Nobilitatem omnem non modo publicis muneribus, & honoribus, omnique procuratione Reipublicæ, ac facultate naves ad bellum armandi & regendi; sed etiam privatæ negotiationis causa comparandi. Nec minus sese Simon adversus exterum hostem externis præsidiis communivit; cum Marchione Montisferacis, cui nimia Vicecomitum potentia majores vires, majusque robur in dies assumens, perpetuo formidolosa erat, societate armorum juncta; cujus societatis Dux creatus est Bartholomæus Buccanigra Simonis frater. Ejus opera neque segnis neque imbellis fuit: cum non modo impetus invadentium hostium sustinuisset; sed sæpe ipse audacibus incursionibus in fines Mediolanenses, atque ad ipsa interdum urbis Mediolani mœnia omnem terrorem belli transtulisset.

A.C. 1357. usque ad 1362. Septimum annum secundus Simonis principatus attigit: quo temporis spatio Genuæ & à domesticis motibus & ab externis bellis quies fuit: nihilque memorabile in illo gestum est, præter urbem Caffam à Gotofredo Zoalio Prætore, novo muro ex cæmentis calce duratis munitam; cum ad eum diem minus firmo muro ex trabibus & asseribus luto interlitis, cincta fuisset: postremus annus Simonis infestus fuit; non Nobilibus modo, sed nonnullis quoque ex popularium corpore civibus insidias in illum assidue struentibus: quas omnes mira felicitate evasit; cum sua cura & diligentia, tum ope & consilio popularis corporis principum civium illi faventium: in quibus eminebant studia Nicolai Canetidutissimi hominis, ac Leonardi Montalti Jurisconsulti; qui ipse quoque principatum obtinuit, ongoque dignitatis & potentiæ gentis suæ fuit; consiliu detectis, ac fontibus partim urbe exterminatis, partim capitali supplicio affectis: in quibus fuit unus ex popularium principibus: quem cupiditas principatus ad id consilium, quod, nisi Simone sublato, ad exitum perduci non poterat, præcipitem egit.

Tandem vir adversus ferrum modo aperta vi, modo occultis consiliis sæpe in illum intentatum invictus, veneno succubuit: nam, cum Petrus Rex Cypri cum filio suo iter in Occidentem habens ad Christianos Principes ad bellum sacrum incitandos Genuam venisset (is fuit annus ejus sæculi sexagesimus tertius) magnifice & apparate à Simone acceptus, omnique honoris genere cultus; Petrus Marocellus, quem Cypri negotiantem Rex in amicorum numerum acceperat, Regi in suburbano suo epulum dedit; quo in convivio ipse quoque A.C. 1363.

A Simon adfuit, numquam à Regis latere honoris causa discedere solitus: ibi Simon venenum bibit; cujus efficaci vi cum eodem die pestem intestina conficientem sentire cœpisset, brevi exstinctus est; vir magni procul dubio animi & consilii: ceterum clarioris memoriæ futurus, nisi, dum magnæ quam bonæ famæ cupidior est, claras virtutes, egregiaque in patriam & populum Genuensem promerita, tantasque gestas res ingenti labe commaculasset, secundo principatu armis & vi repetito. Ejus morte nonnihil tumultuatum est; tresque fratres mortui Ducis Bartholomæus, Joannes, Nicolaus, Optimatum conspiratione velut in custodia retenti sunt: metu, ne nomine tam in vulgus grato quid libertati & quieti civitatis damnosum molirentur. Comitiis de Duce creando habitis, universus populus viginti viros elegit, à quibus sexaginta creati sunt: ii rursus unum & viginti elegerunt, à quibus decem postremi electi Gabriel Adornium probitatis & prudentiæ fama in primis commendatum, popularis corporis ac Factionis Gibellinæ virum, Ducem creant: posteroque die sexviralis Magistratus illi in consilio additus est.

Ceterum morte Simonis nihilo meliores res Nobilium, contra quam ipsi sperarant, fuerunt: neque enim ad ullam honorum aut Reipublicæ gerendæ partem admissi sunt: quas res secum reputantes complures ex nobilibus familiis, stultum ratæ inanes species veris & solidis rebus anteferre; Nobilitatisque nomen nulli rei in posterum fore, quam civitati dividendæ, ejusque quieti turbandæ; novæque Factioni ad veteres addendæ, quæ Reipublicæ nervos multifariam distractæ & lacerate magis hebetarent & inciderent; ad hoc ipsis ab honoribus & procuratione Reipublicæ arcendis; imperiaque & munera publica postea penes populares cives fore; ab Nobilitatis nuncupatione, rem ipsam, vetustatemque generis ut dignitatem retinentes, quibus rebus sese haudquaquam spoliabant; ad populare corpus transierunt, in illudque nomina dederunt.

At spe frustratæ potentiores quattuor familiæ, quæ partim indicto, partim voluntario exsulio extorrem patria ætatem agebant; cum reliquæ nobiles familiæ, quæ veteris inanisque nominis, quam veræ dignitatis studiosiores fuerunt, urbem nullo in honore habitæ incolerent, consilia pristinæ dignitatis recuperandæ majoribus motibus repetunt, armis cum Vicecomitibus consociatis. Haud contemnendæ igitur copiæ anno ejus sæculi sexagesimo quinto, cum superior annus nihil memorabile habeat, ad Saxellum dimonis Aurarum opidum contractæ sunt: eodemque tempore Marchio Finari, fide pactorum violata, multa adversus Rempublicam admittere cœpit: missi sunt contra Nobiles Petrus Recanellus Ducis gener, vir strenuus atque impiger; contra Carrettum Franciscus Embriacus: in cujus locum, seu segni hominis opera Duci minus probata, seu fide suspecta, mox suffectus est Bartholomæus Vialius. Utrobique Respublica bene & feliciter gesta est: nam Nobiles Saxello expulsi sunt, ipsumque opidum captum; & Marchiones Carretti ad conditiones Ducis adducti; arcisque fræno, quæ Castellum Francum nominata est, in illorum finibus ædificatæ hominum audacia in posterum coercita. Ceterum Nobiles, quamquam primi motus parum processerant, non tamen deseruerunt se; sed nova via consiliorum expediendorum inita, ipsos inter se populares committere aggrediuntur: quod consilium felix primo experti perpetuo retinuerunt; eoque astu id assecuti sunt, ut potentiam & summum dignitatis locum, quem jam suo nomine & aperta via in civitate obtinere non

A.C. 1364. 1365.

non poſſent, à principatu ac ſummo magiſtratu lege dejecti, per cuniculos, ac per ejuſmodi artificia, lites & inimicitias inter primarias populares familias ſerendo, ſeque in illarum ſocietates per has ambages inſinuando, civitatemque diſcordiis & bellis civilibus involvendo, retinerent: opportunum igitur ingenium conſiliis nacti, Leonardum Montaltum, virum acrem & experientem, quamquam iorma amicitia Simonis, ac conſiliorum, quibus ipſi everſi ſunt, participatione inviſum, ſpe auxiliorum ſuorum ad res permiſcendas inducunt: igitur eodem tempore, ut compoſitum fuerat, Ambroſius Vicecomes Barnabæ filius ditionem Genuenſem cum quinque peditum millibus invadit, Spediamque inſigne emporium capit; & Montaltus haud contemnenda amicorum & clientium manu coacta, ſeditione populi excitata, aperta vi prætorium petit; Prætoremque ſeſe cum nonnullis armatis acriter opponentem, vulnere hominis inflicto, avertit: neque tamen conſilia ſucceſſerunt: magno enim amicorum Ducis concurſu ad prætorium facto, Montaltus non modo repulſus eſt, ſed urbe excedere coactus; Vicecomitiſque curſus, qui jam Clavarum uſque opidum proceſſerat, infelici exitu rerum urbanarum audito, repreſſus eſt.

At Dux, tota civitate ob externos & inteſtinos tumultus commota, ſeſe novis copiis communire, ſeditionumque ac motuum conſortes meritis pœnis plectere inſtituit: duoſque tantummodo, coſque obſcuri nominis homines comprehenſos, cum reliqui urbe exceſſiſſent, ac partim Piſas cum Montalto, partim in Vicecomitum exercitum ſeſe contuliſſent, ſecuri percuſſit: inſequentique anno ejus
A.C. ſeculi ſexageſimo ſexto Bartholomæum Levan-
1366. tum & Nicolaum Moneginum adverſus Vicecomites mittit: quorum copiæ à Vicecomitibus fuſæ & profligatæ ſunt, bona parte illarum capta: quo metu omnis Orientis ora contremuit, magnaque incolarum pars metu direptionis trepida in urbem confugit: cum præſertim Montaltus, hoc ſucceſſu audito, ſocietate cum Fliſcis conjuncta, in Liguriam reverſus eſſet: igitur victores cum felici eventu liberum iter ſibi ad urbem expediviſſent, mille armatorum præſidio Spediæ relicto, Genuam contendunt: neque tamen Dux infelici eventu ita fractus eſt, ut defenſionem ſui omitteret: quin contra, omnes locorum Clavaro & urbi interjectorum incolas ad opidum Rapallum contrahi juſſit; omneſque viarum anguſtias, per quas hoſtibus tranſeundum erat, præſidiis inſideri; præſidiariis quoque, quos ſtipendio conductos circa ſe habebat, commiſſis: quæ res hoſtium impetum tardavit, illoſque coegit longo circuitu in Fliſcorum ditionem iter flectere: primuſque Montaltus, unaque cum illo Nicolaus Fliſcus conſiliorum ſocius & itineris comes, urbi appropinquarunt, in vallemque Biſamniam deſcenderunt: quo eodem tempore ab altera urbis parte Aaron Spinula cum novis copiis à Vicecomitibus miſſis in vallem Porciferæ pervenit; ut Dux tantis terroribus undique circumſtentibus coactus ſit conſilium de pace cum Vicecomitum Ducibus inſtituere: quæ tandem res diuturnis diſputationibus agitata, in has conditiones compoſita eſt: Dux in principatu perſeveraret; quatuorque aureorum millia Vicecomitibus quotannis penderet: ac quadringentos arcuballiſtarios, cum eorum uſus eſſet, ſuis ipſius ſtipendiis illis mitteret; exſulibus nobilibus liber eſſet in patriam reditus. Montalto reditus in urbem in biennium eſt interdictus: qui menſe Junio cum clientibus, ipſiſque partes ſequentibus, Haſtam urbem conceſſit, ibique conſedit.

Inſequens annus, ejus ſæculi ſexageſimus ſeptimus, lætus Genuenſibus in primis fuit; adventu ad A.C. 1367.
urbem Urbani quinti ex urbe Avenione Romam mari petentis: qui nationi Genuenſi amiciſſimus, ad hoc fama ſanctitatis conſpectus cum omni honorum genere ac cum omnibus effuſæ lætitiæ ſignificationibus acceptus, cum ſex dierum quiete ſeſe atque Aulæ Proceres à jactatione maritima & itineris laboribus refeciſſet, octo Genuenſium triremibus ad claſſem adjunctis, conſcendit, inſtitutum iter perſequens.

Quiete, quam pax cum Vicecomitibus ſancita duobus inſequentibus annis domi foriſque fecerat, A.C.
haud diu frui licuit: tertio enim anno, qui fuit 1368.
ejus ſæculi ſeptuageſimus, cum gravis vulgo eſſe 1369.
cœpiſſet principatus Gabrielis Adornii; ob onera 1370.
& inſueta tributa impoſita, plebe fremente, multiſque ſolvere recuſantibus, Guliclmus Hermirius & Dominicus Fulgoſius, duumviri ſalutis publicæ proſpiciendæ ac commodorum populi procurandorum; (is tum Magiſtratus à Duce creari ſolebat, vocabanturque Vicarii Ducis) qui duabus partibus urbis, in quas omnis civitas diviſa erat, ſinguli ſingulis præerant, per ſpeciem muneris ſui implendi, in ædem divæ Mariæ à Vineis conveniunt: quo ingentes hominum concurſus ſtatim facti ſunt: ibi aſpere & vehementer in Ducis avaritiam inuſitatis oneribus populum conficientis invecti, hortatique multitudinem, ut ſibi, in munere publico ipſis mandato exſequendo, ope ſua præſto eſſet; prætorium, plebe novandarum rerum ſemper avida ſequente, petunt; faceſque portæ occluſæ ſubdunt: qua improviſa re Dux vehementer perculſus, atque ut in nullo tali metu ab omnibus rebus imparatus, cum tintinnabuli ſonitu nequidquam populi opem imploraſſet, omnis conſilii inops, prætorio occulte excedit: quo Vicarius potitus, Dominicus Fulgoſius, cupientiſſima plebe, Dux creatus eſt: cui inſequenti die conſilium vocatum, ducatum uſitato ac legitimo more ratum fecit. Is, cum omnes curas in res ſuas ſtabiliendas intendiſſet, omneſque in conſilio popularis corporis homines haberet; inſequenti anno A.C.
ejus ſæculi ſeptuageſimo uno, ut ſcrupulum, quo 1371.
continenter pungebatur, ſibi ex animo eximeret, neque ſe ſatis ſecurum in tanta ac tam facili animorum plebis mobilitate ab æmuli potentia & occultis conſiliis ratus, quod eum principatu expuliſſet, niſi civitate quoque exigeret; Gabrieli Adornio Vultabium opidum locum exſulu definivit: genti Fliſcorum circumjectam regionem aſſiduis excurſionibus inſeſtam facienti opidum Rocatalia-tam, quam illi arcem ſibi quieti civitatis imminentem, ac receptaculum exſulum fecerant, ademit: duos cives, alterum nobilis, alterum popularis corporis, qui adverſus dlum cum exſulibus, per ſpeciem Guelphas partes depreſſas erigendi, occulta conſilia iniverant, ſecuri percuſſit: qua re cognita, Joannes Fliſcus Epiſcopus Vercellenſis particeps conſiliorum, qui cum octingentis equitibus Bargalia uſque rura proceſſerat, itinere retro verſo, liberam ditionem Genuenſem reliquit: neque tamen is annus omnino imbellis aut inglorius fuit; Melita inſula, ac Mazaria Siciliæ urbe, quæ receptaculum piratarum erant, mare ac mercatoria commercia late infeſta facientium, à Thoma Murchio decem triremium præfecto, ea de cauſa Genua miſſo, expugnatis ac direptis: qui in patriam cum reduci claſſe opulenta præda onuſta redit, magnam in ea expeditione non modo bellicæ virtutis, ſed continentiæ quoque laudem adeptus.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER VIII.

BELLVM Clodianum, quod quartum Veneti numerant, non modo ſuperiora bella inter Venetos & Genuenſes geſta magnitudine ſua transſcendiſſe; ſed cetera quoque omnia, quæ Veneti cum aliis quibuſcumque nationibus & Principibus ad eum diem geſſerunt; ipſimet Venetarum rerum Scriptores fatentur: nullum enim bellum ab utroque præpotenti populo aut majore conſiliorum apparatu ſuſceptum umquam eſt; aut majore animorum certamine, majoribuſve odiis geſtum; cum ſuis viribus neuter contentus, exteris quoque ſocietatibus ſe communiſſet: caniſſam autem hujus belli inſulam Tenedum fuiſſe, omnes conſentiunt: ceterum originem nonnulli exteri Scriptores paullo longius, quam noſtri Annales repetunt: cujus non modo ſemina jacta, ſed initia quoque inchoata, ipſumque bellum geri cœptum fuiſſe, Joanne Andronici patre adhuc vivente, tradunt; cum noſtri Annales originem ducant à donatione Tenedi, poſt mortem Joannis ab Andronico & Emanuele fratribus de ſucceſſione Imperii armis inter ſe ambigentibus factam: quæ donatio utrique populo tum primum induerit arma: tractu enim longum fuiſſe hoc bellum res Venetorum ſcribentes affirmant, longeque ante expeditionem Cypriacam à Genuenſibus factam, inchoatum: quam expeditionem in ſerie hujus belli annectunt; multaque cognitu digna ac lucem rebus afferentia perſequuntur, quæ ab Annalibus noſtris omiſſa, nihilque à vero abſona haud piguit referre: ceterum prius expeditionem Cypriacam ſcribemus; deinde ad ſeriem Clodianarum rerum contexendam accedemus.

A.C. 1372. Hoc igitur, quem ſcripſimus, rerum urbanarum ſtatu, inſequenti anno, qui fuit ejus ſæculi ſeptuageſimus ſecundus, in inſula Cypro, in qua magna erant & frequentia Genuenſium commercia, ingentium motuum initia facta ſunt; atroxque incidit ac minime exſpectatus caſus; qui Genuenſibus initio lugubris, ad extremum in magnum bonum, magnamque gloriam, & utilitatem vertit. Ejus auctores Veneti fuere, tamquam fato quodam cauſſas odiorum & diſcordiarum inter duas nationes ubique ſerente. Interfectus fuerat in urbe Nicoſia à ſuis ipſius fratribus Petrus Rex, cui Petrus filius in regnum ſucceſſerat: ſacrumque ſollemne parabatur, diadematis, de more, accipiendi: quæ res magnam contentionum cauſſam Genuenſibus & Venetis præbuit, utriſque ad primum honoris locum in eo ſacro tendentibus: patruis pueri Regis, penes quos omnium rerum arbitrium & poteſtas erat, Venetæ nationi ſtudentibus, ſecundum Venetos judicatum eſt; primuſque illis tributus locus. Graviter & iniquo animo Genuenſes injuriam tulere; impotenteſque iræ acerbitatem alte animo inſidentem in ipſo convivio exprompſerunt, omni verborum aſperitate in Venetos invecti: ceterum non ſatis verbis tantam injuriam ultam rati, facta quoque addenda ſtatuentes, poſtero die gladios togis occultantes in regiam veniunt; conſilio primi loci, à quo per æquitatem judicii ſeſe dejectos putabant, armis retinendi: quam rem cum Veneti reſciviſſent, Genuenſes apud Regem & patruos nefaria arma in Regis ipſius caput ſumpſiſſe, occultiſque gladiis ſe cinxiſſe criminantur. Facile fuit imbecillam ætatem mendacio circumvenire; præſertim patruis animo in Genuenſes iniquo, occaſione illos evertendi lætis: ſimulque cum illis nonnullis ex Procerum primoribus Regem inſtigantibus. Igitur Rex Genuenſes cum gladiis comprehenſos, haud quæſito, qua de cauſſa ſeſe illis cinxiſſent, pro manifeſto parricidio non modo injuſto, ſed horribili quoque genere ſupplicii affecit; ex ſummo ædium faſtigio dejectos: neque crudelitas ipſis parricidii inſimulatis terminata eſt, ſed totam nationem complexa; Genuenſibus toto regno diſſipatis, inſontibus, quoſque nulla non modo conſpirationis, ſed ne ſcientiæ quidem ſuſpicio attingeret, diligenter conquiſitis, ac per ſummum ſcelus necatis; uno tantum ex iis elapſo, eoque gravi vulnere in ore accepto, qui rem Genuam nunciaret.

Placida quoque ac lenta ingenia tam atrox injuria accendiſſet. Genuenſium quidem animi natura prævervidi ac perciti ita in Cyprios exarſerunt, ut ceteris omiſſis curis, in ea, quæ ad tantam injuriam ulciſcendam pertinerent, comparanda & expedienda omnem cogitationem intenderint: claſſe ingenti decreta, cujus præfectus deſignatus eſt Petrus Fulgoſius Ducis frater: quæ dum omni ope comparantur & inſtruuntur, placuit interea Damianum Catanium Juriſconſultum cum ſeptem triremibus in Cyprum mitti ad res præmoliendas: qui inſequentis anni initio profectus cum Cyprum tenuiſſet, haud ſegnem operam A.C. 1373. edidit: cum non aperta modo vi, ſed aſtu quoque bellum gereret: nam crebris exſcenſionibus factis, complura loca cepit & diripuit; in quibus fuerunt ſuburbium Paphi, & ſuburbium Nicoſiæ; & diſcordias ac diſſidiorum cauſſas inter Procere ſerere cœpit; cum aliorum agros & dominones vaſtaret, aliorum res, favere ſeſe illis ſimulans, ab omni belli clade intactas ſervaret: qui etiam ad fortitudinis & conſilii laudes clara quoque continentiæ & manſuetudinis addidit documenta: nam cum in multitudine hominum capta complures feminæ, nuptæ & innuptæ, repertæ eſſent, ætate & forma præſtantes; eas confeſtim è manibus militum ereptas, & in tutum locum ſubductas, inviolatas & intactas, nulloque pretio redemptas ſuis reſtituit; conquerentibus militibus ac frementibus, ſua ſibi belli emolumenta ac laborum præmia à Duce eripi: & manſuetudo apparuit in milite quodam Genuenſi à Thoma Guano capto incolumi dimiſſo: qui in ſtrage Genuenſium tota inſula facta inſimulabatur cædis in Genuenſem civem, virum nobilem à gente Marocella, admiſſæ; cum ceteris ſuadentibus, ut meritum ſupplicium de nefario proditore ac

patriæ

patriæ hoſte ſumeret, reſpondiſſet, neceſſitate imperii hominem regiis ſtipendiis militantem purgari.

Interea Genuæ magno animorum ardore comparabatur: ejus expeditionis cauſſa quadringentis librarum Genuenſium millibus, quæ ſumma totidem aurorum florenorum fere æquabat, ex urbe ipſa & tota Genuenſi ditione erogatis: cumque nihil de ſumma diligentia remitteretur; tandem ſex & triginta triremes, præter eas, quas in Cyprum jam miſſas diximus, comparatæ ſunt, omni armamentorum ac bellicorum apparatuum genere cumulate inſtructæ & ornatæ: quibus additæ ſunt onerariæ ac varii generis corbitæ, magno numero magnam vim bellicarum machinarum ſaxa immanis ponderis contorquentium vehentes: armatorum ac pugnantium numerus, præter remigium ac ceteram nauticam turbam, quattuordecim millia fuerunt. Petrus vexillo divi Georgii cſtigie inſigni, in frequenti populi concione inter plauſus fauſta ac læta omnia illi comprecantium & ominantium, Nonis Junii accepto, non prius decimo octavo Kalendas Auguſtas conſcendit; nec prius quinćto Nonas Octobris quinquaginta dierum navigatione Cyprum tenuit: qui primo adventu onerariam ac quattuor naves longas in portu Famagustæ deprehenſas incendit: copiiſque non ſine certamine in terram expoſitis, urbem circumſedit: quam Regina cæſi Regis uxor, quæ tum forte in ea urbe erat, intelligens quam ſupra ſuas vires dimicatio eſſet, de civium voluntate direptionem timentium, ſeptimo poſt claſſis appulſum die Petro tradit: qui fuit ad ſextum Idus Octobris, eo ipſo die, quo ſuperiore anno cædes Genuenſium facta eſt. Petrus urbe atque arcibus potitus, arma tota inſula circumferens, brevi ac ſine certamine totam illam in poteſtatem ſuam redigit: Rege in angulum quendam compulſo, ac duobus filiis Principibus Antiochiæ regii patrui, item Jacobo Luſignano altero Regis patruo, ſimulque cum illis plus ſexaginta Proceribus atque inſulæ primoribus captis: ceterum quamquam juſtus dolor ad omnia delenda, parique exemplo crudelitatem Cypriorum ulciſcendam ſtimulare poterat; mitis tamen animus ſupplicio trium dumtaxat Procerum, qui Regem in Genuenſes accenderant, ſuaſoreſque & auctores innocuis facinoris fuerant, contentus fuit: ii fuerunt dominus Ciuli, Henricus Gibellettus, Joannes Gravilla; Regique ad ſuas conditiones adacto omnia reſtituit, Famagusta tantum adempta; quam circiter annos centum Genuenſes poſſederunt; neceſſitateque anniverſarii tributi quadraginta aureorum nummûm millium in certos annos pendendi illi expreſſa; obſidibuſque obſervandi pacta Jacobo Luſignano, ac filiis Antiochiæ Principis, compluribuſque aliis primæ Nobilitatis Procceribus acceptis, ac Genuam inſequenti anno ejus ſæculi ſeptuageſimo A.C. 1374. quarto cum ſexdecim triremibus miſſis: qui omnes in varia urbis loca in cuſtodia aſſervandi diſtributi ſunt: ipſeque Jacobus turri prominenti Phari inclutus, cum exſulii circumſcriptum locum accipere recuſaſſet: nihilque ad memoriam illius anni infigne traditur, præter extremam frugum inopiam toto Chriſtiano orbe; ut medimnum tritici Genuæ ſexdecim aureis florenis ſuerit.

At Petrus, cum in inſula Cypro, poſt illam perdomitam, plus annum fuiſſet, tandem rebus conſtitutis Famagustæque præſidio ac rectoribus firmata, quinque triremibus in ejus cuſtodiam relictis, ſum reliqua claſſe anno inſequenti ejus A.C. 1375. ſæculi ſeptuageſimo quinćto ex eo portu ſolvit: triremique, cui Lanfrancus Panſa præfectus erat, adverſa tempeſtate prope Siciliam amiſſa, Kalendis

A Majis Genuam appulit; à fratre Duce ac cunctis ordinibus & ætatibus magnis cum plauſibus & gratulationibus exceptus: cui honoris cauſſa ipſi & Orlando filio immunitas onerum in vita data eſt; ac decem inſuper florenorum aureorum millia numerata: tantæque victoriæ anniverſariam memoriam ſacro ſolemni ad ædem divi Franciſci auro aulæo oblato repetendam decretum eſt.

Nihil memoratu dignum habet inſequens an- A.C. 1376.
nus; præter adventum Genuam Gregorii duodecimi, urbem cum una & viginti triremibus petentis: at tres triremes Famagustæ profectas adverſa tempeſtate jactatas: quarum una depreſſa eſt, unaque cum illa duæ ingentes onerariæ Lomellina & Gazza demerſæ ſunt, maxima vectorum parte undis hauſta; cum perpauci in terram ſeſe ejicientes vim ſævientis procellæ evaſiſſent.

Nunc ad bellum Clodianum veniо; & ad ea, quæ illud anteceſſerunt, atque ab Annalibus noſtris omiſſa ſunt, brevitor perſtringenda. Ajunt igitur Andronicum multis injuriis à parente affectum in ſimum conjuraſſe; ejus autem conſilii auctores illi Genuenſes fuiſſe; indignatos, Venetos ſibi honore ab Joanne præſatos. Igitur Andronicum Imperio Conſtantinopolitano potitum; ut animos Genuenſium, quorum opibus ſubniſus ad Imperium perveniſſet, in quorumque favore ſibi ad illud tuendum tanta momenta eſſe intelligeret, aliquo beneficio in ſe firmaret; inſulam Tenedum illis dono dediſſe, commerciis in Pontum, quæ opulentiſſima & frequentiſſima Genuenſibus tum erant, in primis opportunum. Genuenſiſque Peram incolentes ad poſſeſſionem inſulæ capiendam duas triremes illico miſiſſe; ceterum ſpe fruſtratos eſſe: præfectus enim arcem atque inſulam ab Joanne legitimo Imperatore fidei ſuæ commiſſam nemini omnino mortalium Joannis injuſſu illo vivo ſe traditurum dixit.

Per ea tempora claſſis Veneta, cujus præfectus erat Marcus Juſtinianus, cum præſidio veniſſet navibus Venetis, quæ negotiationis cauſſa Euxinum intraverant, ad inſulam Tenedum ſubſtitit: in qua illarum reditum totam hyemem præſtolata eſt: quæ cum ineunte vere tandem veniſſet, viribus auctus Juſtinianus, periculo à Genuenſibus imminente præſcito demonſtrato, illum atque incolas ad inſulam atque arcem ſibi tradendam induxit. Ceterum ſive ante obitum Joannis, ut Veneti affirmant, ſive illo mortuo, ex donatione Emanuelis, ut noſtri Annales tradunt, Veneti Tenedo potiti ſunt.

Genuenſes, re cognita, ſeſe hoc anno, qui fuit A.C. 1377.
ejus ſæculi ſeptuageſimus ſeptimus, ad bellum comparare inſtituunt; ſocietate inita cum Ludovico Hungariæ Rege, ac Patriarcha Aquilejenſi, Franciſcoque Carrario Patavii Domino; quibus multæ inimicitiarum ac bellorum cauſſæ cum Venetis antiquitus intercedebant. Nec minus Veneti externis auxiliis ipſi quoque ſe communiunt; fœdere ićto cum Barnaba Vicecomite Mediolani regnante, gravi Genuenſium accola, ac Petro Rege Cypri. Quæ res, quod ad Petrum Regem attinet, quamquam ab omnibus, qui illorum temporum res ſcripſerunt, conſtantiſſime traditur, atque ea, quæ conſecuta ſunt, haud dubium fidem illi affirmant; tamen eam multos miraturos, tamquam ab omni ratione abhorrentem, non dubito: quis enim credat, Regem tam potentem fuiſſe, ut, cum pace obnoxia Genuenſibus obſtrictus claſſet, illique Famagustam regni emporium valido præſidio firmatam tenerent, ad hoc Jacobum Luſignianum Regis patruum, ac duos adoleſcentes filios Principis Antiocheni Regis item patrui, nec non complures inſignis Nobilitatis Proceres

Guarcus: qui cum Dominicum Ducem vulgo calumniari non desisterent, illorum verbis inductus populus Genuensis, insigne ingrati animi documentum edidit; quod rara illa exempla in præstantissimos cives Romæ atque Athenis olim admissa, omnium scriptis consciscitis superavit, docuitque quam ab omni levi flante aura facile plebs se auferri sineret: quæ oblita, quanta cum justitiæ, æquitatis, continentiæ, moderationis, laude Dominicus Fulgosius Dux res per multos annos rexisset; quam nullas optimi Principis partes omisisset; simul immemor immortalis beneficii à Petro fratre recenter accepti; ab illorum inimicis instigata, atrox in illos coorta est: armaque per speciem sese Vicecomiti jugis appropinquanti, ac Venetis, qui Portum Veneris jam ceperant, opponendi, (utrumque enim inimici Petri mentiti fuerant) sumpta in illos vertit: quos comprehensos, nullo crimine insimulatos carceribus inclusit: ex quibus tamen paullo post Petrus evasit, custode ipso incaute agente miro astu carcere incluso. At populus eodem hora momento Antoniottum Adornium Ducem conclamat: qui tamen cum personam suam popularium principibus non satis probari, Guarcumque illis acceptiorem intelligeret; eodem die de amicorum consilio ducatu illi cessit; igitur Guarcus Dux à civitatis consilio crentus, omnes curas contulit in civitatis statum pacandum; causasque tumultuum ac discriminum tam domi quam foris præcidendas: qui, gente Fulgosia immerita primum omnium perpetuo exsilio mulctata, magistratus ceteraque publica munera, ac procurationes, atque honorum titulos inter Nobilium Factionis ac popularis corporis cives, Guelphos & Gibellinos, æqualiter distribui lege lata jussit; pacem cum Catalanis fecit; Marchiones Carrettanos Reipublicæ reconciliavit, Ingauno ac ceteris locis ab ipsis occupatis restitutis.

Per ea tempora Genuenses & Veneti non minoribus detrimentis minoribusve discrimimbus terra quam mari conflictabantur. Erat tum legio quædam in Italia, quam *Stella* vocabant, desperatorum hominum; quos æris alieni damnatos, capitalia ausos, facinoribus contaminatos, cædem causse conglobarant: ii sine ullis certis sedibus, sine ullo magni nominis Duce, nullo militari sacramento obstricti, tota Italia prædonum potius quam bellantium more vagabantur, latrociniis vitam tolerantes: jamque populis & civitatibus erant terribiles: ut civitates, in quorum fines illos impetus tulisset, ad necessitatem sese atque agrum suum à belli cladibus redimendi adigerent. Hanc igitur legionem Barnabas pretio induxit ad fines Genuenses intrandos, in illisque quantam maximam vastitatem possent edendam: qui cum superatis jugis per vallem Porciferæ ad littus sancti Petri Arenæ (ita incolæ locum vocant) constitissent; Dux à populo armando abhorrens, quæ res quam periculosa regnantibus esset, recenti exemplo Fulgosii didicerat, pecunia periculum imminens discussit; illorum discessu decem aureorum nummûm millibus decisa; prædaque, quam fecerant, illis concessa: quibus pecunus numeratis, illi fines Genuensium pacato agmine sunt egressi, quos infesto fuerant ingressi. At in ditione Veneta Carrarius suis & Ludovici Hungari copiis fultus, urbem Trivisium atque opulum Mestrem diu & acriter oppugnata in deditionem tandem accepit.

A.C. 1379. 1380. Dum is est rerum terrestrium status, majore mole mari bellum gerebatur: quod per duos insequentes annos ejus sæculi septuagesimum nonum & octogesimum, ita utrumque populum exercuit, ut nulli unquam anni, aut bellicosiores fuerint, aut maximis rebus gestis clariores; in quibusque magis fortuna variaverit, majoraque ac crebriora utriusque populi ediderit funera. Lucianus enim portus Jadrensi cum duabus & viginti triremibus movens, iter in hostem dirigit; suos primo ad pugnam tali oratione, ut dicitur, hortatus: *Si in prælio, quod imminet, milites, victoriam tantummodo, ac gloriam, & emolumentum, quod ex illa percipitur, spectaremus; digna tamen ea præmia ducerem, in qua omnes virtutis & roboris nervos contenderetis: nunc alia gravior accedit causa; quæ vobis majorem & acriorem necessitatem imponit, fortem & strenuam, ac plusquam pro virili parte operam edendi: ea est ignominia proxima clade Ducis temeritate accepta; maculaque nomini Genuensi concepta: quæ hoc prælio vobis delenda est: cujus eluendæ, quam victoria pariendæ stimuli eo acriores sunt; quo propior & interior est rerum tuarum amissarum, quam alienarum tibi non additarum, sensus: in hoc enim nihil lucri, at in illo plurimum damni sit: quod autem detrimentum majus esse potest, quam fama & existimationis? quas res tot Majorum nostrorum laboribus ac discrimnibus paullatim collectas, nisi hoc secundo prælio recuperamus, universas profundimus. Una est autem eas recuperandi via, si victoriam peperierimus, majoremque cladem, quam ab illis accepimus, hosti reddiderimus. Neque vero hujus victoriæ fructus major est, quam spes certior; si vos & hostem consideraveritis: vos enim omnes Ligures, ejusdemque lingua & nationis homines estis; ac pro vestra, & patria, liberorumque vestrorum salute ac dignitate dimicatis; commodaque & incommoda belli ad vos pertinent: hostis contra classem alienigena & mercenario milite refertam habet: quos pro alienis commodis & gloria pugnantes longe alio quam vos animo habitu esse oportet: ac, quemadmodum vos nullum discrimen recusare debetis, ita illo summa stultitia existimare, pro iis rebus, quæ se ac patriam suam nihil attingunt, discrimnibus se offerre: a sic igitur affectis animis quid expectandum sit, vos juxta mecum intelligetis, milites: documenta sunt superiora bella, in quibus semper victores fuimus, cum aquo Marte concursum est; numquam victi, nisi cum illa numero navium longe superiores multitudine sua nos potius obruerunt, quam vicerunt. Facere præterea animos vobis debet (neque id jactanter dictum quæso accipite, milites) genus nostra fortuna; cujus ductu semper de hoste Veneto victoriam tulistis: cum sub alarum familiarum Ducibus fortuna variaverit: in victoriam igitur tot nominibus utilem, atque adeo necessariam, Luciano Auria Duce, animos & corpora, milites, parate.*

Nec minoribus, aut minus acribus irritamentis Dux hostium suorum animos ad pugnam accendebat; justitiæ causam memorans, à qua divinum Numen haud dubie staturum. Venetos insulam Tenedum, de qua certamen sit indictum, justo titulo, eoque jure, quo qui optimo, possidere, à legitimo Domino donatam: quam Genuenses nullo jure repetant, tamquam parricidii præmium, cujus ipsi auctores Andronico fuerint, filio in parentem armato: pollutum igitur hostem ac rapto vivere assuetum contundendum: cujus tam vecors sit audacia, ut nihil recenti clade infractus, non modo satis animi ad sua tutanda habeat, sed sinum Hadriaticum ingredi ausus sit; victoresque Venetos domi suæ lacessitum ultro veniat; furis profecto vesanum hominem rapi ad novam materiam gloriæ ipsis præbendam: id futurum profecto; si ipsi obfirmaverint animos, aut mori, aut partum decus, eodem ipso Duce, quo illud peperernt, tuerı.

At Lucianus institutum iter persequens, naves hostiles unam & viginti ad littus Polæ urbis tandem obvias habuit: in quas procul conspectas magno impetu classem concitat: nec minus avide Victor Pisanus hostium Dux se certamini offert; cum superiore victoria parta erectus, tum virium fiducia elatus; classem enim delecta quadriginti-

torum ſeptuaginta bellatorum manu, præter ordinariam nauticam turbam firmarat: ad hoc complures Polæos cives virium robore & ætate florentes in claſſem receperat, voluntariam militiam profeſſos. Ingentibus animis concurſum eſt; æmula virtute ac perpetuis odiis, tum autem novis irarum cauſſis utrumque acuentibus. Atrox igitur prælium, ac cruentum, & longum fuit; cum nihil neque à Ducibus, neque à militibus & navalibus ſocijs, de ſumma contentione remiſſum eſſet: tandem victoria penes Genuenſes fuit; quindecim hoſtilibus navibus captis: cum Piſanus, qui admonendo, hortando, caſtigando, providendo, omnibus locis occurrendo, in media mole pugnæ verſando, nullas boni Ducis partes omiſiſſet, magna parte navium jam ab hoſte capta, deſperatam rem cernens, cum reliquis ſex fuga ſaluti conſuluiſſet: qui è manibus hoſtium evadere quidem potuit: civilis livoris impetum ſubterfugere non potuit: cum enim Venetias veniſſet, recenti adhuc luctu, ob tantam cladem acceptam; cum ceteris omnibus, qui è clade ſuperfuerant, in carcerem incluſus eſt: per cauſſam, is, quod inexplorato rem præho commiſiſſet; illi, quod præho ſe ſubtraxiſſent. Egregia victoria parta, claſſis Genuenſis, intere retro repetito, in portum Jadrenſem ſe recipit; duobus millibus ſeptingentis captivis numeratis, præter mortuos, quorum magnum numerum fuiſſe ipſimet Veneti fatentur: quæ victoria eo mirabilior fuit, quod ſine Duce parta eſt; cum initio pugnæ Lucianus, ſubductilis caſſidis buccula ejecta, ingens vulnus à lancea hoſtili in ore accepto, ex eo illico cecidiſſet: in cujus loco Proceres, qui Ducis latera veluti corona cingebant, gregarium quendam militem armis jacentis Ducis indutum ſubornarunt: quod tanta cum celeritate, atque ita caute fecerunt, ut tantæ rei ſenſus neque ad hoſtes, neque ad ſuos pervenerit. Ejus victoriæ ergo aram divi Joannis ntulo inſignem in æde divi Georgii dedicari placuit: quam Magiſtratus pridie Nonas Majas, quo die parta victoria eſt, religioſe adiret, cum ulitato aurei aulæi donario.

In hac pugna narranda Venetarum rerum Scriptores, qui totam rem ac caſus pugnæ paullo diligentius perſequuntur, duabus in rebus à noſtris Annalibus diſcrepant: nam decem recentes triremes Genua in ſupplementum miſſas, per ea tempora ad Lucianum veniſſe, Venetis rem ignorantibus; igitur Genuenſem Ducem quattuordecim triremes tantummodo oſtendiſſe, ut earum paucitate hoſtem ad pugnam facilius attraheret: reliquis pone promontorium haud procul ab urbe Pola diſtans latere juſſis; dato mandato, uti triremes modico edito prælio, ſenſim cedendo, tamquam nimium ab hoſte premerentur; illum ad locum inſidiarum pertraherent: tum ſubito, quæ in inſidijs ſubſtiterant, prodeuntes, hoſtiles naves circumvenirent: & Lucianum initio pugnæ cum prætoria Veneta congreſſum vulnere à Donato Zeno in ore accepto occubuiſſe; omneſque, qui erant in prætoria Genuenſi, trucidatos: ceterum Genuenſes nihil caſu Ducis imminutos, ut compoſitum fuerat, ceſſiſſe; Venetoſque ad locum inſidiarum tractos ab illis circumventos: quorum alterum, vires conſilio juviſſe, ſemper in laude poſitum eſt; alterum vero, quod de ſupplemento miſſo dicitur, Veneti nullo argumento docere poſſunt; cum præſertim nulla de ea re Genuæ exſtent monumenta, non modo apud ullos Annales, ſed ne in tabulario quidem, ubi omnia decreta civitatis de minutiſſimis quibuſque rebus facta diligenter aſſervantur: alterum ab omni veri ſimilitudine prorſus abhorret; morte Ducis ac prætoria vel capta, vel depreſſa, (alterutum enim neceſſe eſt, ſiquidem omnes ſuperſtantes trucidati ſunt) nihil ordines turbatos; omniaque ſedate & ex compoſito, tamquam nulla plaga accepta, adminiſtrata.

Haud parva quidem eſt hæc varietas; verum illud magis me conturbat; tantam eſſe Annalium noſtrorum jejunitatem, ut nihil attingant earum rerum, quæ in ſinu Hadriatico geſta ſunt, poſt adventum claſſis Genuenſis: qui fuit ſub finem menſis Auguſti anni ſuperioris; cum prælium, quod modo expoſuimus, quod initium gerendarum rerum faciunt, commiſſum ſit menſe Majo hujus anni: neque veriſimile ſit, duos tam claros Duces, cum uterque præpotentem claſſem paratam & inſtructam haberet, ſedentes totum illud octo menſium tempus ſegne contriviſſe; atque in ipſo initio ſeneſcere bellum tanto ardore ſuſceptum paſſos, ſtudiaque hominum relangueſcere.

Scriptores rerum Venetarum longam de iis rebus hiſtoriam contexunt; multoſque ambitus faciunt, quos ego omnes perſequi non neceſſe habui: inſigniora tantummodo ſummatim attingam; fidem illis neque detraheris, neque adjungens: in favendo enim rebus ſuis nimii interdum ſunt: ajunt igitur, Victorem Piſanum ſummum claſſium ac rerum navalium præfectum, ſimulatque audivit, ingentem claſſem Genuæ comparari in Hadriaticum ſinum deſtinatam, ut bellum à ſuis finibus averteret, extemplo ſinum egreſſum, mare inferum petiſſe; cumque Neapolim uſque proceſſiſſet; ibique cognoviſſet, claſſem Genuenſem altum tenentem jam prætervectam; itinere ſtatim retro verſo ſinum repetiſſe: quem antequam intraret, claſſem Genuenſem in ſinu Tarentino adeptum, Lacinium promontorium inſediſſe, Japygio (quod idem Salentinum dicitur) è regione adverſum; inter quæ velut duo prominentia cornua ſinus Tarentinus longo flexu curvatur: cum claſſem Genuenſem in intimum ſinum retractam ad pugnam elicere non potuiſſet: quæ claſſis cum tandem à portu Tarentino exiiſſet; Venetos illam ſtatim inſecutos: ceterum Lucianum, cum Veneti urgerent, neceſſitatem pugnæ, à qua prorſus abhorrebat, hoc ipſo; quod ſeſe ad illam adactum ſimulavit, diſcuſſiſſe: converſis enim in hoſtem proris, ſpeciem præbuiſſe ſeſe ad pugnam aptantis. Enimvero Venetos lætos antemnas demittere, arma ſuper tabulata extrahere, galeas ac thoraces induere, bellicas machinas ac tormenta ſuis locis aptare, ceteraque omnia ad imminens certamen opportuna raptim expedire cœpiſſe: quibus miniſteriis dum illos implicitos cernit; Lucianum proris converſis altum petentem multum inneris præripuiſſe, antequam Veneti ſuis ſe impedimentis expedire potuiſſent: remigiumque armis, quæ induerat, prægravanibus, cum curſum Genuenſium æquare non potuiſſet, tandem Lucianum ſeſe à conſpectu Venetorum incolumem eripuiſſe, egregioque commento conatibus hoſtilibus eluſis, Dalmatiam petiſſe: ceterum præfectum Venetum, non multo poſt tempore, cum audiſſet, claſſem Genuenſem Jadram urbem petere, vehementer commotum, curſum in illos direxiſſe: qua re cognita, Genuenſes, metu ne in itinere opprimerentur, omiſſa Jadra, ſeſe in propinquam amicam urbem Polam recepiſſe; duoque oſtia portus, quæ ea urbs habet, alterum in Orientem, alterum in Occidentem verſum, trabibus aliiſque machinis ita obſtruxiſſe, ut intro penetrari nullo modo poſſet. Igitur Victorem, cum appuliſſet, objecta munimenti ſpecie turbatum, omnem conatum mari irritum intelligentem, fortunam terreſtris pugnæ experiri cum ſtatuiſſet, copias in terram expoſuiſſe, magnoque impetu mœnia invaſiſſe: ceterum à Genuenſibus, qui & ipſi in terram exſcenderant, acriter mœnia defendentibus cum multa ſuorum cæde ac ſanguine repul-

repulſum: quare, cum conſilia non ſuccederent, annonæque inopia laborare cœpiſſet, omiſſo incepto, Jadram ſe recepiſſe: ceterum Venetos quinque triremibus in ſupplementum, ac magna vi annonæ illico miſſis, enixe imperaſſe, ut Polam repeteret; neque inde prius diſcederet, quam urbe, hoſtilique claſſe aut vi, aut deditione captis: dicto audientem fuiſſe Victorem: ceterum poſteriorem conatum non minus quam ſuperiorem inanem evaſiſſe; cum Genuenſes validioribus munimentis mœnia firmaſſent, atque oſtia portus obtruxiſſent: igitur Piſanum, cum aliquot dies ſine ulla effectus ſpe, nulla re tentata, in ancoris fuiſſet, tandem annona deficiente, hyemeque appetente, quæ eo anno ſæva in primis fuit, obſidione omiſſa, ſe in Iſtriam recepiſſe: circumactaque hyeme, inſequenti anno, cum tempus gerendarum rerum veniſſet, portum exiiſſe, Apuliamque petiſſe; frumentoque, cujus cauſſa venerat, in naves impoſito, inde profectum in itinere quindecim Genuenſes triremes in conſpectu habuiſſe; pugnamque inter utramque claſſem miſſilibus potius procul eluſam, quam commiſſam: in qua tamen cum, qui claſſi Genuenſi præerat, cujus nomen ignoratum eſt, cecidiſſe; Victoremque ictu ſagittæ vulneratum: pugna dirempta Genuenſes Jadram conceſſiſſe, Venetos Iſtria repetita Polam ſe contuliſſe. Victoria ad Polam parta, claſſis Jadram repetens, in itinere Clodiam veterem, duoque alia Venetorum opida incendit; onerariamque magni pretii mercibus onuſtam cepit; compluribuſque detrimentis nonnulla Venetorum loca, ad illa ſubinde divertendo, affecit.

At Genuenſes, tam felici rerum gerendarum initio animis ſublatis; cum bellum omni ope perſequi decreviſſent, in Luciani locum Petrum Auriam ſufficiunt, virum impigrum ac ſtrenuum: qui ſi ad fortitudinem ac reliquas virtutes animi quoque moderationem addidiſſet, nemo profecto ad ejus gloriam poſſet adſpirare: internecino enim bello finem Genuenſibus honorificum & fructuoſum impoſuiſſet: nunc nimia arrogantia ingenuque aſperitate, tot animi bona, quibus ea tempeſtate nemo inſtructior fuit, fœdavit, felicitſimoſque ſucceſſus ac ſpem ex illis conceptam evertit; atque efferenti ſe fortunæ nimium indulgens, neque ejus variantis vim ſecum reputans; ſeſe, exercitum, claſſem, Rempublicam præcipitem dedit. Petrus igitur cum quindecim triremibus, quas Genuenſes armaverant, Genua ſolvens, Jadram contendit: quo appulſus cum victrice claſſe ſe conjunxit.

Per ea tempora novem triremes Venetæ in mare Liguſticum venerunt, in Tiroque parva inſula, quæ eſt ante opidum Portum Veneris, ſacram ædem ceperunt, nemine defendente; nonnullaſque reliquias ex ea abſtulerunt; falſo credentes ſeſe corpus ſancti Venerii, quod in ea æde ſumma cum religione adſervatur, abſtuliſſe: cumque excurſiones facere, oramque Liguſticam populationibus aliiſque belli detrimentis carpere cœpiſſent, miſſæ ſunt adverſus illas novem tritemes Genuenſes: quæ cum Venetas in fugam conjeciſſent, porro ire perrexerunt, Jadramque appulſæ ſe cum reliqua claſſe conjunxerunt. Veneti Annales rem mire augent: ſcribunt enim Venetos initio horum motuum, cum audiſſent claſſem Genuæ comparari, in Hadriaticum ſinum deſtinatam ad fines Venetos vexandos; ſive ne ipſi minus animi ad hoſtem petendum habuiſſe viderentur, utque pares clades illis redderent; ſive ſe putantes, hoc impedimento Genuenſibus objecto, illos ab alienis petendis ad ſua tutanda averſuros; novem triremes inferum mare petere juſſiſſe: quibus inſequenti anno ſex triremes addidiſſe: hanc claſſem, cum ad littora Genuenſium defenſoribus nudata appulſa eſſet, per duos circiter annos totam oram Liguriæ crebris excurſionibus, populationibus, incendiis, ruinis infeſtam feciſſe: cum ne poſt Clodiam quidem captam receſſiſſent: ceterum paucis verſimile fore puto; Genuenſes navigiis ceteriſque maritimis facultatibus abundantes paſſos eſſe, ditionem ſuam biennio belli eladibus vaſtari; nemine contra hoſtem emiſſo: quique ad aliena vexanda tam validas claſſes ſubinde emitterent; in injuriis & detrimentis à ſe arcendis tam ignavos fuiſſe.

At Petrus, recenti victoria à gentili ſuo parta, numeroque navium auctо, (fuerunt triremes ſeptem & quadraginta, parque numerus minorum navigiorum, cum non deſint, qui triremes ſexaginta fuiſſe tradant) ferox, majora tentanda ratus, octavo Idus Auguſtas portu Jadrenſi ſolvens Venetias ipſas iter dirigit; atque in itinere Rubinum, Bonajam, Magrum, Gradum, Clavellum valida Iſtriæ opida expugnat. Venetorum Annales addunt, navim Venetam infiniti pretii mercibus onuſtam à Genuenſibus in fugam actam, prope à littore Venetо mille paſſus; cum magiſter navis, vento atque unda ipſum deficientibus, ſe in terram ejeciſſet; captam & incenſam in ipſis oculis Venetorum à littore inſpectantium, ac fortunam civitatis & conditionem ſuam lugentium; qui tantam indignitatem ferre cogerentur, ut ne ad ipſam quidem urbem ſuam civibus ſuis in extremo periculo ferre opem poſſent: illud inſuper addunt; Genuenſes, poſt navim captam, Palæſtinam cepiſſe: quam utramque rem à noſtris Annalibus prætermiſſam miror. Igitur Veneti, cum nulla eſſet facultas claſſem armandi, quam hoſti opponerent, adventumque Genuenſium exſpectarent, omnes curas in urbem ac loca circumjecta munienda convertunt.

Sed prius nobis Venetiarum ſitus deſcribendus eſt. Ea urbs in intimi ſinus Hadriatici flexu in mari ſita eſt: quod urbem inſtar inſulæ circumluit: quam à Septemtrione & ab Occidente ſole littus continentis cingit; à quo circiter quinque millia paſſuum diſtat: à Meridie & Oriente agger ab undis undique exſtans variæ latitudinis, cum maxima mille paſſus non excedat, triginta quinque millium paſſuum procurſu paullo extrorſus curvato ambit: ut ſpeciem urbis ſtagno lacunoſo atque maritimis æſtibus irriguo incluſæ contemplantibus præbeat. Interſcinditur is agger, quem incolæ littus vulgo appellant, ſex in locis velut ſex oſtiis; per quæ aditus in portum, ſeu in ſtagnum, navibus ab alto venientibus patet: primum, quod ab Oriente incipit, tres portus appellatur: alterum, littus maximum: quod illud conſequitur, ſancti Eraſmi vocatur: huic proximum duo caſtella nuncupatur: quinctum Metamaucum, ſive Malamocum nominant: poſtremum eſt portus Clodiæ à continenti exiguo freto interſciſſum: ut loco aggeris, ſpatium, duobus iis interjectum oſtiis, ab urbe ipſa Clodia occupetur: acceſſus autem ad urbem Venetas duabus de cauſſis exteris navigiis minoribus difficilis eſt, majoribus nullus: nam & minima eſt atque incerta aquæ altitudo, æſtibus creſcens ac decedens; quæ alveos majorum navium non fert: & canales peranguſti, ſub undis latentes multis in locis defoſſi ſunt: quorum altitudo peritis & gnaris tutam navigationem præbet: cum exteræ naves, nullumque ejus portus uſum habentes, incertæ qua curſum teneant, ſi paullum modo dextra vel læva deflexerint, vadis infixæ immobiles hæreant: à quibus niſi longo tempore ac magna mole avelli non poſſint: igitur Veneti

ſpa-

ſpatium inter duo caſtella interjectum perpetua atque inter ſe annexa ingentium trabium tranſverſa ſerie obſtruunt ; triplici etiam ferrea catena magnæ craſſitudinis ducta : quam navigia quædam informia *Sandones* vulgo appellata, binis ancoris firmata ſuſtinebant : treſque ingentes corbitas validis vinculis inter ſe annexas ac cratibus conſtratas ſtatuunt : quæ inexpugnabilis valli uſum ac ſpeciem præbebant : ad hoc foſſa in magnam altitudiem depreſſa ad ædem ſancti Nicolai, quæ eſt in littore ab exteriore mari ad interius ſtagnum ducta, ac valido trabum vallo communita ; iter Metamauco venientibus interſeptum ; caſtellumque ad Metamaucum excitant, ac valido præſidio armatorum firmant.

At Petrus porro ire pergens, oſtium Veneti portus ad duo caſtella tenuit : copiſque, quibus ſe mille pedites à Carrario miſſi conjunxerant, in aggerem expoſitis, cœnobium ſancti Nicolai præſidio Venetorum dejecto expugnat, caſtellaque irrito incepto tentat : quæ Veneti valido trecentorum equitum ac magni peditum numeri præſidio firmarant : cum etiam Joannes Barbaricus cum magna celocium multitudine bumbardulas vehentium oſtium portus ioſediſſet : igitur Petrus omnem conatum ab ea parte inanem fore intelligens, ſimul tanta munitionum objecta ſpecie deterritus, cum inexſuperabilibus vis afferri non poſſet, in alteram littoris partem vim belli convertit ; ac Clodiæ urbi claſſem admovet : quæ urbs in altero extremo littoris cornu ſita viginti quinque millium paſſuum intervallo Venetiis diſtat ; plateaſque, ut Venetiæ ipſæ, navigabiles habet, multis illas interſecantibus canalibus, qui in mare feruntur, cum nonnulli etiam tenues euripi extra urbem per campos & ſalinas diſcurrant : qui occulti, exteriſque ignoti, toto obſidionis tempore, quamvis Genuenſes portum tenerent, ad urbem acceſſum & egreſſum nuncüs ultro citroque commeantibus dederant. Erat in urbe Clodia, præter urbanam juventutem armatam, firmiſſimum trium amplius millium peditum præſidium : ad hoc hoſtes caſtellum inter urbem & portum, qui mille paſſus ab urbe abeſt, excitarant ; ac magna hominum & telorum omnis generis copia firmarant : quæ res impetum Genuenſium, cum portum primo adventu cepiſſent, retardavit ; quo minus ad urbem illico accederent : quo paucis poſt diebus expugnato ; cum Franciſcus Carrarius cum copiis, quas duxerat neque numero neque genere contemnendas, ac non pauca peditum ſigna à Patriarcha Aquilejenſi miſſa ad claſſem venuſſent, Petrus haud jam cunctandum ratus urbem invadit. Varius primus conatus fuit ; cum milites imperata non obſervaſſent : poſtero die oppugnatio integrata eſt : quæ longa & atrox ac cruenta fuit, obſeſſis ſeſe egregie defendentibus : tandem Genuenſes in urbem penetrant, magna hoſtium edita cæde, ac civitate direpta : matronarum, tamen pudore intacto, quæ juſſu Petri in Monacharum cœnobium ſubductæ ſunt. Cæſa ſunt in ea pugna hoſtium ſex millia, ac plus noningenti capti : cum victoria Genuenſibus & fœderatis non exiguo ſanguine ac cæde ſteterit.

Triſtis nuncius Clodiæ captæ Venetias confeſtim perlatus, tantam trepidationem fecit, ut mœrorem ac luctum acceptæ cladis terror imminentis interitus obſtupefecerit : cum Senatorea ipſi, veluti mentis non ſatis compotes, tanto undique circumfuſo pavore, obtorpuiſſent : tandem, cum animi à ſtupore, quo defixi diu ſteterunt, tamquam à ſomno emergere cœpiſſent, nullam tamen

A rationem explicandæ ſalutis inibant ; cum ſubiret animum cogitatio, in eum ſe locum adductos, ut aut vi, aut fame expugnarentur : quibus enim opibus, claſſe amiſſa, ac terreſtribus copiis delectis, hoſti geminata victoria feroci, tantiſque vinbus fulto, ſi ille Venetiis claſſem admoveat, reſtituros? neque vero majoris aut diuturnioris certaminis expugnationem muninentorum recenter excitatorum, quam Clodiæ fore : quod tamen diſcrimen ut evadant, ut hoſte Venetias omnino non accedente, vel irrito incepto accedente : quo modo adverſus famem, quam natura inſuperabilem facit, ſe invictos fore, omnibus maritimis

B ac terreſtribus commeatibus undique clauſis ? alterutra igitur peſte percundum eſſe. Omnia circumſpectantibus nihil ſuccurrebat, quam pacem à ſuperbo victore ſuppliciter expoſcere. Durum quidem videbatur, populo, cum quo per centum amplius annos de maris imperio vara fortuna dimicaſſent, ſupplices fieri : evidens tamen præſentis interitus ſpecies, ante oculos verſans, neceſſitatem illis expreſſit, hanc quantamcumque indignitatem ſubeundi : Legatos igitur ad Petrum mittunt ; quibus mandant, ut pacem per æqua per iniqua cum Genuenſibus componant : quibus ad Petrum introductis, legationis principem

C ita locutum accepimus : *Magnos vobis animos, Genuenſes, facere poſſunt tot felices ac continuati rerum ſucceſſus : ingenteſque tibi in primis, Dux, ſpiritus addere tot alta ſuper alta familia tua cumulata decora ; clariſſima de nobis navali victoria à Luciano genitli tuo viro forti ac claro paullo ante parta ; ac Clodia urbe à te modo capta, urbeque ipſa Venetiis obſeſſa : ceterum quo validior eſt ſecundo ventis flatus, eo major diligentia in illo moderande tibi eſt adhibenda : ac cavendum ne te nimio illius impetu in aliquas latentes ſyrtes, atque inextricabiles ſcopulos ſinas auferri. Vetus eſt hoc, Petre,* Multos claros Duces vincere ſcivisſe, victoria uti neſciviſſe : *quod dictum*

D *non magis in illos valet, qui inſtitutum curſum felicitatis perſequi deſiterunt, egregiſque rebus male geſtis, velut alto repente ſaltu, ſegnes obtorpuerunt ; bellumque ingentibus animis incboatum ſeneſcere, deſidia ſua paſſi ſunt ; quam in illos, qui nullum modum fortuna ſe nimium efferentis faciendo, neque ad non conceſſa tendendo, ſeſe, copias ſibi creditas, Reſpublicam ambitione ſua præcipitem dederunt ; magnarumque cladium civitatibus ſuis cauſſa fuerunt. Qui fruſtra victoriarum maximus ſperare & optare poteſt, hoc eſt, victum hoſtem ad tuas conditiones adducere, illique pacis leges imponere ; id tu, Dux, aſſecutus es : pacem enim à te petimus Veneti ; vi, qui clariſ-*

E *ſimis victoriis partis, ingentibus rebus geſtis, nomen noſtri fama totum orbem terrarum implevimus ; ampliſſimaſque Provincias, atque innumerabiles urbes lateſſime patenti imperio noſtro ſubjunximus. Pamitebit igitur te, Petre, gloria tua, aut te ad cetera gentis tuæ ſtemmata, quæ frequentiſſima ſunt, parum decus addidiſſe exiſtimabis ; te Venetos ad neceſſitatem pacem ſupplices à te petendi adegiſſe ? quique populus virtutis amulus de principe in maritimis rebus loco per centum amplius annos vobiſcum contenderit ; illum à te in eum locum adductum, ut non jam ſit*

F *ex de dignitate & gloria dimicandum, ſed de ſalute laboraudum ? magnum eſt hoc, ſi rem vere tecum exiſtimare volueris, Dei immortalis beneficium : quod illius benignitate tibi in ſinum ultro delatum, cave ne nimia cupiditate tibi clabi finas : id aſſequeris ; ſi tecum reputaveris, quanta vecordia ſit, rem jam partam, ac domi, quod ajunt, conditam temere in incertam aleam dare.*

Quæ ad ea reſponderit Petrus, quas pacis conditiones tulerit, à noſtris Annalibus non traditur : puduiſſe illos credo, tam barbaram immanita-

tem

tem io homine Genuenſi litterarum monumentis mandare: illud tantum dicunt, (quod inter Venetos & omnes etiam Scriptores, quoſcumque ego viderim, conſtat) ita atroces conditiones ab illo editas, quæ in nullius hominis iotegra mente utentis ſenſum caderent: quibus, ſi totam ditionem Venetorum ac Venetias ipſas jam cepiſſet, mitiora edere debuiſſet: omnia enim illis ademiſſe, præter hujus uſutam lucis, quam ipſam quoque ut à ſe precariam habere faterentur, volebat. Quæ legatio renunciata majores motus, quam proximos cladis nuncius, in contrariam partem Venetis feeit: ita enim abominati ſunt poſtulata, ab omni humanitatis ſeoſu abhorrentia; itaque ea res indignationem & iracundiam Venetorum accendit; ut ab ultima deſperatione in rabiem verſi, omni pacis cogitatione depoſita, animos ad tantam tamque veſanam furentis hominis arrogantiam ulciſcendam acuerint.

Hic, rerum Venetarum Scriptor haud parva in re à ooſtris Annalibus diſcrepat: nullam enim legationis ad præfectum Genuenſem Venetis miſſæ mentionem facit: quin contra, Venetos ait oihil Clodia capta, & tantis aliis ſuper alias cumulatis eladibus, animo infracto, ad bellum reparandum, ac ſeſe defendendos animos acuiſſe. Illud quoque addit, quod à noſtris Annalibus ſilentio præteritum eſt; Carolum Ludovici Hungarici Regis filium per idem tempus fines Venetos inſecto exercitu intraſſe; Tergeſtumque urbem arta obſidione cinxiſſe; demonſtraſſeque, ſeſe ambigentium controverſias pro communi amico haud gravate cogniturum, ac res ioter illos componere omni ope anniſurum. Venetos igitur, Aquilejenſem, Carrarium, ac Genuenſes ipſes, amplas legationes ad illum miſiſſe; reſque magnis diſputationibus coram Carolo agitatas: nihilque tandem, poſt ingeoia certamina actum: immites enim Genuenſium animos perſtitiſſe in pravo & crudeli incepto; iis conditionibus pacis latis, quas omnium aures reſpuerunt: eum omnia Venetis, præter animam, adimerent: quam ipſam quoque ipſorum benignitati aeceptam referri à Venetis vellem: ceterum quam veriſimile ſit, Venetos, Clodia capta, totque cladibus attritos, ad hoc tot terra ac mari circumſiſtentibus terroribus, præterea omni commearuum via intercluſa, animos ad pacem petcodam non demiſiſſe, quod idem ipſi Veneti levioribus de cauſſis aliquando feeerunt; in aliorum cogitatione relinquo: ac ne illud quidem minus à veritate abſonum videtur; Venetos inimico Rege, ſeque & urbes ſuas oppugnante; ac cum quo ſibi tantæ iomicitiarum cauſſæ intercederent, ob tot omnium temporum inter ſe illatas injurias, totque civitates mutuo ſibi ademptas; diſceptatore tanta in re uti non dubitaſſe: ut illud quoque à ratione eſt alienum; Regem oon potius optaſſe Venetos iis de cauſſis, quas diximus, tanta mole obrui, quos confectos & enervatos ipſe poſtea facilius opprimeret, ſuaque ſibi reddere cogeret; quam illos ſublevare, atque è tantis diſcriminibus eripere ſtuduiſſe.

Igitur Veneti, cum res afflictæ & proſtratæ eum virum poſtularent, in quo animus eſſet tantæ rerum moli par, neminem potiorem habentes Victore Piſano, eum carcere eductum, invidia & obtrectatione temporibus Reipublicæ cedente, ſummæ bellicarum rerum præficiunt, cum iogenti populi lætitia; eui ita carus fuiſſe & acceptus dicitur, ut illo carcere incluſo, multi eitam nomen in militiam dare recuſarent, ſeque ſub alio Duce umquam merituros oegarent: præterea Legatos ad Barnabam Principem Mediolani opem in extrema fortuna oratum mittunt: qui cum Mediolanum veniſſent, ad Barnabam introducti, illorum princeps talem orationem habuiſſe traditur: *Ad extrema adducti; terra ac mari artiſſima obſidione circumſeſſi; omni maritima & terreſtri commeatuum via nobis clauſa, ac mœnibus prope ipſis Venetiarum ab hoſte captis; (nulla enim alia mœnia urbs noſtra habet, preter aggerem ante eam conſurgentem, atque in eo à nobis nuper excitata propugnacula, quorum firmiſſimum eſt Clodia modo ab hoſte expugnata) tot igitur anguſtiis circumventi in tuam opem & miſericordiam confugimus, Princeps: qua una nos è faucibus immaniſſimi hoſtis eripere poteſt, atque propinquo interitu ſervare: quam tamen opem verecundius à te peteremus; ſi, in ea nobis porrigenda vel neganda, minus fides, fama, exiſtimatio, utilitas denique tua, quam noſtra ſalus ageretur: neque enim nos ſoli tanto onere nos temere aggravaſſemus; niſi ſpe auxiliorum & ſocietatis tuæ freti, fudere ac ſollemni jurejurando ſanciia; ad hoc tam amanter ac proluxe à te ad nos delata: cum videremus Genuenſes perpetuos hoſtes noſtros cum potentiſſimo Principibus accolis noſtris arma communxiſſe: ſapientiuſque duxiſſemus parva inſula Tenedo, qua funeſtum hoc bellum excitavit, hoſti cedere; quam eam acgotii molem acbis cenſtare, qua neceſſario obruendi eſſemus, viribus adverſm tantam conſpirationem longe impares: ſpe igitur tua ſocietatis inviſa, bellum ingreſſi ſumus; quam nos numquam falſuram pro certo habemus: neque enim fieri poteſt, ut tu tanti faſtigii Princeps, ſedens & inſpectans patiaris nos opprimi, atque in tanto offecto, quod tibi fides tua ac juramendum imponunt, ut coſſes: eum interea Genuenſes non magis ſuis quam ſocierum viribus nos oppugnent: acu enim illorum fuderati minus atroces in acı coorta ſunt; aut minus acri bello, quam illo, nos urgent: quod in illum locum nos adduxit, que nullus ſit, præter interitum, inferior. At enim quid eſt, Veneti, quod ealum & terrat inimbus querelis implea-tis? quod jurijurandi & pactorum toſtem citatis; cum ipſi vos iſtis moleſtiis facile eximere poſſitis, cauſſam belli, quoniam ita levis eſt, pracidendo, atque inſula Tenedo hoſti cedendo? utinam hoc nobis integrum eſſet, Princeps: utinam hiantem voraginem, hæc inſula nobis diratta, explere poſſemus; non te, aut quemquam fatigaremus: ceterum res non eo loci jam eſt, neque de Tenedo exigua inſula dimicatur; ſed de omnibus rebus noſtris, de tota, inquam, ditione noſtra, ad quam infatiabilis rapaciſſimique hoſtis cupiditas felicibus ſucceſſibus incitata oculos adjecit; quin etiam de Venetiis ipſis certamen nobis fortuna indixit. Patieris igitur, Princeps, nos cum veteri amicitia jure, caſte atque integre a nobis perpetuo culto, tum recentis ſocietatis fœdere tibi conjunctos inſpectanı & ſedens imerire? ac non protinus omnibus regni tui viribus commiſſo ad tuos liberandos accurres? eum præſertim, ut omittam fidem, pacta, exiſtimationem, hominum ſermones, non minor res tua agatur, quam noſtra: poſtremum enim ſecimus; quod multis eſſe in deliberationibus primum ſolet; hoc eſt utilitas: qua tum maxime eſt ampleſtenda, cum eſt cum dignitate & amplitudine conjuncta. Regnum habes, Princeps, nobiliſſimum & opulentiſſimum; regionemque omnium, quæ ſub cælo ſunt, feraciſſimam; tum autem innumeris claris urbibus ac validis opidis frequentem: idem tamen regnum eſt velut corpus robuſtum quidem ac vegetum, ſinſque viribus ſiemum; ceterum truncum ac mancum; cum cruribus & brachiis careat, quibus ſe eommoveat, ac vires ſuas late profrrat: ea autem quid aliud ſunt, quam mare ac maritima opes? en ſola in tanta ceterarum rerum, tanquæ affluentı copia tibi deſunt: earum igitur tibi addendarum, hoc bellum non modo praclaram occaſionem, ſi illud toto pectore amplexus fueris, ſed juſtam quæ cauſſam præbet: æquus enim dabitur; quin, ſi tu acri bello Genuenſes urgere coperis, illos brevi ſis ab altenis quæreudis ad tua tutanda revocaturus? quo bello circumſeſſis immunente literati, non debes dubitare, quin*

omni viriam noſtrarum conatu ſimus conſurrectari ad tantas injurias ulciſcendas, ac pari cladis illis reddendas. Qua autem ſpes illis ancipiti terrore hinc terra à te, illinc mari a nobis circumventis reliqua erit? annona præſertim illos cito defectura; cujus numquam magnam copiam habent: qua importata tantummodo utuntur: ut, ſi non alia re, fame certe & neceſſariarum fragum inopia victi ad illud conſilium ſint deſcenſuri: ad quod pridem eadem ipſi nos ſuperioribus annis illos adegimus, cum ſe Joanni gentili tuo voluntaria deditione tradiderunt: increbuitque tua ſolicitate ſit; ut non cupiditas alicna rapiendi, ſed deſiderium tua recuperandi, juſta & pia arma tibi indaſſe videatur. Si tanta ac tam ſplendida cauſſa ad honorificum & fructuoſum bellum non ſatis ſtimulant; nequidquam noſtra, aut cujuſquam adhortatio acuet. Illud tantum extrema oratione noſtra te monitum volumus; ut, quod facere decreveris, quamprimum facias: ne tum tempeſtatum veniſſe doleas, cum jam nulli eſſent, quibus opem ferres.

Æqua Venetos poſtulare, ſeque in officio & fide pactorum fore, reſpondet Barnabas; omnemque belli terrorem à Venetis depulſum in Genuenſes verſurum, copiis in illorum fines illico miſſis: atque ita bono animo eſſe juſſos Legatos à ſe dimittit; è veſtigioque legionem Stellatam, quam ſuperius memoravimus, quæ fuit quattuor millium armatorum, Aſtorre Manfredo Duce, in Liguriam mittit: quos Ifnardus Guarcus Ducis frater, urbanam juventutem ſecum trahens, valida impreſſione aggreſſus fundit; maximo illorum numero partim cæſo, partim capto, reliquis, qui pauci ſuperfuerunt, in fugam conjectis, cum ipſe Manfredus ruſticanis veſtibus indutus evaſiſſet. Hujus victoriæ memoriam Genuenſes eum uſitato dono aurei aulæi ad ædem divi Georgii ad octavum Kalendas Octobreis, quo die parta eſt, ſacro ſollemni quotannis renovandam decreverunt: quæ victoria non magis Genuæ, quam tota Italia læta fuit; urbibus ac finitimis populis gaudentibus, illam omnium ſcelerum ac facinorum colluvicm delectam; à qua nullius urbis fines cladibus belli eſſent intacti: cum non minus incerta exſpectatio, quam præſentia mali animos hominum torqueret, incertos, quo illos populantes animi impetus ferret.

Interea Genuenſes nonnulli obſcuri nominis, vicis in circumjectis littoribus, atque ad ripas Atheſis captis, porro ire pergentes, Metamaucum capiunt: ceterum cum, Clodia ac ceteris circumjectis locis captis, urbeque Venetiis mari ac terra velut circumvallata, omnique aditu commeatibus intereluſo, victoria in manibus eſſet; Venetiaſque, ſi nulla alia re, at ſaltem alimentorum inopia brevi cadere, Genuenſibus ſedentibus, ac nihil molientibus, neceſſe eſſet, Genuenſes certum & exploratum temporis beneficium, dum nimia cupiditate, ac moræ impatientes, illi antevertere ſtudent, corruperunt: igitur, cum caput ipſum rerum Venetias invadere decreviſſent; Clodia cum triginta triremibus moventes, oſtium caſtellorum ad ſanctum Nicolaum petunt; per quod majoribus navigiis facilior eſt ad urbem acceſſus, canali ab ea parte in ſatis magnam altitudinem depreſſo; cum ceteri canales alveos magnarum navium humilitate ſua non ferant: ceterum, cum munimenta ac catenas, quibus Venetos oſtium obſtruxiſſe ſuperius diximus, ſuperare non potuiſſent, Metamaucum repetunt: inde Popiliam petunt, qui locus haud plus trium paſſuum millium intervallo ab urbe diſtat: duobuſque illis in locis cum parte claſſis conſidunt: ceterum, Genuenſibus nimium ſe inferentibus, Joannes Barbaricus cum centum minutis navigiis varii nominis & generis ſeſe oppoſuit, pugnam potius eludens, quam conſerens: quæ Genuenſibus multis de cauſſis iniqua erat; cum lacunarum humilitas, ac canalium exigua altitudo ipſorum navium alveos non ferrent: quæ ſi paulum modo extra canales dextra, aut ſiniſtra deflecterent, vadis infigebantur: cum contra exigua navigia Venetorum, ac portus ſui peritorum numquam offendentia circumvolitarent, Genuenſeſque naves modo à prora, modo à puppi, modo à lateribus miſſilibus varii generis inceſſerent: à quibus magna detrimenta accipiebant Genuenſes; cum in primis à bombardis læderentur, quas ſingulas ſingulæ ſcaphæ vehebant: quod novum tormenti belliei genus tum primum in Italia auditum, Genuenſes novæ rei ſpecie obſtupefactos in primis turbabat; cum ſingulis illarom ictibus duo, aut tres, aut plures etiam mortales exanimarentur.

Cum mari nihil ſuccederet, Venetique canales ſanctæ Martæ, & ſancti Spiritus ad urbem ferentes clauſiſſent; Genuenſes res terreſtri via tentandi, conſilium capiunt, oſtiumque portus ad ſanctum Nicolaum invadendi. Interjectæ tum erant Metamauco & ſancto Nicolao ſylvæ tegendis inſidiis aptæ. In his magno armatorum numero latere juſſo; Genuenſes validam armatorum manum præmittunt, quæ ſpeciem præbeat accedentium ad demoliendum murum, quem à Venetis nuper ductum ſopra diximus: in quos appropinquantes ala equitum emiſſa eſt: quorum impetum Genuenſes primo conſtanter ſuſtinuerunt; modicoque edito prælio, ut compoſitum fuerat, ſenſim cedentes, tamquam impreſſionem non ferentes; cum hoſtem ad locum inſidiarum pertraxiſſent, qui latuerant, ex inſidiis conſurgentes, in hoſtem ſeſe effuſe inferentem impetum faciunt: quem, magna hominum & equorum edita ſtrage, cum ii quoque, qui ſe cedere ſimularant, in pugnam converſi eſſent, præcipitem intra murum agunt. Satietatem potius legentibus, quam ullum operæ pretium faciam, ſi quæ prælia tam in mari ac lacunis, quam in littoribus per varias occaſiones, variaque fortuna, inter Genuenſes & Venetos quotidie committebantur, perſequi velim: cum agilitas & celeritas minutorum navigiorum, tum autem maris & vadorum peritia Venetis auxilio eſſent; qua re fiebat, ut parvis damnis aſſiduc Genuenſes carperentur: cum etiam triremem, cui præfectus erat Vegerius Saonenſis, cum illa ſe nimium intuliſſet, ac decedente æſtu immobilis in vadis hæſiſſet, complures ſcaphæ ad illam advolantes cepiſſent: quam cum Venetias una cum nonnullis aliis navigiis captis, ac ducentis circiter captivis, in quibus fuit ipſe Vegerius, traxiſſent; ingenti lætitia à populo, tamquam magna aliqua victoria parta, excepti ſunt: quod in tantis luctibus hoc quantumcunque gaudium affulſiſſe videretur: quod tamen gaudium brevi luxuriavit, & vanum evaſit; majore plaga à Genuenſibus illis reddita: nam, eum auditum eſſet, magnam Genuenſis partem claſſis in Apuliam frumentandi cauſſa profectam, ac propterea Clodiam defenſoribus inanem, ac vigiliis & cuſtodiis neglectam Venetii ſeſe offenſuros rati, cum trecentis minutis navienlis, Victore Piſano Duce, noctu ad illam tentandam clam accedunt: ceterum, cum non fefelliſſent; à Genuenſibus cum multa exde ac ſanguine, compluribus navigiis omiſſis, ac genero Contareni Ducis cæſo, repulſi Venetias reverturtur. Quæ clades quamvis in comparatione ſuperiorum levis, tamen eo tempore accepta, cauſſas luctus aggravavit.

Ceterum populo propior erat dolor, ac metus deficientis annonæ, & neceſſariarum rerum, quarum penuria vehementer laborabatur; cum res in dies atriores fierent; neque ulla ſpes circumvallatis

tis oſtenderetur inopiæ ſublevandæ. Vulgo igitur querelæ ac voces audiebantur, deſidiam & ignaviam Senatorum & principum civitatis accuſantes; qui animis & corporibus jacentes appropinquantem interitum, nullis remediis tentatis, exſpectarent: adeone virtutem Venetam uno aut altero ictu concidiſſe, ut à caſu ſe erigere non poſſit? minutulorum ne navigiorum excurſionibus hoſtem ſe à cervicibus depulſuros ſperare, ac Clodiam recuperaturos? omnibus viribus conitendum, ac juſta claſſe, juſtoque exercitu rem gerendam; eamque communi Marte decernendam dari oportere: nullam enim aliam eſſe ſalutis viam; hocque unum conſilium in utrumque caſum aut ſalutare, aut certe non damnoſum eſſe: nam ſi prælio ſuperiores fuerint, tum vero ab interitu ſeſe ac patriam ſervarint: quod ſi fortuna ſævire perſtiterit, nihil damni fieri; genus enim tantum mortis mutari: longeque ſatius eſſe, armatum vindicem ſalutis & libertatis ſuæ omnia pro illis expertum in acie, per ſummum decus, cadere; quam turpiſſimo mortis genere, quod certiſſimum impendeat, fame deficere. Numquam concitata multitudo rantum ſtomachum arrogantis & contumacia ſua Nobilitati fecit, tantamque illius indignationem in ſe commovit; quantum tum gratiam plebs Veneta iis querelis à Senatu & principibus civitatis iniit; gaudentibus, humilis ſortis homines, in capeſſenda Republica, ac communi patria & libertate defendenda, ſtudio ſibi præcurrere: ſeſeque ab illis ad ea ultro incitari, ad quæ illi ab ipſis ſtimulandi fuerant: ceterum longe gratior fuit principum popularis corporis civium egregia in patriam voluntas: qui, maxima parte rei familiaris ſuæ in medium collata, inopiam ærarii exhauſti ſublevarunt; bellumque liberalitate ſua diu aluerunt: quod promeritum per ſe magnum ac gratum, cum tempora Reipublicæ majus ac gratius feciſſent; Senatus eo beneficio remuneratus eſt, quod ab ea civitate exſpectari poteſt maximum: illis nobilitate donatis, atque in ordinem gerentium Rempublicam lectis: quæ familiæ ad ſexaginta numero fuiſſe dicuntur.

Igitur omnibus curis in claſſe comparanda defixis, brevi tres & triginta triremes (cum in navalibus magnum alveorum oumerum ſemper habeant) clam armant, duabus ingentibus corbitis, ac duobus pontonibus additis. Id eſt informe, ceterum firmiſſimum navigii genus ad ſubvectiones fabricatum miræ ſoliditatis ad quamvis ingentia pondera ſuſtinenda: cujus claſſis ipſe Contarenus Dux præfectus, cum is ipſum illud munus ſibi depoſciſſet, non libenter modo, ſed cupide quoque creatus eſt: quod tanti viri, cum ob eximiam rerum navalium ſcientiam atque uſum, tum ob ſummum honoris & auctoritatis locum, maxima ſpes erant in bello, atque in rebus regendis, momenta. Is ſibi Legatos delegit, Victorem ipſum Piſanum, haud retractanter majori poteſtati ſummo loco cedentem, & Dominicum Michaelium: quæ res cum ita clam à Venetis adminiſtrari non potuiſſent, ut Genuenſium ſcientiam effugerent; Genuenſes, juſſu Petri, Metamauco ac Popilii incenſis, Clodiam ſe recipiunt: lociſque urbis invadenti boſti opportunis, validis præſidiis & ſtationibus firmatis; claſſeque ad pugnam inſtructa, (quæ fuit non plus quam viginti novem triremes, cum reliquæ in varia belli munera abeſſent) ſeſe ad reſiſtendum parant.

At Contarenus magnum Senatorum numerum, ac florem Venetæ juventutis ſecum ducens, Venetiis ſub veſperum movens, noctu Clodiam appulit: Genuenſeſque magno impetu adverſus ſe prodeuntes, cum vix ſatis temporis habuiſſent ad claſſem explicandam, & ad pugnam aptandam, invadit. Numquam aut majorum animorum ardore concurſum eſt; majoreve irarum certamine, aut acrioribus cauſſis animos utriuſque ſtimulantibus, prælium initum: quod atrox ac diuturnum, & anceps fuit; utroque Duce certamen accendente, ac, quibuſcumque irritamentis poterat, animos ſuorum acuente. Navium numero atque hominum multitudine ſuperiores erant Veneti; & præſidio duarum corbitarum ac pontonum, quorum navigiorum magnus uſus in prælio fuit: cum Venetæ triremes, ſi quæ ab hoſte nimium premerentur, ad illas confugerent, tamquam totidem arcium humilioribus navibus imminentium præſidio tectæ. Virtute ac robore pugnantium Genuenſes præſtabant: qui veterani omnes fere erant, atque diuturno armorum uſu aſſuefacti & malis durati: cum Veneti ſubitario milite, ac ſellulariorum gregibus claſſem magna ex parte refertam haberent: qui cedere tandem Genuenſibus coacti ſunt: cum, duabus corbitis, quarum tutelæ maxime fidebant, à Genuenſibus expugnatis, ac nonnullis triremibus ſimul capiis, animis concidiſſent. Contarenus igitur rem ad iniqua inclinatam cernens, cum reliquis, quæ ſuperfuerunt, navibus trepida fuga Venetias ſe ſubduxit.

Per ea tempora Carrarius ſapiens conſilium Duci Genuenſi dediſſe dicitur; hortatus ne bellum ingentibus animis ac magnis initiis cœptum ſeneſcere ſineret, ſegni mora ad Clodiam ſedens: conſilia enim ea via haudquaquam proceſſura; nullumque operæ pretium illum facturum: quin contra, periculum eſſe, ne peſtem, quam in alios machinatur, in ipſius caput vertat; ſi Veneti ultima deſperatione omnia audere & experiri ſuadente, portum Clodiæ ſorte obſtruxerint: quæ res neque impedita omnino illis ſit, nec magni ſane molimiuis: ſic fore, ut victoriam, quam, ſi fortuna uti ſciat, certam & exploratam habeat, è manibus emiſſam hoſti tradat: ac pro eo, ut hoſtem obſideat, ipſe obſideatur; in eaſdemque anguſtias addncatur, quibus nunc hoſtem premat: unum Venetos vincendi eſſe obſidionis viam, cum omnes alias inanes ipſemet expertus ſit: proinde ſeſe magnopere ſuadere, ut Clodia ſibi cuſtodienda tradita, ipſe quamprimum proficiſcatur; marique Tadiæ & Anconæ amicis urbibus interjecto, quanta maxima poſſit claſſe inſeſſo, annonæ iter Venetis interſepiat: quibus ipſe terreſtria commercia jam clauſerit: ſic ſine ullo prorſus diſcrimine, aut periculo convertentis ſe fortunæ, Venetus per ſe brevi caſuras, quæ prope jam ad extremum venerint. Repudiarum eſt conſilium à Petro; ſive animus arrogans, atque altis ignorantiæ tenebris opletus, ſani conſilii capax non eſſet; ſive ſuſpecta illi fides Carrarii eſſe cœpiſſet; ſive non libenter ſe emolumento ſalinarum privarêt; ſive popularem invidiam ac domeſticam obtrectationem veritus, qua multi clari Duces ſæpe conflagraſſent; ſi populi ac Magiſtratus injuſſu urbe parta ceſſiſſet; neque ſe factum populo probaturum ſperaret.

Interea Veneti, cum claſſem reparaſſent, Caroluſque Zenus, qui ante pugnam ad Polam cum quinque triremibus Venetiis in Orientem profectus erat, ac quindecim triremes, per varias occaſiones, ex multis Venetorum locis corrogarat, Venetias rediſſet, prædaſque de onerariis Genuenſibus actas advexiſſet, (in quibus navis Beebignonia fuiſſe dicitur immanis, ac vix credibilis pretii mercibus onuſta) animis ob tantas virium acceſſiones auctis, ultima experiri conſtituunt. Jam negligentiores Genuenſes ex felicibus ſucceſſibus facti erant: jam vigiliæ & cuſtodiæ laxiores eſſe cœperant: quæ

res hosti magnæ rei occasionem præbuit: qui mense Decembri Venetiis movit, quatuordecim triremibus præmissis duas onerarias remulco trahentibus: quæ cum ad portum Clodiæ appulsæ essent; omniaque ibi soluta & neglecta offendissent; onerarias, atque alveos duarum ingentium corbitarum, quas superiore prælio à Genuensibus captas & combustas diximus, qui igne intacti superfuerant; nemine obsistente, in ostio portus demergunt: palosque ac trabes defigentes, omnisque generis materiam congerentes, obstruere portum incipiunt: adversus quos magna Genuensium multitudo strepitu excitata, ex urbe repente prosiliens, facibus armata, navigiis Venetorum demersis, ac reliquæ materiæ defixæ, ignem sine ullo fructu injicit: superiora enim tantummodo navigiorum atque undis exstantia conflagrarunt; cum ignis ad inferiora penetrare undis prohiberetur: cumque interea Petrus exercitum per tumultum & trepidationem armasset, Contarenusque Dux cum tota classe supervenisset, pugna atrox extemplo commissa est: pugnatumque est per tres continentes dies; pugna per modica intervalla sæpe intermissa, ac majoribus animis semper integrata, cum magna utriusque exercitus cæde ac sanguine: quam neque nox neque defatigatio dirimere potuisset, internecino odio semper recrudescentibus. At Genuenses, pugna tandem defatigatione utriusque exercitus diremta, ostio portus clauso, omnia circumspectantes, atque animo agitantes, hanc rationem classis è lacunis educendæ tandem ineunt: speciem enim præbuerunt ad ostium portus aperiendum magno conatu accedentium; quo, Venetis eo aversis, ipsi interea per ostium portus Brondulani; quod tria passuum millia à Clodia distat, cum classe erumperent: ceterum sine effectu actus fuit. Veneti enim, re statim animadversa, sese Genuensium conatibus opposuerunt: quæ res eo facilior illis fuit, quod ob humilitatem canalium, nullis esset remigii usus; Genuenseseque naves suas sumbus atque alio lenti molimine machinu trahere cogerentur.

Felici successu Veneti elati, animisque ad Genuenses prorsus ex illis locis expellendos adjectis; terrestri quoque via illos urgere aggrediuntur. Eta- ad portum Brondulanum cœnobium sancti Michaelis, quod Petrus prævalido præsidio firmarat: quo si hostes potiti fuissent, commeatum annonæ, quæ per fluvium Athesim à Carrario Genuensibus continenter submittebatur, omnino ademissent: quam viam, quæ una reliqua erat, Veneti, re sæpe tentata, numquam, cœnobii præsidio obsistente, intercludere potuerant; cum maritimam per portus Metamauci & Popiliæ Barbaricus pridem clausisset. Igitur Veneti, terrestribus copiis comparatis, ostium quoque Brondulanum obstruere cupientes, Carolum Zenum eo mittunt: inter quem & Genuenses acria prælia & cruenta sæpe commissa sunt: in quibus semper Veneti superiores evadebant, beneficio bombardarum; quibus Genuenses omnino carebant: quas apte terra marique dispositas erant, quarumque assiduis ictibus multi mortales absumebantur.

Per idem tempus Emanuel, quem ab Joanne parente imperatorem designatum diximus, societate cum Venetis conjunctus, Peram Genuensium coloniam obsidione cinxit: quam tamen brevi solvere coactus est, sub adventum Nicolai Marci præsidio petentibus Genua missi. Hujus viri opera in eo mari neque segnis, neque inutilis fuit: duabus onerariis, quæ frumentum Constantinopolim vehebant, ac nonnullis navibus longis Cæsarianis, post longum ac cruentum prælium, tandem captis, magnaque hostium strage edita; cum Marcus Prin- cepsin hostilem classem impigre insiliisset, cetero-sque ad idem faciendum exemplo suo accendisset.

Insequentis anni initio Gnarcus Dux, unaque cum illo summus Magistratus, cum prius consilium universæ civitatis trecentorum & viginti civium ex omnibus civitatis ordinibus legissent, tredecim triremes armarunt, quibus præfectus est Matthæus Marrufius, vir spectatæ multis in locis continentiæ, ac bello & pace clarus. Interea Zenus ingentibus terrestribus ac navalibus copiis (fuerunt enim octo peditum millia, ac triremes quatuordecim) cœnobium sancti Michaelis oppugnare cœperat; non tam illo potiundi spe, quam ut hostem ad pugnam eliceret: neque illum spes fefellit. Cum Petrus adversus illum impigre exsiliset, acris inter illos pugna mari ac terra commissa est, eo Genuensibus iniqus, quod Zenus numero navium superabat; cum Petrus decem tantum triremes haberet: ceterum navalis pugna brevi omissa est; cum in peranguſtis canalibus singulæ tantum naves concurrere possent: visque omnis pugnæ in terram versa est: cum ingens hominum multitudo, in qua fuit delecta quadringentorum veteranorum manus à Carrario missa, à Clodia erumpens Petro laboranti subsidio accurrisset: qua re cognita, Victor Pisanus cum haud exiguo navium numero accurrens, classem Genuensem invadit: in qua pugna Petrus acrite- dimicans ictu bombardæ exanimatus est. Morte Ducis, cum Genuenses, ut necesse erat, animis concidissent; turba nautica omnu, triremibus incensis, in terram se ejecit, ac cum reliquo exercitu conjunxit. Idem fecerunt, qui erant in præsidio cœnobii, illo relicto: re igitur ad miqua inclinata, Genuenses sensim cedentes, parvum Clodiam repetebant, cum numerus copiarum utrinque auctus esset: nautæ enim, ac remigium Venetorum ipsum quoque in terram exscenderat; bellatorumque Genuensium numerus erat tredecim millium; Venetorum tribus millibus amplior. Parva Clodis, quam eandem veterem appellabant, ponte ligneo magnæ longitudinis cum nova conjungebatur: ad quem omnis pugnæ vis consedit: ceterum, cum Genuenses impressionem Venetorum ferre jam non possent; omissa pugna, fugam per hunc ipsum pontem inordinatam capiunt: quos cum Veneti nullum insequendi & urgendi finem facerent; postremum Genuensium agmen ab ipsa desperatione in illos conversum, tanto impetu illos invasit, ut eos ipso incursu retro compulerit, spatiumque dederit Genuensibus pontem transcundi: quod cum trepide ac nimis festinanter facerent; alius in alium incurrentes, sese mutuo ex ponte detrudebant; decidentesque aut undis hauriebantur, aut sb hostibus superne imminentibus interficiebantur: ceterum pons, nimio onere prægravante, tandem corruit: qui ruina sua multos traxit, in quibus fuit Thomas Guanus equitatus Genuensis præfectus, vir conspectæ fortitudinis. Ceciderunt eo die de Genuensibus sexcenti; totidem capti sunt: cum insuper Barbaricus cum centum minutis navigiis suis quinque triremes Genuenses in fossa Vinearum (ita appellatur locus) cepisset: &, ut nihil ad acceptas clades & calamitatem Genuensium cumulandam deesset, idem Barbaricus novem Patavinas naves frumento onustas à Carrario ignaro rutnæ pontis ac rerum ad Brondulum gestarum Genuensibus missas cepit: quæ annona in usum Venetorum cessit.

A C. 1380.

At Genuenses, nuncio de obitu Petri sudito, in ejus locum Carolum Spinulam sufficiunt; Ludovico Guarco & Ansaldo Lomellino illi in consilio additis: qui Genua cum egregia delectorum cohorte mense Februario profectus; quonism Genuenses Hadriatici sinus non jam potentes essent; ne aliquod impedimentum iter maritimum retardaret, terrestri via Clodiam contendit: quem insequenti mense Martio Marrufius maritimo itinere con-

conſecutus eſt: quo eodem menſe Agapitus Columna Cardinalis Legatus Genuam venit, à Pontifice pacificatum cum Venetis miſſus: qui re ioſecta diſceſſit, utriuſque populi animis nondum cladibus ſatiatis. Eo tempore caſtellum in pago Bulianeto, qui eſt in valle Porciferæ, ædificatum eſt; adverſus Inſubres ditionem Genuenſem, Venetorum ioſtinctu, ſubinde invadentes.

Interea iter Marruffi Hadriaticum ſinum petentis haud ſine operæ pretio fuit: nam & duas triremes Venetas in Civitate veteri deprehenſas, cum Joannem Marocellum captivum non redderent, cepit & incendit: & in portu Manfredoniæ ſex triremes, ac nonnulla minora navigia, in Apuliam à Venetis frumenti accipiendi cauſſa miſſas, prælio victas ac captas concremavit: Thaddæo Juſtiniano præfecto cum ducentis capto; cum reliqua turba nautica ſeſe in terram ejeciſſet. Itinere tandem confecto portum Jadræ ſubiit amicæ urbis, quæ mto eo bello, ut Pola Venetorum, ita Genuenſium receptaculum & ſedes fuit: ex quo portu numero navium auctus, ad littora uſque Venetorum proceſſit; in quibus exercitum Venetorum offendit: igitur, ne inane tempus conſumeret, inde profectus, Foſſiones petit: (id eſt nomen loci) cujus adventu Veneti perculſi, portum ſancti Nicolai, valida turri excitata, quæ adhuc durat, communiunt; aggeremque validis equitatus & peditatus ſtationibus firmant; ſeptimoque die, poſtquam turris ædificari cœpta eſt, Marruffus ante portum ſancti Nicolai cum duabus & viginti triremibus conſtitit: quibus explicatis & in pugnam directis, copiam pugnandi Venetis fecit: ceterum, illis non prodeuntibus, cum octo horas ibi fuiſſet, iter in Piceni oram dirigit, conſilio naves, quæ annonam Venetias ſubvehebant, opprimendi: quem quioque & viginti triremes Venetæ conſecutæ, cum hominem nuſquam inveniſſent, onerarias frumento onuſtas ſecum incolumes Venetias perducunt.

Interea Carrarius, ut Venetos ab obſidione Clodiæ averteret, urbi Triviſio copias admovet: oſtioque fluminis Natiſonis, qui nunc *Sile* vocatur, obſtructo, facultatem Venetis ſubſidiorum ea via ſubmittendorum ademit. Per idem tempus Marruffus cum novem & viginti triremibus littus Clodianum petit: ſperans ſe, ſi Venetos ad prælium attraxiſſet, ſpatium interea daturum Genuenſibus Clodia exeundi; atque in apertum mare erumpendi: quæ ſpes illum fruſtrata eſt: nam Veneti nihil ſe locis, quos inſederant, commoverunt; cum contiouis bombardarum ictibus, quibus Marruffus omnino carebat, ex caſtello nuper ab illis ædificato, quod *Lupam* nominabant, claſſem, & eos, qui Clodiæ erant incluſi, inceſſerent. Interea Clodiæ Genuenſes centum minutas naviculas ex contignationibus ædibus detractis fabricaverant; cum quibus, pugna cum Venetis commiſſa, auxilio Marruffo prodirent: qui interea, proris viginti novem triremium in pugnam directis, triremi ad arcem Lupam miſſa, Venetos ad certamen provocaverat: quod illi detrectarunt; eum in littore ordioes explicati ſtarent, ut Marruffum exſcenſu prohiberent: quo tempore Genuenſes, qui eraot Clodiæ, cùm naviculis prodeuntes, ſecuribus & dolabris materiam, qoa canalis obſtructus erat, reſcindere ac revellere conabantur: ceterum repulſi ſunt à bombardis in Lupa diſpoſitis; quas Veneti in Genuenſes operi intentos & Marruffum aſſidue diſplodebant. Igitur Marruffus, cum intelligeret ſibi non cum hominibus, ſed cum bombardis certamen eſſe, Venetique neque exercitum, neque claſſem incertæ Martis aleæ umquam committere voluiſſent, cedere ſenſim atque ordinate cœpit: cujus metu liberati Veneti, ſeptuaginta naviculas bombardas vehentes adverſus eos, qui Clodia exierant, mittunt; eoſque fundunt ac fugant, ſexaginta illorum naviculis captis, multiſque mortalibus partim captis, partim cæſis.

Tandem Genuenſes diuturnis malis victi & laboribus feſſi, ac fame pene confecti, cum jam præ laſſitudine non modo arma non tenere, ſed vix recti ſtare poſſent, nunciis miſſis de dedirione, cum aliquibus honeſtis conditionibus, agere cœperunt: ceterum à Senatu, cum ſæpe idem feciſſent, ſemper repudiati ſunt: cujus certa ſententia perpetuo ſtetit, illos niſi omnia ipſius arbitrio permittentes non accipere: quam neceſſitatem extrema omnium rerum inopia Genuenſibus tandem expreſſit. Igitur Kalendis Junii deditio Clodiæ facta eſt, quam Genuenſes circiter annum tenuerant. Ducti ſunt Venetias captivi quattuor circiter capitum millia; partim Genuenſes, partim aliarum nationum homines, qui cum Genuenſibus ſtipendia fecerant: ac triremes decem novem, nonnullaque alia minora navigia varii generis & nominis: quæ res Clodianorum propriæ cognitæ ſunt, eæ Dominis cum fide redditæ: reliqoa præda militibus conceſſa.

Hic à Bartholomæo Facio Ligure fabuloſa, ceterum jucunda narratio inſeritur: Venetos, ut Genuenſes à reliquis nationibus diſcernerent, hanc vocem Italo populari ſermone *Cavra* pronuociare coegiſſe; eoſque qui *A* vocali *R* præponentes, *Cravra* more patrio pronunciaſſent, Genuenſes deprehenſos, haud abſimili Ephratæorum exemplo: quos in ſacris Literis legimus, cum hanc vocem *Sibolet* pronunciare noo poſſent, Epbratæos deprehenſos, à Galaditis in trajectu Jordanis fluvii jugulatos.

Hoc anno haud contemnenda armatorum manus, juſſu Mediolanenſium Principum, in vallem Porciferæ deſcendit: quæ, nulla re geſta, à Genuenſibus in ſua ſe recipere turpiter coacta eſt: qui nihil infeliei eventu rerum Clodianarum animis infracti, inceptum bellum perſequentes; ac, Gaſpare Spioula Duce, cum octo & triginta triremibus infeſta arma circumferentes, urbem Tergeſtum à Venetis neceſſaria deditione per vim abſtractam Patriarchæ Aquilejenſi dono dant; Juſtinopolimque, quæ oppognationem obſtinate exſpectaſſet, captam diripiunt; claſſeque decem triremibus aucta, Venetias petunt: ceterum, cum oſtia obſtructa ac littora defenſoribus & omnis generis munitionibus firmata offendiſſent, Iſtriam repetunt, urbemque Polam, haud ſine certamine expugnatam, diripiunt & incenduot. Albæ quoque & Signæ eadem fortuna fuit; quæ opida capta & incenſa ſunt: ceterum Parentium urbs diſſimili eventu tentata eſt, opidanis egregie ſe defendentibus.

Hoc eodem anno victor Piſanus, cujus virtute res Veocta ea tempeſtate in primis ſtetit, deceſſit; morbo, ut ferunt, ex dolore contracto: quod decem triremes Genuenſes culpa Legati ſui è manibus Venetorum illas inſequentium evaſiſſent. Supplementum qooque tredecim triremium ad claſſem à Genuenſibus miſſum eſt: cum, nemine illis præfecto, Trierarchi in orbem eo munere fungerentur. Per idem tempus Principes Mediolanenſes Novis ditionis Genuenſis opidi, proditione tradentium, potti ſunt.

Eo anno quoniam multi gravabantur in longam & laborioſam ac diſcriminum plenam militiam nomina dare; conquerebanturque, magiſtratum onus illud non æqualiter partiri; hæc ratio querelarum tollendarum inita eſt: in tres enim partes civitas & ditio diſtributa eſt: onuſque militandi ſortis arbitrio in orbem ibat: quod ſi quis, cujus ſors educta eſſet, detrectaret, vicarium in locum ſuum privato ſtipendio conductum mitteret.

Hic Annales noſtri memorabile fortitudinis & audaciæ, ſingulariſque animi magnitudinis facinus

inſerunt, à cive privato Genuenſi, privatis conſiliis, privatiſque armis editum: quod quamquam nihil Rempublicam attingit; tamen, quod ad decus civitatis noſtræ non in poſtremis pertineat, eos illam cives tuliſſe, qui cum ipſis Regibus ac ſummis Principibus inimicitias exercere & bella gerere non formidarint, haudquaquam prætermittendum duxi. Ætatem agebat in Aula Cæſaris Trapezuntii Megolus Lercarius; ob egregias virtutes ſuas, ac morum comitatem, ingeniique ſuavitatem, cum Imperatori ipſi, tum multis Aulicorum primoribus mire gratus. Is, cum forte cum adoleſcente, qui ætatis flore (ut ferebatur) Cæſari acceptus majorem gratiæ & auctoritatis locum, quam fœda & obſcœna miniſteria poſtularent, obtinebat, latruneulis luderet; altercatione inter ipſos orta, poſt multam verborum contentionem, ad jurgia tandem venerunt: adoleſcenſque ſuperbia & ira correptus, Megolum in ore colapho cæcidit: cumque multi conſurgentes contentioni ſe interpoſuiſſent; maximaque pars Procerum atque Aulicorum in adoleſcentem (ut neceſſe erat) inclinarent; Megolo acceptam injuriam ulciſci non licuit: cum ne Cæſar quidem juſtis ſolatiis Megolum injuriam conquerentem affeciſſet. At Megolus, omnibus iracundiæ ſuæ aculeis in Cæſarem ipſum verſis, tantum certaminis adverſus illum animo imbibit, ut per omnia ardua & præcipitia ipſummet ulciſci ſtatuerit. Igitur è veſtigio ſe Genuam confert; habituque ſordido & lugubri, ad hoc barba & capillo promiſſo ingentem animi mœſtitiam præferens, propinquis & gentilibus ſuis, ad hoc omnibus quacunque neceſſitudine ſe attingentibus convocatis, injuriaque expoſita, petit, ut ſibi in tam pio & juſto negotio ne deſint: enimvero illi haud retractanter duas triremes comparant: omnibuſque ad uſus bellicos affatim inſtructas Megolo tradunt: qui, nulla mora interpoſita, per tanta maris ſpatia, in Euxinum contendit; littoraque Trapezuntii Imperii tenet: quæ aſſiduis mari & terra excurſionibus inſeſta faciens, ingentia immitis animi atque inhumanæ ſævitiæ exempla in miſeros captos edebat: quos naribus atque auribus defectis, dimittebat; cupiditate vindictæ alte animo inſidente nullum alteri cogitationi locum dante. Cum nullum finem faceret, Cæſar ad tantum dedecus delendum, aſſiduaque damna depellenda, quatuor triremes armat, atque in Megolum emittit: eas procul in ſe tendentes conſpicatus Megolus, conſilio vires adjuvandas intelligens, ſimulato timore in effuſam fugam ſe confert: quem magna remorum contentione cum duæ Trapezuntiæ inſecutæ eſſent; reſpiciens Megolus, animadvertit, duas ex hoſtilibus navibus magno intervallo ceteris antevertiſſe: quare id, quod petierat, aſſecutus Megolus, ut pugnam illarum ſegregaret, proris converſis, ſuas magno impetu in duas proximas factas concitat, quas ipſo pene incurſu capit: porroque ire pergens, cum aliæ, quæ, ut ſubſidio pugnantibus eſſent, acceleraverant, eo perveniſſent, ut nulla eſſet elabendi facultas; illas quoque ſine certamine capit; atque in omnes captos uſitato ac fœdo exemplo deformandi oris ſævit: in quem cum vir quidam ipſa ætate venerabilis incidiſſet, duos innocentes natos ſuos egregia oris forma ac primæ adoleſcentiæ flore fulgentes ſecum babens, ſenex ad genua Megoli advolutus, *Per tuam*, inquit, *fidem, Megole, duobus his natis parce, omniſque iracundiæ tuæ aculeos in me effunde; non modo naribus & auribus, ſed vita quoque mihi adempta* Commotus Megolus & precibus ſenis & miſericordia innoxiæ ætatis, non filiis dumtaxat, ſed ſeni quoque ſupplicium remiſit: cadumque narium detruncatarum ac ſaltatum ad Cæſarem deferendum ſeni tradit; nunciareque ſuis verbis jubet; numquam Megolum Lercarium deſiturum, aut pacata illius littora relicturum, priuſquam eum, à quo atrociſſima læſus eſſet injuria, in manus ſuas tradidiſſet: quod Cæſar gemens & mœrens facere coactus eſt: cumque adoleſcens, puppi conſeenſa, coram Megolo ſteti ſſet; procumbens, ac lacrymabundus, *Non ſupplicium*, inquit, *Megole, ſed cruciatus deprecor*: cui Megolus, *An neſcis*, inquit, *viros fortes in feminas ſævire numquam ſolitos?* quo perplexo reſponſo non tam lacrymas quam famam adoleſcentis perſtrinxit: illoque illæſo dimiſſo, mandat, ut Imperatori nuncict, ſibi quidem de privata injuria abunde ſatisfactum; ceterum patriæ ſuæ decori & Genuenſi nomini nondum conſultum: non igitur ſe prius abiturum, quam Cæſar chirographo ſuo peramplum diverſorium, ac nonnullis juribus eximis donatum Trapezunte nationi Genuenſi ſeſe ædificaturum promittat. Hæc hiſtoria in valvis ſcripta, chirographum edidit Cæſar; fideſque promiſſorum utrimque conſtitit, diverſorio ædificato.

Cum tanta bellorum mole res Genuenſis foris gravaretur, ne domi quidem ab inteſtinis motibus otium erat. Antoniottus enim Adornius, cum Duci in ſuſpicionem veniſſet occultorum conſiliorum principatus invadendi initorum, urbe excedere coactus eſt. Eodemque tempore Ludovicus Guarcus Ducis frater, cum à claſſe rediſſet, miſſus eſt adverſus Petrum Fulgoſium, Spinetam Spinulam, Simonem Turrium Clavarenſem, res novas in ora Orientali molientes: qui cum nihil profeciſſet, exſuleſque majores vires majuſque robur in dies ſumerent; coactus eſt Dux Gaſparem ipſum Spinulam cum tota claſſe, à bello Veneto ad domeſtica orientia mala compeſcenda, revocare: qui cum dicto audiens fuiſſet, in Liguriam reverſus, cum opidum Clavarum tenuiſſet; pagum Lenium petit, in quo exſules confederant: quos reſiſtentes fundit ac fugat: quorumque complures captos Ludovicus Guarcus partim jugo ſuſpenſos netavit; partim carceribus incluſit: ſignorumque captorum nonnulla Cæſaris, nonnulla Vicecomitum, nonnulla Fulgoſicæ gentis inſignibus picta inventa ſunt.

Gaſpar, ea re confecta, inſequenti anno incunte, portum Genuenſem ſubit; honorifice exceptus, cum multas divorum reliquias à captis urbibus ablatas tuliſſet: quæ in ſacras ædes religioſe adſervandæ diſtributæ ſunt. Menſe Martio incunte, cura belli Veneti numquam omiſſa, Iſnardus Guarcus Ducis frater cum tredecim triremibus in ſinum Hadriaticum navigavit: in quo cum paucos dies fuiſſet, nuncio accepto oram Liguſticam à Carolo Zenoſedecim triremium præfecto vexari, curſu propere in Liguriam redit: quem cum una & viginti triremibus (nonnullæ enim ſe illi in eo itinere adjunxerant) advenientem Zenus non exſpectandum ratus, itinere retro repetito in ſua conceſſit. Iſnarduſque, ora Liguſtica liberata, in ſinum Hadriaticum reverſus eſt. A. C. 1381.

Elanguiſcere cœperant utriuſque populi animi; tædiumque laborum & diſcriminum, ac ſatietas malorum & continentium cladium, deſiderium pacis in utroque fecerant. Cupide igitur uterque Legatos ad Aymonem Ducem Sabaudiæ miſit: quiper Legatos ſuos utrumque populum, ſimul Regem Hungaricum, Aquilejenſem, Carrarium ad pacem hortatus fuerat: quorum controverſias ſeſe pro communi amico & diſceptatore cognoſcere paratum oſtenderat: colloquiisigitur inſtitutis; tandem, poſt ingentia certamina, menſe Auguſto pax in hasconditiones compoſita eſt: *Rex Hungaricus piratas in ora Dalmatica ne recipiat, neque ſalinas exerceto; eaque de cauſſa Venetis decimo quoque anno ſeptem ducatorum millia illi pendunto: Aquilejenſis in conditionibus eſto, quibus erat ante bellum: Venetis & Gen. res mobiles mutuo captas retinento; captivos cum fide utrique ſine mora dimittito. Venetus arcem Tenedi demolitor; ejuſque inſula poſſeſſione excedito: neutrique populo licebit eam inſulam habere; aut arcem*

arcem in illa in poſterum adificare, pro qua re obſervanda, Florentini, qui ipſi quoque ſeſe in ea pacificatione interpoſuerunt, ducenta millia aureorum interceſſerunt: neutri populo liceto circa fluvium Tanaim mercatoria commercia exercere: ne ea res, ut ſæpe factum eſt, cauſſa armorum ſit. Carrarius arces & munimenta ad oſtia fluminum & in ſtagnis adficata demolitur; fineſque inter ipſum & Venetos à Sabandio ipſo terminantur. Hanc pacem omnes integre obſervarunt; præter Carrarium, qui fidem pactorum, parvo interjecto tempore, fregit.

Ceterum inter Genuenſes & Venetos rem diſtinuit Joannes Mudacius præfectus arcis Tenedi; cujus pertinacia, dum arcem reſtituere differt, remque variis calumniis ac novis commentis extrahit; prope factum eſt, ut ad exitum perducta pacis conſilia everterentur, reſque in antiqua redigerentur mala: cum Genuenſes ſeſe à Venetis ludificari putantes, inſequenti anno de bello renovando conſilia agitare cœpiſſent; mercatoreſque Florentinos Genuæ negotiantes captos in cuſtodiam dediſſent. Ceterum Veneti Legatos Genuam miſerunt, Zachariam Contarenum, Michaelem Mauroceuum, Joannem Gradenicum; qui Genuenſibus plane ſatisfecerunt: cum ejus cunctationis culpam à publico conſilio totam in Mudacium avertiſſent. Miſſus eſt igitur à Genuenſibus, ita poſtulantibus Venetis, Tenedum certus homo; quo præſente arx ſolo æquata eſt: quæ res finem impoſuit lugubri & internecino ſex annorum, ut Annales Veneti rationem ducunt, bello: in quo fortuna varians complura ac clara utriuſque populi edidit funera. A.C. 1382.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER IX.

PAX utrique populo læta bellicia quidem cladibus finem impoſuit; ceterum majoribus domeſticis ærumnis civitatem involvit: qui perpetuus nationis noſtræ mos fuit; ut pax, qua nullum cæleſte donum majus hominesbabent, perniciofior ſæpe Genuenſibus fuerit, quam bellum, teterrima hominum peſtis: domeſtics enim diſſidia à belli laboribus & periculis compreſſa, civitate eo metu ſoluta, ingentibus motibus inſequenti anno, qui fuit ejus ſæculi octogeſimus tertius, eruperunt: in quo apparuit, nullum eſſe tantum bonum, quod non pravo illius uſu poſſidentibus in malum vertat: ut humanæ felicitatis, vel miſeriæ, majora ſint in animis hominum diverſe rebus utentium, quam in ipſa rerum natura momenta. Ea eſt multitudinis natura, ut de magnis & claris viris, non ex ipſorum virtute & meritis, ſed ex ſua libidine exiſtimare ſoleat: cui ut illi obſequentes, vel adverſantes fuerint, ita illos ipſi affici. A.C. 1383.

Salubris igitur Guarci Ducis moderatio imperii, ut numquam civitas ac res urbanæ pacatiores ac tranquilliores quam hoc Principe fuerint; ad hoc multa & clara ipſius & fratris in Rempublicam merita, ad odium potius quam benevolentiam hominum egregio viro conflandam valuerunt: dupliciter plebi offenſo, quod Nobilium potius quam popularium partium Ducem eſſe fremerent; qui Nobilibus magiſtratus, & honores, ac Reipublicæ procutationem reſtituiſſet; ad hoc novis tributis plebem oneraſſet; temporum neceſſitatem hominis voluntati aſſignantes. Alebant hoc odium nonnulli ex popularis civium corporis principibus: in quibus eminebant ſtudia Leonardi Montalti Juriſconſulti, & Antoniotti Adornii, ad principatum, quem Adornius jam delibaſſet, tendentium; ceterum diverſis artibus: nam Adornius gentis potentia ac Factionis opibus ſubniſus, ſupraque privatæ fortunæ modum conſpectus & elatus, haud obſcura ambitione, tamquam ſibi debitum illum repetebat; à nullo conſilio, quod ad illum ferret, omni recti ac pravi diſcrimine omiſſo, abhorrens. At Montaltus, cui multæ & claræ virtutes, ad hoc neutiquam vulgatæ prudentiæ fama, magnam vulgo auctoritatem, magnumque bonorum favorem conciliabant, diſſimulata cupiditate, habitumque ac perſonam pacificatoris indutus, viam ſibi ad eundem ſummum locum præmunichat.

Qui igitur ex popularium principibus novare res cupiebant, occaſionem acceperunt à Magiſtro juſtitiæ, novo per ea tempora Magiſtratu in civitatem inducto; qui ſummam & legibus ſolutam facultatem habebat, in maleficos vel capitali ſupplicio animadvertendi; rem nimis gravem & liberæ civitati haudquaquam tolerabilem eſſe dictitantes: Prætori igitur, novo Magiſtratu abrogato, ſuam ordinariam juriſdictionem reſtituendam; qui ſontes ad legum præſcriptum plecteret: negabant præterea Ducem præſidiariis ſtipendio conductis ſtipatum eſſe oportere: regnantium id eſſe, non Magiſtratus liberis ſuffragiis electi: quem ſua innocentia & æquabilitas in rebus regendis munire debeat, non ſatellites more Regum mercede parati: hoc decorum eam eſſe ſpeciem civili Magiſtratui; ac cupiditatem regnandi, non regendi præferre: non igitur ſuperfluo ſumptu ærarii egeſtatem aggravandam. Hæc popularium principes.

Accedebant tenuiorum querelæ, nova impoſita onera deprecantium; in quibus fuerunt Iſnii, qui Ducem adierunt, novum portorium venalibus pecudibus impoſitum tolli ſeditioſis pene clamoribus depoſcentes: qui nulla re impetrata, cum nihil blandis Ducis verbis mitigati, ſoli tumultum excitare non auderent, cum nonnullis aliis paris ſortis hominibus, quos eadem caniſſæ cum illis conjunxerunt; ad incolas circumjectarum vallium & præfecturarum ſibi adjungendos urbe exeunt: qui tinnitibus ex turribus ſacrarum ædium, ac proximorum cœnobiorum excitati, armis repente arreptis, magnis agminibus, magnoque impetu in urbem irrumpunt: ordinumque ductorem quemdam ex corporis Ducis cuſtodibus, ac magiſtrum juſtitiæ, forte obvios factos interficiunt: magnaque plebis urbanæ parte cum illis conjuncta, tota urbe diſ-

diſcurrunt, *Io populo*, conclamantes; oneraque tolli, minacibus clamoribus poſtulantes.

Tandem ii, qui quietis amantiores erant, tam ex urbana, quam ex ruſtica plebe, ad duo millia numero in ædem divi Dominici conveniunt; quo etiam venit Montaltus cum nonnullis ex popularium principibus. Actum eſt magnis verborum diſputationibus de præſenti rerum ſtatu. Exitus conſiliorum fuit, ut Nobilium Factio à Republica gerenda omnino arceretur, ſummuſque antianorum Magiſtratus, & Conſiliarii Ducis omnes popularis corporis crearentur; recentiaque onera & portoria tollerentur: ad quæ poſtulata Duci edenda, quatuor cives ex primariis miſſi ſunt: quorum princeps Montaltus fuit. Miſſos legatos illico plebs conſecuta eſt: quæ cum arcam prætorii repleviſſet; Iſnardo & Ludovico Ducis fratribus cum paucis, quos ſecum habebant, obſiſtere non auſis; conclamant undique, ut onera & portoria tollantur: expreſſaque eſt neceſſitas Duci furenti multitudini morem gerendi: per ſcribam igitur pronunciavit; ſe illorum ſtudiis, tam in portoriis tollendis, quam in legibus de poteſtate & jure ipſius latis (nam hoc quoque additum poſtulatis erat) abrogandis, obſecuturum: tabulæque, in quibus leges ſcriptæ erant, per feneſtras in aream dejectæ ſunt; quas plebs illico laceravit. Eademque nocte Dux, centum ex primoribus civibus convocatis, de eorum conſilio jus gerendæ Reipublicæ Nobilibus abrogavit, cuſtodiamque arcium ditionis Genuenſis omnem ad populares tranſtulit, atque onera ſuſtulit: ad hoc Fulgoſii & ceteri exſules patriæ reſtituti ſunt.

Ceterum ne ſic quidem finis tumultuandi factus eſt: cujus tumultus ſedandi cauſſa, conſilio iterum vocato, octo viri creati ſunt omnes populares: dimidia pars mercatores; dimidia opifices, (nam hæc quoque nomina in Factionem gliſcebant) qui *Proviſores* appellati ſunt: iiſque ſumma poteſtas data rerum pacandarum, ac Reipublicæ conſtituendæ. Mercatores fuerunt, Fridericus Pagana, Thomas Illionius, Antonius Juſtinianus, Franciſcus ab Ancona; opifices, Leonardus ipſe Montaltus, qui in eo corpore cenſebatur, quod ipſius gens ex collegio notariorum eſſet, Jacobus Callacius, Damianus Ponſonus, Emanuel Bobius: qui tamen nullum operæ pretium fecerunt: tantam enim contentionem accenſis ſtudiis homines animis imbiberant, ut illorum edictum, cum pronunciari juſſiſſent, ut plebs ruſtica urbe excederet, urbanique arma deponerent, non modo ſeditionem & tumultus non ſedarit, ſed potius accenderit. Omnia igitur in urbe ſtrepitu & clamoribus diſcurrentium armatorum agminum perſonabant: eum alii *Io populo* conclamarent, alii nomen Antoniotti Adornii ſubjicierent, illum ſibi Ducem minaciter depoſcerent. Quibus in tumultibus, Antonius quidam Bufferius veſtigalibus exigendis præfectus, cum in tumultuantes incidiſſet, trucidatus eſt: ulteriuſque proceſſum foret; niſi ſodalitas quædam gravium & pacati animi civium inſigne capitis nigriac jubati leonis geſtantium, multis locis occurrentes, ac modo bos, modo illos prehenſantes, ut quiſque notus illis incidebat, orantes, monentes, ne ad extremum ſævire vellent, ſed communem patriam reſpicerent, neque eam præcipitem dare pergerent; animos nonnihil mitigaſſent.

Cum igitur turbæ aliquantum defediſſent, Dux, qui nulli rei ſe interponere audens, ad eam diem quieverat, ſpectator, quo tumultus evaderent, animis ſumptis, populum in prætorium convocatum ita allocutus dicitur: *Ea me moderationis & facultatis mea documenta dediſſe putabam, cives, ut, ſi quid vos cuperetis, id ne per vim & ſeditionem a me extorqueretis, quam civilibus viis impetrare malletis. Scilicet ego ille durus & ſuperbus, qui civium meorum orationem auribus non admittam? ego ille inexorabilis, aut ad aqua impetranda vis, parum verbis proficientibus, adhibenda ſit? aut vero tam omnium rerum ignarus, qui non intelligam ad univerſa civitatis voluntatem conſilia mihi conformanda? hunccque ſummum honoris locum a vobis mihi mandatum, non ut regnum in vos exercerem, ſed ut vos regerem, ac commodis veſtris conſulerem? quod illi faciunt, qui libidinem animi conſenſus univerſa civitatis præferunt: qui populum, cujus in liberis civitatibus ſummum imperium eſt, a deliberationibus publicis, contra omnia veterum civitatum exempla, arcent: Magiſtratui quidem, & procurationes publicas, atque honores mandari, niſi iis, qui honeſtate fortuna, tum autem rerum uſu & ſcientia idonei ad munera publica ſunt, indecorum eſt: æterum univerſum populum, penes quem ſummum arbitrium eſſe debet, a deliberationibus de ſumma Republica arcere, id eorum hominum eſt, qui ad dominatum ſuum potius quam ad communem libertatem conſilia dirigunt. Qua max ſubjeciam, Genuenſes; ea obſecro ne a me, ut voluntati veſtræ, quam tamen video, adverſer, ſed ad rationem facti mei reddendam pronunciata putetis. Offendunt vos nova onera & tributa. Ea non ego, ſed tempora Reipublicæ, atque adeo vos ipſimet vobis impoſuiſtis; quorum tantæ ardor fuit in maximo bello ſuſcipiendo, tantaque in ſuſcepto tuendo conſtantia; ut neceſſario ea quoque, ſine quibus tantum bellum alis non poſſet, vos velle, jure interpretatus ſim: ac propterea ad conſilium onerum imponendorum non tam voluntate mea, quam tacito veſtro juſſu deſcenderim. Nobiles participes gerendæ Reipublicæ ſerre non poteſtis: ne hoc quidem factum tam voluntate mea, quam eorundem temporum fuit: qua vellent, nos tanta externa negotia mole oneratos diſcordiis inſuper civilibus aggravari: quam externam molem facilius ſuſtinere poſſet civitas, omnibus ſuis viribus nitens; quam illorum opibus, qui eis maxime excellunt, manca & detruncata: neque vero minus mihi, quam vobis aut nota, aut odioſa eſt natura inſita Nobilibus ſuperbia, & arrogantia; minoremve mihi ſtomachum facimus elati illorum ſpiritus, qui æquabilitatem juris cum ceteris civibus ſuis ferre non poſſunt: neque poſſ impotentiem illorum dominatum a viro clariſſimo Simone Buccanigra exſtinctum, animum tamen dominandi depoſuerunt: ac, tamquam Genua duo corpora civitatis ſint, dimidiam partem Reipublicæ gerendæ poſtulant: qua res in primis eſt concordia civium diſtrahenda, atque impediendi, quo minus cives in unanimem mentem coaleſcant. Ceterum hæc, utcunque a vobis animadvertantur, inſanabilia vulnera non ſunt; atque adeo jam ſanata ſunt, oneribus ſublatis, ac Nobilibus ab omni publica procuratione exclusis. Quid ultra poſtulatis, Genuenſes? quo ulterius tenditis? quid eſt, quod omnia ſeditionibus & tumultibus miſcere pergatis? quis, malum, tantus iſte furor mentibus veſtris objectus eſt? an interitum communis patriæ exmetibus iſtis veſtris petitis? neque prius quieturi eſtis, quam omnia ruerint & conflagraverint? an verone Ducem veſtrum faſtidiſtis: ac dejecere magiſtratu conteditis? utinam hæc cauſſa metuum ſit; nulla enim facilior eſt: agite, voluntatem veſtram aperte profitemini: ego enim, ſi me invitum, aut aliquo de cauſſa, ſive illa juſta, ſive injuſta ſit, offenſum civibus meis cognovero, etiam retinentibus vobis, magiſtratu abiero: neque promptiorem me in mandato honore vobis volentibus accipiendo, quam in eodem vobis volentibus reſtituendo experiemini.* Qua oratione tempori apta ita concitati animi permulſi ſunt, ut omnes conſentiente clamore principatum illi ratum facerent; modo portoria atque onera tollerentur: ut appareret, hac una cura plebem torqueri; de reliquis non tam ſua ſponte, quam à principibus popularium incitatam laborare.

Interea Antoniottus Adornius, urbanis motibus cognitis, nihil cunctatus, maritimo itinere in urbem

bem venerat: cujus adventu metu injecto, ne qui novi motus excitarentur, Magiſtratus homini imperat, ut acturum ex urbe faceſſens, Saonam ſe recipiat; ſpe facta, eum motus deſediſſent, ipſum patriæ reſtituendi: qui cum paruiſſet, ac propterea nuſquam appareret; magnus animorum motus in urbe factus eſt, variuſque de illo rumor erat, aliis illum mari demerſum, aliis ab inimicis elam trucidatum, aliis in cuſtodia in prætorio adſervari ſrementibus: reſque tandem à tacitis querelis ad apertam ſeditionem exarſit; cum clientes & illius Factionis ſtudioſi ad mille numero, armis arreptis, ſeſe illa prius poſituros negarent, quam pro comperto cognoviſſent, quid Antoniotto factum eſſet: ulteriuſque ventum foret, niſi Montaltus, cui magnam fidem vulgo habebant, illos docuiſſet Antoniottum Saonæ ſoſpitem eſſe, mox in patriam revocandum: qua in re auctoritatem ſuam ſe interpoſiturum pollicitus eſt.

Ceterum Antoniotto, haud multis poſt diebus, decreto publico in urbem revocato; adventum hominis tam in vulgus grati ſatalem ſibi horreſcens Guarcus, haud contemnendum hominum partibus ſuis ſtudcotium numerum ex proximis vallibus, ſimulque cum illis quadringentos ſtipendia facientes in urbem introducit; quorum præſidio adverſus Adornii conatus tutus eſſet: ceterum quam curam ad rerum ſuarum tutelam præparavit, ea illius evertendi ac peſtem illi accelerandi cauſſa fuit: graviter enim vulgo offendit hac in urbem armatorum introductione: ad primum igitur Antoniotti adventum civitas in armis fuit: convenerunt que in ædem divi Syri Antoniottus, Montaltus, & Petrus Fulgoſius; qui ipſe quoque ab exſulio revocatus per ea tempora in patriam rederat: ſimulque conjuncti tribus armatorum millibus ſepti prætorium petunt, magnis clamoribus nomen populi & Antoniotti Adornii in itinere ſubjicientes: qui cum ad prætorium veniſſent, quod Guarcus, ut in illo exiguo ſpatio temporis potuerat, communiverat, illud oppugnare inſtituunt, portaſque refringere, ac faces ſubdere parant, præſidiariis acriter primo reſiſtentibus: tandem, cum oppugnantium multitudo ſubinde augeretur, Dux ſe imparem tanto certamini intelligens, prætorio adverſarii cedens, in ædem divi Laurentii occultis itineribus ſe recipit: inde paullo poſt, navicula conſcenſa, urbe excedit; eo principatu relicto, ſub quo tot egregiæ res geſtæ ſunt.

Quæ ambitio Guarci inimicos inter ſe conjunxerat, ea, illo principatu & patria pulſo, eoſdem inter ſe commiſit: prætorio enim occupato, biſariam diviſi ſunt: ac Montaltus cum popularium principibus in inferius conclave, quod Abbatum habimtioni aſſignatum erat, ſe recepit, ac de novo Duce eligendo agere cœpit. At Adornius, cum ſuperiora occupaſſet ingenti multitudine clientium ac tenuiorum ſeptus illum Ducem acclamantium, in ſolio ducali conſedit, ſceptro ac ceteris principatus inſignibus arreptis: Fulgoſio cum illo conſentiente, vel in præſentia nihil repugnante: multitudine illum tam in ipſo prætorio, quam tota urbe diſcurrente magnis clamoribus, lætiſque plauſibus, ac tinnitibus ex ſacrarum ædium turribus Ducem acclamante: quorum tumultuum ſtrepitu ſpreto, ii, qui cum Montalto erant, Antoniotto fruſtra monito, ut cum ceteris ad conſilium de Duce eligendo convocatum accederet, Fridericum Paganam recti exempli ac quieti ingenii civem eligunt. Qua re audita, Antoniottus cum ſuis mortem Friderico minitantibus in inferiora deſcendit: quorum furori Fridericus ſe ſubtrahens, in privatas ædes principatu repudiato conceſſit: quod idem ſecerunt Montalius & ceteri cives, poſſeſſione prætorii Antoniotto relicta: qui tamen Montaltus non deſerit ſe: vir enim ſortis & experientis animi poſtero die delecta ſexaginta armatorum manu ſultus, ædem divi Syri ingreſſus conſilium principum civium vocat: qui auctoritate viri inducti, frequentes ad illum conveniunt; Adorniique odio ſtimulante, qui injuſſu conſilii, principatum invadere auſus eſſet, ut hominem, in quo eſſet tanto faſtigio animus par, illi opponerent, ipſum Montaltum Ducem eligunt; non quidem recuſantem, aut retractantem, ſed teſtantem, ſe principatum, quem tumultuum ſedandorum ac Reipublicæ conſtituendæ cauſſa acciperat, rebus pacatis ac civitate in tranquillum redacta, non plus ſemeſtre ſpatium retenturum: miſſique ſunt ad Antoniottum, qui conſilii nomine hominem monerent, ut Montalto Duci rite creato loco cederet. Haudquaquam tantum pertinaciæ in principatu retinendo, quantum audaciæ invadendo Antoniotto fuit: audivit enim gravium & ſapientium amicorum ſalubria monentium conſilia; vocibus multitudinis illum retinere conantis ſpretis. Ceſſit igitur ſine certamine: quod in tali ingenio multi mirati ſunt. Ducique Leonardo, qui cum magno gravium ac primariorum civium comitatu in prætorium venit, ſceptrum traditum eſt; cum ingenti civitatis & bonorum lætitia, ſperantium hominis ſpectata virtute & conſilio res civitatis in commodiorem ſtatum perventuras: ad quam ſpem animos hominum erexit, egregio in ipſo ſtatim principatus initio clementiæ edito documento; Nicolao Guarco, ac fratribus, nonnulliſque aliis exſulibus, à quibus ſeſe multipliciter læſum putabat, in patriam revocatis, comiterque & honorifice habitis.

Nec vana ſpes fuit: quam nulla in re fefellit, præterquam in principatu ultra præſtitutum diem retinendo: quæ tamen res in bonum publicum vertit: ejus enim virtute, vigilantia, conſilio, multa civitatis vulnera ſanata ſunt: reſque publicæ ita conſtitutæ, ut numquam pacatiore ac tranquilliore rerum ſtatu civitatem & ditionem Genuenſem uſam conſtaret: niſi gravi peſtilentia, qua nonnigenm capita ſinguli hebdomadibus abſumpta dicuntur, conflictata eſſet: majoraque exſpectabantur, niſi inſequenti anno ejus ſæculi octogeſimo quarto immatura mors curſum optimorum conſiliorum interrupiſſet: quæ peſtifera febri correptum tertio die poſt, quam in morbum incidit, ſuſtulit; cum magno hominum honorum mœrore, neque cum parvo externorum Principum, ad quos fama tantarum virtutum pervenerat, dolore: cum paullo plus annuum curriculum in principatu fuiſſet: qui priora benefacta ampliſſimo dono cumulavit, ſacro Sudario, quod domi compreſſerat, atque in ædium pectoralibus religioſe adſervarat, Reipublicæ teſtamento legato, ejuſque juſſu in æde divi Bartholomæi repoſito. Expreſſa eſt in eo imago Chriſti Domini ex illius ſudore, cum os ſibi eo linteo abſterſiſſet: quod Regi Abgaro efflagitanti ipſum Dominum miſiſſe ſacræ Hiſtoriæ tradunt. Elatus eſt ampliſſimo funere, omnibus bonis, ac cuncta pene civitate luctu illum proſequente; centumque notariis, quibus honoratior ac propinquior feretro locus inmquam muneris conjunctioni debitus, aſſignatus eſt, longa bini ordinis ſerie collegam honeſtantibus.

Initio ejus principatus, Jacobus Luſignanus, qui Genuæ in cuſtodia adſervabatur, Petro fratris filio Rege mortuo, abſens in regnum Cypri ſucceſſit: quem Dux, Magiſtratibus ac Senatu comitante, honoris cauſſa inviſit: ſucceſſionemque gratulatus, ac convivio & ludorum ſpectaculo honoratum cum decem triremibus ea de cauſſa comparatis & inſtructis, Nicolao Marruffo præfecto, in regnum miſit; fœdere cum Guarco paullo ante icto, quo Famaguſtæ imperium cum certa inſuper penſione anniverſaria Genuenſi populo à Rege pendenda ratum fiebat.

In demortui Montalti locum Antoniottus Adornius

silentio, ac sine certamine succeſſit: qui conſilio, quod omne popularium civium fuit, & familia Montalti retenta, initia ducatus impotenter exercuit. Nicolaum coim Guarcum, qui Antoniottum diverſi à Montalto ingenii, virum multis de cauſſis ſibi iratum metuens, ſub illius electionem urbe exceſſerat, in itinere à Marchione Finarii comprehenſum, ac ſibi inſequentis anni initio à captante A. C. 1385. regnantis gratiam pravo exemplo traditum tetro carcere in arce Ericis opidi incluſit.

Erat Antoniottus vir magni animi, ac magna ſpectantis, percupiduſque famam nominis ſui late propagandi: cui rei occaſionem præbuit Urbanus ſextus Pontifex maximus à Carolo Rege Neapolitano Nuceriæ obſeſſus. Vividum igitur ingenium, atque otii impatiens, quod tum ſummum & ab urbanis motibus & ab exteris expeditionibus Genuæ fuit, ad conſilium magni molminis, magnique ſplendoris adjecit, Pontificis è manu Caroli eripiendi, præter gloriam ac pietatis commendationem ſacroſancti Chriſti Vicarii è faucibus inſenſiſſimi hoſtis erepti, duplicem inde fructum ſperans; & civitatis adventu Romanæ Aulæ, diuturnaque commoratione ditandæ; & in ſocietatem arbitrii de ſchiſmate tollendo, quo tunc Eccleſiæ res maxime concutiebantur, veniendi: quæ res perampla ſibi & honorifica futura eſſet. Ea igitur de cauſſa decem triremes omnibus rebus inſtructas, Clemente Facio præfecto, in regnum Neapolitanum miſit: qui Urſinæ præpotentis familiæ ope adjutus, Pontificem incolumem cum magna Cardinalium ac Romanæ cohortis parte è manibus obſidentium erceptum claſſe Genuam advexit: eum quo ducti ſunt ſex Cardinales conſiliorum in Pontificem initorum participes, ac partes contrarias ſequentes: quorum quinque juſſu Pontificis ſaccis inſuti miſerabili ac fœdo ſpectaculo in mari demerſi ſunt; uno tantummodo Anglo precibus Procerum Anglicorum condonato. Ab eo omnibus precibus contendit Adornius, ſeſe collegam adſcribi arbitris ad res ſchiſmatis componendas electis: quod cum non impetraſſet; ex ea A. C. re indignatione orta, Pontifex ſub finem inſequen- 1386. tis anni ejus ſæculi octogeſimi ſexti, cum de nulla re inter ipſum & Adornium conveniret, Genua ſolvens, maritimo itinere Lucam petit: cum amplius annum Genuæ fuiſſet; ac prius æs alienum, quo Genuenſibus ob paratam claſſem obſtricta erat, cujuſque cauſſa opidum Cornetum illis oppigneraverat, diſſolviſſet: arce ac vico Plebis, opido Taurano, ac nonnullis vicis Epiſcopatus Ingauni, Berceno vico, & arce Epiſcopatus Naulenſis, opido Spotorno, & arce, nonnulliſque aliis obſcuri nominis vicis Epiſcopatus Saonenſis, loco ſolutionis, pro ſummo jure ſacroſanctæ poteſtatis in Eccleſiæ bona, Reipublicæ traditis: quæ etiam Reſpublica per ea tempora caſtellum Lermam imperio adjecit, à Violante Auria Brancaleonis filia & Domini uxore ejuſdem familiæ hominis pretio emptum.

A. C. 1387. Pontifice profecto, ſub initium inſequentis anni ejus ſæculi octogeſimi ſeptimi, inſidiæ in Ducem, qui ad eum diem urbanis moleſtiis caruerat, detectæ ſunt: cujus conſpirationis qui capita fuiſſe dicebantur, Franciſcus, Raphael, Leonardus Juſtiniani, Garibaldi fratres, urbe aufugerunt: capti- que ſunt Nicolaus Bonaverius, Nicolaus Marruſſus, Raphael Ponſonus, Jannottus à Mari, Thomas Pinellus, ſocietatis conſiliorum inſimulati: qui extorti, cum in negando fortitudinem & conſtantiam adhibuiſſent, non tamen omnem pœnam fugerunt, ingenti æris ſumma atque exſulio mulctati.

A domeſticis inſidiis ſecurus factus Antoniottus, honorifica pauliſper intermiſſa conſilia repetens, cum fama exiſtet, Tunetanum Regem eliſſem ad res Genuenſium vexandas parare; prævertens ipſe, A Manfredoque Claramontio Siciliæ Halmirate in ſocietatem armorum aſſumpto, duodecim triremes anno inſequenti ejus ſæculi octogeſimo octavo in A. C. illum armavit: quibus Raphaelem fratrem præfe- 1386. cit: qui Genua ſolvens, cum Siciliam inſulam appuliſſet; Claramontio cum octo triremibus, quarum tres ipſe pamverat, quinque à Piſanis Ducibus conduxerat, ſibi adjuncto, in Africam navigans, inſulam Lothophagitin, nunc *Gerbim* appellatam, tenuit: cujus expugnatæ imperio veluti ex propinquo aptiore Claramontio ceſſit; ſex & triginta aureorum millibus in compenſationem traditæ inſulæ ab illo acceptis: elaſſeque opulentis ſpoliis capta inſulæ & tanta auri vi ditata, ovans Genuam redit.

B At Antooiottus alium ex alia cauſſam ſuum & Genuenſium nomen illuſtrandi quærens; intelligenſque, Afros nullum finem facientes Chriſtianas & Laguſticas res vexandi contundere, ſuarum ac civitatis virium non eſſe; animo ad amplum conſilium adjecto, in externam opem confugit; Oratoribus ad Carolum ſextum Gallorum Regem miſſis: cujus legationis princeps longa & lucuſenta oratione Gallorum laudibus referta, Regem ad eam expeditionem ſuſcipiendam ipſius Majorum exemplo hortatus eſt: qua oratione permotus Rex, Genuenſium pietate & religionis ſtudio laudato, expeditionem decrevit.

C Eam orationem Paullus Æmilius libro nono *Hiſtoriæ Gallorum* ab ipſo conſcriptæ incluſit. Summa imperii delata eſt ad Ducem Borbonium, unum ex Regis patruis. In eam militiam ingens multitudo Gallorum Procerum certatim nomina dederunt. Idem Angli fecerunt, cum æmulatio tanti decoris ad eos tranſiſſet: eaque de cauſſa inducie inter utramque nationem factæ ſunt; eum odia ac contentionum cauſſæ tum, ut cum maxime, inter ipſos vigerent: adeo illorum temporum pietas ac religionis ſtudium ceteris omnibus rebus prævertere ſolebat: magnumque hoc, non in Liguriam modo, ſed in univerſam Chriſtianam Rempublicam Antoniotti promeritum conſtat: ejuſque nomen duplici eſt titulo inſigne; D & ſacroſancti Pontificis è manu hoſtium erepti, & Sarracenorum ferociæ compreſſæ: cujus inſtinctu Galli eam expeditionem ſuſcepe int: qui, ne bene procedentia conſilia ſedula diligentia ac vigilantia ſua inchoata ipſe moraretur, interea florentiſſimam claſſem quadraginta triremium ac viginti ingentium onerariarum, omnibus neceſſariis rebus affatim inſtructam compararat: cui præfecit Joannem Centurionem Ultramarinum affinitate ſibi conjunctum: ſive ea gens tum inter populares familias cenſeretur; ſive ea in re Antoniottus privatam neceſſitudinem, legibus Nobilium Factionem ab omni honorum & publicarum procurationum genere arcentibus, eximiam fecit: quas ceteris in rebus diligenter obſervavit; cum nulla publica, aut bellica, aut civilia munera hominibus ex Nobilium Factione mandaret; neque in quindecim viris, qui illi in conſilio aſſidebant, quemquam niſi è popularium corpore admitteret.

Igitur Proceres ac Duces Franci & Angli, cum terreſtri itinere Genuam veniſſent, parata claſſe conſcenſa, Africam petunt: quam cum incolumes tenuiſſent, ad littora Tunetana copiæ non ſine certamine expoſitæ ſunt: cum ingens Barbarorum multitudo ad exſcenſum prohibendum fruſtra accureiſſet, à ſagittariis Anglis, in quo teli genere ea F gens maxime excellit, repulſa. Id fuit bellı genus; ut Tunetanus Rex bipartitarum copiarum dimidium præſidio urbis reliquerit, ipſe cum reliquis prope ab urbe conſederit, caſtraque valido munimento firmarit: iiſque ſeſe continens Chriſtianis invadentibus nullam pugnandi copiam faceret, baudquaquam ſapiens conſilium ratus, ſe ac regnum in tantam aleam præcipitem dare. Multis autem iniquitatibus Chriſtiani premebantur: cum Arabes

equi-

equites Chriſtianorum cataphractos, ac gravem armaturam ſtabili pugnæ, quam excurſionibus aptiorem, ipſi leves & veloces modo à lateribus, modo à tergo adorirentur: ac modo inſtantes, modo fugientes, modoque territantiom, modo paventium ſpeciem præbentes, pugnam potius eluderent, quam committerent: annonamque & cetera omnia, per circumjectam regionem diſcurrentes, Chriſtianis, qui obſeſſum venerant, quam ipſis obſeſſis artiora facerent. Igitur Chriſtiani, eum Regem ad juſtam pugnam attrahere ſæpe tentaſſent; nulluſque eſſet cum Numidis ludificantibus levium præliorum fructus; omnem vim belli, omiſſis regiis caſtris, in urbem vertunt: idque erat oppugnationis genus, ut, ſi omnibus copiis urbem invaderent, Rex ipſos in urbem verſos à tergo adoriens detrimentis afficeret: ut partiendæ curæ ſoerint, copiæque dividendæ; quarum altera pars mœnia tentaret, altera io exteriorem hoſtem verſa, Regis impetum exciperet.

Hoc belli ſtatu præfectus Tuneti eniſis precibus cum Duce Chriſtiano egit, ut ad colloquium venire ne gravaretur. Morem geſſit Dux: firmoque delectorum comitatu ſeptus extra aciem procedit: propinquum mœnibus factum, præfectus ex muro ita allocutus eſt: *Si cauſſam, qua vos Gallos & Anglos nullis a nobis injuriis laſos, nullaſque contumeliis laceſſitos impulit, ut mare trajicientes nos oppugnatum veneritis, ſcirem; tacitus, ſive eam cauſſam juſtam, ſive injuſtam conferem, eventum belli exſpectarem; eo Deum immortalem victoriam daturum ſperans, quo jus ſtaret: ceterum cum nullam cauſſam tanti hujus veſtri motus divinare poſſem, colloquium tuum, Dux inclyte, expetivi; ut illam ex te cognoſcerem: quam ſi tu proferre non gravaberis, tum nos, ſi eam judicabemus, qua merito vos ad arma nobis inferenda induxeris, ſatisfacere vobis de injuriis, ac præteritas culpas emendare parati ſumus: quam rem ut vos quidem reſpuere debetis, vobiſmet reputantes, quam incerti ſint bellorum exitus; neminemque ſapientem, quod certum & exploratum, rebus amicabilster compoſitis, ſine certamine obtinere potuit, id per vim dubio eventu, mille diſcrimnibus ſeſe ac ſuos ſubjicientem, exturquere maluiſſe: quamquam imperare animo nequivi, quin hoc quoque adjicerem, quod te non nihil pungat: aquum enim fuerat vos a perpetuo gentium more non diſcedere, ac, ſi qua in re a nobis vos laſos putabatis, id prius nobis demonſtrare, atque injurias factus per Legatos conqueri, res ablatas repetere: quod ſi nos a vobis monitis, in officio non fuiſſemus; tum cauſſam vobis nos juſto ac pio bello perſequendi dediſſe ab omnibus conferemur: quam rem a magnis & clarisſimis civitatibus ac maximis Regibus juri ſolitam eum vos omiſeritis; culpam, qua tum in nobis de injuriis non ſatisfacientibus haſſiſet, in vos injuriam facientes tranſlatam quo modo a vobis removeatis, vobis videndum eſt.*

Ad ea Borbonius, *Ne ea*, inquit, *preſens veſtra fortuna eſſet, qua huic ſuſpicioni locum non det; arbitraretur, te nos potius ludificandi cauſſa, quam de rebus belli ſerio agendi hoc colloquium petiſſe: adeo futilia, ac ridicula, ac vix pueris digna commenta protuliſti. An ulla gravior & juſtior cauſſa nobis armandi adverſus vos induere potuit ea, quam vos nobis continenter præbetis, Genuenſium rebus aſſidue vexandis, commerciaque illis infeſta faciendo? cujus civitatis nobis non modo ejuſdem religionis neceſſitudine, ſed ſocietate quoque armorum perpetuo conjuncta; ac ſine cujus claſſibus nullam fere bellum adverſus religionis noſtræ hoſtes ſuſcepimus, nec vero ſuſcipere commode potuiſſemus; defenſionem non minus ſuſcipere debuimus, neque minus de illius, quam de Lutetiæ & Londini ſalute & commodis laborare: at etiam de jure & de perpetuo gentium more in bello prius denunciando, quam inferendo mentionem facere non pudet: cujus perfringendi non nos hoc bello, ſed vos ipſi auctores fuiſtis: qui bellum adverſus Genuenſes, non a denunciatione armorum, neque a rebus per feciales repetendis, ſed ab illorum rebus rapiendis orſi eſtis: verum in vos exemplum verſum eſt: neque nos, ſed vos ipſi bellum vobis moviſtis. Injuria ſociis noſtris facta fecialis fuerunt ad bellum, ad quod nos omnia alia cogitantes ipſi attraxiſtis, vobis inacendum. Quid eſt igitur aut magis ridiculum, aut minus ferendum, quam quod in vos valet crimen, id in nos conferre? ac juris diſceptationem quærere, neque interea ab injuriis faciendis abſtinere? ſi juſtam in vos concitatam iram mitigare, ſi excidium imminens a vobis amovere capitis? id non fucis oſtis veſtris, ſed ſociis noſtris omittendis, ac de injuriis re, non fallaci oratione, ſatisfaciendo, aſſequendum eſt.* Hæc à Borbonio pronuncita ſunt, non minus pacis quam Barbaris cupido; difficultates belli cernente, atque annonæ inopiam formidante.

Hoc igitur initio colloquiorum facto, brevi res convenit: hæque ſunt ſcriptæ conditiones pacis: *Sarraceni ac Tunetani a Chriſtianis incurſionibus ſuis vexandis, Istoribuſque tam Liguria & Provincia Narbonenſi, quam ceteri Mediterranei maris, atque interjectarum inſularum abſtineant: captivos omnes Chriſtianos reddant: decem aurorum nummûm millia præſentia illico numerent: finibus Africa ſeſe in poſteram coninecant.* Quibus rebus à Barbaris haud retractanter factis, claſſis Genuam reverſa eſt; Chriſtianis Proceribus vectis: qui pleni gloriæ, rebus ſcliciter & celeriter conſectis, terreſtri itinere in ſua ſe recepcerunt.

Nec vero Antoniottus ita bellicis expeditionibus intentus fuit, ut cetera negligeret; ac non partem curarum in ditionem Genuenſem amplificandam conferret: nam præter loca à Pontifice data, ac Lermam, ut paullo ante ſcripſimus, acquiſitam, emit de Marchiooibus Saluciarum, Carretis, & Claveſſanæ, Plebem Ticii, nonnullaque opida, ac vicos vallis Arociæ; de Carolo Fliſco validum opidum Varifium; de Morruello & Georgio Grimaldis non obſcuri nominis caſtellum Stellam: ad hoc ejus opera celebre opidum Novæ, quod Mediolanenſes Principes occuparant, ad Rempublicam rediit: prætorium perampla aula auxit & ornavit; cum numquam ſegne tempus tereret, ſed omoibus rebus invigilaret, occurreret. Omnino nemo ea ætate fuit, in quo eſſent majora, aut plura naturæ & induſtriæ bona: ingenium vividum, callidum, ſollers, magnum conſilium, celſus ac ſublimis animus, nihil humile aut ſordidum, nihil non magnificum & amplum umquam agitans: cibus ac potus parcus, ſomnus modicus, tempora oumquam otio, ſed partim rebus agendis, partim litterarum ſtudiis data. Tantarum laudum una omnino exceptio fuit, immodica ambitio, regnandique cupido, perpetuum præclarorum ingeniorum vitium: quarum laudum gloria illis temporibus ita cluxit; ut fama late perlata magnum illi nomen, magnamque auctoritatem, & veneretionem apud exteros Principes collegerit, multique controverſiarum arbitrum illum ſumerent: in quibus fuerunt Joanoes Galeacius Dux Mediolanenſis, & nonnullæ ex principibus Italiæ civitatibus fœdere inter ſe adverſus illum conjunctæ; Florentia, Bononia, Patavium, illarumque ſocii populi: inter quos de magnis rebus ambigentes, Magoi Magiſtri Hieroſolymitanæ militiæ Pontificii Legati collega pacem compoſuit.

Quæ tamen tot ac tam eximiæ virtutes, totque egregia in Rempublicam merita haudquaquam tantam vim habuerunt, ad clarum virum in principatu retinendom, quantum exſecrabilis Factionum ſtudia ad eum illo exigendum: inſequenti enim anno ejus ſæculi nonageſimo, conſilia contra Antoniottum diu ante concocta, quorum Petrus Fulgoſius auctor fuit, emanarunt: quæ primo ſine effec-

A. C. 1190.

ctu fuerunt, Petro ab Antoniotto, cui res ſuboleverat, capto; complurib uſque primariis civibus participibus conſiliorum, qui fuga ex urbe periculo ſe ſubtraxerant, veluti perduellionis reis exſulio multatis. Antoniottus igitur tot civium contra ſe conſpiratione, præter omnem opinionem ſuam pereuſſus, ad hoc plebis mobilitati diffidens; cum inter ancipitia conſilia, Petri vel tollendi, vel dimittendi, incertus animi diu fluctuatus eſſet; hinc timuis ſe offenſurum apud magnam plebis partem, atque univerſam civitatem in illius favorem verſam timens, ſi hominem ſuſtuliſſet; illinc periculoſum cenſens, tam potentem inimicum, tamque acrem virum, nova præſertim contumelia irritatum dimittere; ad hoc non ſe ſatis adverſus tantam in ſe intentam ac ſubitam molem paratum ſentiens; conſilium tandem capit haudquaquam pro cetera ſua ferocia, animique magnitudine nullis umquam adverſis rebus fracti, inimicis, ac temporibus cedendi: quare ſimulans ſe in hortos ſuos ſuburbanos animi cauſſa ſecedere, porta divi Thomæ urbe egreſſus, triremi Conradi Auriæ ea de cauſſa parata eam conſcenſa, principatum ſimul & patriam reliquit, Antonium Juſtinianum longum ſecum ducens, metu ne vir magnarum opum, magnæque potentiæ, ad hoc magnæ apud populum auctoritatis & gratiæ, Dux eligeretur: eum nollet acrem & tanto faſtigio parem animum, principatum ſibi repetenti oppoſitum habere: quem tamen, Duce novo creato, atque eo metu liberatus, paullo poſt dimiſit. Is fuit Jacobus Fulgoſius Dominici Ducis filius; Petro præterito, cujus acriores & vehementiores ſpiritus magis formidoloſi civibus eſſent. Hæc electio ſilentio facta eſt, raro illis temporibus exemplo; cum diſceſſu Antoniotti cognito, nonnihil tumultuatum eſſet, totaque civitas novam rem, atque à tali ingenio, talique animi robore minime exſpectatam, admirata, in armis fuiſſet: qui tamen tumultus ſtatim conticuit: novuſque Dux civitatis ſtudiis obſequens, legibus præſcriptis ſeſe ſubjici paſſus eſt, quibus Antoniottus ſolutus fuerat.

At Antoniottus ſubiti conſilii pœnitens patriam repetere decrevit: quare eadem, qua venerat, triremi, inſequenti anno ejus ſæculi nonageſimo uno, Saona urbe ſolvens Sextum opidum tenuit, (ita credo appellatum, quod ad ſextum ab urbe lapidem ſitum ſit) petitque ſeſe in civitatem, ut unum pacatum civem recipi: quam rem impetrare non potuit; cum tamen de ea magnis contentionibus inter amicos Ducis acta eſſet; multique illi auctores eſſent, ut illum omnino reciperet: talis viri præſentiam in omnes partes ipſi præſidio futuram: ſive enim Guarci, præpotens gens, à qua non minus quam ab Adornis ſibi timendum eſſet, quidquam moverent; Adorniorum potentiam eo beneficio ſibi devinctam illis oppoſiturum: ſive Adornii contra illum inſurgerent; facilius Guarcorum auxilio ſeptum illis reſtiturum: ita perlibratis illarum familiarum potentiæ momentis, ipſum inter illos medium tutius regnaturum. Igitur Adornius ſpe, qua venerat, fruſtratus, contumeliaque exacerbatus, prioribus animis repetitis, atque imbecillitate Ducis, ingenioque enervato ſpreto, principatum ſponte depoſitum, vi, ſi nulla alia ſit via, reſumere conſtituit: quare retro, unde venerat reverſus, delecta octingentorum armatorum manu in circumjecta regione coacta, cum iis copiis ad urbem contendit: atque ad littus ſancti Petri arenæ conſidit: in quo nonnullos dies fuit, ignavo Duce ſedente & inſpectante, nihilque adverſus Antoniotti conatus contra comparante. Tandem Antoniottus, rebus per occulta colloquia cum amicis & fuarum partium hominibus compoſitis & conſtitutis; armatis, quos duxerat, ſeptus, urbem, nemine obſiſtente, ingreditur: cum Dux non modo ipſe ſe cum clientibus non oppoſuiſſet, ſed ſubmiſſa à Carrettanis Marchionibus auxilia, quæ ad idem ſancti Petri arenæ littus uſque perrexerant, repudiaſſet, gratiiſque actis in ſua ſe recipere juſſiſſet; pavido animo ac ſtudiis literarum dedito, omique amante, omnem contentionem horrente. Quo impedimento amoto, Antoniottus poſtero die eum magno clientium & exterorum ſtipendio conductorum numero armatus, prætorium petit; Fulgoſio prius per nuncium monito, ut poſſeſſionem ſibi vacuam præberet: prætorium ingreſſus, ſceptro arrepto, Dux ab omnibus ſalutatus eſt; Fulgoſiuſque comiter in convivio acceptus, domum cum honorifico comitatu ab eo dimiſſus.

Eo anno Saonenſes deſceruut; duobus arcibus, quæ in ea urbe à Genuenſibus tenebantur, captis, ac præfectis Genuenſibus expulſis: indignati, quod Dux Signinis ab ipſis bello petitis, ut illorum opidum ſibi ſubjungerent, validum ſubſidium cum triremi miſiſſet: quo firmati Signini, Saonenſes cum clade ac cæde nonnullorum ex ipſorum primariis repuliſſent. Arrepta eſt ea occaſio ab inimicis Ducis, illum lacerandi, multitudinemque occulte incitandi; illius culpa Saonam amiſſam dictitantibus, qui nimia ambitione elatus, ſeſe privato conſilio, neque civitatis voluntate & ſententia exquiſita, rebus, quæ nihil ad Rempublicam attinerent, interponendo, pacatos Saonenſium animos ſuis injuriis irritatos ad neceſſitatem deficiendi adegerit: principatum ab ipſo iiſdem artibus exerceri, quibus partum ſit; Regis hæc & dominantis eſſe, non Magiſtratus liberum populum regentis: quos ſermones ut compeſceret Dux, cum res ad motus & ſeditiones ſpectaret, duos popularis corporis cives liberius locutos, tamquam ſeditionem commoventes, ac res novas molientes, capitali ſupplicio affecit; Petrumque Fulgoſium in opido Novis in carcerem conjici juſſit. Hæc eo anno.

At inſequentis initio ejus ſæculi nonageſimi ſecundi de cive quodam ex Nobilium Factione, (cujus nomen æque ac duorum ſuperiorum ab Annalibus ſiletur) inſimulato, ac comperto, quod contra ipſum ac principatum ſuum occulta conſilia ſuſcepiſſet, idem ſupplicium ſumpſit. Majorum motuum cauſſa fuit Benedicti Vialti Juriſconſulti comprehenſio. Is, cum Duci vehementer ſuſpectum ſeſe feciſſet, à Duce vocatus totum fere diem una cum Antonio fratre Epiſcopo Saonenſi cum Duce fuit. Longi inter illos habiti ſermonis is exitus fuit, ut Benedicto egreſſu urbis à Duce interdictum ſit, domicilique & cuſtodiæ locus, quo ſe contineret, ædes Emanuelis Grilli communis amborum amici circumſcriptæ ſint: ceterum cum ille nonnullis poſt diebus, ſive relaxandi animi cauſſa, ſive alia animo agitans, urbem egreſſus in ſuburbanum ejuſdem boſpitis ſeceſſiſſet; magnuſque amicorum numerus eum officii cauſſa ſalutatum acceſſiſſent; re cognita, Dux vehementer exarſit, hominemque comprehenſum, in pœnam ſpreti imperii, in aream Ericis in carcerem miſit: in quo paucis poſt diebus tædio & mœrore animi confectus deceſſit: cum haud multo poſt Vialium, in eundem carcerem Jacobus quoque Fulgoſius, qui ducatu ceſſerat, miſſus fuiſſet. Dolore amiſſi fratris ardens Antonius Epiſcopus, in proxima loca Fliſcorum ditionis ſe confert. Enimvero Fliſci occaſione conſilii Nobilitatis apta lætu, hominem non modo comiter & honorifice, ſed cupide quoque accipiunt: quem ſua ſponte irritatum ipſi ultro in Antoniottum, ejuſque impotentem dominatum accendunt, ſua omnia ad illum prolixe deferentes: quorum promiſſis confirmatus Epiſcopus, ſexcentis armatis ab illis acceptis, urbem ingreditur: cum quo, animis tandem nudatis, ſtudia & ſocietatem conjungunt Baptiſta Buccanigra Simonis primi Ducis filius, & Ludovicus Guarcus; cum ſua ſponte Antoniotto infenſi, tum Nobilium, qui ditiones & domina-

A.C. 1391.

A.C. 1391.

minatus in circumjectis regionibus poſſidebant, perpetuum morem ſuum diſcordias inter popularis corporis cives ferendi & alendi retinentium occultis conſiliis imbuti, ac ſpe illorum favoris incitati. Ii omnes, magna clientium copia corrogata, in aream ante ædem divi Franciſci ex multis urbis partibus conveniunt: adverſus quos Antoniottus, animo ſtatim à primo pavore collecto, prævalidas armatorum centurias mittit: quæ cum pluribus agminibus diverſis viis in aream arcis Caſtelleti conveniſſent; acre prælium ſubito commiſſum eſt: quo tandem Adorniani ſuperiores fuerunt; adverſariis in fugam conjectis, ac Ducibus captis; quorum varia fortuna fuit: nam Epiſcopus in urbe Naulo à Duce tetro carcere eſt incluſus; illiberaliterque, ita Duce jubente, in illo habitus: Baptiſtæ Buccanigræ certus exſulii locus definitus: Ludovicus Guarcus, vulnere in crure accepto, è manibus inimicorum elapſus, Rhodum ſe contulit.

Domeſticis inimicis dejectis, Dux copias, quas habebat, in Nobiles motuum auctores vertit: Raphaelemque fratrem cum ſeptingentis equitibus & duobus peditum millibus adverſus Spinulas mittit: cum non minus aſtu quam aperta vi agens, callidus artifex viam ſibi in animis nonnullorum ex gente Spinula ſubjunctis pretio emptis præmuniviſſet. Raphael parvo certamine Buzalla, Burgo Fornariorum, Ronco, primo adventu Reipublicæ Genuenſis nomine occupatis, revertitur: Duxque paullo poſt, arce & opido Savimono Fliſcorum ditionis, cuſtodum proditione pretio & promiſſis corruptorum, potitus eſt: qui inſtantes motus providens, prætorium validiore munimento firmare ac copias augere inſtitit. Diverſus exirus Turriliæ ejuſdem gentis Fliſcæ opidi fuit, fruſtra à Raphaele vi & armis tentati: quem Dux ea de cauſſa miſerat, ab Antonio Fliſco ejus opidi Domino irritatus; qui contra ipſum arma ſumpſerat, ac montem uſque Faſciam cum trecentis armatis irrito incepto perrexerat, ſperans ſeſe adventus ſui fama aliquid moturum.

Cum conſilia Nobilibus per Vialum, & Guarcom, ac Buccanigram ſocios, non proceſſiſſent; nihil non tentatum relinquentes, ad Montaltos ſe convertunt: quos eorundem auxiliorum ſuorum ſpe contra Antoniottum incitant, qui curas inter ſe partiti ſunt. Antoniuſque Leonardi Ducis filius, adoleſcens impiger ac cupidus, cum patruis ſuis Turriliam petit ad promiſſa auxilia accerſenda. At Martinus Juriſconſultus, affinitate, qua Antoniotto conjunctus erat, ſpreta, ſororis illius filiua, ad ſeditionem commovendam in urbe ſubſtitit: qui, Clemente Promontorio præpotente ac non contemnendarum opum homine ſibi adjuncto, ſimulque cum illis ingens numerus popularis corporis civium Guelphæ Factionis (non enim tot poſtea ſubortæ Factiones ejus Factionis memoriam plane exſtinxerant) in ædem divi Syri noctu conveniunt: qui multa de Antoniotto dejiciendo collocuti; inſequenti die porta ſancti Andreæ inſeſſa, nonnullas leges ad auctoritatem & potentiam Ducis infringendam ea nocte compoſitas, circumiſſis præconibus, tota urbe pronunciarunt: ceterum cum ab iis, quos corrogarant, deſeri inciperent, neque Antonius, cujus ſpe rem ſuerant ingreſſi, compararet, animis concidunt; Ducemque validis copiis armatum metuentes, ad eum mittunt, ſupplicibus precibus poſtulantes, ut tutum aditum ad veniam petendam acceſſuris, pro ſua humanitate, dare ne gravetur. Poſtulatis annuit Adornius: eumque diploma ſcribi cœptum eſſet, ecce Antonius eum copiis à Fliſcis acceptis, ingentique Antoniotti inimicorum agmine, magnoque plebejorum numero illi adjuncto, ipſius nomen magnis clamoribus ſubjicientium, eum fratribus in urbem perrumpit. Subita re vehementer perculſus Antoniottus, omiſſo diplomate, quod ſcribebatur, tantæ in ſe intentæ moli cedens, trepida fuga in cœnobium ſancti Dominici ſe recepit: inſequenti nocte, non exigua amicorum & clientium manu comitante, urbe exceſſit: poſteroque die Antonius ætatis annum vigeſimum tertium agens, cum memoria clari parentis, tum egregia indole, à qua multa præclara ſperabantur, commendatus, ſumma eum civitatis lætitia, miro omnium conſenſu Dux renunciatur: poſteroque die, ne minus firma creatio videretur, per tumultum ac multitudinis acclamationem facta, à conſilio ſexaginta primariorum civium, omnium è popularium corpore, ducatus illi ratus factus eſt: qui primam ducatus commendationem à re incertæ exiſtimationis duxit, Spinulis enim & reliquis Nobilibus caſtella & loca ablata reſtituit: quod quamquam per conſilium civitatis fecit, cum nemo in conſilio voluntati regnantis palam refragari auderet; nec bono publico privatam perniciem ſibi conflare vellet; varios tamen ea res privatim ſermones præbuit: aliis gratum animum erga eos, à quibus eſſet adjutus; ad hoc æquitatem viri, qui injuſte ablata veteribus Dominis reſtituiſſet, laudantibus; aliis Antonii factum vehementer improbantibus, qui privatam beneficiorum gratiam de publico remuneratus eſſet; neque æquitate aut juſtitia adductus, ſed ſtudio dominatus ſibi iiſdem opibus ſtabiliendi, quibus illum pepererat, ad pravum conſilium deſcendiſſet: neque enim ea opida & loca injuſte Nobilibus ablata videri poſſe: neque debuiſſe Montaltum juſto bello parta, ac juris publici facta, ambitioſa largitione à Republica alienare: quod etiam, omiſſa juris diſceptatione, ingenti malo publico factum ſit: neque enim è Republica eſſe, privatos cives tot populorum dominatum ipſis cervicibus civitatis imminentem poſſidere: talibus enim opibus ſultos Nobiles æquabilitatem juris eum ceteris civibus ferre non poſſe, nimioſque ſibi ſpiritus ſumere; ac propterea omnia diſcordiis, contentionibus, turbis, ſeditionibus miſcere; omniumque malorum publicorum ac bellorum denique civilium cauſſam & auctores eſſe: civitatem à domeſticis motibus & cladibus numquam quietaram, quoad Nobiles eos dominarus poſſideant, qui eos ceteris civibus formidoloſos faciant: ac propterea ea ablata non modo illis non reſtituenda; ſed occaſiones quærendas, oblataſque arripiendas, iis, quæ adhuc teneant, illos exuendi: privatos hos dominatus iis civitatibus convenire, quæ ſub Regibus ſunt, at in liberis haud quaquam ferendos: ſapientiſſimos complures Legiſlatores, in quibus is ipſe fuit ſanctiſſimus ac Deo immortali tam acceptus Vates Moſes, legibus agrariis latis, privata prædia æqualiter inter cives dividi voluiſſe, eamque diviſionem ſtatis temporibus renovari; nec quemquam unum majorem agri modum, quam alterum poſſidere; quæ res eſſet concordiæ civitatis diſtrahendæ: nedum ſanctus Vates & Legiſlator ille, quique illius exemplum & auctoritatem in legibus condendis ſecuti ſunt, paterentur, cives caſtellorum & opidorum dominatu ſulciri. Quam diſputationem haud ab re hic inferendam duxi, quod finis hiſtoriam ſcribentis ſit, non tantum res geſtas nuda ac ſimplici narratione complecti; animoſque legentium jucunda illa rerum varietate tenere, (nam hoc fortaſſe Poetarum fuerit) ſed utilibus exemplis lumen civibus ſuis in Republica gerenda, & in conſiliis de dubiis rebus capiendis præferre: quæ exempla majorem profecto vim ad homines erudiendos habent ſuis momentis, ab ingeniosis, & acutis viris, rerumque gerendarum uſu & ſcientia præditis, quam nudis verbis propoſita.

Sequitur annus ejus ſæculi nonageſimus tertius; A. C. 1493.
quo, & duobus inſequentibus, res urbanæ numquam turbulentiores fuerunt, aut pluribus motibus agitatæ, crebrioribuſve Principum mutationi-

bus obnoxiæ: quas nunc perſequi pergam. Antonii igitur ereatio, quæ lætitiæ ceteris fuit, unum, quam minime decuit, Martinum Montaltum arta cognatione illis conjunctum angebat: qui indignatus, atque ægre ferens, adoleſcentem ſibi confirmata ætate viro prælatum, ad amicitiam Antoniotti ſe contulit, perpetuo atque inſito humanis ingeniis vitio, ut externis & hoſtibus ſe potius applicent, quam ſuos ſibi prælatos ferant; inſidiaſque Antonio ſtruere cœpit: quæ cum inter tot conſiliorum participes occultæ diu eſſe non poſſent, detectæ, Antonium ceteroqui miti ingenio ad neceſſitatem hominem carceribus includendi adegerunt: quibus illum liberare non potuerunt nonnulli ipſius clientes extra urbem variis de cauſſis ætatem agentes; cum re audita ducenti circiter numero promontorium uſque capitis Phari perrexiſſent; inde à Raphaele Ducis fratre repulſi & in fugam conjecti.

Per quod tempus ne res quidem oræ Liguſticæ à domeſticis motibus quieſcebant; cum in opido Rapallo Eduardus à Turri Factionis Gibellinæ princeps ab exſulio reverſus, tumultu concitato, Guelphos adverſarios opido expuliſſet, eorumque bona diripuiſſet; paulloque poſt Guelphi Nicolai Fliſci opibus ſubniſi, parem cladem Gibellinis reddidiſſent. Montaltorum inter ſe diſcordiæ animum Antoniotti nullis occaſionibus indormientis ad ſpem principatus reptendi erexerunt: in quo conſilio hominem confirmarunt Galeacii Principis Mediolanenſis adhortationes, omnia auxilia large ad illum deferentis; ſive ille veteri amicitia Antoniotti erebris ac mutuis officiis perpetuo ab ipſis culta inductus, hoc fecit, ſive cogitationi de rebus Genuenſibus numquam depoſitæ adjumenta longe præmolliens; haud diſſimilem eventum ex illorum diſcordiis expectatus à temporibus Joannis Archiepiſcopi patrui.

Igitur Antoniottus Venetiis, quo ſe patria extorris contulerat, eumque ſibi exſulii domicilium ſumpſerat, profectus, per fines ditionis Mediolanenſis Vulturem opidum uſque perrexit: cujus adventus vehementer inimicos perculit: cum præſertim Dux lente, neque fatis pro ipſorum ardore, ſe ad defenſionem compararet: qui cum animum primo illo pavore conſopitum acribus amicorum ſtimulis incitatus tandem collegiſſet; hoſtem, quiad portas civitatis excurrerat, audaci eruptione aggreſſus, ipſo impetu fundit ac fugat, Chriſtophoro Antoniotti filio capto; cum pater è manibus Montalti ſeſe in ditionem Carrettanam receppiſſet.

Neque tamen Antoniotti fuga res civitatis quieverunt, aut Antonius moleſtia liberatus eſt: quem tumultus & ſeditiones circumjectarum vallium incolarum diu exercuerunt: qui arreptâ ſub Antoniotti adventum arma, illo fugato, non modo non depoſuerunt, ſed direptionibus & incendiis per circumjecta urbi ædificia, atque amœna civium ſuburbana graſſantes, omnia tumultibus implebant: quos ſæpe à militibus contra illos miſſis repulſi, illis in urbem reverſis, crebro integrarunt: cum Raphael Ducis frater, vulnere in crure accepto, tumultuantibus haudquaquam compreſſis, in urbem reverſus eſſet. Ceterum hæc leviora: illa longe major fuit moles, quam reliquæ Factiones, Adornio repulſo, conjunctis ſtudiis illi intenderunt; quarum principes Genuæ tum erant; majorem vim regnandi cupiditate ad illos in cumincitandos habentes, quam ad comprimendos Ducis clementia, & manſuetudine, egregioque in ipſos promerito: qui non ſibi illorum exſulio, contra perpetuum uſurpatum morem novum principatum adipiſcentium, ab illorum inſidiis caviſſet.

Ab altera igitur parte Petrus Fulgoſius, cumque illo Nicolaus Zoalius, magnæ potentiæ ac magnarum clientelarum civis, ingenti hominum multitudine armata, ad ædem divi Syri conſiſtunt: ab altera Ludovicus Guarcus & Epiſcopus Saonenſis magno impetu prætorium invadunt: quibus Dux & fratres, cum delecta ſtipendia facientium manu, quam habebant, ac non exiguo partium ſuarum ſtudioſorum civium numero, acriter reſiſtunt: quo prælio maxime accenſo, Fulgoſius, non tam Montalti opprimendi voluntate mutata, quam faciliorem viam ſibi ad principatum fore ratus, ſi ipſe, dejecto Montalto, in prætorio ſuiſſet, in illud ſe cum ſuis contulit: Montaltoque ſe per ſpeciem opem ferentis adjungit. Pugnatum eſt diu & acriter, cum Dux ac fratres diſcriminibus ſe ſe offerentes, nihilque ſibi parcentes, in media pugnæ mole audaciter verſarentur: tandem adverſarii fugati & profligati ſunt: cum magna illorum cæde fieri potuerit, ni mitis Ducis animus in parcendo civium ſanguini, conjunctionis ejuſdem patriæ atque ingenitæ humanitatis, quam ſtudii partium, magis memor fuiſſet.

Vix prima periculi procella diſcuſſa erat; cum ecce Clemens Promontorius, eminentium opum ipſe quoque vir, magniſque clientelis fultus, recenti prælio Ducem feſſum ſub veſperum cum mille armatis magno impetu invadit, atrociuſque prælium quam ſuperius commiſſum eſt; Promontoriänis ingentem vim telorum inſtar reberrimæ grandinis ingerentibus: ut Montaltus ac fratres prætorio cedere coacti ſint; ac per Auriarum amicorum domos in privatas ædes ſe recipere: cujus diſceſſu prætorio vacuo relicto, Petrus à ſuis in ſolio ducali repente locatus, ſceptroque tradito, Dux acclamatur: ceterum Promontoriänis nihil de contentione prælii remittentibus, impar ſtatim ipſe quoque ceſſit; Clemenſque magna cum lætitia illico à ſuis Dux conclamatus eſt. Moleſtus vulgo fuit, & præſertim Antoniotti inimicis, cujus ſtudioſus habebatur, Promontorii principatus, iis artibus partus: quare in ædem divæ Mariæ à Vineis maxima civium pars convenientes, duodecim cives ex primariis eligunt; poteſtate ampliſſima illis mandata Reipublicæ conſtituendæ, ac civitatem pacandi: qui Clementem prius fruſtra monitum, ut principatum, per vim ac nullo jure partum, illico dimitteret, populo in illum armato, ex prætorio ejiciunt: civitaſque in varias ſectas ac voluntates diſtracta eſt; aliis alio tendentibus: cum non ſatis in tantis tenebris conſtaret, quid ſequerentur, quod poſſiſſimum conſilium caperent: cum multi Montaltum Ducem repoſcerent, morum ſuavitate atque ingenii manſuetudine à ſanguine abhorrentis, inducti; multi alterius nomen ſubjicerent; neque exigua pars in Principem Mediolanenſem, aut aliquem alium externum dominatum inclinaret. Tandem duodecimviri in prætorium convenientes, poſt varias diſputationes, Franciſcum Juſtinianum annuum Ducem eligunt, recti exempli ac magni nominis civem; ad hoc quieti ingenii, pacilque & concordiæ amantem hominem.

Nec tamen res civitatis quieverunt: cum Antoniottus Adornius, validis copiis ab Joanne Galeacio acceptis, ex Inſubria moviſſet; cujus motus cognitus ingentem trepidationem in urbe fecit. Antoniottus fines Genuenſes, Duce invito, ingreſſus, Vulturem uſque perrexit: cum quo Antonium Montaltum, qui urbe numquam exierat, occulta conſilia conjunxiſſe ſuſpicio fuit. Is vir, ceteroqui pius atque integro ingenio, cum juventutis ardore ac potentia familiæ elatus, cum experta dulcedine principatus captus, privatæ vitæ aſſueſcere non poterat: contra quem, ejuſque & Adorniorum partes ſequentes, Buccanigra & Epiſcopus Saonenſis, non plus triginta ipſos comitantibus, in foro mercatorio inſurrexerunt: prælioque commiſſo, mul-

multis ex utriuſque ſequacibus accurrentibus, ac numerum ſuorum pugnantium augentibus, atrox prælium eſſe cœpit: in quo tandem Montaltani victores fuerunt.

At quattuor Nobilium Factionis prepotentes familiæ, quæ, velut voluntario exſulio ſibi ipſis indicto, in opidis & vicis, quibus dominabantur, urbi circumjectis ætatem agebant; occaſione principatus recuperandi ex diſcordiis popularium arrepta; per ſpeciem, laboranti Magiſtratui opem ferendi, ac publicæ quietis perturbatores compeſcendi, arma induunt; principeſque Spinulæ, mille quingentis armatis corrogatis, iter ad urbem intendunt: cumque ad montem uſque, quem Peraltum incolæ vocant, proceſſiſſent, conſiſtunt, adventum Fliſcorum haud contemnendum armatorum numerum ducentium exſpectantes; ut conjunctis viribus adverſarios invaderent: ceterum Factionis Adornianæ homines, quæ tum omnium potentiſſima erat, ac non modo ceteris Factionibus, ſed ipſis quoque Nobilibus formidoloſior; cum metu detrimenti accipiendi commoti, tum veteri Nobilium perpetuorum hoſtium ſuorum odio incitati, prævertendum rati; viribus ac copiis firmati, urbaniſque contentionibus paulliſper intermiſſis, ad Nobiles contendunt; Spinulaſque, cum ad locum, ubi illi ſubſtiterant, perveniſſent, magno impetu invadunt, ac longe viribus ſuperiores ipſo incurſu fundunt, & in fugam conjiciunt. Qua re audita, Fliſci, itinere, quod jam cœperant, retro repetito, in ſua revertuntur.

At Dux, tædio moleſtiarum, neque ſatis virium eſſe cernens in ducatus majeſtate ad mala civitatis ſiſtenda, neque ſe quidquam proficere in tanta rerum omnium colluvione, intelligens, inviſo principatu abiit: quæ res in civitate ſummo rectore orbata, metum & trepidationem auxit; ut omnes, tamquam excidio urbis imminente, conſilii inopes per viss & plateas civitatis diſcurrerent: quæque cariora habebant, in ædes ſacras, ac ſacra cœnobia, tamquam religione locorum tutiora futura, comportarent; reſque fundibus ruituras fuiſſe, multi credidérint; ni Montalti virtus, quæ diu quieverat, rebus ad iniqua inclinatis ſubveniſſet: ad quem ceteratum Factionum capita, ceteris omnibus omiſſis, ſeſe applicarunt; ut communi ac potentiori hoſti, cui ſinguli pares non eſſent, communibus viribus reſiſterent: qui tamen delectam trecentorum manum ab Antoniotto miſſam ab ingreſſu urbis per portam divi Stephani prohibere non potuerunt: quæ res Antoniotto viam expedivit, cum copiarum robore per portam Carbonariam in urbem hora nona penetrandi: quinque millibus peditum ſtipendia facientium, nonnullisque equitibus ac duobus popularium millibus Adornianas partes ſequentibus: qui in urbeoi ingreſſus quievit, non ſatis ſapienti conſilio; cum recta prætorium petere debuiſſet, nec ſpatium inimicis primo illo pavore obſtupefactis animos colligendi dare: quæ res conſilia ſecundo curſu procedentia evertit. Antonius enim Montaltus non deſerens ſe, atque in extrema neceſſitate nullum præceps aut temerarium conſilium ratus; magna civium manu (extremo periculo illis quoque ultima audere ſuadente) ipſum comitante, in platea divæ Agnetis in Adornianos impetum facit. Qua ſubita re perterritus Antoniottus, numerum invadentium majorem ratus, certamine ſtatim omiſſo, ipſius copiis fuſis ac profligatis, trepida fuga urbe excedit; ipſomet Montalto, & ceteris mirantibus, ac veluti miraculo obſtupefactis. Noonulli ex Adornianis cæſi ſunt: plures tam equites, quam pedites capti.

Montaltus, tanta re geſta, ea nocte privatis ſe ædibus continuit: poſtero die habitu & forma privati, equo inſcenſo, prætorium petit: ibique à ſummo, ac ceteris inferioribus civitatis Magiſtratibus, procurationeſque publicas habentibus, ſummo omnium conſenſu, magnaque cum omnium lætitia, quibuſcunque Adorniana Factio odio erat, perpetuus Dux, cum conſilio ipſe non intereſſet, iterum creatur; accerſituſque à conſilio, in leges ducatui præſcriptas jurat. Egregium ac memorabile Montalti & fratrum facinus ita civitati gratum fuit; ut illud peramplis præmiis remuneratà ſit? anniverſarioque ſacro ad ædem maximam, atque aurei aulæi dono celebrandum duxerit; inſtituto ad eum diem, & haudquaquam laudabili exemplo, memoriam victoriæ de civibus, quam ſilentio obliterari decuit, eodem honore, quo de externo hoſte partæ ad poſteritatem teſtaram facientes.

Secundi hujus ducatus tempora non minus, quam ſuperiora, infeſta & turbulenta fuerunt, nec minoribus motibus agitata; neque minoribus ipſe Montaltus conſpirationibus adverſarum Factionum petitus: quas inimicitias inter ipſa Factionum capita, non tam ullæ magnopere injuriæ, aut aeres ullæ intercedentes odiorum cauſſæ, quam regnandi cupido excitabat: quæ ipſos Factionum principes modo inter ſe conjungebat, modo disjungebat: ut tum uſu venit in altero hoc Montalti principatu: contra quem occulta conſilia conjunxerunt iidem ipſi partium Autiſtites, quos paullo ante metus Adornii illi adjunxerat. Ab illis igitur incitatus Nicolaus Rex ex popularium corpore civis, armà contra Montalium ſumpſit; occaſione arrepta areis Mulaſanæ urbi propinquæ à nonnullis ejus regionis incolis occupatæ: ad quos Rex ſe ſtatim contulit, Ducemque illorum conſiliis addidit: neque ea re contentus Rex, nonnullis poſt diebus cum quadraginta tantum comitibus urbem ingreſſus, *Io populo, eo qui bonum civitatis ſtatum cupiunt*, conclamat: cum quo ſe Baptiſta Buccanigra, arreptis armis, illico conjunxit: qui à Montalto haud magno conatu repreſſi, urbe excedere coacti ſunt.

Neque ſolos hic motus fuit: per idem enim tempus ad Vicum Quinctum tumultuatum eſt: in quo nonnulli Adornianæ Factionis homines, qui areem occuparant, abiis, qui partes Fliſcorum ſequebantur, capti & ad unum trucidati ſunt: & in cœnobium ſancti Andreæ ingens ex tribus proximarum vallium præfecturis hominum multitudo, quicunque Adornianarum partium erant, Antoniotto illos occulte inſtigante, convenerunt, Antoniottum Ducem tumultuoſe & minaciter poſtulantes: contra quos, priuſquam majus robur tumultus ſumerent, Paulus Montaltus Ducis frater, & Antonius Guarcus Ducis affinis, cum florente uterque armatorum manu, alter terra, alter mari, profecti, vix intto certamine, tumultuantes ſundunt & in fugam conjiciunt; gravi vulnere in crure à Paulo accepto. Vix hic tumultus diſcuſſus erat; cum, Ducis adverſarius non quieſcentibus, alius increpuit, ab iiſdem circumjectarum vallium incolis excitatus: adverſus quos delecta præſidiariorum manus à Duce miſſa, illos primo impetu è monte ſancti Bernardi ab illis occupato dejecit, & in fugam vertit.

Interea Buccanigra, haud contemnendo amicorum numero contracto, in vallem Biſanniam venit: cui cum multi ſe adjungerent, antequam majores vires colligeret, à Ducis ſtipendiariis contra illum miſſis fuſus ac captus, Prætori, qui per judicium in illum animadvertat, traditur: qui ingenio ſevero & aſpero, ac juriſdictionem legibus ſoluiam exercens, hominem capitis illico damnatum in arcam ante prætorium producit: quem ad ſupplicium ductum Dux è feneſtra conſpicatus, miſeri ac veniam ſupplicibus flentibus implorantis miſericordia commotus, ad hoc precibus Antonii Guarci utriuſque affinitate conjuncti exoratus, hominem dimuti jubet: quam rem ægre ferens Prætor, ſubito

eo

eoadvolat: immitiſque animus in incepto perſiſtens, ſpiculatorem urget; ut quæ ſui muneris ſunt, exſequi pergat: ſumptumque omnino, etiam Duce invito, ſupplicium ſuiſſet; ni Raphael Ducis frater propere accorrens, hominem è manibus Prætoris eripuiſſet: quo egregio clementiæ edito documento, Mootaltus, cum univerſæ civitatis ac bonorum omnium voluntates ſibi conciliaſſet, non tamen indomitam Factionum principum ambitionem ad principatum impotenter tendentium mitigavit: quorum conſpirationi, conjunctiſque in ſuum perniciem ſtudiis ſe ſolum imparem cernens, principatu abire decrevit: ſub finem igitur menſis Maji triremi conſcenſa, urbeque & principatu relicto, Monœcum ſe contulit, ſpe ea arce potiundi; cui Thomas Montaltus ejus patruelis ab ipſomet Antonio præfectus erat. Spe, qua vcoerat, ſruſtratus Antonius, Tboma arcem non tradente, itinere retro repetito, Saonam venit; indeque ſe Gavium opidum confert: in quo faciliorem ejus arcis præfectum expertus eſt, arce ſibi ab illo tradita: quam, invito Duce ſucceſſore, diu tenuit.

Is erat tum Genuæ rerum ſtatus, ut, cum quattuor præpotentes corporis popularis familiæ Adornia, Fulgoſia, Guarca, Montalta, omnia ad ſe attraxiſſent, omnemque civitatem ac totam Liguriam Factionibus ſuis comprehendiſſent, quæ eodem cum gente nomine vocabantur; potentioribus quattuor Nobilium familiis à principatu plane excluſis; ipſæque de principatu non verborum modo contentionibus, ſed armis quoque ſæpe dimicarent, omniaque ſeditionibus, tumultibus, cladibus miſcerent; reliqui popularis corporis cives, quamquam neque vetuſtate generis, nec domeſtici cultus ſplendore, ſi principatum quattuor illis detrahas, inferiores, cumque illis ſecundæ ſortis Nobiles medii ſtarent: quod ſi aliquando diſcordiarum civilium tædium ac mala civitatis eo rem adduxiſſent, ut quattuor iis familiis principatu eſſet carendum; ad unum ex hoc corpore mediorum civium deveniretur: uſque appellabatur medius Reipublicæ ſtatus: ut tum accidit, priocipatu ad Nicolaum Zoalium, virum prudentiæ & integritatis fama commendatum, delato. Qua re cognita, Antoniottus, totus in ſuas artes verſus, animum pacatum ac cupiditatem æquo jure cum ceteris civibus vivendi ſimulans, pacem à novo Duce petiit, impetravitque: quæ res magnum odium ceterorum Factionum principum Duci conflavit: qui contra illum conſpirarunt: ceterum conſilia nondum ſatis matura, diligentia Ducis oppreſſa ſunt; AntonioGuarco cum triginta civibus cum illo conſentientibus captis, & in cuſtodiam traditis: ceterum, cum ea res magnos animorum motus, magnoſque fremitus vulgo faceret; Dux offenſiones metuens, conſilio viginti primariorum civium vocato, Guarcum ac ceteros dimittit: quo facto non gliſcentem ſeditionem compreſſit, ſed illi Duces addidit.

Igitur Guarci, indignatione acceptæ contumeliæ ardentes, ſimulque cum illis Fulgoſii conjuncti, ab occultis conſiliis ad apertam vim verſi, prætorium adorinntur. At Zoalius ab omni ejuſmodi contentione abhorrens, tum ſeſe ac principatum ſuum capitibus Factionum, ac Fliſco Cardinali inviſum ſentiens, quæ quinta Factio ſurgere incipiebat, ducatu ſe abdicans, duobus menſibus poſt, quam illum accepit, in privatas ædes conceſſit: Reſpublicaque ad principes Factionum rediit: duarumque ex illis Antoniotto Adorno & Antonio Montalto capitibus abſentibus, res ad duas reliquas Factiones delata eſt: quarum principes Antonius Guarcus & Petrus Fulgoſius, cum alter alteri cedere nollet, rem fortunæ & ſortium arbitrio decernendam permittunt. Sors Guarco obvenit: cui quamquam neque ex legum forma, neque ex more Majorum creato, poſtero tamen die mandatus honor à conſilio ſexaginta popularium civium, dimidia parte Gibellinorum, & dimidia Guelphorum, comprobatus eſt. Inuſitata electio cum multis non ſatisfaceret; magna hominum multitudo, in quibus fuit Zoalius, conſilio illam infringendi, in aream ante arcem Caſtellettum conveniunt: quo ſeſe ſtatim circumjectarum præfecturatum incolæ ad duo millia numero contulerunt: qua virium acceſſione firmati motuum auctores, in plana urbis atque in campum Foſſatelli deſcendunt: verum à valida Guarcanorum impreſſione retro averſi, ſe iterum in ſuperiora recipere coguntur. Cum igitur neutra pars concidiſſet, faces ſeditioni commotæ ſubditæ ſunt: momento enim temporis urbs armatorum gregibus referta eſt: quos partim Lucas Fliſcus, ex ditione ſua movens; partim Antonius Montaltus, è opido Gavio, quod tenebat, profectus, in urbem introduxerunt: hic principatum repetens, ille potentiæ ſuæ augendæ cauſſa, ſi res, quo ipſe incubuiſſet, inclinaſſet. Quarum copiarum adventu declaratum eſt, Fulgoſios & Guareos ſpecie magis quam voluntate conjunctos: neque enim Fulgoſius ſatis impigre, &c., ut res Guarci in tantas anguſtias adductæ poſtulabant, ſe movit.

In tantis turbis, tantaque rerum colluvione, quod unum ad res aggravandas deerat, additum eſt: ecce enim Antoniottus triremi in portum Genuenſem improviſo invectus eſt: qui cum, ſubita exorta adverſa tempeſtate, exſecodere non potuiſſet; ſpatium datum eſt adverſariis ſeſe illi opponendi: in quibus acerrimus fuit Montaltus: qui hoc pro cetera audacia & animi magnitudine fecit: ceterisenim certaminibus in præſentia omiſſis, omnes vires ſuas in Antoniottum convertit, & plus ceteris ſibi inviſum, & magis formidoloſæ potentiæ hoſtem: primus itaque in triremem à tempeſtate laceratam impigre inſiliens Antoniottum, armamentis confractis, atque incommode ſparſis velut compedibus impeditum, ad neceſſitatem ſe ipſi dedendi adegit: quem captum in altera è turribus, quibus porta Campi communitur, incluſum valida cuſtodia cingit; Guarco Duce ægre rem ferente: ceterum in præſentia tantis undique moleſtiis implicito diſſimulare coacto. Auxit acerbitatem, quod ſuſpicio illi, neque ea tota ex vano, ut poſtea res docuit, injecta eſt; Montaltum cum Adornio in gratiam accepto in perniciem ſuam occultis conſiliis conſenſiſſe. Adornius quidem à Montalto paullo poſt dimiſſus eſt, valido præſidio in illius tutelam addito; à quo Vulturem opidum uſque deductus eſt.

Igitur Guarcus novis copiis firmatus, ut ſeſe tot circumſiſtentibus terroribus liberaret; primos omnium eos, qui ad Caſtellettum conſtiterant, auctoreſque rerum movendarum fuerant, cumtribus armatorum millibus petit: quibus illi auxilio à Montalto clam ſubmiſſis fulti, non modo acriter reſiſtunt, ſed omnibus viribus conniſi illos tandem avertunt, profligatoſque in fugam conjiciunt: cum vix è victorum manibus ipſe Dux evaſiſſet, ac cum paucis in prætorium ſe ſubduxiſſet. Ducis clade Antoniottus animis ſublatis, vocatu amicorum & partium ſuarum ſtudioſorum, poſtero die in urbem venit, magna cum lætitia à ſuis in arce Caſtelletto acceptus. At Guarcus tantas undique in ſe unum intentas vires cernens, neque ſe tantæ incumbeoti moli ſerendæ eſſe intelligens; triremi clam conſcenſa, urbe excedens, Saonam ſe contulit: quo profecto, qui Caſtellettum tenebant, Gibellinarum partium homines, in plana deſcendunt; magniſque clamoribus Aquilæ nomen ſubjicientes, tota urbe diſcurrunt: quorum metu Guelphi domi ſe continebant, malis & cladibus intacti: cum Gibellini furentes omnem iræ impetum

tum in ædes Archiepiſcopi, edito loco ſupra cœnobium ſacræ ædis Caſtelli ſitas, effudiſſent: quas pravo & deteſtabili exemplo incenderunt, per cauſſam, quod receptaculum Guelphorum eſſent; inſiſque certus & conventicula fierent ad Jacobum Fliſcum tum Archiepiſcopum; conſiliaque & machinamenta adverſus Gibellinos concoquerentur: quæ res aliis incendiis cauſſam præbuit. Guelphi enim, qui in valle Biſamnia magno numero, Lucæ Fliſco Duce, conſtiterant, ira accenſi, ut par inimicis referrent, magnifice exſtructam domum, ac peramœnos hortos Antonii Juſtiniani incenderunt: quod incendium Gibellini, nonnullis Fliſcorum & aliorum primariorum civium Guelphæ Factionis domibus in urbe concrematis, ulti ſunt; partium furore ea fœdæ crudelitatis exempla inter ejuſdem patriæ cives edente, à quibus barbari, infenſiſſimique hoſtes, urbibus hoſtilibus captis, abſtinere ſolent.

Interea Adornius, indomita principatus cupiditate illum rapiente, nonnullorum ſuorum animis occulte præparatis, ut æmuli ſtudia, quæ res una conſiliis obſtabat, conſopiret, vir dictis, factiſque omnibus ad fallendum inſtructus, artificio Montaltum aggreſſus fuerat: perſuaſeratque, ut, quoniam hæc de principatu contentio unanimem ipſorum amicitiam ſola diſtrahere poſſet, ab illo pretendo ambo in præſentia abſtinerent; ſeque alii tempori reſervarent: patereturque, hoc laxamento dato, civitatem ſeſſam cladibus reſpirare: probo alicui & quieto medii ſtatus civi principatu mandari poſſe: acquieveratque conſilio Montaltus, Adornium ſincera fide agere credens. Quare, in ſignum magnæ animorum inter ſe effuſionis, mutuo complexi, in ſacram ædem Franciſcanam, proximam ac ſubjectam arci, deſcendunt: quo ſtatim ingens primariorum civium, tam Guelpharum quam Gibellinarum partium, numerus, ipſorum vocatu, convenit; rem novam, ac tantam, & tam ſubitam publicam animorum conjunctionem mirantes; animiſque ſuſpenſi & inerti, quo duorum diverſarum partium capitum inexpiabilibus odiis & internecinis contentionibus de principatu dimicare ſolitorum conſilia evaderent. Ibi Adornius omniarteficio ad fallacias compoſitus, ſummam animi demiſſionem ac pœnitentiam factorum ſimulans, pene lacrymabundus veniam præteritorum ſupplex petit; culpamque ſuam & ceterarum Factionum principum aperte fatetur, gravibuſque verbis accuſat; quorum indomita ambitio atque immodica regnandi cupido civitatem tot tumultibus, ſeditionibus, bellis denique civilibus involverit; totque detrimentis & cladibus lacerarit, atque ejus vires confeccerit: ceterum reſipiſcendi lumen ſibi & Montalto huic præſenti divinitus prælatum dicit; decreviſſeque proinde ambos finem immodicarum cupiditatum facere: ad quod exemplum ceteros, depoſitis contentionum ac partium ſtudiis, imitandum hortatur; ex quibus contentionibus nullus alius umquam fructus, quam publicarum & privatarum cladium perceptus ſit: quare, ut, omiſſis diſſidiis, ad publicas res proſtratas erigendas, cogitationes convertant, orat & poſtulat: cujus rei caput fore; ſi alicui medii ſtatus civi probo, & moderato viro, ac conſilio pollenti, tum autem quietis ac boni publici amanti, ſummum imperium mandent. Orationem Adornii non minore egregii erga commune bonum animi ſignificatione prolixe ſubſecutus eſt Montaltus: cunctis ſtupore defixis, unde tanta ac tam ſubita ingenii mutatio in Antoniotto facta eſſet.

Læti igitur primores ad nonaginta numero in ſacrarium ad Ducem creandum ſecedunt: quod illis vix ingreſſis, ecce ingens ſtrepitus multitudinis, quæ foris ſtabat, exauditur (inſtigantibus iis, quos Adornius ante præpararat, vocemque præcuntibus) ſeditioſis, minacibuſque clamoribus Antoniottum Ducem depoſcentis: in quo uno viro ſit animus tanto faſtigio par; quique opibus & potentia ſua quietem publicam turbantes poſſit compeſcere. Enimvero Adornius, tacito gaudio exſultans, vafra conſilia ſibi ſucceſſiſſe, haud retractanter delatum principatum accipit: ejuſdem ſimulatoris perſonam retinens, ſeſeque tanto plebis conſenſu victum dictans; cui concitatæ reſiſtere periculoſum ſit: ſponteneque, cum tumultus deſederint, Republica conſtituta, civitatiſque ſtatu in tranquillum redacto, ſeſe eo principatu lætum abiturum, quem nunc invitus, ac temporibus coactus, accipiat. Qui in ſacrarium conceſſerant, metu concitatæ multitudinis, ſuum ac patriæ conditionem ingemiſcentes, duobus & ſeptuaginta ſuffragiis electionem comprobant: Adornius que quartum Dux, magnis multitudinis plauſibus, ingentique tenuiorum numero circumfuſus, in prætorium deducitur: bonis patriæ fatum lugentibus; quæ diuturnis cladibus concuſſa, publiceque & privatim exhauſta & enecta, mercatoria negotiatione intermiſſa, ingenti vi æris alieni demerſa, ſpe ſeſe à præteritis ærumnis recreandi, ex fallacibus Adornii verbis ſubito dejecta ſit.

Montaltus quidem in Antoniottum, à quo ita ludificatus ſit, exarſit: hoſtilem igitur in illum animum gerens, urbe protinus excedit; ſeque Gavium, quod opidum tenebat, confert; dies noctesque animo agitans, quemadmodum tantam perfidiam ulciſceretur: quam univerſam invidiam Antoniottus ſimulatione moderationis mitigare non potuit; neque animos Factionis Nobilium lenire, illis in partem gerendæ Reipublicæ, atque in numerum antianorum & conſiliariorum ſuorum aſſumptis: quin illi de ipſius pernicie cum popularium primoribus ac medii ſtatus civium vota & conſilia jungerent: quibus malis, tamquam parva hæc eſſent ad lacerandam & conficiendam Rempublicam, acceſſerunt potentiorum nobilium familiarum iniqua conſilia: quæ, omni caritate erga eam Rempublicam, quæ in aliorum manu eſſet, depoſita, ejus membra diſcerpere; eaque partim exteris Principibus tradere, (potius id dictitantes, quam ea ab inimicis civibus teneri) partim ipſi occupare aggreſſi ſunt. Auriarum igitur vocatu, quidam ex Gallis Proceribus Contiaci Dominus à Rege miſſus, in Liguriam venit, conſilio eum Occidentalem Regi Gallo ſubjungendi: qui Diano opido primo adventu occupato, majorem molem, quam præceperat animo, totam oram cernens, ac majorum virium, quam quas adduxerat, rem eſſe; tædio ac difficultatibus fractus, occupato opido dimiſſo, itinere retro repetito, in ſua reverſus eſt.

Inſequentique anno Joannes & Ludovicus Grimaldi fratres opidum Monœcum per proditionem traditum occupant; quod perpetuo magno cum civitatis publice & privatim malo retinuerunt: quod opidum, ſimulque portus Delphini, & portus Veneris, pariter occupata, Guelphorum receptacula illis temporibus fuerunt: qui Adornium regnantem ferre non poterant: contra quem Antonius Guarcus, armis ſumptis, in vallem Poreiferæ bis eo anno venit: primo, conatu irrito, ſecundo, cum operæ pretio; munimento ad pagum ſancti Ulciſii à Duce excitato, proditoris traditione, occupato; Raphaele & Adornino (illo fratre, hoc Ducis filio) contra illum miſſis invitis. Guarcuſque animis auctus, duobus millibus peditum ac quingentis cataphractis equitibus, favore Principis Mediolanenſis ſtipendia magna ex parte ſuggerentis, coactis, ditionem Genuenſem tertium repetiit, ſine ullo fructu: cum ad mœnia uſque urbis proceſſiſſet, ſubitoque diſceſſiſſet.

Æſtateque circumacta iidem, Guarcus & Montaltus, ſocietate armorum conjuncta, ambo ex

Inſubria moventes, fines Genuenſes cum magno
artmatorum numero (eodem Joanne Galeacio Genuæ imperio imminente copias & pecunias ſuppeditante) quartum ingreſſi, Stalianum uſque irrito incepto pergunt. Interea Dux, tribus peditum millibus ac mille equitibus, quos aſſidue alebat, ſe adverſus inimicorum impetus ſepſerat; ac circumjecta urbi loca validis præſidiis firmarat; neque eo cura ditionis omiſſa, omnia loca irruptionibus hoſtium expoſita, mille peditum præſidio in illa diſtributo, communierat; circiterque octingentos cives, quorum fides illi ſuſpecta erat, urbe exegerat: qui etiam Dox ſub finem hujus anni Reccum opidum ab adverſariis occupatum, terreſtribus & maritimis copiis eo miſſis, recuperavit. At Joannes & Ludovicus Grimaldi, Ducc tot domeſticis occupationibus illiique propioribus implicito, occaſionem urgentes, inchoataque conſilia perſequentes, haud diſparem priori io re Monœci eveotum ſperantes, urbem Albintemelium infeſtis ſigois petunt: ceterum votis exitus contrarius fuit: cum præfecti egregia fides in Rempublicam conſtitiſſet; incommoduſque caſus pontis, per quem tranſeundum erat, perfracti, inciditſet, qui ruina ſua ſuperſtantes ſecum traxit, quorum maxima pars periit; quique ſuperfueruot, membris laceratis, manci, eorporeque inhabiles facti ſunt; ipſique fratres Grimaldi capti, in arce Petræ, quod opidum à Duce tenebatur, carcere ineluſi ſunt.

A. C. 1596. Sequitur annus ejus ſæculi nonageſimus ſextus, in quo magna rerum mutatio facta eſt: cum Antoniottiadverſarii ſæpe ab illo-repulſi, nihil adverſis eventibus infracti, à ſuſcepto conſilio hominem principatu dejiciendi, deſiſtere non poſſent, Joanne Galeacio aſſidue illos incitante, ac copiis & pecuniis juvante: quorum Montaltus, auxilis impetratis, Mediolano Gavium redierat, omnique ope in eo comparando intentus erat; at Guarcus in Spinularum ditione copias cogebat. Quibus motibus cognitis, Antoniottus, "cum ſibi rem eſſe non tam cum inimicis civibus, quos contemnere facile poterat, majoribus ipſe opibus fultus, quam cum præpotenti ae vicino hoſte Joanne Galeacio, cui ipſe par nullo modo eſſet; quique per has favendi exſulibus ambages viam ſibi ad imperium Genuæ muniret; animum ad illud conſilium adjecit: ut, quoniam ipſe adverſus tantas in ſe unum intentas vires Genuam retinere non poſſet; abilla ſaltem hominem arceret, quem, ob veterem amicitiam ſuam, nulla in re à ſe violatam, ſpretam, ac novam cum hoſtibus ſuis conjunctionem, capitaliter oderat, provideretque, ne Genua in ejus manus veniret, à quo ipſe expellebatur: magno igitur animi certamine adverſus illum ſumpto, civitatem Regi Gallorum dedere decrevit: quam rem, civibus tot malis feſſis, haud difficilem perſuaſu fore ratus, ipſos ex ſuburbanis æſtivis ſeceſſibus in urbem cogit; animiſque Gibellinorum primum, deinde Guelphorum, ac tam Nobilium Factionis, quam popularis nominis civium, in iſque Lucæ Fliſci Cardinalis, cujus magna erat inter Guelphos ſuos auctoritas, exploratis; cum illos à re non magnopere abhorrere ſentiret: oniverſos convocatos ita allocutus dicitur: *Hodiernus dies finem afferet, Patri, de mea fide dubitandi: hodie, inquam, obtrectatorum oratio, quæ plurima fuit, retunderur: apparebitque utrum ego infinita cupiditate regnandi quartum hunc principatum patrio appetierim, ac per fraudem, ut mihi iniqui homines diſſitant, mihi peperierim; an ad illum invitus attractus; dum comitata multitudinis ſtudiis ſeditioſe clamere me Ducem depoſcentis obſequor, materiamque tumultibus ſubtrahe; otio civitatis & ſaluti publica conſuluerim. En, civitate pacata, rebuſque in tranquillum redactis, turbarumque cauſſis ſublatis; ipſe ultro, nemine cogente, me principatu mox, vobis inſpectantibus, abdicare conſtitui; eaque de cauſſa vos convocavi: quamquam ecce alia mei lacerandi materia. Non dubito, quin hoc factum meum pro eo, ut eripiat, daturum immo ſit malevolis ſermonem: qui videlicet calumniabuntur, me non voluntate, neque bonis publici cauſſa ducatu abire; ſed neceſſitate ſubactum, ac timiditate additum, hoc ſubitum conſilium cepiſſe, cum longe mihi alia mens eſſet; quod Mediolanenſis in me untenum unquam ſuſtinere nec poſſe ſperarem. Timiditatis ſuſpicione ſi me anteacta vita curſus, reſque a me geſte non ſatis liberant; eam oratione a me removere non poſſule. Neceſſitas vero qua eſſe poteſt, tanus opibus, tanus clientelis, ad hoc tot & tam florentibus copiis munite? cumprafertum ne mihi quidem defint externa amicitie, quarum vires Mediolanenſi in meam pernicicm incumbentiopponam: cur igitur cedis? dicat aliquis. idem quietis publica & communis boni ſtudium, quod me invitum ad principatum a cupientiſſimo populo ultro delatum non recuſandum adegit, ut illo non invitus abeam, hoc tempore hortatur: nam, etſi maxime ad ſummum hoc honoris faſtigium tuendum ſatis animus & vires ſupperunt; tamen cum ed effici aliter non poſit, quam patrium longo forſaſſe, pernicioſo certo bello involvendo; non ita imperium amplexari debeo, ut civitatem & ſalutem publicam in diſcrimen adducam. Siquidem honores & imperia bonus & malus oque ſibi optant: ceterum hoc inter illos intereſt; quod bonus patria, malas ſua cauſſa ad illa tentendit. Non obſtabit igitur poſthac eto publico ac civitatis felicitati Antoniotti Adorni perſona. Atque utinam is eſſet civitatis noſtra ſtatus, Patres, eoque fortuna noſtra, ut alicui veſtrum, Patres, ſummo hoc honoris loco cedere poſſem: multos enim inter voſce ſe video; qui etſi non meliore mente, quam ego, uiuntur, neque me caritate patria vincunt; prudentia certe & conſilio antecellunt: majoreque ſunt animi robore ad tantum onus ſuſtinendum: ceterum non dicitio periculo & tempeſtate imminentes a Republica depelleremus: neque enim Mediolanenſis odio mei, a quo nulla in relaſu eſt, me privatum petit, aut ſatis habet hoc loco depoſuiſſe; ſed cupiditatem ambitione inflammatam in res ac libertatem noſtram intendit: cujus diſſidia noſtra ac meum ſibi reſiſtendi conſilium, iter patefactarum ſperat. Quod ad me attinet, materiam ego illi cedendo præripiam: alteram viam diſcordiarum illi obſepiendi partes veſtra eſſent, Patres. ad quam rem ego vos hortarer, ſi ſocati vitia hunc ſpes locum ullum darent; aut ſi ad hoc malum cohibendum quidquam eſſet in bono Duce opis. Nunc, quoniam eo loci res noſtra ſunt; ut Duces, neſcipiant quidem, boni eſſe non poſſint, tot contentionibus agitate, atque illinc adverſarum Factionum oppugnationibus petiti, hinc ſuarum partium hominum aſſiduis ſtimulis ad dominatum ſibi, Factionique ſuæ, omiſſa cura publici boni, ſtabiliendum incitati; ad illud conſilium deſcendamus, quod unum remedium Majores noſtri diſcordiis, quas ambitio civiums ad ſummum magiſtratum tendentium excitabat, præcidendis, ac malis publicis ſiſtendis invenerunt; idque non modo poſterioribus corruptiſſimis temporibus, tum, cum prepotentes Principes perpetuos dominos adſciſcebant; ſed optimis illis priſcis, cum peregrinos annuos Pratores vocare cœperunt; quod exemplum illi nobis prodiderunt, quamque viam illi, ſive bono, ſive pravo conſilio, tum ſponte inierunt, eandem nos hoc tempore neceſſitate coacti inſiſtamus, ſi vobis ita videtur, Patres: (hoc enim in re nihil privatas rationes meas attingente, ſed ad Rempublicam tantummodo pertinente, ſtaturus eo ſum, quod vos cenſuerittis) rectoremque aliquem ac moderatorem ſtudiorum noſtrorum nobis conſtituamus. cujus ſumma auctoritas ac potentia, mala, quibus in dies magis magiſque conficimur, compeſcat: nullum autem in præſentia occurrit opportunius malis noſtris remedium, quam Gallorum principatus: quem tribus de cauſſis Mediolanenſi anteferendum duce: primum, ut iniquum & injurium hominem ulciſcamur, imperio civitatis noſtra hianti cupiditate imminentem, ac modo per occultas dolos, diſſidioque noſtra artificio alendo, peſtem nobis machinantem; modo nobis aperta arma comminantem. Hunc-

ne

ne nos homini, Patres, hanc latitiam dabimus, jugi tandem nobis impositi nullam gratiam nobis habituro, quod nos illius imperio sponte subjunxerimus: quod idcirco tamquam de insitis vel circumventis partum in nos imponter exerceat? Talia timenda non sunt a maximo Rege, ac beneficio tanti doni ad nos caritate complectendos provocato: deinde quod Mediolanenſes Principes experti sumus; deprehendimusque nihil aliud illos vobis quam servitutem struere. Age, illis opponamus cum Regem, qui nos ab eorum sanctionibus eripiat; cumprasertim ex timore nobis à Gallis non impendeat: qui late patenti, atque omnium, quæ sub cœlo sunt, opulentiſſima ditione nitentes; ad hoc longe a nobis diſiti, Genuam non ſibi ad regnum amplificandum, aut ad ſuas opes augendas, ſineſque latius proferendos, ſed ad maritimarum expeditionum opportunitatem datam putabunt: poſtremo minus dedecoroſum eſt, tanti faſtigii Regi, quam parvo prælio Mediolanenſi Principi parere. Pero-rare poteram: ceterum quemadmodum, quocumque loco facultas mihi data eſt, patria prodeſſe re ſemper ſtudui, ita congruenter me inſtituto meo facere exiſtimabo, ſi nunc verbis, quo uno reliquo poſſum, illam juvero. Quoniam igitur in ſolitudinem concedere in animo habeo; ubi procul à negotiis, atque ab omnibus curis, & contentionibus civilibus, quarum rerum ſatis tam ma-jam-dudum tenet, in otio, quod reliquum eſt ætatis, agere decrevi; hoc poſtremum mei in patriam amoris ad vos monitum volo pervenire: crebræ reſtorum & principum mutationes raro vel numquam bono, ſæpe malo civitatibus fuiſſe: neque enim hoc ſine ingenii motu expediri poteſt; quo res labefactari neceſſe eſt: conſilium igitur, vos in fidem & tutelam Gallorum tradendi, à vobis, me auctore & hortante, ſapienter captum conſtanter vobis tuendum cenſeo, Patres: una eſt autem ejus tuendi via, ſi cogitaveritis eam eſſe civitatis noſtræ præſentem fortunam, ut optima optare quidem poſſimus; ſperare tamen nequam: minima igitur malorum pro optimis accipienda eſſe. Neceſſe eſt in exteros dominos multa ſubinde exoriri, qua nonnihil offendant; at ea offenſiones leviores vobis videbuntur, equoque animo ferentur, ſi cogitaveritis, majorum vulnerum, majorumque cladium amotionem levi hac offenſionum mercede vobis ſtare. Hoc ſi animis veſtris bene fixum & ſtatutum eris, ſapienter vobis, libertate veſtra, ac quieti & ſaluti publicæ conſuluerit.

Cognita civium voluntate; duo primarii cives ex civitatis decreto ad Regem mittuntur, Damianus Catanius Juriſconſultus, & Petrus Perſius: qui illius animum explorent, conditioneſque deditionis exponant. Præbuit illorum in regiam adventus magna inter primarios Proceres, coſque, qui in conſilio Regi erant, certamina; aliis tam amplum ac ſplendidum donum, tum autem regno Galliæ multipliciter opportunum percupide accipientibus; quod ultro ac ſine ullo certamine delatum, vel tædio laborum & impenſarum in illo retinendo, vel metu aliorum Principum illius urbis imperio haud obſcura cupiditate imminentium, rejicere alienum eſſe, & à florentiſſimi regni Gallici dignitate & à regii animi magnitudine dicerent: magnamque degenere conſilium ignaviæ inſamiam, magnumque dedecus Gallico nomini inuſturum: aliis utilia & ſolida ſpeciosis & inanibus præferenda contendentibus; ac Liguri inſtabiles animos, aliumque ex alio Reipublicæ ſtatum ſpectantes, præſenti numquam contentos, opponentibus; qui haud dubium ſit, quin præſentibus malis, quæ eos ad hanc neceſſitatem adegerint, liberati, ad ingenium ſint reditura; cupiditque libertatem, cujus dulcedo ex memoria hominum in illa vivere ſolitorum numquam delatur, ſint recuperaturi, quam libentius illa ſe exuerint: proinde Regem à negotio moleſtiarum & impendiorum pleno, tum autem numquam ſtabilis poſſeſſionis, magnopere revocantibus: ceterum Rex prioribus conſenſus eſt, aptiora ipſius animi magnitudini ſuadentibus; conditioneſque à Genuenſibus propoſitas accepit. Cognita Regis voluntate, mandatarii regii ad rem conficiendam accerſiti ſunt. Ii fuerunt Franciſcus Caſenatici Dominus, & Arnulphus unus ex regiis Quæſtoribus: qui cum Genuam veniſſent, deditio Regis nomine in has conditiones illis facta eſt: *Genuenſes Regem Francorum verum Dominum accipiunto, ejuſque majeſtatem pie colunto; juribus Imperii, ſi qua ſunt, ſalvis: vexilla regia & Caſarianaſimul cum Genuenſibus erigunto: Rex Vicarium Gallicæ nationis Genuam mittito; qui res una cum conſilio civium illi à civitate adjunllo ad præſcriptam formam legum regat; quam egredi ne liceto: gubernator in conſilio ipſi addito jus antiummodo duorum ſuffragiorum habeto; quorum momenta æqualia ſint cum ceteris; ne Duces habere ſolebant: dimidium conſilium æqualiter eſto, Guelphorum, & Gibellinorum, ac Nobilium Factionis, & popularis nominis civium: princeps tamen conſilii Gibellinus eſto: Vicario abſente, de omnibus maximis & minimis rebus conſilio ſtatuere liceto, perinde ac ſi ille adeſſet: nulla Regi nova vectigalia aut tributa imponere, neque vetera attingere liceto, quæ civitatis ſunto: Genuenſes eoſdem, quos Rex, amicos & hoſtes habento: eostamen ad hujus vel illius maximi Pontificis partes ſequendas cogere Regi jus ne eſto: Genuenſi ditionis regimen penes conſilium civitatis eſto; neque in illius urbes atque ecpedida Prætores ac rectores mittere Regi liceto: decem tamen arcet, qua nominata ſunt, Regi tradunto: que præſidiis & præfectis ab illo miſſis teneantur: Rex quatuor proximis menſibus omnia loca, omneſque arces ditionis Genuenſis civitati adempta recuperare obſtrictus eſto; omniaque ſumma facere, ut illa in Genuenſium ditionem redeant: item Genuenſium atque omnium locarum ditioni ſubjunctorum adverſus quoſcumque oppugnantes propugnationem ſuſcipere obſtrictus eſto: Regi Genuenſium dominatum, ſive que ſua in alium transferre ne liceto.* Quibus conditionibus ſcriptis, ac celebri juramento ſanctis; conſilio univerſæ civitatis in aulam maximam convocato, Antoniottus principatu ſe abdicavit: ſceptro & clavibus urbis, ceteriſque imperii inſignibus procuratoribus regiis, ad tranſlationem dominatus ſignificandam, tradidit: quem illi regium Vicarium interim, dum Vicarius Gallus Genuam veniſſet, pronunciarunt; iiſdem inſignibus Regis nomine geſtandis, traditis.

Hic dies finem quidem attulit vaſtis Antoniotti cogitationibus; quæ ipſum, & adverſarios, ac patriam miriſice ac diu exercuerunt: laboribus & malis civitatis nequaquam: cujus quietem Montalti & Guarci turbare non deſiſtebant; cum ſua ambitione impulſi, tum Joannis Galeacii aſſiduis ſtimulis incitati; dolore ardentis tantæ conceptæ ſpei ad irritum cadentis; Galloſque conſiliorum ab ipſo tot laboribus, ac pecuniarum & hominum impenſis fatorum fructum percipiſſe: ambo igitur initio A. C. ſequentis anni cum nonnullis pedeſtribus & equeſtribus copiis in vallem Porciferæ deſcendunt; ſperantes, ſe eas ad primum ipſorum adventum ab hominibus trium præfecturarum, ad ipſos confluentibus, auctoros: præferentes, ſeſe non ad vexandam civitatem veniſſe, ſed ad Antoniottum exigendum; ejuſque jugum bonis diſcutiendum; qui, nihil attineret, utrum cum Ducis, an cum Vicarii regii titulo regnaret: ceterum non modo, ut ceteri ſuperiores, irritus conatus fuit: ſed auctoribus etiam lugubris & exitioſus: ſuſi enim & fugati ſunt Guarcani & Montaltani, à copiis ab Adornio ex urbe contra illos miſſis: cum quibus Spinulæ & Fliſci, qui modo Guarcorum & Montaltorum conatibus impenſe faverant, copias ſuas atque arma conjunxerunt; cum nollent Rempublicam ad Duces ac populare imperium tantopere ipſis inviſum redire: ipſique Duces capti: quos tamen Ceſenatico, omni ope contendenti, in manus tradere recuſarunt; cum à turpitudine facti abhorren-

tes, tum popularem invidiam veriti; ſi cives tanti faſtigii, atque ejuſdem patriæ caritatis vinculo ſibi conjunctos in manus exterorum tradidiſſent: quos immo paucis poſt diebus dimiſerunt: qui Gavium perpetuum ipſorum domicilium reverſi ſunt: pauciſque poſt diebus Valerandus Lucemburgus, Liviaci & ſancti Pauli Comes, ac Petrus Epiſcopus Meldunenſis, Genuam venerunt à Rege miſſi: quibus Antoniottus vicariatu & prætorio cedens, in privatas ædes conceſſit; arce Caſtelletto retenta in pignus pecuniarum ſibi à Republica debitarum: quibus perſolutis, ſexto poſt die arcem quoque tradidit. Addubitarumque nonnihil eſt, utrum cuſtodiam arcis regiis procuratoribus, an civitati committi jus eſſet: de qua re Juriſperitorum collegium conſultum ſecundum regios reſpondit: arxque illico illis tradita eſt à Paulo Monelio, quem Antoniottus illi præfecerat.

Optimum conſiliorum curſum nonnihil Saonenſium uſitata contumacia turbavit. Defecerant ii ſuperioribus annis à populo Genuenſi: ſeque in tutelam & ditionem Aurelianenſis Ducis, Regis fratris tradiderant: cetcrum Aurelianenſis per hæc tempora, quæ nunc ſcribimus, omni jure ſuo in rebus Saonenſibus fratris Regi cefferat; neque tamen Saonenſes moniti ſub veris imperium Genuenſium redibant, aut imperata faciebant. Ad eos igitur profectus eſt Vicarius regius; qui fruſtra homines ab ea mente deducere conatus, Genuam rediit: ceterum voluntate Regis illis plane demonſtrata, pertinaciæ fine facto, ad obedientiam redierunt; atque in verba Magiſtratus jurarunt.

At Guarci & Montalti, cum Antoniottus, principatu relicto, omnem illis excuſationem præciduiſſet, ne ſoli quieti, ac bono publico, civitatiſque tranquillitati obſtare viderentur, omni tandem contentione depoſita, in gratiam cum civitate ac cum Vicariis regiis redierunt; atque in urbem ex locis, quæ occuparant, commigrantes, cum reliquis civibus ſtudia conjunxerunt: opido Gavio cum arce Reipublicæ reddito; penſione illis publice aſſignata, rara à civitate facta; qua tamen illico exciderent, ſi quidquam contra regium dominatum moverent.

Rebus igitur ad meliora inclinatis, unum reſtabat, quod civitatis concordiam & unanimitatem diſtineret; metus pœnarum ob præterita delicta, quarum formido multos ad res novandas adigere poſſet. Novus igitur Magiſtratus quattuor civium ex præſtantioribus creatus eſt, qui petentibus veniam daret; jurejurando ab illis accepto, ſe in poſterum cum ceteris bonis & quietis civibus pacem civitatis ac concordiam culturos: curiſque ad res ditionis pacandas extentis; in Orientalem oram Cevas Auriacum haud contemnenda armatorum manu, in Occidentalem ipſe Vicarius regius profectus eſt: qui ambo haud exigua operæ pretia fecerunt; cum Vicarius Petram ac Juſteneſim opida, quæ à familia Antoniotti tenebantur, & Portum Mauritium, quod Auriæ occuparant, Reipublicæ recuperaſſet: nulliſque partibus curæ rerum pacandarum omiſſis; præter ordinariam Prætoris juriſdictionem, alia gravior & ſeverior poteſtas in urbem inducta eſt: Capitanco juſtitiæ (ita enim appellabant) electo, qui ſolutos legibus fontes ac quietis publicæ perturbatores pro arbitrio plecteret. Eoque anno peſtilentia, quam naves ex Oriente appulſæ contagione ſua in urbem introduxerant, in dies magis ſæviente; Valerandus Vicarius, qui ea de cauſſa ab urbe ſeceſſerat, Barleo Lucemburgo patruo, qui res urbanas regeret, & Epiſcopo Meldunenſi, qui ditioni Tranſalpinæ præeſſet, relictis, ipſe in Galliam conceſſit.

Rebus tam intra urbem, quam extra, ad meliora inclinatis, una familia Bertolottorum ſatis, ut provincialis gens, potens in ora Orientali reſtabat; qui tumultuum & ſeditionum auctores cum in locis circumjectis opido Levanto, cujus incolæ erant, cuncta dirceptionibus, rapinis, incendiis, cum ante dominarum regium, tum illo introducto, ſæpe miſceniſſent, neque veniam admiſſorum impetrare potuiſſent; in arce quadam, *Cornilia* vulgo appellata, ſe communiverant, auxiliaque ab uno ex proximis Marchionibus Malaſpinis acceſſiverant: contra illos igitur initio anni ſequentis Capitaneus juſtitiæ cum prævalida ſexcentorum armatorum manu miſſus eſt: qui (Antonio Cucurno genere nobili, Factionis Gibellinæ ac non exiguarum clientelarum vim, per cauſſam novarum rerum adverſus dominatum regium tentatarum in itinere capto, ac Genuam miſſo, in qua urbe extortus in tormentis mortuus eſt; Guarco & Monralto dimiſſis, qui ipſi quoque eodem crimine conſpirationis cum Cucurno inſimulati innocentes reperti ſunt) Capitaneus igitur, Cucurno Genuam miſſo, cum ad locum, quem Beriolotti tenebant, perrexiſſet, manum cum illis conſeruit: in quo prælio ipſe Capitaneus cecidit, ejuſque copiæ fuſæ ac profligatæ ſunt: qua victoria Bertolotti contumaciores facti, opidum Levantum petuut, inimicorumque villas opido circumjectas prius direptas incendunt.

A.C. 1398.

Eo anno Antoniottus Adornius, qui quater Dux fuerat, (nam hoc quoque ad inſigniorem hunc annum faciendum Annalibus inſertum eſt) in Caſtello Franco Finarienſis agri ex peſtilentia deceſſit; vir in principatu petendo acrior, quam in ruendo parto conſtantior; & in hoſtibus invadendis audacior, quam in reſiſtendo invadentibus fortior; animoque in periculis magis adeundis impavido, quam in conflatis infracto; claris virtutibus, niſi eas inſignis ambitionis macula deformaret, non ſuæ modo, ſed multarum ætatum princeps haud dubie futurus.

Neque vero in tantis urbanis occupationibus cura externarum rerum omnino omittebatur: decretæ ſunt enim quattuor triremes ad tutelam locorum, quæ in Oriente Reſpublica poſſidebat. Cum ora Occidentalis ſeditionibus ac turbis ureretur; ne Genuæ quidem res quietæ erant, cum Vicarius regius Gibellinorum querelis, atque eorum, quorum libido in ſuperiorum annorum licentia ſolutior fuerat, nimiam Capitanei juſtitiæ ſeveritatem non ferentium, metu tumultuum eum Magiſtratum tollere coactus eſſet: quæ res gliſcentes ſeditiones non modo non compeſcuit, ſed acceleravit; initio facto ab incolis trium præfecturarum, quicumque partes Gibellinas ſequebantur. Ii ſive cupiditate prædandi ſua ſponte commoti; ſive à capitibus Factionum imperium regium ægre ferentibus, quod eſſet ipſorum potentiæ & dominatui infringendo, inſtigati; Antonio Rege cive Genuenſi, & Raphaele Carpaneto magnarum clientelarum in illis vallibus viro, Ducibus, armis arreptis, magniſque agminibus paſſim diſcurrentes, tumultibus cuncta compleverunt; cum à nullo facinoris genere abſtinerent, hominesque Guelphæ Factionis captos, tamquam hoſtes & alienigenas, ad neceſſitatem ſeſe pecunias redimendi adigerent; ut cives ex villis & ſuburbanis ſuis illorum furori ſe ſubtrahentes, in urbem commigrare coacti ſint. At illi facinoribus querelas miſcentes, nimis hunc regium principatum in Guelphos propendere, nimiſque contra Gibellinos premere expoſtulabant; neque ferendum eſſe dicebant, omnium ejus regionis arcium cuſtodiam Guelphis tantum traditam: quæ querelæ neceſſitatem à Vicario expreſſerunt, nonnullas arces de conſilii ſententia à Guelphis præfectis ablatas Gibellinis tradere: quæ res non modo concitatos morus non compreſſit; ſed audaciam res novare cupientium auxit: earum enim arcium præſidio ad majora audenda confirmati ſunt. At Vicarius nihil omittens eorum, quæ ad pacandas res valere exiſtimaret, ipſos Montaltum & Guarcum, eorum auctoritatem plurimum valituram ratus, ad eos mittit: qua re non ſeditionem compreſſit,

ſit, ſed illi Ducés ac robur addidit: indignabantur enim Guarcus & Montaltus, ſeſe à Vicario regio non modo nimium in ordinem cogi; ſed etiam infra eos, quibus dignitate præſtare ſolercot, amandari: ad hoc dominatum regium fatalem ſibi borrebant, oimis in Guelphas partes, quodque odioſius erat, in Nobilium Factionem propenſum: qui capitali odio cauſſiæ populari, à qua ſeniminm premi putarent, inſenſi; illiuſque exſtinctionem perpetuis conſiliis molientes; haud dubium eſſet, quin regios procuratores in ſe continenter inſtigarent; perſuaſurique tandem eſſent, numquam ſtabilem Regi Genuæ poſſeſſionem fore, niſi capita Factionum tollerentur: Præterea, cum ea in præſentia Genuæ patriæ fortuna ſit, ut non in libertate, ſed in regno eſſe cogatur; ſatius eſſe ducebant, nihilque id à pietate patriæ debita abborrere, in ea ipſos regnare, quam alienos & externos regnantes pati; ac quoniam in alterutram neceſſitatem adducti ſint, peſtem, quam ſibi alii machinentur, in machinatores vertere, quam ipſos excipere: quod ſi fortuna conſiliis invident, potius eſſe ſalutis & dignitatis ſuæ vindices; ac pro illis ultima fortiter expertos, armatos per virtutem cadere; quam ſedentes, nihilque audentes cervicem tandem carnifici per ignaviam ſubjicere. His igitur cauſſis inducti, animis nudatis, propugnationem tumultuantium aperte ſuſcipiont, ad vireſque aſtum adhibendum ſtatuunt: eodemque artificio Nobiles petendos, quo populares ab illis captari ſolcant; quibus Nobilibus nulla ipſi verecundia ſint obſtricti: non enim ſe ab illis ſuis temporibus caritate & benevolentia adjutos; ſed, conſilio elam inter illos inito, per favoris ſimulationem, populares ipſos ad mutuam perniciem opibus ſuis armandi, illoſque inter ſe committendi; ac per has ambages, eum per apertam vim non poſſent, ad eum dominatum ſubreperent; à quo illos dejeciſſet vir fortis & clarus Simon Buccanigra, ab omoibus popolaris nominis civibus, in quibus aliqua ingenii & animi indoles ſit, perpetuo imitandus. Gibellinas igitur partes ſubjiciendas, quæ Nobiles inter ſe ſint diviſuræ & commiſſuræ, magnamque illorum partem ſibi adjuncturæ: ſpecioſis igitur titulo patriæ è ſervitute externorum eximendæ aſſumpto, magnos ad ſe concurſus hominum faciunt; qui tantorum Ducum auctoritate excitati, majoribus motibus ad integrandos tumultus repente conſurrexerunt: ingentibus igitur armorum agminibus ſulti, aquilæ nomen, & Gibellinum ſubjicientes, urbem petunt: primoque advcotu mœnia aggrediuntur, irrito incepto, à diſpoſitis præſidiis repulſi, ſcalis relictis.

Perturbavit vehementer repentinus motus Vicarium regium, & conſilium: qui delecta civium manu, ex omnium Factionum nominibus, tam popularium, quam Nobilium, ac tam Gibellinorum, quam Guelphorum, quicumque amantiores boni & quietis publicæ putabantur; illis arma tradunt, cuſtodiam urbis inter illos partientes; gravi pœna per edictum ceteris armorum tractatione interdicto. At invadentes, cum ſe in loco, quem tenebant, novas copias exſpectare conſtituiſſe ſimulaſſent, ſilentio inſequentis noctis in averſam urbis partem cuſtodiis neglectam tranſeunt; ac per portulam ſancti Michaelis in urbem irrumpunt, magnis clamoribus Gibellinum nomen ſubjicientes: ad quem ſtrepitum civibus excitatis, armiſque ab omnibus ſtatim arreptis; omnes urbis partes repente tumultibus & terroribus impletæ ſunt; cum omnia clamoribus diſſonis Gibellinum ac Guelphum nomen ſubjicientium perſonarent: neque quiſquam in tanta rerum perturbatione & colluvione, atque in illis tenebris, quem locum peteret, quove opem ferret, ſatis exploratum haberet. Auriæ & Spinulæ areas ſuas, in quas Gibellinas partes ſequentes convenerunt, munichant. Idem Fliſci faciebant, ad quos Guelphi ſe aggregabant: cum nonnulli ad prætorium accurrerent, ut Vicario præſidio eſſent; nonnullique tota urbe diſcurrentes, à maleficiis non abſtinerent. Tandem luce orta, ac tumultu magis ac magis creſcente, omnes curæ in exitus platearum municndos, ac vallis & trabibus interſepiendos verſæ ſunt; cum ad ipſas fances prælia, odiis partium inſtigantibus, inter munientes committercotur: brevique civitas in duas regiones, tamquam in duas civitates, diviſa eſt; cum utraque pars altera alteram occupaſſet, validiſque munimentis firmaſſet; uniuſque & ejuſdem Factionis homines in regionem à Factione ſua occupatum, ædibus propriis relictis, ſi quæ erant, in alterius Factionis regione, commigraſſent. Guelphi eam partem tenebant, quæ ab æde divi Petri incipiens, ad ædem ſancti Andreæ porrigitur; atque, ædibus divi Laurentii & divi Ambroſii comprehenſis, ad ſubjectum mare pertinet. Gibellini ab æde divi Lucæ initium facientes, quidquid portæ Campi & ædi ſanctæ Catherinæ per plateam Magdalenæ, Auriarumque aresm interjectum erat, tenuerunt: quotidieque prælia inter ipſos committebantur: in quibus multi cadebant; cum, omni pietatis, ſanguinis, humanitatis jure perfracto, neque frater fratri, neque amicus amico parceret. Quarum Factionum tanta vis ſuit, ut Montaltum ipſum & Guarcum inter ſe diviſerit; cum hic ad Guelphos, ille ad Gibellinos ſeſe applicaſſent: qua Factione prævalente, Montaltus & Cevas Auria, ejus capita, prætorium invadunt, areamque capiunt; ægre Vicario ſeſe adverſus tantam vim deſendente: ceterum Montalti impetus pergentis ex ejus poſſeſſione Vicariom prorſus extrudere ab Auria cohibitus eſt; affirmante, ſeſe ſatis operæ pretii feciſſe, facultate Guelphis favore Vicarii ſubniſis Gibellinos opprimendi adempta: verum civibus noo eſſe in animo ulterius progredi, aut dominatum regium urbe exigere. Senſit dolum Montaltus obtrectatoris, ac ducatum deſtinatum ipſi invidentis: indignatus igitur, relictn Auria, in ædem divi Dominici cum ſuis ſeceſſit: qua re animadverſa, Guelphi, qui ad eam horam inferiores fuerant, terga Gibellinorum prementes, nonnullis detrimentis illis affecerunt, Oddone Grillo capto.

At Vicarius regius, tumultibus in dies creſcentibus, majoreſque vires aſſumentibus, omnia prius expertus, cum neque conſilio, neque auctoritate, neque precibus demique, quibus aliquando minas miſcebat, quidquam profeciſſet; haudquaquam ſanum conſilium ducens, majeſtatem regiam, quæ in ſua perſona periclitabatur, in tanta rerum colluvione contumelis expoſitam diutius habere; ſibique ab impetu concitatæ multitudinis timens, urbe excedere decrevit: quare, navicula eam conſcenſa, ſe Saonam confert, indeque in Galliam contendit. Ejus diſceſſu res recruduerunt; majoribuſque motibus prælia integrata ſunt; hominibus omni verecundia ſolutis, ipſoque certamine iras acuente: cum (tamquam non ſatis ipſi eſſent ad patriam lacerandam) Guelphi tria externorum peditum millia, Gibellini octo in urbem introduxiſſent: qui Guelphos viribus inferiores intra ſepta regionis ab illis occupata conclauſerant, tota ipſi urbe diſcurrentes: qui etiam, turribus interioris portus captis, triremique ex navalibus educta & armata, non modo terræ, ſed maris & portus potentes facti, Guelphos commeatibus & annona interclauſerant: quos intra ſepta compuliſſe, ſuaſque opes illis prævaluiſſe gloriabantur: eum contra Guelphi laudi & decori ſibi ducerent, Gibellinos intra munimenta ſua, ut ſæpe jactare ſoliti eſſent, perrumpere non potuiſſe: quod, niſi mors Montalti impetum Gibellinorum nonnihil inter ſe diſcordium repreſſiſſet, res ulterius proceſſiſſent; nullaque unquam tempora majoribus cladibus inſigniora fuiſſent.

Animis igitur principum civitatis ad pacem utrimque inclinatis, peropportunus adventus Gaſparis Coſſæ Neapolitani, viri magni conſilii, magnique nominis, fuit: qui Legatum Pontificium Gallias petentem tribus triremibus vehebat. Is auctoritatem ſuam & ſacroſanctî Legati majeſtatem interponens, res ita compoſuit, ut plus duobus ſuffragiis Gibellini in ſummo magiſtratu haberent, atque in decem octo Conſiliariorum numero decem eſſent Gibellini: monimentaque, veteri Caſtelletto ab anno ejus ſæculi nonageſimo quarto ad eam diem addita, ſolo æquarentur: quod & factum eſt: quamquam ea res gravis ſuit Guelphis, non ſatis adverſæ Factioni fidentibus.

Diſceſſu Coſſæ, animiſque hominum verecundia præſentis Legati, quo auctore pax inita erat, ſolutis; civitas in priſtina mala illico redacta eſt, actionibuſque quam prius odiis, majoreque irarum certamine dimicari cœptum eſt: ac majora funera edita ſunt; initio turbandi res à Guelphis facto: qui Prætorem ipſum ſuſpectum, quod occulta conſilia cum Gibellinis iniiſſet, prætorium ipſi in domicilium aſſignatum illis tradendi, comprehenderunt; ab extortoque ordinem conſiliorum exquiſiverunt: qua re commoti Gibellini, armis repente arreptis, atroces in Guelphos coorti ſunt; acreque prælium cum multorum ſanguine ac cæde inter illos ſubito contractum eſt; multis circumjectis ædibus incenſis: miſerabiliorque per eos dies, quam prius, ſuit civitatis facies: eum à die pridie Idus Auguſti ad Kalendas Septembris, quinquies & eo amplius, paucorum dierum interpoſita pace, prælia integrata ſint; magnis editis crudelitatis & internecini odii exemplis, ac triginta amplius privatis ædibus ex magnificentioribus civitatis combuſtis; præter turres & ædificia publica iiſdem incendiis hauſta, munimentaque & ſepta mutuo ſæpe refracta.

At, menſe Septembri ineunte, Gibellini acerrimi coorti noctu in munitiones Guelphorum impetum faciunt: quibus refractis, Lercariorum aream, firmiſſimamque turrim occupant: duæque & viginti ædes privatæ, atque ædes divi Petri incendio à Gibellinis injecto conflagrarunt: Guelphique, munitione conſtructa, anguſtiore ſe regione incluſerunt: tandem odiis exſatiatis; nonnullis religioſis ac piis viris, Antonioque Juſtiniano auratæ militiæ Equite, & Gulielmo Centurione Ultramarino, bono & quieti publicæ ſtudentibus civibus, & ab ejuſmodi contentionibus remotis, ſeſe atque operam indefeſſam, & auctoritatem ſuam interponentibus, pax convenit: cujus lætitia ſonitu maximi tintinnabuli ex prætorii turri conteſtata eſt, in recenſendiſque damnis hujus belli, quæ civitas tum, animis ab ardore certaminum ſedatis, magis ſentire cœpit; præter publicorum & privatorum ædificiorum incendia, ac præter haud exiguum numerum primariorum civium cæſorum; detrimenta accepta plus decies centum aureorum millibus æſtimata ſunt.

Interea Rex Gallus, diſceſſu Melduncnſis ab urbe cognito, nullo modo curam Genuenſium rerum omittendam ſtatuens, ſucceſſorem illico Genuam mittit Collardum Callevillam ex Conſiliariorum ſuorum numero: qui, magna civium primariorum caterva, qui illi honoris cauſſa obviam prodierunt, comitante, urbem eſt ingreſſus. Ejus adventu quies civitatis ſtabilita eſt; clauſtris viarum refractis, tabernisque apertis, commereniſque, quæ diu intermiſſa fuerant, repetitis. Unus Conradus Auria fuit, qui inquietiore, quam ceteri, ingenio vir, res turbare aggreſſus eſt: opido Varagine favore Guelphorum improviſo adventu capto; cum eo cum triremi clam profectus eſſet. Oppreſſa ſtatim ſunt hujus motus initia, diligentia novi Vicarii; qui eo cum noningentis armatis, & duabus triremibus profectus, triremi Auriæ in terram ejecta, opidum ab Auria extorſit; ipſo, quique illum fecuti fuerant, incolumibus cum ſuis rebus dimiſſis.

Quiete civitati reddita, omiſſæ curæ externarum rerum repetitæ ſunt, quattuorque triremes ſuperiore anno in tutelam rerum Orientis decretæ, quæ in tantis urbanorum motuum occupationibus armari & inſtrui non potuerant, ineunte autumno, Georgio Granello præfecto, è portu tandem emiſſæ ſunt: quarum tres, cum una, incertum qua de cauſſa, forte abeſſet, in quattuor triremes Maurorum, quarum duæ minoris formæ erant, in mari Siculo inciderunt. Mauriſque invadentibus, ad neceſſariam pugnam noſtri attracti ſunt, quæ atrox fuit, atque utrimque cruenta: noſtrique extremo periculo proximi fuerunt, cum Mauri in triremim, quæ Paulum Montaltum Leonardi Ducis filium præfectum habebat, inſiliiſſent; urgendoque ac gradum ulterius faciendo, noſtris averſis, trirem uſque ad malum potiti eſſent. Diſcuſſit periculum audacia & virtus Montalti: qui gravi febri implicitus, ſtrepitu audito, ex lecto, in quo cubabat, proſiliens, arrepto gladio, in tabulatum conſcendit; ſuiſque ipſius præſentia & adhortationibus in pugnam converſis, ipſe primus Mauros invadit, omnibuſque viribus conniſus tandem avertit, magna illorum edita cæde. Conſpecta eſt in primis gregarii cujuſdam navalis ſocii è valle Biſamnia virtus & fortitudo. Is Maurum noſtris terribilem, miraque incredibilis fortitudinis opera edentem, uno gladii ictu capite, & altero brachio à reliquo corpore defecto, obtruncavit. Victoria tandem penes Gennenſes fuit; hoſtilibus navibus vel omnibus, vel majore ex parte captis: nam ab Annalibus numerus non traditur, qui tantum magnam vim captivorum liberatam memoriæ prodiderunt: quæ res ut pergrata Siculis fuit; (erant enim fere ejus nationis) ita vehementer Tunetanum Regem offendit, cum quo civitas tum in pace erat: qui ira incenſus, omnes Genuenſes in regno ſuo negotiantes comprehendi juſſos carceribus incluſit: excuſatione non accepta, penes ſuos culpam pacis violatæ eſſe: qui priores Genuenſes invaſerint, ad neceſſitatemque pugnæ recuſantes adegerint. Eo anno peſtilentia quoque, ne quid mali abeſſet, urbem invaſit; minus quidem ſæviens, quam ſuperioris anni, cum non plus triginta mortales in die abſumeret; ceterum eo inſignior, quod per elatas domos vagi multos primarios ac clari nomims cives abſtulit; cum ſuperiore anno per ignota tantummodo capita graſſata eſſet.

Sequitur annus ejus ſæculi nonageſimus nonus, A. C. 1399.
novo plebejo Magiſtratu inſignis: tenuiores enim atque humilis ſortis homines, motibus Factionum à primariis civibus tam Nobilium Factionis quam popularis nominis inductarum conſopitis, tranquillitateque civitati reddita, vulgo conqueri, hujus concordiæ bonis ſolos Nobiles & potentiores frui, plebemque omnino illorum expertem eſſe: quin etiam meliorem fuiſſe ſuam conditionem, diſcordi quam pacata civitate: quippe illis contentionibus ſe ali ſolitos, neque injurias ſibi armatis à Nobilibus fieri; at nunc totum contra eſſe: nam nobiles & primarios cives iis, quæ ipſis utilia ſint, intentos, commoda plebis negligere; bonumque ſuum, bonum publicum appellare, ſine ullo plebis reſpectu, tamquam plebs nulla pars civitatis ſit: quin contra, eam tributis aliiſque ex aliis inferendis oneribus premere: neque id mirum, cum nemo ſit in publico conſilio, qui commoda eorum defendat, vocemque pro illa mittat: ad hoc injurias ſibi quotidie à potentioribus fieri; in quibus arcendis non ſatis opis in Magiſtratuum junſdictione eſſe, quam primarii cives potentia ſua infringant; Magiſtratibus conniventibus, qui ex ſuorum hominum

num corpore ſint: pacem igitur aliorum in ſuum bellum vertiſſe.

Hæc vulgo frementibus, magna hominum multitudo, tam Gibellinarum quam Guelpharum partium, ut numero ad poſtulata impetranda validiores eſſent, ſocietatem conſiliorum ſanciunt: nomine & inſigni ſcipionis à ſummo inflexi, quem vulgo *ſtrozolam* vocant, aſſumpto. Hæc ſocietas cum in ædem divi Auguſtini crebro conveniret; multis ſæpe colloquiis inter ſe habitis, decreverunt tandem Nubiles à Magiſtratibus & Reipublicæ procuratione arcendos: hunc primum gradum ad ipſorum conſilia exſequenda fore: reliqua poſtea viſuros. Vicarius, re cognita, principem illorum, viatore ad illum miſſo, in prætorium vocat. Ille dicto audiens non fuit: quin contra, plebs, illu inſtigante, armis tandem arreptis, turrim ac portam divi Thomæ occupavit; totaque urbe diſcurrens, Regis ac populi numen magnis clamoribus ſubjiciebat: primariis popularis nominis civibus, venia admiſſorum à Vicario promiſſa, fruſtra illos compeſcere conatis: qui contumaciores facti, inſequenti die tumultu majoribus motibus repetito, mille amplius numero prætorium, Vicariu illorum furori cedente, invadunt ac diripiunt: qui tamen gubernator, continuo à primariis civibus ad mille & quingentos congregatis, in prætorium reductus eſt; prolixu illorum promiſſu confirmatus, ſeſe atque unnem Nobilitatem, omneſque alicujus numinis cives illi adverſus unnem veſanæ multitudinis ineunſultam vim præſtu ſemper futuros: eum dicerent, ea, quæ tum fierent, non minus ſibi quam ipſi muleſta eſſe, eaque mirari illum vetarent; uſitatos hos eſſe plebis impetus, dictitantes; ceterum breves ac conſopitu faciles, ſi eorum animi ſuaviter & eum arte tractentur, reſque leniter ducantur: concitatam igitur flectendam potius, quam frangendam, illuſque ſtudiis in præſentia obſequendum; à Nubiumque Factione petendum, ut quietis publicæ cauſſa cedere paulliſper, pro ſua ſapientia, ſuumque tempus exſpectare ne graventur: brevi enim, cum tumultus, quibus nunc omnia ardent, deſederint, ſuum illis locum reſtitutum iri. In eam rem primarii populares umnes ſuas curas collaturos; neque, niſi re perfecta, quieturos, pollicentur. Haud retractarunt Nobles, neceſſitatem in voluntatem vertentea. Mos igitur à gubernatore plebi geſtus eſt: quæ res eam à Spinularum domibus ad ædem divi Lucæ oppugnandis revocavit: Nobilibuſque à Republica gerenda decreto publico excluſis; ſummus Magiſtratua quindecim popularis nominis civium civitati præfectus eſt: ſed ne ſic quidem animi multitudinis mitigati ſunt; frementis, ſe in aliurum utilitatem ſine ullo ſuo fructu dimicaſſe, ſe tantos labores & diſcrimina impendiſſe: eos enim homines in Magiſtratu eſſe, qui tantum hoc populari nomine ſecum conjuncti ſint; ceterum voluntate, ſtudiis, conſiliis non minus, quam Nobiles, diſjuncti: de plebis igitur corpore novum Magiſtratum ereandum; antianurum Magiſtratu & jure ratu manente: cujus novi Magiſtratus munus ſit, ea, quæ ſalubria civitati ac populu commoda cenſuerint, Vicario proponere; ac juriſdictiunem Magiſtratuum propugnare, ſi armis Nobiles & primarii cives illam potentia ſua infringere tentarent. Geſtus eſt in hac quoque re mos, Magiſtratuſque quattuor virorum de plebe creatus eſt, qui *Priores* appellati ſunt; duodecimque illis ex eodem corpore in conſilio additi; in eorumque verba omnes opifices jurarunt. Majus in dies robur, majoremque auctoritatem aſſumere cœperat novus is Magiſtratus; neque dubitatur, quin ad magnam amplitudinem venturus fuerit, ſi diuturnior fuiſſet: cum multi ex primariis civibus ad illum accedere cœpiſſent, ac, quæ è Republica eſſe cenſerent, ea illis exponerent; majorem vim, majoremque auctoritatem, pro jure ſuo, ad ea perſuadenda eum Magiſtratum habiturum putantes; cujus opes armis opificum munitæ regentibus formidoluſæ eſſe poterant. Quadrimeſtri tempore popularium antianurum circumactu, docuit plebs, ſe non de Nobilibus exigendis laboraſſe, ſed de ſuo Magiſtratu impetrandu dimicaſſe: paſſa eſt enim Rempublicam in priſtinam formam redire: antianorum Magiſtratu, & reliquis publicis procurationibus, & hunoribus inter Nubilia Factionis & popularis nominis cives æquali numero diſtributis.

Inſeverant urbana mala, mquam tabes, totius ditionis incolas, in qua nonnulli Guelphæ Factionis homines, duabus minoris formæ triremibus armatis, exurſionibus ac populationibus totam oram infeſtam faciebant; prædam hominum ac rerum Gibellinorum agentes, captoſque ad neceſſitatem ſe redimendi adigentes: quarum triremium altera capta eſt ab una extriremibus urdinariis civiratis cuſtodibus, cui præerant Auguſtinus Spinula & Baptiſta Juſtinianus. Ejus præfectus, ac navales ſocii ad viginti numero in promontoriu capitis Phari jugo ſuſpenſi ſuut: cum etiam circumjecta urbi loca vexationibus non carerent, incolis ac ruſticanis contumacioribus factis: ut cives, corum metu latrociniis graſſantium, amœnis villis & ſuburbanis relictis, ſe in urbem recipere coacti ſiot. Sub finem anni, quattuor triremes in cuſtodiam locorum Orientis, Friderico Promonturiu Duce, miſſæ ſunt: duæ præterea impenſis Regis armatæ eodem proſectæ ſunt, præfecto Joanne Lemenigrio Buciardu magni nominis magnarumque opum viro, qui poſtea Vicarius Genuam à Rege miſſus eſt, ut mux dicemus.

Sequitur annus ejus ſæculi centeſimus, quo ſuperiores cædibus quidem & incendiis, ac cladibus omnis generis fœdiores & lugubriores ſuetunt; ceterum nullus umquam fuit, aut majoribus motibus agitatus, aut crebriore regiminum mutatione magis varius; majoribuſve editis à populu Genuenſi mubilitatis ſuæ documentis, magis etubeſcendus. Initium turbatum factum eſt à duobus de plebe huminibus, Coſma Caſtillionu, & Raphaele Carpeneto. Ii, ſive ſua ſponte commoti; ſive, quod veriſimilius eſt, à principibus Factiunum inducti, ingemiſcentibus, ſeſe principatu civitatis excidiſſe, neque Gallurum imperium concoquere valentibus, ad ipſorum potentiam & dominatum exſtinguendum introductum; occulta conſilia cum nunnullis ſuæ ſortis hominibus de Collardu ejiciendu inierunt: quæ cum, ut inter multos agitata, emanaſſent, Caſtillionus comprehenſus eſt, & carcere incluſus: Carpenetus fuga periculum evaſit, in valleuque Porciſeræ ſe recepit, unde oriundus erat; in quaque magnas elicutelas habebat: qui nihil adverſu eventu deterritus, aperta vi, quoniam inſidiæ non ſucceſſiſſent, agendum, omniaque ultima tentanda ratus; ut conſiliurum ſocium ſupplicio eriperet, magna hominum Factionis ſuæ manu corrogata, ad mœnia ſilentio noctis accedit: portaque divi Thumæ nulla ſatis valida ſtatione firmata incenſa, in urbem penetrat, paſſimque diſcurrit, *Io populo*, conelamans: ad quam vocem civitas momento temporis in armis ſuit. Qua improviſa re perculſus Vicarius, nou ſatis ad defenſionem paratus; nemineque metu graſſantium in ejus auxilium conſurgente; cum ne upificum quidem Priores, ad quos nullus hominum concurſus, contra quam ſperabatur, factus eſt, ſeſe tumultuantibus opponere auſi eſſent; omnis reliqui conſilii inops in turres ſancti Andreæ ſe ſubducit. Carpenetuſque Caſtillionium, cujus potiſſimum cauſſa res moverat, carcere extrahit: neque ulteriusà tumultuantibus proceſſum eſt: civitaſque quatriduum ſine rectore ſuit.

Is motus Factiones aliquamdiu conſopitas excitavit;

A.C. 1400.

vit ; hincque Adornii, illinc Guarci, & Montalti conjuncti, veteribus odiis repetitis, ad arma consurrexerunt ; prælumque inter illos non sine aliquorum cæde commissum est. Numquam civitas in majora aut plura studia distracta est, aliis alio tendentibus : cum alii dominatum regium prorsus rejicerent, alii illum impensè retinerent ; alii ducatum repeterent : ut, fluctuantibus animis, magnisque ubique difficultatibus occurrentibus ; nemini in tantis tenebris, quid vellet, quodve consilium sequeretur, satis constaret. Re diu multumque in circulis & cœtibus sermonibus agitata, magnisque contentionibus jactata, ingens multitudo honestorum civium in prætorium tandem convenit : ac magis inopia potioris consilii, quam ut illud, quod faciebant, satis probarent ; ut tumultus in præsentia compesceret, magistratu Vicario Gallo abrogato, cujus nomen plebs ferre non poterat, Baptistam Buccanigram auratæ militiæ Equitem in ejus locum sufficiunt, titulo dato Capitanei custodiæ regiæ : Oratoremque ad Regem mittunt, qui factum excuset à necessitate expressum, confirmationemque Buccanigræ postulet. Neque excusatio à Rege accepta est ; & electio Buccanigræ rejecta : quin immo Collardo, qui discriminibus se subtrahens, interea Saonam se receperat, imperatum est, ut auxiliis à Principe Mediolanensi & Marchionibus Carrettanis postulatis, dum ipse Rex comparat, faceret, quod è Regis re & dignitate, atque ex sua fide esse censeret.

Favebat in primis Buccanigræ Antonius Guarcus, tamquam consiliis suis aptiori : amboque conjunctis studiis animum ad turrim Castelletti, quæ à Gallis tenebatur, occupandam adjiciunt : eaque de caussa nonnullas turres atque ædificia illi circumjecta communiunt. Qua re Adornii commoti, ædes suas ad divæ Agnetis ipsi quoque munimentis & stationibus firmant : quæ res omnia inter eas Factiones suspiciosiora fecit. Buccanigra quidem vehementer commotus, timere rebus suis cœpit : cum præsertim Adornii perpetui hostes sui, Montaltus, qui ab amicitia & societate Guarcorum per eos dies se averterant, sibi adjunctis, majores vires, majusque in dies robur assumerent : quieo quoque progressi sunt, ut arcem prætorii aggrederentur, irrito tamen incepto. Quare rebus suis prospiciens Buccanigra, consilio civitatis convocato, impetravit, ut octoviri crearentur, discordiarum componendarum & pacandarum rerum caussa ; nulleque milites scriberentur, ad regii dominatus majestatem & Buccanigræ magistratum tuendum : qui omnes apparatus inanes evaserunt : nam, cum Adornii plana omnia ante arcem Castellettum occupassent, neque populus tinnitibus è summa prætorii turri ad opem ferendam, ut mos est, à Buccanigra vocatus, neque opificum Priores, ac ne ipsi quidem recenter conscripti milites, qui in ejus verba jurarant, se commovissent, ea re fractus Buccanigra, prætorio relicto, Guarco frustra illum retinente, in privatas ædes suas concessit. Quo impedimento amoto, Adornii Montaltis sociis & Guarcis animos ad certamina acuunt : quæ plurima ac per varias occasiones per eos dies, quibus civitas vacua rectore fuit, inter illos commissa sunt : cum Adornis vires & animi crevissent, Orlandi Fulgosii fratribus (quæ Factio multos jam annos conticuerat) adjunctis ; qui ambo conjuncti prætorium petunt ; ejusque potentes facti, magnis hominum illarum Factionum gregibus tintinnabuli sonitu vocatis, ad ipsos concurrentibus, tota urbe discurrunt, nomen utriusque familiæ subjicientes. Qua re offensi vehementer Montalti, indignati nomen suum præteritum, relictis Adornis & Fulgosis, se iterum cum Guarcis, à quibus modo discesserant, conjungunt : quibus etiam se addiderunt Jacobi Fulgosii filii ; indignati, Orlandi fratres sibi ab Adornis honore prælatos. Integratis igitur utrimque viribus, sæpe concursum est, victoria neutro inclinata.

Multipliciter eo tempore bonorum animi angebantur ; hinc miserabili civitatis à suismet civibus undique laceratæ adspectu, illinc metu à Rege tacite animis insidente ; quem fama erat armis amissum dominatum repetiturum : octovirique pridem ad res constituendas electi, consilio vocato, duodecimviralem Magistratum elegerunt, omnes populares corporis cives, æqualibus partibus Guelphos & Gibellinos : qui, tribus trium vallium præfectis adjunctis, res regerent, dum novi Vicarii adventus exspectatur : ceterum inire magistratum prohibiti sunt ab Orlando Fulgosio ; qui postridie cum ducentis armatis prætorium ingressus, sese rectorem civitati præfici postulavit, irrito incepto : nam Montalti & Guarci vires suas illius conatibus opposuerunt ; acrique & cruento prælio, in quo multi utrimque cecidcrunt, dimicatum est : Fulgosiis & Adornis è prætorio tandem expulsis, haud levibus acceptis detrimentis, Thomaque Orlandi fratre ac nonnullis aliis captis : qui tamen, paucis interjectis diebus, dimissi sunt ; cum Montalti & Guarci prælio superiores curam municndi prætorii neglexissent.

Interea quattuor Oratores ad Principem Mediolanensem missi sunt, postulatum, ut sese pro Genuensibus veteribus amicis suis apud Regem deprecatorem interponat, ejusque animum erga civitatem mitiget : cujus rei eventu bonorum animis suspensis, nc civitas interea sine rectore perseveraret, Baptistam Francum Lusardum plebi in primis acceptum rectorem civitatis & Capitaneum regiæ custodiæ usque ad adventum regii Vicarii successoris eligunt : non multoque post Franciscus à Monteclaro Ducis Mediolani opera à Rege missus, Genuam venit : qui prætorium petens, ad mandata regia exponenda, eo vesaniæ multitudinis furor provectus est ; ut, à magnis utriusque Factionis hominum gregibus impetu in illum facto, retro iter repetere, seque in domicilium sibi assignatum recipere coactus sit ; Lusardo clamante ac testante regiam majestatem graviter lædi : qui, cum omnia summa fecisset, ut regia mandata vel ore ac viva mandatarii voce, vel saltem scripto ab illo edito cognoscerentur, neque quidquam profecisset, ad culpam à se detestandam, magistratu abiit : Monteclarus tamen paullo post tumultuose auditus est : qui cum decretum Regis, operamque & diligentiam à Mediolanensi apud Regem Genuensibus navatam exposuisset ; decretum est interes, ut ordinarius antianorum Magistratus civitati præesset.

Ceterum paullo post Rainaldus Olivarius à Rege missus, Genuam venit ; qui res regeret usque ad adventum Joannis Lemenigri cognomento Boccardi, novi Vicarii à Rege decreti : cujus eadem fortuna, quæ Montisclari, quamquam paullo serior fuit : homines enim trium præfecturarum, Factionum capitibus instigantibus, magno impetu msgnisque clamoribus in urbem irrumpentes, urbanaque plebs illi adjuncta, carceribus fractis, totaque urbe discurrentes, nomenque populi subjicientes, Olivarium, neminc pro illo consurgente, concitataeque multitudinis furori obviam ire audente, in turrim Castellettum non satis munitam compulerunt : cui malo nulla alia medicinæ faciendæ ratio à bonis & quietis civibus inita est, quam Lusardum Olivario collegam addendo : quæ res cum plebi non probaretur, ab eademque rejectus esset Gabriel Recanellus, ad idem munus publice electus ; necessano, plebeque cupientissima, is Magistratus in Lusardum solum iterum recidit, Olivario plane excluso : bonis & quieto ingenio civibus tacitum quidem ferentibus ; ceterum intimis sensibus ingemiscentibus, nimis sæpe majestatem regiam lædi, ac contemni :

neque

neque dubium esse, quin tanta civitatis contumacia à culpæ expertibus gravibus pœnis luenda aliquando sit.

At Baptista tanta plebis in se propensione confisus, nonnullorum licentiam ac nimiam linguæ libertatem cohibere anno ejus sæculi primo aggressus est, Orlando Fulgosio, Adornino Adornio, A.C. 1401. Gabriele Recanello comprehensis, per causſam, quod nimia orationis acerbitate præsentem regiminis formam ac regentes perstringerent: quod esset perturbando quieto civitatis statui, seditionibusque & rurbis exeitandis: quæ res, ut in sæculo tam corrupto, insolita magnos sermones præbuit; vulgo factum damnantibus ac frementibus, etiam sermonum liberratem adimi; ac quærentibus, quid tandem in teterrima servitute umquam ulterius fuisset? Seditionem igitur veritus Baptista, rem illis temporibus omni quamvis levi momento excitari solitam, de amicorum consilio, comprehensos omni pœna intactos dimittit: quæ res multum homini de auctoritate detraxit, solutioremque licentiam facinorosorum fecit, nullo severi imperii metu cohibitam; peramplamque seneſtram maleficus tam in urbe quam in tota ditione fecit: in quibus insigne illud audaciæ exemplum edirum est, Andreæ Zoalii Capitanei justitiæ à subjunctis Fliseorum ditioni in pago Fontanelio obtruncati; quod tela illis pro jure muneris sui adimere voluisset.

Talis civitatis status nomen Genuense, verendum olim exteris ac maximis Regibus, finitimis atque humilibus Proceribus contemptum fecit: ut non dubitarit Gerardus Appianus Plumbini Dominus Andream Lomellinum per ejus fines iter faeientem, levia nonnulla causſatus, comprehendere, & ad necessitatem se redimendi adigere: quam tamen injuriam ille continuo ultus est, ditionem Appiani cum quattuor triremibus, quas, fratribus, ac Lazaro Carretto, & Orlando Fulgosio adjuvantibus, brevi comparavit & instruxit, invadens: qui haud dubitarur, quin illam insulam Domino adempturus fuerit; nisi ille de injuriis satisfeciſſet, viginti millium aureorum summûm decisione.

Cum omnia, tam in urbe, quam in circumjectis locis, tumultibus, latrociniis, cædibus arderent; neque ad maleficia inhibenda satis magna vis esset in Lusardi imperio negligi incepto: octoviri popularis corporis utriusque Factionis rebus regendis creati sunt, cum ampliſſima omnium potestate: ceterum, cum ne sic quidem turba ac tumultus sisterentur, Baptistæque regimen in summum odium & contemptum venisset, Baptista ab octoviris magistratu abire jussus est: in ejusque locum rebus civitatis regendis usque ad novi Vicarii adventum, duo virtute & fortuna præstantes cives suffecti sunt, Antonius Justinianus Longus, & Georgius Adornus, qui *Priores* nominati sunt: quorum illud primum egregium fuit; quod morem in reginminum mutationibus, quæ creberrimæ tum erant, delictis ignoscendi, qui mos licentiam peccandi alebat, salubri lege sustulerunt. Eoque contemptus, sæculi vitio, legirimum imperium venerat, ut nonnulli infimæ sortis ex præfectura Bisamnia homines, qui rurres sacrarum ædium sancti Stephani & Inviolatæ præsidus & armis firmatas tenebant, persuadendo, ac pene precibus & pretio ab illis deducendi fuerint; cum imperio agere periculosum Priores ducerent.

Cum igitur ad extremum ventum esset; nullo legum fræno, nulloque Magistraruum meru dissolutam peccandi licentiam cohibente; affuit tandem necessarium remedium rigidæ severitatis Bocicardi; quæ res postratas erigeret, ruentesque ab interitu sisteret. Is vir multis egregiis virtutibus commendatus, compluribusque rebus gestis clarus, ad magnum honoris & auctoritatis locum apud Regem conscenderat: unus ex Mareschalis, quod est apud Gallos amplissimum munus, ac Legatus in Italia creatus: qui ingenio ferox, corporeque procerus, adspectu ipso malis terribilis, aptus in primis visus est imperio regio fanciendo, ac vulneribus civitatis sanandis. Is, delecta mille peditum manu, ac totidem equitum ala, urbem ingressus est; omni honorum genere à civibus obviam effusis exceptus. Illius adventus spem bonorum ad optima quæque jam inde, cum audirum est illum gubernatorem à Rege creatum, erectam non modo confirmavit, sed mire etiam auxit: quamquam initia ordiendarum rerum ea fuerunt; quæ dubiam existimationem facere possent, utrum ea ad audaciam factiosorum hominum compescendam & infringendam, seditionumque & tumultuum vias præcidendas; an ad imperium Genuæ Regi suo stabiliendum, ab illo compararentur: nam principio, biduo, postquam urbem ingressus est, Baptistam Buccanigram, ac Baptistam Francum Lusardum ea dignitate, iisque familiis ortos, cives, tamquam majestatis convictos, quod regimen civitatis, post illam Regi deditam, Regis injussu assumere ausi essent, capite plecti, inducta causſa, jussit: quod tamen munus uterque à consilio civitatis, liberis suffragiis, ac bonis approbantibus, mandatum acceperat; salvo Regis honore, cum titulo regiorum custodiæ præfectorum; tum, cum, civitate rectoribus orbata, omnia factiosorum & seditiosorum audaciæ exposita essent: qui cives ad supplicium ducti, cum suppositio asseri caput acclinare recusarent; eaque de re rixa & jurgio inter muneris exsequendi ministros & plebem adstantem exorto; cum plebs ingentes clamores sustulisset, Regis nomen subjiciens; hi clamores apparitores, velut alienatos mente, à ministerio exsequendo in se converterunt: qua re factum est, ut Lusardus, impetu capto, ex apparitorum manibus negligentius cum custodientibus se eripuerit; rurbæque favens sese immiscens, ex area prætorii atque ex urbe se propuerit; in suburbanumque suum receperit: ubi cum novem dies latuisset, furtim urbe & finibus Genuensibus incolumis tandem excessit: de Buccanigra supplicum sumptum: Lusardi domus solo æquata.

At insequenti anno ejus sæculi altero arcem loco edito ac civitatis cervicibus imminentem ædifi- A.C. 1402. cavit: turrim enim Castelletti laxum spatium munimento amplexus, valido muro ac prærulta fossa cinxit, lateraque in circuitu turribus firmavit: ad hoc arma civibus ac plebi rusticæ, præter gladios & majoris formæ scorpiones, ademit; quæ io prætorium comportari jussit, per causſam civitatis impensis, quæ io stipendia militum fiebant, levandæ; quorum tanto numero nihil opus fore dictitabat, materia maleficiorum inquietis ac perditis hominibus adempta: postremo Vicarios, Vexilliferos, Comestabiles, nec non opificum Consules plebi ademit; cui omnibus conventibus & coetibus in perpetuum interdixit: Consulesque opificum, tam superioris, quam hujus anni à plebe electos, quæ sese nullum jussum ea de re accepisse dictitaret, carcere incluſos pecunia mulctavit: quæ severe exacta est: quo exemplo perterriti Vapulantium Fratrum ordines, in domos sodalitatum ad statas ac sollemnes precationes convenire destiterunt; veriti, ne res ad cœtuum & conventiculorum interpretationem revocaretur: quæ omnia quamquam liberæ civitati paullo duriora videbantur; cives tamen non æquo modo animo, sed læto quoque ferebant, diuturnitate malorum fessi; atque ærumnas & calamitates, quibus discordiæ civium

ac factioſorum hominum ambitio civitatem involviſſet, adhuc horrentes : unum fuit, quod homines pro cujuſque ſorte varie affecit : non enim coetibus plebi interdicendo, ac magiſtratus illi adimendo, tantam gratiam à primariis civibus, atque ab iis, qui hæc ſellulariorum conventicula tamquam ſeditionum officinas improbabaot, Bocicardus init ; quantum apud tenuiores offendit. Hi conditionem ſuam ingemiſcentes vulgo fremere, ne miſerias quidem ſuas comploranti, atque inter ſe conſolandi relictum locum ; quio etiam, Magiſtratibus ſublatis, neminem fore, qui ipſorum jura defendat ; ac pro ipſis aut in judicio, aut ad civitatis Magiſtratus, aut, ubi res poſcat, vocem mittat : verum hæc non à Bocicardo in primis manare ; ſed à potentioribus & opulentioribus civibus, qui hæc illi ſuggerant, quique hujus uſuram lucis, ſi poſſint, ſibi quoque ſint adempturi : ſpecioſum illos titulum ſeditionum cauſſas præcidendi jactare : quaſi non ipſi harum ipſarum ſeditionum atque omnium civitatis malorum ambitione ſua origo & fons ſint, dum in primum civitatis locum unuſquiſque tendit ; aut quaſi plebs ſe umquam commoveat, niſi ab illis inſtigata ; neque illos pudere plebem novarum rerum cupidam alternis pene verbis appellare ; quarum ipſi non cupidi modo, ſed auctores quoque & effectores ſint : quarumque conſilia non inter ſe dumtaxat, ſed cum exteris quoque Principibus continenter ſtruant.

Ceterum Bocicardi opera adeo grata civibus fuerunt, ut, Dominico Imperiali & Coſma Tarigo Oratoribus ad Regem miſis, emiſis precibus impetrarint, ne Bocicardus ab illo umquam per omnem vitam Genua revocaretur ; cujus prudentia & virtute civitas, ſeſe à præteritis malis reſpiraturam, atque ad priſcum illum felicium temporum ſtatum rediturum, ſperaret. Quæ res impetrata ingenti gaudio civitatem implevit : fuit enim Bocicardus omnibus virtutibus, quæ in claro & celſo viro eſſe poſſunt, vere admirabilis ; ab omni flagitiorum genere omnibuſque libidinum illecebris ac juventutis luſibus natura longe remotus, ad hoc religionis ac ſacratum cerimoniarum, divinique cultus diligentiſſimus obſervator ; cum magnam partem temporis ſacris & precationibus daret. Condecorabant juſtitiæ ſtudium, animi magnitudo, regia liberalitas, intrepidus ad terrores animus, celeritas in negotiis ſuſceptis conficiendis, ingeniumque minime in conſiliis rapidum, ſed omnia circumſpiciens ; quaque re nihil eſt ad hominum benevolentiam magnæ fortunæ viris attrahendam validius, ſumma humanitas, morumque ſuavitas, atque in quotidiana conſuetudine & colloquiis comitas & affabilitas : quibus laudibus id aſſecutus eſt, ut omnis generis hominum voluntates teneret : cum boni eximias virtutes amarent, improbi verenterur. Ejus egregium eo anno opus fuit opidum Monœcum ſitu munitiſſimum Ludovico Grimaldo cum ſuis rebus abire permiſſo ademptum ; ac vallis Aroeiæ cum arce recuperatæ ; quæ tamen exercitum exſpectavit.

Eo anno Famaguſtæ decem humilis ſortis homines de urbe Jano Regi tradenda ac porta Nicoſienſi occupanda conjurarunt : ceterum, cum ad conſilium exſequendum ipſorum paucitas non ſatis eſſet, ſocios conſilii participes exſpectantes, quieſcebant : verum caſus inopinatus periculum diſcuſſit : nam cum quodam die milites, qui erant in ſtatione & cuſtodia portæ, poſtmeridianas horas luſu tabellarum, ut fit, traducerent, contentio inter illos orta eſt ; quæ primo ad clamores & jurgia, mox ad ferrum exarſit : ad quem ſtrepitum cum magnus populi concurſus ex omnibus civitatis partibus factus eſſet ; unus ex proditoribus, qui forte erat in proxima caupona, ſtrepitu exaudito, ratus conjurationis ſocios ante tempus portam occupare voluiſſe, ſubito timore amens, nihilque percunctatus, ad Antonium Guarcum Prætorem accurrit, ſperans ſe, conſilium enunciando, veniam criminis impetraturum ; remque omnem, ut ab initio ducta erat, aperit. Prætor proditores ad unum comprehenſos ac criminis convictos una cum accuſatore jugo ſuſpenſos necavit.

Regnabat tum Janus Luſignianus Genuæ natus & educatus ; magnoque in honore & caritate, dum apud Genuenſes fuit, ſemper habitus : qui tamen Genuenſibus Famaguſtam adimere tentavit, arta obſidione cinctam : quam ſe non prius ſoluturum affirmabat, quam aut urbem cepiſſet, aut cani ſibi nati eſſent, cum unum & vigeſimum ætatis annum tum ageret : qui cum die quodam cum Guarco Prætore ab illo evocatus, ad mœnia accedens in colloquium veniſſet ; Guarcuſque illi beneficia & honores à Genuenſibus perpetuo acceptos memoraret, ingratumque animum exprobraret, qui illis Famaguſtam Petri patruelis, ac Jacobi parentis Regum conceſſu tot annos poſſeſſam adimere ſtuderet, reſpondit : *Nihil omnium, qua dixiſti, Prætor, inficias eo ; Genuaque me natum & educatum glorior ; multiſque beneficiis & honoribus à Genuenſibus, dum apud illos eſſem, affectum numquam negabo ; ceterum neque tu, neque quiſquam mirari debet, ſi mores atque indolem Genuenſium cum lacte quoque imbiberim. Ii, cum exteras ac longinquas Provincias animi magnitudine petere ſoleant, urbiumque & opiderum imperia ſibi in illis parare, magnopere me à Genuenſium meorum virtute & inſtituto degenerare exiſtimarem, ſi urbem mihi finitimam atque in finibus meis ſitam, rationibuſque meis tum aptam, tum autem à Majoribus meis fundatam ditioni meæ adjungere non quærerem. Tu quoque, Prætor, memoria tenere debes, quam multa gravia in cives tuos admiſeris ; dum principatum patriæ tibi parare ſtuderes.* Quibus rebus pronunciatis, nullo reſponſo exſpectato, calcaribus equo ſubditis, è Prætoris conſpectu ſe proripuit. Famaguſtæ ſubſidio tres triremes, Antonio Grimaldo Hieroſolymitani Ordinis Equite præfecto, Genua miſit : qui cum Famaguſtam appuliſſet, Rex obſidionem ſolvit ; Catalanique tredecim naves, quas in portu habebant, demerſerunt.

Eo anno duæ Genuenſium triremes, quæ in Cyprum iter habebant, Iluam inſulam, quæ receptaculum hoſtium eſſet, Domino Plumbini adimere tentarunt : ſed irritum inceptum fuit ; Genuenſeſque caſtellum quoddam improviſo ab ipſis occupatum, reſtituerunt. Eo anno nonnulli trium vallium homines temeritatem armorum adverſus præſentem Reipublicæ ſtatum ſumptorum ultimo ſupplicio luerunt. At Vicarius nullas quamvis minutas officii partes negligens, quattuor opificum rectores ab ipſomet inſtitutos juſſit docentas anniverſarias libras ab univerſis opificibus colligere, eaſque Auguſtinianis Monachis dare, ad damnum compenſandum anniverſarii doni ab ipſo veniti.

Eo anno, cum duo potentiſſimi orbis terrarum Principes, Bajazetes Turcarum Rex, ac Tamerlanus Tartarus, omnes Orientis vires ſecum trahentes, (trecenta enim millia hominum Turca, octingenta Tartarus ſub ſignis habuiſſe dicuntur) internecino bello ac majoribus prope odio quam viribus pugnarent ; Genuenſes Peræ urbis incolæ, poſtulante Tamerlano homine implacabilis iracundiæ, ejus ſigna ſuſtulerunt.

Inſequentis anni initio ejus ſæculi tertii, Baptiſta Luſardus, cum apud Marchiones Varſii exſularet, iis armis, quoniam alia non poſſet, gubernatorem oppugnare cœpit, quæ ſemper magis

A.C. 1403.

petun-

petentem quam petitum fere lædunt ; hoc eſt verbis, probra & maledicta in Vicarium continenter ingerens : quæ Vicarii iracundiam adeo commoverunt ; ut villam Luſardi in ſuburbano Myrteti illico complanari juſſerit : ita Luſardus immodicæ linguæ rei familiaris jactura pœnas dedit.

Eo anno Emanuel Palæologus Græcorum Imperator, qui Conſtantinopoli profectus, ad opem Chriſtianorum Principum adverſus Bajazetem Turcarum Imperatorem efflagitandam, ultra Alpes annum fuerat, domum rediens, Genuam venit : qui honorifice & comiter exceptus eſt, donis etiam cultus, ac tribus triremibus tam in ipſius, quam in locorum, quæ Genuenſes in Orientis Provinciis poſſidebant, defenſionem conceſſis.

Eodem anno Rex Cypri iterum Famaguſtam, copiis admotis, obſidere cœpit : adverſus quem claſſis novem triremium, duarum galeatarum, ac ſeptem Imperatorem corbitarum decreta eſt : cujus is ipſe Vicarius præfectus fuit. Quo motu audito, Rex Genuam pacem poſtulatum miſit, neque illam impetravit ; omnibus laſcivientis Regis audacium bello domandam clamitantibus. Igitur gubernator, cum Cyprum appuliſſet, Regi ſupplici ac nullas conditiones recuſanti facile pacem dedit, cum majoribus rebus immineret ; omnibus prius impenſis in claſſem factis ab illo perſolutis. Vicarius, rebus Cypriacis pacatis, Candelorum petit ; navibuſque, quas in eo loco nactus eſt, incenſis, Dominum Candelori ſupplicem in gratiam & amicitiam recepit : indeque profectus Berytum appulit, urbemque diripuit : quod ne idem Alexandriæ faceret, ab adverſis ventis prohibitus eſt : cumque pacem à Sultano impetrare non potuiſſet, quam ille ultro oblatam reſpuit ; claſſiſque Genuenſis, multis partim mortuis, partim ægrotis, imbecilla ac manca facta eſſet ; itinere retro converſo, Genuam repetit : cum tres triremes, duæ Rhodienſes, una Chienſium ſeſe illi in itinere addidiſſent. Quo Peloponneſum prætervehente, undecim Venetorum triremes ac duæ galeatiæ ex portu Junco prodeuntes, pace violata, impetu in illum facto, tres triremes capiunt : quas Methonem trahunt ; captivoſque Genuenſes Venetias mittunt : gubernator cum ſex reliquis triremibus iter perſequens, Veneta galeatia, quæ forte in illum incidit, capta, Genuam pervenit.

Hic annus non omnino à civilibus motibus quietus fuit ; quorum ſuſpicione triginta Genuenſes cives exſulio mulctati ſunt. Pudet illorum temporum ignominias civitatis noſtræ referre ; quæ eo contemptus venerit, ut duo privati cives, Caſanus Auria ac Baptiſta Luſardus, auſi ſint per litteras patentes ſuas bellum Reipublicæ indicere : qui Saxello opido profecti, cum Arenzanum uſque perrexiſſent, ab urbanis copiis adverſus eos, Bartholomæo Grimaldo Duce, miſſis, repulſi ſunt. Ac ne illud quidem exiguum dedecus fuit ; ſex hominum millia ad oppugnandum Saxellum miſſa re infecta rediiſſe ; cum tamen in reditu ditionem Marchionum Varſiorum non exiguis cladibus affeciſſent : ceterum opidum Saxelluin paucis poſt diebus à Caſano & fratre in gratiam receptis Reipublicæ traditum eſt, ea conditione, ut diruere-tur. Eodem anno Gerardo Appiano Plumbini Domino petenti pax data ; cum decem millia aureorum nummûm ad damna reſarcienda perſolviſſet.

Eo anno Pileus Marinus Archiepiſcopus Genuenſis morum ſanctitate venerabilis, ad reliquum curſum vitæ ſacerdotaliter ſemper actæ facinus cum ſingulari pietate conjunctum, atque ad omnem poſteritatem memorabile addidit : totus enim in animarum ſalute procuranda, moribus ſacerdotum corrigendis, religioniſque ac ſacrarum rerum cultu ſtabiliendo & amplificando, animo & cogitatione defixus, alterum munus veſtigalium ac bonorum Eccleſiæ procurandorum, reinque pecuniariam adminiſtrandi tamquam ſordidum & ignobile atque Epiſcopo indignum adſpernatus ; quattuor primarios cives ſibi publice datos collegas adſcivit ; quos curationi huic bonorum Eccleſiæ in egeſtatem miſerorum ſublevandam diſtribuendorum, ac rei nummariæ tractandæ à ſe & à ſucceſſoribus in perpetuum ablegatæ præfecit : qui Magiſtratus à re, miſericordiæ appellatus, ingentia incrementa paullatim accepit ; ampliſſimis juribus à Romanis Pontificibus, & à Republica auctus.

Inſequenti anno pax cum Venetis renovata eſt à procuratore ea de cauſſa Genua Venetias miſſo, gubernatoris permiſſu ; qui tamen privatas inimicitias atque odium in Venetos non depoſuit ; litteris ad Michaelem Stenum Venetiarum Ducem, & ad Carolum Zenum præfectum claſſis, quæ ſuperiore anno Genuenſem claſſem invaſerat, in hanc ſententiam privatim datis, quas non ab re duxi hic inſerere : *Joannes Lemengrius cognomento Boucicardus Mareſchalus Francia, Michaeli Steno Duci ac Carolo Zeno civi Veneto ſalutem d. Litteris veſtris ad Regem meum prodem datis, quibus me falſa invidia pacis violatæ onerare ſtuduiſtis ; erroremque, quod in vos valet, in me transferre non erubuiſtis, jamdudum reſpondiſſem ; niſi me Gallarum & Genuenſium, quos Venetus captivos habebatis, reſpectus tenuiſſet : quibus nunc dimiſſis, faciendum mihi exiſtimavi, ut calumnias & mendacia veſtra refellere non amplius dubitarem. Scripſiſtis, me in urbe Beryto bona ac merces Venetorum depradatum eſſe : ſi id feciſſem, ſummo cum ratione feciſſem, atroci veſtra injuria provocatus ; quorum Conſulem civitatis Nicoſiæ non pudnit, certo navigio miſſo, Syrios religionis noſtra hoſtes monere, ſibi a me caverent, qui eo cum exercitu brevi appulſurus eſſem : ceterum prada Beryto abacta ita exigua fuit, ut verſimile non ſit, merces Venetas in ea fuiſſe : qua res cum Venetorum ipſorum veſtrorum facto, tum meo comprobatur : nam, cum tanta ſit in illas regionibus Venetorum multitudo ; nemo tamen ad me expoſtulatum, ac res Venetorum repetitum venit : neque ego naves, aut res veſtras, quas Famaguſtæ in portubus ac Rhodi habebatis, cum id mihi expeditum eſſet, attigi ; quod utique feciſſem, ſi nullare-rum veſtrarum cupiditas me tenuiſſet. Nam, quod ſcripſiſtis, te Carolum, cum ego Methonem prætervehere-r, in animo habuiſſe, pro amico mihi obviam venire, ac pradam ad Berytum factam amicabiliter repetere ; ceterum cum animadverriſſes, me hoſtili animo ad vos accedere, te ad neceſſariam pugnam a me attractum : in qua te victorem diſceſſiſſe, tribus triremibus de meis captis, ac reliquis in fugam conjectis, gloriatus es. Ea in re quid aliud vos egiſſe putatis, quam ut ad perfidiam injuriamque rupti fœderis mentiendi quoque impudentiam adderetis ? quo modo enim ego hoſtili animo accedere ad vos potui, qui ſanctorum ac regendæ armis inhabilium claſſem plenam haberem ? quam, ſi hoſtili animo in vos fuiſſem, magno bellatorum numero firmare potuiſſem, quorum magnam copiam in onerariis reliqui : ceterum cum me per amicorum littora pacatum iter facturum crederem, neque fides veſtra, quos nulla in re laeſiſſem, mihi ſuſpecta eſſet, nulla cauſſa viſa eſt, cur inutili pondere triremes onerarem : verum, quoniam virorum fortium ſemper fuit armis potius quam verbis de rebus dubiis contendere, age, cum utro noſtrum veritas ſtet, ferro decernamus : alteruter igitur veſtrum ad ſingulare certamen provoco, quod ſi ſocios laboris & diſcriminis adſciſcere libet, numero inferior manum conſerere ſum paratus, juſtitia cauſſa & divini Numinis favore confiſus : quare ſex ſocios alteruter veſtrum ſibi, ego quinque mihi aſſumamus : quod ſi numerum multiplicare placet ; duodecim*

tum vos, ego decem; vos decem ollo, ego quindecim; vos viginti quatuor, ego viginti; vos triginta, ego quinque & viginti, modo neminem, niſi Venetos ducatus. Venetis enim ſolis laſſitu, neque ego quemquam, qui non aut Gallus, aut Genuenſis ſit, cum utrique laſſi ſimus, ducam. Quod ſi magis certamen navale vobis tanquam illi magis aſſuetis cordi eſt; ſingulis triremibus aquo Marte concurramus, qua neminem ſic de cauſſis, quas dixi, niſi harum naſcentem vehant. Quibus litteris Venetias à certo nuncio delatis, nihil à Venetis reſponſum eſt.

At Bocicardus, ſive de Genuæ imperio Regi ſuo ſtabiliendo magis quam de ſalute Genuenſium laboraret, ſive hac ipſa in Regem ſancita obedientia ſalutem Genuenſium contineri putaret, nimis acribus remediis civitatis vulnera potius exaſperabat, quam ſanabat; dubiamque exiſtimationem fecerat, utrum duriora eſſent ea, an ſuperiora Reipublicæ tempora, & utrum præterita diſſoluta illa licentia, ac nimius libertatis abuſus civitati perniciofior eſſet, an infinitum Gallorum & Bocicardi imperium acerbius: nam, quamquam ab inteſtinis tumultibus ac turbulentis illis ſeditionum procellis, quæ à verborum contentionibus ad manus ſæpe & ferrum revocabantur, quies facta erat; majeſtatis tamen antea ignotum crimen non minus civitatem exercebat: cum antea, civium ſtudiis in varias ſectas diſtractis, altera Factio adverſus alteram inſurgeret, armaque in illam ſumceret; nemo ſe, præſentem rerum ſtatum, ac Factionem tum regnantem oppugnando, contra Rempublicam venire, aut majeſtatem publicam lædere putabat; ſed inimicum ſuum de principatu per vim adepto vi dejicere contendebat: contra quem conſpirationes palam fiebant; ac conſilia de illo evertendo non ſolum inter cives, ſed cum exteris Principibus ineabantur: quod tum aut nullum crimen putabatur, aut perleve, ac vix animadverſione dignum: cum etiam regnantes ipſi, adverſus quos arma ferebantur, facile id in aliis ignoſcerent quod ad ſe aliquando perventurum vererentur: at tum, mutata ratione, non modo arma ſumere, aut occulta conſilia contra præſentem rerum regiarum ſtatum inire, quæ res ſemper impunita fuerat, capitale erat; ſed paullo liberiores quoque ſermones capite puniebantur: quotidieque homines, ac primario orti loco adoleſcentes ea de cauſſa ad ſupplicium rapiebantur; quarum rerum judicia ad voluntatem & imperium Vicarii, non ad legum municipalium præſcriptum dirigebantur, quas ſeſe Vicarius in majeſtatis inſimulatis non obſervaturum palam ferebat: ut non magis olim diſſoluta impunitate, quam nunc nimia ſeveritate, Genuæ laboraretur; præteritaque mala diuturna aſſuetudine minus ſentirentur; horum morſus inſuetis acutiſſimus eſſet. Neque vero natura rerum ſubitas mutationes fert; neque ab altero extremorum ullus eſt, niſi per medios gradus tranſultus: inveterati enim animi habitus, aut non deponi poſſunt omnino; aut contrario ac frequenti & diuturno uſu tolluntur: accedebat aliud non levius malum, tributa atque inuſitata vectigalia: quæ cum civibus ac plebi urbanæ gravia erant, tum vero ditionis Genuenſis incolis ita acerba, ut populorum defectiones quotidie publice fierent; complureſque hominum greges ab ultima deſperatione in rabiem verſi, cacuminibus montium occupatis, anguſtiſque viarum inſeſſis, populationibus, latrociniis, cædibus infeſta omnia facerent: ac non modo publicani, atque ii, quibus ea procuratio obvenerat, ad exigenda tributa circummiſſi à latronibus, ſi in eos forte incidiſſent, ſed ipſi quoque Prætores ac rectores opidorum ab ipſis populis, quibus præerant, præſenti acerbitate metum pœnarum vincente, jugularentur.

Eo tempore Antonius Guarcus infimulatus conſiliorum adverſus regiarum rerum ſtatum Papiæ initarum, exſilio mulctatus eſt; ingentibus præmiis propoſitis, ſi quis hominem, vel vivum, vel mortuum in manus regiorum rectorum daret: neque earum effectu conſilium, Guarco paucis poſt menſibus Papiæ à ſex ſicariis circumvento & interfecto; qui tanti ſceleris facinus haud diu impunitum tulerunt: in eadem enim urbe à Magiſtratu comprehenſi, ignominioſo ac crudeli ſupplicii genere perierunt; cruribus boum per terram tracti, ac membratim lacerati.

Eo anno cum Philippo Maria Vicecomite tum Papiæ Comite, ac Facino Cane inductæ annuæ factæ ſunt. Is vir, compluribus claris geſtis rebus, magnum ſibi nomen in rebus bellicis fecerat, ad magnamque potentiam peramplumque opidorum & populorum dominatum pervenerat; ejuſque nomen terribile finitimis Principibus & populis erat: cum quibus privata ſorte natus homo fœdera jam & ſocietates atque amicitias jungebat.

Non urbs modo Genua per ea tempora inteſtinis malis laborabat; ſed Chriſtiana quoque Eccleſia eodem morbo affligebatur, in duas partes ſciſſa: quarum altera Benedictum à Luna Catalanum genere, qui Avenione ſedes ac domicilium collocarat; altera Innocentium, qui Romanum ſolium tenebat, ſequebatur. Genuenſes igitur ad Benedictum ſeſe applicarunt; non tam à Vicario regio ac Ludovico Fliſco (qui relicto Gregorio ad Benedictum tranſierat, ab illo in Senatum lectus) ſumma contentione pugnantibus inducti, quam venerabilis Archiepiſcopi auctoritate & ſententia commoti: qui, ſacro ordine ſæpe convocato, de Theologorum conſilio re diu ac multum diſputata, Benedictum ut verum Pontificem colendum decrevit: qui Benedictus, cum compoſitum cum Innocentio fuiſſet, ut in locum medium ambo convenirent, in quo de pace Eccleſiæ conciliandæ agerent, Avenione profectus, inſequenti anno ejus ſeculi quincto Genuam venit ſex triremibus vectus: omni regii apparatus ſplendore, omnique effuſæ lætitiæ ſignificatione exceptus, atque omni venerationis & obedientiæ officio cultus; arce quoque ipſa Caſtelletto illi honoris cauſſa in manus data. A.C. 1405.

Hoc anno Piſani ingenti ſeditione adverſus Gabrielem Viceconitem conſurrexerunt; quem principatu urbis ejecerunt, cum arces obtinere non potuiſſent. Quam rem cum Regi ſuo, in cujus fide Vicecomes erat, gravem & moleſtam fore, Bocicardus intelligeret; protinus cum duabus triremibus, altera majoris, altera minoris formæ Liburnum contendit; Piſanoſque hortatur, ut Gabrielem in urbem revocatum, Dominum agnoſcant: quibus recuſantibus, indignatus Bocicardus, annona illos intereludere aggreſſus eſt: quod inceptum haud parvo illi ſtetit; triremi Bocicardi, quæ ea de cauſſa Arnum flumen ingreſſa erat, à Piſanis una cum Bocicardi fratris filio ac nonnullis Genuenſibus è civitatis principibus capta: quo ſucceſſu vehementer irritatus Vicarius, Vicecomitem induxit, ad urbem ipſam Piſas Florentinis vendendam, Liburno opido ſibi dimiſſo, Florentinique ab Vicecomite in poſſeſſionem arcis inducti ſunt: in qua cuſtodienda tam ſupina negligentia illorum fuit, ut, cum ſumma omnium admiratione, à Piſanis ex eo ſex poſt diebus ejecti ſint. Vicarius cum nihil proficeret, Genuam reverſus, urbem gravi peſtilentia laborantem offendit; qua in dies magis ſævienre, ipſe ac Pontifex coacti ſunt Genua excedere, cum etiam cives, urbe relicta, in ſuburbana ſua conceſſiſſent: qui Pontifex Saonam ſe contulit, inde Finarium;

narium, atque deinceps Monoecum, & Nicæam; tandem Massiliam reversus est, cum in singulis hisce locis aliquot dies substitisset.

Interea Florentini urbe Pisis arta obsidione circumsessa, mense, postquam arce exturbati fuerant, ab Joanne Gambacurta Pisanorum præfecto pretio quinquaginta millium aureorum nummûm empto prodita potiuntur, exercitu in urbem introducto; omnesque Pisanorum arces obtinuerunt, præter Liburnum opidum, quod Bocicardus à Vicecomite traditum semper retinuit. Hoc anno Innocentius alter ex Pontificibus Romæ mortuus est: in cujus locum Angelus Cornarius Venetus successit, dissidio Ecclesiæ adhuc durante, ac tum, ut eum maxime vigente; cum uterque Pontifex se cupidum res componendi simularet, cujus caussa se pontificatu abdicare paratum verbis præ se ferret, re autem uterque ab ea cogitatione remotissimus esset.

A.C. 1407. Annus ejus sæculi septimus duabus rebus memorabilis in primis est; imperio aucto, finibusque Genuensibus prolatis, atque Magistratu sancti Georgii instituto. Sergianenses, cum cernerent in Gabriele Vicecomite Domino suo non satis virium esse, ad ipsos à Florentinis, quorum nomen abominabantur, defendendos, impetrarunt, ut sibi ipsis ac rebus suis consulerent: sui igitur potentes facti, se in fidem & ditionem populi Genuensis tradere statuerunt: eaque de caussa Gcouenses Francisceum Justinianum, sollertis ingenii virum, Sergianam miserunt: inter quem (Antonio Marchione Mulatii discepatore, ac pro communi amico se interponente) & Sergianenses convenit, ut illi sese ditioni Genuensi subjicerent: ad cujus urbis possessionem accipiendam illico Genua profecti sunt. Guhelmus Medulius Gallus, Ligusticæ oræ Orientem spectantis præfectus, & is ipse Franciscus Justinianus, qui cum Sergianensibus transegit; ac Carolus Lomellinus, qui ab Jacobo Mercante Jurisconsulto Sergianæ Prætore in possessionem urbis Sergianæ, opidorum Castelli novi, Falcinelli, Sancti Stephani, arcis Sergianensis, arcis Firmæ fidei inducti sunt: pretio bellicorum apparatuum, qui in arcibus inventi sunt, ac stipendiis arcium præfectis & militibus debitis persolutis. Sergianæ Liburnum additum est, à Bocicardo Reipublicæ dono datum: cui tamen Genuenses impensas in reparandum opidum, in ejusque custodiam factas persolverunt: quæ summam viginti sex millium aureorum nummûm confecerunt. Sub finem mensis Octobris tanta vis imbris dejecta est, quæ multis in locis fœdas murorum ipsorum urbis atque ædificiorum strages fecerit; subterraneorum quoque specuum & cloacarum fabricis corruptis & prostratis.

Eo anno Magistratus sancti Georgii institutus est, atque altera prope Respublica Genuam inducta: cujus rei caussa & origo hæc fuit. Cum assidua impendia in bella ac classes, quæ armabantur, atque alia, quæ tempora Reipublicæ necessario postulabant, facienda essent; pecuniæ à privatis hominibus, deficientibus publicis, crebro mutuæ sumendæ erant: quibus, vectigalibus ipsis illis oppigneratis, cavebatur; fœnusque ex ipsismet vectigalibus mutuatarum pecuniarum creditoribus persolvebatur: quod varium erat, caputque ipsum in portiones dividebatur, quas centenarum librarum esse placuit; ut qui mille libras mutuas dedisset, decem portiones in vectigalibus haberet, pro quibus singulis certum fœnus anniversarium perciperet: cuique autem vectigali oppignerato certus numerus civium publice præficiebatur; qui ratione crediti ac fructus vectigalium subducta, debitum fœnus quotannis creditoribus cum fide persolveret: ceterum cum res, alio super aliud vectigali deinceps oppignerato, (ita egestate publica cogente) in immensum crevisset; singulisque vectigalibus oppigneratis certum numerum civium præfici necesse esset, tantaque multitudo confusionem pareret; distracta hæc membra in unum corpus contracta ac compacta sunt: cui octoviralis Magistratus præfectus est; qui veteribus nominibus, quibus vectigalia inter se distinguebantur, omissis, sancti Georgii appellatus est: jusque hoc illi additum; ut non jam publice, ut antea, exigeretur, sed à creditoribus tantummodo, ac vectigalium oppigneratorum participibus quotannis crearetur: qui nulla in re rectoribus civitatis ac prætorio subesset, neque ab illis penderet; sed suas separatas ædes, suaque segregata consilia à Republica haberet; consilioque universæ civitatis haudquaquam consulto, sed altero consilio, quod è participibus tantum constaret, convocato, de rebus suis pro arbitrio statueret, quodque statuisset, jus esset, atque omnes participes teneret: rectoresque civitatis ante initum magistratum ad jusjurandum adigerentur, (id quod perpetuo servatum est) sese res sancti Georgii non attacturos, neque quidquam de ejus juribus imminuturos. Quod participum corpus, alia ex alia necessitate bona publica oppignerandi in dies exoriente, in immensum numerum crevit; ejusque dignitas & potentia majus robur in dies assumpsit, insulæ Corsicæ ac nonnullorum aliorum Reipublicæ locorum imperio illi adjuncto: ut sic iisdem mœnium septis (res à nullis Legillatoribus umquam excogitata, ac nullis Philosophorum disputationibus agitata) duæ Respublicæ includantur; altera turbulenta, ac discordiis civilibus & seditionibus jactata & lacerata; altera quieta & pacata, incorruptos priscos mores retinens, rectique domi ac foris exempli.

Interea Benedictus, consilius de Pontificum congressu repetitis, Genuam venerat: ubi perpaucos dies commoratus, undecim Cardinalibus ac Bocicardo concordiæ Ecclesiæ avidissimo comitantibus, anno sequenti incunte ejus sæculi octavo Portum Veneris perrexit; quo in opido quinque menses substitit: quibus internuncian- A.C. 1408. do, litterisque ultro citroque mittendis absumptis; cum consilia ac capitibus conferendis non successissent, à quibus uterque abhorrebat, quamquam contrarium in speciem præferret; Benedictus, classe sex triremium consensa, in Cataloniam, ora Genuensi nusquam tacta, iter dirigit. Pileusque Archiepiscopus, antiquorum morum vir, ac divini Numinis metuens, cum utrumque extrahere & ludificare cognovisset, veritus, ne se aliqua contagione commacularet, Ecclesiæ procuratione relicta, in Etruriam in solitudinem concessit. At Genuenses, consilio universæ civitatis convocato, coram ipso Vicario re ad suffragia deducta, statuunt, neutri Pontifici non rectis sensibus ambulanti parendum.

Eodem anno Gabriel Vicecomes Galeacii filius nothus, is, qui Pisas, Bocicardo auctore, Florentinis vendidit, insimulatus consiliorum adversus regiarum rerum statum clam initorum, capitali supplicio à Bocicardo Genuæ affectus est: qua in re nomini Bocicardi omni sordium infamia ad eum diem intacto ingens labes adspersa est: ajunt enim Bocicardum immanem pecuniæ vim pro Florentinis interecessisse, quam cum dissolvere pigeret, pessimo exemplo creditorem sustulisse. Hoc à certioribus auctoribus traditur, mihique verisimilius fit: quid enim rei esse potorat, quamobrem homo è Vicecomitum genere sese rebus Genuensibus interponeret; aut regiarum rerum statum turbare aggrederetur? cum præsertim Genuenses ipsi nullum ejus cogitationis signum darent: qui etiam, si maxime id

tum animo agitarent, quid opis aut opportunitatis eſſe poterat in externo homine egente, omnibuſque rebus ſuis ſpoliato, ut de tanta re cum illo conſilia conferrent.

Per idem tempus à familia Juſtinianorum, ceteris civitatis principibus ſibi adjunctis, ingens tumultus in urbe Chio excitatus eſt; cum regiminis Bocicardi tæderet: qui armis arreptis, arce in ſuam poteſtatem redacta, Prætoreque dejecto, alium in ejus locum ſufficiunt: adverſus quos
A. C. inſequenti anno ejus ſæculi nono Conradus Auria
1409. cum tribus ingentibus corbitis parique triremium numero miſſus eſt: cognatique & affines Chienſium Genuæ in cuſtodiam in arcem dati. At Conradus, cum menſe Junio Chium appuliſſet, quatuor dierum oppugnatione ſuburbia urbis cepit, quam cum & ipſam oppugnare pararet; ſubit animum cogitatio, bellum non cum extero hoſte, ſed inter cives ipſos Genuenſes, & affines, ac cognatos geri: colloquiis igitur de pace & reconciliatione inſtitutis, rem leniter ducendo brevi ad effectum perduxit, Chienſeſque, fine pertinaciæ facto, ad obedientiam Reipublicæ & Vicarii regii reduxit: nonnullis ex primoribus civitatis exſulio mulctatis. Igitur Conradus, re feliciter confecta, urbeque præſidio firmata, ac rebus conſtitutis, Genuam rediit.

Per ea tempora Concilium univerſæ Eccleſiæ, quod Piſas convenerat, pontificatum Benedicto & Gregorio abrogavit; renitenteſque, neque ſententia à Concilio lata ſtantes, hæreticos atque Eccleſiæ hoſtes pronunciavit. Quare Cardinales viginti numero, ab utroque miſſi, conclavi incluſi, Petrum Philardum Cretenſem Cardinalem Franciſcani gregis Monachum Pontificem creant; qui Alexander quinctus nominatus eſt, à quo Ludovicus Dux Andegavenſis, qui per eos dies iter Piſas habens, Genuam venerat, trirememque à Genuenſibus commodatam claſſi addiderat, titulum Regis Siciliæ accepit: quem eundem titulum Gregorius Ladiſlao dederat.

Per ea tempora res Mediolanenſis inteſtinis malis ac civilibus diſſenſionibus laborabat; Vicecomitibus ipſis principibus inter ſe diſcordibus, ac mutuis odiis flagrantibus: cum Philippus Maria Papiam urbem teneret, cujus Comes appellabatur; Joannes Maria Dux eſſet Mediolani: quæ diſcordiæ ſtudia civium diviſerant; ac Guelphas & Gibellinas partes accenderant: quæ res adeo potentium atque opes Vicecomitum fregerant; ut, qui antea opulentiſſimam Italiæ partem, nobiliſſimiſque urbibus frequentem late patente imperio obtinuiſſent, fineſque circumpadanæ regionis egreſſi, Piceno, Emiliæ, Etruriæ ſe ſuperfudiſſent, totique reliquæ Italiæ formidoloſi eſſent, nunc contempti, atque ab omnibus deſpecti jacerent: Mediolanenſiſque ditio, quæ perexigua illis reliqua erat, omnibus belli cladibus ureretur, exterorum armis continenter petita & lacerata: quibus cum reſiſtere Vicecomites ſuis ipſi opibus non poſſent; hoc unum remedium malorum invenerant, ut aliquem, vel populorum dominatu ac ſuis opibus potentem, vel bello clarum atque ingentes Factiones hominum ſecum trahentem accerſerent; cumque belli, atque armis, rebuſque Mediolanenſibus regendis, cum ſummo imperio præficerent; quem gubernatorem appellabant. Igitur Antonius Turrianus, qui tum ſummum potentiæ & auctoritatis locum Mediolani, atque apud Ducem obtinebat, totaque, quæ cum illo conſpiraverat, Factio, Duci perſuadent, ut Bocicardum gubernatorem accerſat: nullis enim majoribus opibus res ſuas illum communire poſſe, quam hominis ſtrenui primum, ac fortis magnique animi, & conſilii viri; ad hoc Gallorum favore ſubnixi, tum ſutem Genuæ viribus, quæ in ipſius manu eſſent, fultum. Accerſitus eſt igitur Bocicardus; cujus prudentia hanc haud levem exceptionem habuit, animi vaſti, ac magna & immoderata ſemper ſpectantis, præque hac cupiditate non ſatis omnes eventus circumſpectantis, quod tum illi accidit; qui, dum nimia in urbe quoque Mediolano regnandi cupiditate abripitur, Genuam amiſit. Is igitur tantæ ultro oblatæ rei occaſionem non læte modo, ſed cupide arripiens, magna pecuniæ vi publicæ mutuo accepta, Genua profectus; in qua Ugonem Alvernum præſidem reliquit; jugis ſuperatis, cum rem magni certaminis fore provideret, hinc Malteſtarum potentiſſima ac clara genre, inde Marchione Montiſeracis ſocietate Facini Canis ſulto, eidem loco imminentibus, magnas pedeſtres & equeſtres copias inter Novas & Gavium Genuenſis ditionis opida coegit: ſex enim millia peditum, ac plus quinque millia equitum ſub ſignis habuiſſe dicitur: cum quibus copiis iter Mediolanum intendit.

Eſſe cœperant Genuenſibus tædio & faſtidio Gallorum mores; Bocicarduſque præter inexpiabile plebis in ſe odium, quod illa ob Magiſtratus ademptos numquam depoſuerat, cunctis ordinibus inviſus factus erat: ſive id illius culpa, ſive Genuenſium ingenitorum vitio; qui cum libertate niſi ad ſuam perniciem uti neſcirent, externa tamen imperia ferre nondum didicerant: quorum ſermones, cum partim metus, partim verecundia præſentis Bocicardi comprimeret; cum ab oculis faceſſiſſet, eruperunt: vulgo igitur pro ſe quiſque fremere, haud diutius ferendum virum impera nimium, atque omnia conſilia ad poſſeſſionem Genuæ Regi ſuo ſtabiliendam, dirigentem; præque illis nullam boni publici ac civitatis commodorum rationem ducentem; quam immo odus finitimorum Principum aſſiduis injuriis ab ipſo læſorum involveret. Quibus motibus cognitis, Baptiſta Luſardus, qui tum apud Marchionem Montiſeracis exſulabat, Marchionem ipſum ac Facinum Canem ſocietate armorum cum illo conjunctum, quibus multis de cauſſis Bocicardus capitaliter offenſus erat, in illum inſtigare cœpit; nullam præclariorem aut expeditiorem viam hoſtis evertendi eſſe dictitans, hoc Genuenſium motu: nullam igitur eſſe rationem tantæ occaſionis omittendæ: cum præterea ſpem faceret, principatu civitatis Genuæ potiundi; quæ multi, levioribus opibus fulti, eſſent adepti. Aſſentiuntur Luſardo, neque illam occaſionem ullo modo omittendam dicunt Marchio & Facinus; dictiſque facta continuantes, Marchio cum octingentis equitibus, ac mille octingentis peditibus; Facinus cum mille octingentis cataphractis equitibus, duobuſque peditum millibus, movent; munera inter ſe ita partiti, ut Marchio ab Oriente, Facinus ob Occidente urbem ancipiti bello circumſiderent. Interea Genuæ, cum univerſa civitas, omneſque ordines in Gallos conſpiraſſent, Legatus à Bocicardo relictus ſeſe imparem ad reſiſtendum ſentiens, iter arcem verſus, compluribus primariis civibus comitantibus, cepit: quo antequam perveniret, à Porciferano quodam, cujus fratrem præſes ſuſpendio necarat, interfectus eſt: quod exemplum plebs imitata, alte inſidens odium in Gallos expromere cœpit; omnes quicunque in ipſum incidiſſent, interficiens. Præſide interfecto, cum civitas reſtore careret; poſtero die duodecimviralis Magiſtratus electus eſt ex popularibus & nobilibus Guelphis & Gibellinis æqualiter conſtans, qui rebus præeſſet: ceterum Marchione & Facino appropinquantibus, nullaque re Genuæ ad reſiſtendum parata; ingens formido civitatem inceſſit:

cum

cum præſertim gentem Facini rapto vivere aſſuetam à præda contineri poſſe, non ſperaretur : ut multi direptionis metu urbem relinquerent, quæcumque ſuarum rerum poterant, ſecum aſportantes; cum mulieres & imbellis ætas juſſu Magiſtratus in naves, quæ erant in portu, ſe ſubduxiſſent. Tandem, cum Marchio & Facinus venſſent; illeque in valle Biſamnia ſub ipſa mœnia urbis caſtra poſuiſſet, hic in littore ad ſanctum Petrum Arenæ appellatum aliquanto longius ab urbe conſediſſet; civitas ſingulos Oratores ad utrumque mittit : quorum alter Marchionem ad urbem intrandam, Magiſtratus verbis incitavit; alter Facinum oravit, ut, quoniam nullius ipſius eſſet uſus, Marchione in civitatem introducto, diſcedere ne gravaretur : qui civitati morem gerens, caſtris retro motis, in ſua ſe recipit : Marchio omnibus bonoribus & plauſibus, omnibuſque lætitiæ ſignificationibus à cunctis ordinibus obviam effuſis exceptus, ad locum diverſorii magnifice apparatum deductus eſt. Eodem tempore imperium civitatis Gallorum Regi, qui tot locis fidem pactorum violaſſet, Bocicardoque regimen eſt abrogatum. Theodoruſque Palæologus Marchio Montiſferacis præfes civitatis, ac præfectus militarium rerum in annum eſt creatus : qui eo jure eſſet, quo Genuenſium Duces libero ſuffragio creati eſſe ſolerent; idemque ſtipendium haberet.

Interea Bocicardus præfecturam Mediolanenſem adeptus, motibus Genuenſibus auditis, Mediolano cum omnibus copiis raptim profectus, eodem die, quo juga tranſcendere parabat, ſibi regimen abrogatum audivit : quare non par ſibi cum tot ac tam potentibus hoſtibus certamen eſſe intelligens, in fines Principis Achajæ in Subalpinam regionem conceſſit.

Eodem anno tamquam parum diſcordiarum eſſet, intium factum eſt, Factiones Guelpham & Gibellinam renovandi; quæ jam diu vel exſtinctæ, vel conſopitæ erant : quattuor civibus electis; duobus nobilibus, totidem popularibus, omnibus Factionis Gibellinæ : quibus negotium datum eſt militum regendorum, ac mœnium tuendorum, arciſque expugnandæ : quam rem cum Gibellini à Guelphis graviter ferri ſentirent; non injuriam mitigare, ſed eam porro aggravare, Guelphoſque magis ac magis premere pergunt. Igitur viribus, quibus plus poterant, abutentes, pervicerunt, ut ſummus duodecimviralis, ac ceteri urbis Magiſtratus omnes è Gibellinorum corpore, præteritis Guelphis, crearentur : quibus etiam, ut ab eorum occultis machinationibus tuti eſſent, arma ademerunt; multis ex illis ultra urbem Saonam exſulto ſubmotis. At ii, quibus ea procuratio obvenerat, rebus ſatis comparatis, menſe Septembri nondum exacto, arcem magno impetu invadunt : in qua oppugnatione virtus & audacia Benedicti Cavalleru ex opido Vulture emtuit; qui primus prima munimenta tranſgreſſus, ad radices primæ parvæ oppoſitæ turris pervenit; qui virtutis ergo torque aureo donatus eſt : quibus rebus confectis, arx, bombardis ſtaturis, acri & juſta oppugnatione urgeri cœpta eſt, quam ſe diutius ſuſtinere non poſſe Galli intelligentes, incolumem diſceſſum cum omnibus rebus ſuis pacti, dedition em fecerunt; ea conditione, niſi ſubſidium intra octo dies in arcem introduceretur : quibus peractis, ſubſidio nuſquam apparente; Galli cum fide incolumes dimiſſi ſunt : in quibus fuit Narbonæ Dominus, qui paullo ante in eam arcem ſe ſubduxerat, cum magnam auri vim ſecum tuliſſet. At Guelphi, Luca & Ludovico Cardinali Fliſcis auctoribus & faventibus, opido Portu Delphini occupato, arcem communiunt : contra quos Ubertus Spinula & Raphael Montaltus cum delecta armatorum manu terra, ingentique corbita ac triremi mari miſſi ſunt : qui arcem expugnarunt; mulieribuſque inviolatis & intactis, tres & octoginta viros captivos Genuam duxerunt; qui omnes in carcerem incluſi ſunt. Qua re Cardinalis & Lucas perculſi, Recco opido excedunt : cujus Lucæ ædes in eo opido loco edito inſtar arcis ædificatæ juſſu Magiſtratus diſtrui batæ ſunt. Eodem tempore Conradus Auria ad opidum Portum Veneris, quod Galli adhuc tenebant, recuperandum, cum tribus triremibus miſſus, ſpe, qua venerat, fruſtratus, ne expedito ſine effectu omnino eſſet, copiis Trebiano & Vernaciæ admotis, utrumque opidum expugnat.

Per idem tempus Bocicardus occulta conſilia Saonæ cum nonnullis agitarat, de ea urbe Gallis tradenda : quæ cum emanaſſent, Saonenſes, armis arreptis, proditores urbe expellunt; quinque eorum captis ac ſuſpendio necatis. Facinus egregium ad littus Valentiæ urbis à Paulo Interiano editum, ob quod immunitate ipſe, totaque ejus familia publice donata eſt, omittendum non fuit. Is navim, quæ Baraſiam celebris nominis piratam vehebat, invaſit; quam poſt longum & cruentum prælium, in quo Baraſias ipſe haud leve vulnus accepit, tandem expugnavit : cum ii, qui erant in navi capta, Baraſiam, aotequam Genuenſes conſcenderent, faxis obrutum in mare projeciſſent; metu, ne, ſi Genuenſes navim Baraſiæ eſſe cognoviſſent, à quo per tot annos tanta detrimenta acceperant, implacabiles in ipſos forent : qui tamen ne ſic quidem exorabilem Interianum habuerunt; qui ſex & triginta illorum antennis navis ſuſpenſos necavit; rem cum juſtitia conjunctam ſe facere ratus, meritas pœnas de piratis & latronibus ſumendo, quorum decem novem ſuper tabulato in prælio cæſi inventi ſunt. At Genuæ, conſilio trecentorum civium coacto, qui omnes Gibellini fuerunt, Magiſtratus Marchioni Montiſferacis prorogatus eſt, ſtipendio ad quindecim millia librarum aucto.

Per idem tempus quinque ingentes Genuenſium corbitæ ſtipendio Ladiſlai conductæ, com ſ[illegible]tem Ludovici Andegavenſis navibus congreſſæ una depreſſa, atque una in fugam conjecta, reliquas quinque capiunt; cum quibus ac cum novem triremibus Ladiſlai Genuam reverſæ ſunt. Longe alio à Saonenſibus animi habitu Albintemelienſes in populum Genuenſem fuerunt : adverſus quos partes Gallicas ſequentes, atque in defectione perſeverantes, miſſus eſt Othobonus Juſtinianus, cum ſex triremibus ea de cauſſa armatis; tredecim Ladiſlai additis : qui cum Albintemelium appuliſſet; dum Dominicum & Bartholomæum Arias Duces terreſtrium copiarum exſpectat; colloquiis de pacificatione inductis, animos blandis verbis permulcens, illos ad ſana conſilia revocare ſtuduit : quos nullum pertinaciæ finem facientes ad quinctum Idus Junias, cœlo inalbeſcente, quamquam Auriæ ad exercitum nondum veniſſent, oppugnare aggreſſus eſt, præda militibus promiſſa; qui, acriter ac diu reſiſtentibus opidanis, omnibus viribus conniſi, tandem à ſuperiore parte in urbem irrumpunt : quam dirupunt, mulierum pudicitia opera Othoboni & Ducum Auriarum, qui pugnæ commiſſæ ſupervenerant, ſervata : præda militem ditavit; ingens enim fuit, cum Intemelii, ut animos populi ad ſeſe acrius defendendum acuerent, nihil ſuarum rerum amoviſſent. Neque vero arx prius octo diebus, poſt urbem expugnatam, dedition em fecit. Quibus rebus confectis, Othobonus cum quindecim triremibus ſolvens, Portum Veneris repetit : ceterum ingenti imbre dejecto, adverſaque maritima tempeſtate exorta, cum Ladiſlai triremes in illis locis diutius eſſe recuſarent, ab opido tentando

pro-

prohibitos eſt : qui Portu Veneris cum ſociorum triremibus diſcedens, ultra portum Piſanum proceſſit.

Per idem tempus Bocicardus, quattuor millibus armatorum corrogatis, opidum Plebem Theici irrito incepto aggreſſus eſt, cum damno & dedecore ab opidanis acriter ſe defendentibus repulſus. At Genuenſes odio Fliſcorum in defectione obſtinate perſeverantium, raro, ac neſcio an ſatis laudabili exemplo, duas res admiſernnt : nam & portiones ſancti Georgii, jure ejus Magiſtratus violato, publicarunt ac vendiderunt : partiumque Guelpharum homines ad eas emendas metu mali coactos adegerunt. Menſe Auguſto ejuſdem anni, cum Florentini ac Senenſis fœdus adverſus Ladiſlaum Genuenſium ſocium & amicum Regem iniſſent, Othobonus Juſtinianus cum octo triremibus Genuenſibus, ac nonnullis Calabris, quæ ſe illi adjunxerant, portum Thelamonis invaſit : quo expugnato, prædaque inter Genuenſes & Calabros diviſa, Othobonus, triremi ad cuſtodiam Thelamonis relicta, cum reliquis ſeptem, atque octo ingentibus corbitis Genua ſubmiſſis, ad obſidendum Portum Veneris reverſus eſt : ceterum cum morbo correptus Genuam redire coactus eſſet ; in ejus locum ſucceſſit Baptiſta Montaltus, vir impiger ac fortis : qui cum obſidionem urgeret, minus pro ſe cautus, gravi vulnere in vultu accepto, ab exercitu diſcedere coactus eſt : in cujus locum miſſus eſt Joannes Francus Fiaconus : ceterum, cum Fliſci à pertinacia animo inibibita deduci non poſſent ; miſſus eſt contra eos Othobonus Spinula cum haud contemnenda militum manu : qui primo adventu ſubjugis opidi Savinioni direptis ac vaſtatis, omnem laborem adverſus opidum ipſum ſitu & opere munitum inanem ratus, copias ad Pontcio decimum tranſtulit : quem tamen Marcho, illo omiſſo, Savinionum redire juſſit ; quo ipſemet, paucis poſt diebus, ſe contulit : nihil tamen operæ pretii fecit.

Res inuſitata, ac vix unquam audita, haudquaquam prætereunda fuit, eo anno cumplures cives, tam ex Nobilium quam ex popularium corpore, partibus Guelphis ejuratis, ad Gibellinas tranſiſſe ; eamque Factionem ſollemni jurejurando, tabulisque publicis conſignatis, profeſſos eſſe ; in quibus fuit Jo. Centurio, ac Leoncllus Lomellious. Sub finem anni Lucas Fliſcus magni diſcriminis facinus auſus eſt : cum enim audiſſet Marchionem Genua profectum ; omnia neglecta & ſoluta ſeſe offenſurum ratus, cum non plus ſexaginta equitibus ac nonnullis peditibus cœnobium ſancti Spiritus uſque, quod paullo plus jactu lapidis à mœnibus urbis diſtat, perrexit, conſilio res urbanas tentandi : ſed repulſus eſt à Conrado Carretto Marchionis Legato ; qui nuptiarum filii cauſſa in Montemferacem ierat. At Fliſci, cum diuturnum exſulium nulli alii rei quam ipſis eximiendis eſſe intelligerent, ad ſaniorem mentem tandem converſi, nonnullis gravibus & probis civibus ſeſe interponentibus, in gratiam atque in civitatem recepti ſuot ; portionibus ſancti Georgii, quas publice venditas ſuperius diximus, illis reſtitutis.

A.C. 1411. Inſequenti anno ejus ſæculi undecimo à parva re initium ingentium motuum factum ſimul & oppreſſum eſt. Orlandus Fulgoſius Petri filius Juriſconſultus Genuam venit, conquerens, ſe ac fratres inique tractari : qui cum vulgo ſuaſum eſſet, ut Romam, unde venerat, rediret, dictu ſe audientem fingens, Clavarum ſe contulit, ac circiter quadringentis armatis corrogatis, nocte furtim urbem ingreſſus eſt : ſacramque ædem Sancti Michaelis occupatam præſidio firmavit : totaque civitas poſtero die in armis fuit, cum maxima pars civium rectorem mutari nollet. Fulgoſique, in quibus fuit Thomas, magna audacia prætorium iovaſerunt : ſed brevi repulſi ſunt ; Conraduſque Carrettus Marchionis Legatus magna civium manu ſtipatus prætorium egreſſus, Orlandum cœnobio ſe continentem aggreditur : ceterum compluriuo bonorum & quietorum civium ſeſe interponentium opera res ita compoſitæ ſunt ; ut fratres Orlandi adventum Marchionis in urbe præſtolarentur, ipſe actutum urbe exceſſeret : qui, triremi ſtatim conſcenſa, Leonnum iter direxit : ceterum, adverſa tempeſtate coorta, in portum Saonæ compulſus, à plebe, quæ tota Marchionis erat, trucidatus eſt.

Interea Albintemelii res turbari iterum cœptæ ſunt : exſules enim Albintemelienſes circiter quinquaginta numero, conſilio cum iis, qui in urbe erant, communicatis, urbem ingreſſi, dominatum invaſerunt ; nonnullis civibus Genuenſibus, qui vim graſſantis peſtis fugientes, ſeſe in eam urbem contulerant, captis, ac ſeſe redimere coactis. Magiſtratus, re cognita, Braſcuo Francum, virum ſtrenuum, ac mari & terra ſpectatæ virtutis, cum duobus peditum millibus, ac tribus corbitis & triremi, Albintemelium extemplo mittit : quo appulſo, exſules, qui ad numerum quingentorum creverant, veniam ſupplices petuot ; ſeſe urbem liberam relicturos dicentes, modo incolumes cum ſuis rebus dimittantur ; quorum orationem cum auribus non admitteret Braſcus ; exſules urbe excedunt : qua poſtero die Braſcus potitus, rebus conſtitutis ac præſidio firmatis, Genuam revertitur.

At Galli, rebus Genuenſibus prorſus deſperatis, Gaviuio, Montaltum, Paloduio, Genuenſium opida Facino Cani, item Portum Veneris, Ericem, Sergianellum, Falcinellum Florentinis vendunt. Eo anno Catalani, cum duas Genuenſes ingentes corbitas cepiſſent, eaſque ſuis adjunxiſſent, claſſe ſua uſque ad numerum ſeptem navium expleta, inſulam Chium circumeuntes, bombardis oram Chienſem a contemptu inceſſebant, probra in Genuenſes ſubinde ingerentes : quæ res cum ſtomachum mercatoribus Genuenſibus, qui in ea inſula negotiabantur, feciſſet ; tribus amplius millibus aurcorum nummûm à Monenſibus inſulæ Dominis ſublevati, triremique à Mytilenes Domino commodata, quioque ingentes corbitas armant ; cui claſſi præficiunt Baptiſtam Francum Luſardum ac Paulum Lercarium, qui Caffam Conſules deſtinati erant, cum alterno quindecim dierum imperio. Ii Chio profecti, claſſem Catalanorum quærere inſtituunt : quam tandem in portu Alexandriæ adepti, ſine mora prælium committuot, quod æquo Marte cum multo utriuſque populi ſanguine diremptum eſt : pauciſque diebus, alterum item atrox prælium inter claſſes initum eſt ; quod magis ſecundum Genuenſibus fuit ; duabus navibus, quas à Catalanis captas modo diximus, recuperatis : qui Catalani in Genuenſes Rhodum prætereuntes, qua in inſula ipſi ſubſtiterant, verba contemptus ac arrogantiæ plena, magnifice ipſi ſe extollentes è terra jacere cœperunt ; quæ retundendi cum nulla eſſet Genuenſibus facultas, Catalanis aperto mari ſeſe non committentibus ; Catalanos omnes, quoſcumque in navibus captivos habebant in oculis Catalanorum antennis navium ſuſpenſos necarunt.

Intio anni ejus ſæculi duodecimi, induciæ annuæ factæ ſunt cum Ludovico Andegavenſi ; ſeptemque ingentes corbitæ contra Catalanos excurſiones facientes, prædaſque agentes, armatæ : quas mille quingenti armati conſcenderunt, Antonio Auria præfecto : qui claſſem circumferens, nuſquam Catalanos invenit, cum quibus manum conſereret ; A.C. 1412.

ret; nonnullas tamen illorum naves incendit, cum Methonem uſque proceſſiſſet; itinereque deinde in Occidentem verſo, Barchinonem uſque perrexiſſet; cujus præſentis metu certamen detrectantes, naves, quas in ſalo habebant, in terram ſubduxerunt. Neque tamen ſine ullo operæ pretio hæc expeditio fuit: Carpenſes enim ob Gibellinarum & Guelpharum partium ſtudia armis inter ſe contendentes, ancipitique fide defectionem ad Florentinos ſpectantes; cum leviter eorum animos tractando, ad ſanitatem reducere non potuiſſet; longo & cruento prælio, in quo circiter quingenti eorum ceciderunt, victos domuit: circiter viginti eorum, ad ceterorum terrorem, ſuſpendio necatis. Reverſus igitur Genuam Antonius, catena ferrea, quam ad portum Pinum in Corſica perfregerat, allata, honorifice acceptus eſt: cui civitas immunitate omnium rerum donata, Reipublicæ bene geſtæ teſtimonium dedit.

Per ea tempora Florentini nullis à Genuenſibus injuriis læſi, dinonis Genuenſis hominum fidem tentare, eoſque donis & promiſſis in ſuas partes trahere, atque ad deficiendum ſollicitare inſtituerant: quæ res cum multis in locis emanaſſet, de nonnullis, qui eorum conſiliis imbuti inventi ſunt, capitale ſupplicium ſumptum eſt. Capriataque ac nonnulla obſcuri nominis opida varietate temporum à Genuenſibus abſtracta in antiquam ditionem redierunt.

Interea inter Marchionem & Genuenſes omnia ſuſpecta facta erant; reſque haud dubie ad arma & tumultus ſpectabat; quos Saonenſium motus accelerarunt: quibus, aliis in Auriæ Gentis, aliis in Spinulæ partes inclinatis, cum ſtudia Factionum arma induiſſent, reſque ad cædem & ſanguinem exarſiſſet; miſſus eſt ad res pacandas Georgius Adornius cum ducentis armatis: qua eadem de cauſſa cum Marchio Saonam veniſſet; Georgium, quem familia ipſa, qua ortus erat, ſuſpectum conſiliorum adverſus ſe initorum faceret, in cuſtodia retinuit: quod idem Legatus Marchionis Genuæ in Thoma Fulgoſio fruſtra tentavit: quem cum, centum armatis miſſis, in prætorium accerſiſſet, dicto audiens non fuit Thomas; quin contra, eodem die, primis ſe intendentibus tenebris, ejus opera & auctoritate *lo populo* tota urbe conclamatum eſt: ad quam vocem momento temporis civitas in armis fuit: ortaque luce, Thoma, & fratribus ingentibus Factionis ſuæ hominum catervis ſtipatis, omni contentione pugnantibus, Magiſtratus Marchioni abrogatus eſt: octoviraliſque civium Magiſtratus ex popularium corpore rebus regendis præfectus, Barnabas Guanus Juriſconſultus, Franciſcus Juſtinianus, Raphael Judex, Carolus Ciconia, Antonius Paverus, Joannes Greppus, Joannes Calatius, Baptiſta Zoalius, omnes Gibellinæ Factionis homines; quibus additus eſt unus ex ſuburbiis Jacobus Sorius: bellicis quoque rebus præfecti ſunt Petrus Francus, Thomas Fulgoſius, Jacobus Francus, Blaſius Francus; cum præfectus cuſtodiæ urbis, militumque præſidiariorum eſſet Philipponus Francus. Præclarum moderationis ſpecimen rectores magiſtratus ſui initio ediderunt; æqui ac juſti, concordiæque civitatis potius quam Factionum memores: conſilium enim trecentorum civium convocarunt; in quo decretum eſt, ipſis referentibus, Nobilium Factionis cives ad gerendam Rempublicam reſtituendos, omneſque magiſtratus & procurationes, præter ſummum principatus locum, inter utriuſque corporis cives æqualiter dividendos: decretum quoque eſt, munitionem arcis Caſtelletti à Bocicardo ædificatam demoliendam.

At Marchio nullam jam eſſe cauſſam Georgii retinendi intelligens, hominem dimittit: cujus in urbem adventus magnæ lætitiæ vulgo fuit. Commendabant enim hominem in vulgus multa ac magna in illum fortunæ & animi congeſta bona; clarum genus, affluentes divitiæ, præpotentium hominum amicitiæ ac ſtudia; ad hoc animus mitis ac lenis, ſumma morum ſuavitas ac facilitas, integri mores, animus ab omni genere flagitiorum abhorrens: quibus rebus id aſſecutus fuerat, ut voluntates hominum teneret, omniaque illi ſecunda & ampla vulgo optarent: cujus animorum propenſionis illud primum ſpecimen fuit, quod ad prætorium ac rectores civitatis inviſendos & ſalutandos, mille quadringentorum armatorum cohorte ſtipatus acceſſit: nec dubium fuit, quin paullo poſt ſummo omnium conſenſu Dux crearetur: decretumque eſt, ut memoria mutati hujus regiminis anniverſario ſacro ad ædem divi Benedicti cum donario textilis auri celebraretur.

Interea Marchio acerrima oppugnatione arcem maximam Saonæ (plures enim in ea urbe erant) urgebat; mœnia bombardis, aliiſque machinis bellicis, globos ac ſaxa immania magnitudinis contorquentibus, continenter quaticns: cum quattuordecim caſtellis in circuitu excitatis, arcem cinxiſſet, ac velut circumvallaſſet: qui non ſolum aperta vi, ſed damnatis quoque artibus agere haud ſe indignum ducens, fidem Jacobi Paſſani arcis præfecti pretio ac promiſſis labefactare conatus eſt: adverſus quæ omnia animus Paſſani invictus ſtetit, fidemque & conſtantiam Reipublicæ ad extremum præſtitit: quam fidem civitas immunitate onerum, quam ejus Majoribus olim datam confirmavit, atque anniverſaria penſione remunerata eſt. Alia fortuna arcis ſancti Georgii fuit, quam præfectus viribus impar Marchioni tradere tandem coactus eſt: ad quam recuperandam Jacobus Adornius Ducis filius miſſus eſt: tandem, colloquiis de pace inſtitutis, inter Ducem & Marchionem convenit; ut Marchio omnia loca occupata Reipublicæ reſtitueret; civitaſque illi, penſionibus in certa tempora collatis, viginti quattuor aureorum millia ſolveret.

Eodem quoque anno, Baptiſta Montalto internuncio, cum Florentinis in urbe Luca pacificatum eſt: ex qua pace opida Portus Veneris, Erix, Sargianellum, Falunellum Genuenſibus reſtituta ſunt; cum Caſanus Spinula Sergianam, quam urbem Galli ipſam quoque vendiderant, à Florentinis acerrime oppugnatam conſtantiſſime defendiſſet. Arx quoque & opidum Gavium, decem aureorum millibus acceptis, à Ludovico Cane Reipublicæ reſtitutum eſt. Eo anno quattuor Oratores ad Sigiſmundum Imperatorem creatum gratulatum miſſi ſunt, Benedictus Buccanigra Albintemelii Epiſcopus, Thomas Panſanus Eques, Nicolaus Spinula Juriſconſultus, Franciſcus Juſtinianus: qui Cæſar, ita Oratoribus petentibus, civitatem ab omni jure dominatus Gallorum, ſi quo forte obſtricta eſſet, liberavit.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER X.

CIVITATE externis dominatibus soluta, causſæ ad illos redeundi præcidendæ videbantur: quarum illa præcipua erat, civium de principatu contentio; dum ad illum quiſque non jam forenſi ambitu, aut allegationibus, prehenſationibuſve; ſed armis, ac per vim & ſeditiones contendit: omnibus dictitantibus, hanc eſſe inteſtinorum malorum, ac diſcordiarum & bellorum civilium originem & fontem; hanc ad neceſſitatem externorum Principum adſciſcendorum, tamquam ad minimum malum adigere: non igitur prius finem malorum fore, quam tantorum malorum radix prorſus exſtirpetur: ambitionem igitur civium coercendam, ac ſalubribus legibus electionem deſinendam, certiſque terminis circumſcribendam; extra quos nullus ad principatum pateat aditus. Re vulgo probata, duodecim cives ad eas leges condendas creati ſunt, æquali numero ex Nobilium & popularium corpore, omnes è Factione Gibellina: Leonardus Catanius Juriſconſultus, Lucianus Spinula, Æliamus Centurio, Blaſius Salvagus, Franciſcus Auria, Principivalles Vivaldus, Joannes Francus Luſardus, Benedictus Valdetarius, Jacobus Juſtinianus, Antonius Rebuffus, Antonius Mulaſana, Martinus Bandinus: quibus hominibus ab univerſo populo Genuenſi in aream ante ædem divi Laurentii coogregato amplißima poteſtas mandata eſt regiminis civitatis emendandi & conſtituendi. Ii cum ſæpe convenißent, remque magnis diſputationibus diu ac multum agitaſſent, quam plurimas leges tulerunt ad mores corrigendos & diſciplinam collapſam erigendam; quas tabulis publicis conſignatas non neceſſe habui hic referre: ea tantum perſequi contentus, quæ ad Ducis electionem pertinent; fuerunt autem hæc: *Dux non minus quinquaginta annos natus, civis Genuenſis, popularis, Gibellinus, mercator, creator: ejus electio hac eſto: vacuo ſolio, ſummus duodecimviralis annuorum Magiſtratus, majore parte ſuffragiorum conſentiente, quadragenta populares cives, partim ex corpore mercatorum, partim ex corpore artificum, quaternos in ſingulas tribus ex primoribus eligunto: quadragenta electi vaganto unum civem popularem ex utroque corpore eligunto: hi quoque decem cives ejuſdem corporis & ſortis eligunto: hi decem deinde ſeptem ſaltem ſuffragiis conſentientes Ducem, ſive ex ſe ipſis, ſive ex aliis civibus creanto; aliter lectus vitio creatus cenſetur: nullumque jus res regendi aut imperandi habeto: in annuorum collegium unus ex tribus præfecturis legitor.*

Ceterum apparuit, animis inveteratis odiis exulceratis, ac ſtudiis partium accenſis, quam parva ſint legum momenta ad quietem civitatis conſtituendam: oumquam enim magis Factiones exarſerunt, aut majori rabie exercitæ ſunt, quam poſt eas latas leges; initio motuum ab Iſnardo Guarco facto. Is, cum Adornianam gentem, inter quam & Guarcos numquam diſſidiorum cauſſæ deerant, nimis diu regnantem non ferret; anno ejus ſæculi quarto decimo, haud contemnendis terreſtribus ac pedeſtribus coactis copiis, Caſaregio movens, itinere raptim facto, menſe Junio, urbem intravit: cui cum ii, qui à Ducis partibus ſtabant, acriter reſtitiſſent, Guarci is exitus conatuum fuit, ut nonnullorum pacati animi civium opera in Etruſcos exſulatum ierit. A. C. 1414.

Eo amoto, Montalti, ne minus animi, quam Guarci ad turbandas res, principatumque petendum habuiſſe viderentur, majore conatu ad res miſcendas conſurrexerunt; initiumque ejus belli fecerunt, quod (iocompertum qua de cauſſa) *Medium* appellatum, civitatem noſtram omnibus belli cladibus funeſtam fecit. Baptiſta enim Montalrus & Braſcus Francus conſiliorum ſocius menſe Decembri, magna hominum ſuarum partium multitudine congregata, nocte intempeſta tumultum excitarunt, tota urbe diſcurrentes; ac nomen populi & Montaltorum magnis clamoribus ſubjicientes: quæ res primo eos, qui cum Duce erant, cauſſam tumultus ignorantes obſtupefecit: qui tamen brevi, collecto animo, ſeſe ad reſiſtendum parant; ſignoque tinnituum ex turri ædis divi Syri edito, cives ad arma pro Duce capienda invitant: momentoque temporis civitas in armis fuit, ingenteſque hominum globi ad opem Duci ferendam accurrunt: cum quo non modo tota Adorniana Factio, ſed Thomas Fulgoſius, ac fratres magnam ipſi quoque multitudinem partium ſuarum hominum ſecum trahentes, ſe conjunxerunt: quos ſecuti ſunt nonnulli Juſtinianæ gentis; nec non Clemens Promontorius, ac filii; Sopranorumque familia; præterea nonnulli ex primariis civibus popularibus Gibellinis: ad hoc omnes fere Guelphi tam ex Nobilium quam ex popularium corpore; cum præpotens gens Spinula occulte Montaltis faveret; quæ tamen mox animos nudavit. Igitur ii, qui partes Ducis ſequebantur, ex æde divi Syri erumpentes, Montaltos & Spinulas, qui ante ædem divi Lucæ conſtiterant, magno impetu invadunt: ſatiſque acri edito prælio, cum æquo Marte diſceſſiſſent, tumultus ea nocte quieverunt: ceterum poſtero die majore irarum certamine accenſi ſunt, cum Spinulis & Montaltis ſe adjunxiſſent gens à Mari, quæ tum armis & hominibus pollebat, Vivaldi, Nigroni, Grilli, Imperiales, complureſque Gibellinæ Factionis populares cives: in quibus fuit is ipſe Iſnardus Guarcus, nnnnullique Juſtiniani, Bartholomæus Boſcus Juriſconſultus, Simon Buccanigra, ac fratres, Franci, ac perpauci Guelphæ Factionis populares: cum Auria gens, unaque cum illa nonnulli tam ex Nobilium quam ex popularium corpore utriuſque Factionis in neutros inclinantes, ſpectatores alienorum malorum ſedentes quieſcerent: quotidieque prælia in variis urbis locis committebantur; cum non gladiis modo atque haſtis, ſed miſſilibus quoque ac bombardis res gereretur. At Spinulæ turrim Antonii Spinulæ ad

divi Lucæ validis præſidiis firmarunt, ac ponte pervio proxima ædificia junxerunt; circumjectaſque plateas munimentis obſtructas ac firmatas tenebant: ex quibus cum adverſariis, qui finitimas domos ipſi quoque ſuis præſidiis occuparant, prælia committebant: reſque ad eam rabiem exarſit, ut fratres à fratribus contrarias partes ſequentibus manus non abſtinerent: cum ſedula diligentia nonnullorum bonorum à turbulentis conſiliis abhorrentium civium nihil proficeret; qui urbem aſſidue circumeuntes, atque homines, ut aliquid cuique juris adverſus ſingulos erat, prehenſantes monerent, finem ſurendi tandem facerent: quid enim illos ex tam obſtinata contentione præter occaſum pattiæ petere, cum etiam induciæ nonnumquam initæ ſine effectu ſemper fuiſſent. Igitur, cum res ad internecionem ſpectaret, opifices congregati, Duce aſſentiente, octo ex ipſorum corpore elegerunt, quibus negotium datum eſt, pacem inter cives conciliandi: qui tandem, Antonio Juſtiniano annitente, rem eo deduxerunt, ut Georgius concordiæ civitatis cauſſa Magiſtratu abiret; in ejuſque loco, dum Reipublica conſtitueretur, regimen rerum penes Baptiſtam Montaltum & Thomam Fulgoſium eſſet. Non recuſabat Georgius, vir ingenio miti ac ſalutem publicam privatæ ambitioni præferens: ceterum bene inchoata conſilia Ducis filii everterunt, ætatis fervore tranſverſos illos agente: qui tota urbe diſcurrentes, ad armaque conclamantes, ac nomen familiæ ſubjicientes, conſopitos tumultus iterum excitarunt: rebuſque in præterita mala, ſine ulla ſpe concordiæ, redactis; eodem die, quo ad arma itum eſt, complura ædificia in ipſo foro incenſa ſunt.

A C. 1415. Inſequentis anni ejus ſæculi quincti decimi initio aliquorum dierum induciæ factæ ſunt; non tam ad conſilia pacis agitanda, quam ad ſeſe acrioribus præſidiis ad bellum comparandum utrimque quærentes: quo ſpatio plus trecenti equites ex Inſubria Duci ſubſidio venerunt; cum ex Monteferaci haud contemnendæ copiæ Ducis adverſariis ſubmiſſæ fuiſſent, quibus præſidiis utraque pars firmata animos ad redintegrandum bellum, hoſtemque ulciſcendum acuebat. Igitur Dux, cum induciæ exiſſent, occupat adverſarios invadere: edicto igitur propoſito, ut omnes inermes in domos ſuas ſe reciperent; ſigno pugnæ tinnitu turrium dato, copias ſuas adverſarios invadere jubet: quæ omnem vim belli in ædes Nicolai Spinulæ mare ſpectantes vertunt: atroxque prælium accenſum eſt, quod prima luce commiſſum nox, re in neutram partem inclinata, diremit. Secundum illud prælium à compluribus egregiis civibus intermiſſa pacis conſilia repetita ſunt: in quibus fuerunt Fliſci, qui ab omni Factionis ſtudio integri, in neutris partibus fuerant: quæ conſilia, ut divina quoque ope juvarentur, ſupplicationes habitæ ſunt, ad pacem Dei immortalis poſcendam, divinique Numinis iram placandam: ceterum tantum abfuit, ut tanta religionis oculis obfuſa ſpecies quidquam furore amentes animos moveret; ut contra, ſacerdotibus & piis hominibus per forum tranſcuntibus, tumultus excitati ſint, ac ferro acriter decertarum; nonnullæque peramplæ ædes conflagrarint: quæ prælia cum quotidie integrarentur, incenduſque alii ſuper alia cumulatis, urbs magis in dies deformaretur; ac res ad extremum veniſſet; tandem in tantis civitatis noſtræ tenebris virtus trium præſtantium civium, Barnabæ Guani Juriſconſulti, Jacobi Juſtiniani, Antonii Auriæ affulſit; qui mentem ab omni Factionum contagione intactam perpetuo ſervarant. Eos cum vulgo auditum eſſet in ædem divi Dominici convenisse; magnos hominum concurſus nominis auctoritas repente ad illos fecit: quos Barnabam Guarum ita allocutum accepimus: *Si ex inteſtinis diſcordiis noſtris, cives, quibus civitas noſtra jamdiu laceratur, poſtremoque hoc bello civili, quo jamdiu, & nunc, ut cum maxime, uritur, aliquem privatim fructum peteremus: minus mirum eſſet, homines privato emolumento, vel cum rerum publicarum interitu, ſaturire: fecerunt hoc idem alii ſæpe: iterum tantum abeſt, ut aliquid ex illis privati lucri faciamus; nihil immo meliore loco domeſtica res noſtra ſit, quam publica, nobis omnibus exhauſtis, ac ſanguine omni miſſo eneſtis: maximus enim commercesis omiſſis; ac mercatoria negotiatione & induſtria plane depoſita; item opificies & ſellulario opere intermiſſo: quibus rebus in pace & concordia civitates alimur & ditamur; ad extremam paupertatem & omnium rerum inopiam ipſi nos detrudere properamus: id quod noſtrum pleroſque jam ſentire cœpiſſe credo. Diſcordias civiles atque inteſtina bella in aliis liberis civitatibus ſæpe fuiſſe legimus; nullamque fere illarum hujus morbi expertem fuiſſe: ceterum ſuas illa cauſſas habuerunt, etſi haudquaquam laudabiles, aliquo tamen modo excuſabiles, dum vel Nobilitas ſe ſolam dominari æquum cenſet, neque homines novos pares ferre poteſt: contra illi ſeſe a Nobilitate deſpici atque procuratione Reipublica excludi indignantur; vel plebi ære alieno demerſa, aut nimiis oneribus oppreſſa, atrox in potentiores cives injuriæ; vel agros publicos a paucis inſeſſos, virtim dividi poſtulat; vel tabularum novarum ac proſcriptionum ſpe ad res miſcendas incitatur. Nihil horum Genuæ eſt: nullis injuriis ſe plebs ſuffocatam dolet: agri, qui dividuntur, in ſolo macro ac ſterili nulli ſunt; honorum ac munerum publicorum ſua cuique ordini & Factioni pari æqualiter tributa eſt: quæ, malum, tanta iſta rabies nos agitat, ut, cum nulla ſit inter nos diſſentiendi cauſſa; nullum tamen diſſentiendi finem faciamus? equidem nullam aliam inſaniæ noſtræ cauſſam invenio, quam cæcitatem quamdam divinitus fortaſſe objectam; quæ nobis mentem & conſilium eripiat: quod primum unius divinum Numen ita, quorum ſcelera ulciſci decrevit, inſtigare ſolitum eſſe, ajunt. Illud igitur ipſum Numen nobis iratum, nos ad meliorem mentem convertendo, placemus; aliquando nos, patriam, liberos, poſteritatemque noſtram reſpiciamus: quandoquidem deteriore loco ut ſimus, nullus jam eſt inferior locus; quam omnium rerum interitus.*

Miro ſilentio & aſſenſu auditus eſt Guanus; triumque præſtantiſſimorum civium auctoritate, novem civibus, Antonio Marruffo, Honofrio, Vignolo, Bartholomæo Juſtiniano, Martino Bandino, Joanni Collatino, Jacobo Valdetario, Dominico Furnario, Vincentio Clavarino negotium datum eſt, aliquam rationem ineundi rerum componendarum. Ii quattuor, arbitris nulli Factioni ſuſpectis aſſumptis, per ingentia certamina pacem tandem compoſuerunt: ex eaque ſeptimo Idus Martias turris Luculana in manum Jacobi Franci ac Petri Juſtiniani tradita eſt: poſtridieque ejus diei arx Caſtellettum Friderico Promontorio & Hieronymo Juſtiniano cuſtodienda data: plateæque civitatis prius trabibus ac muris clauſæ, apertæ ſunt: certaque dies Georgio Duci Magiſtratu abeundi nonnullis immunitatibus donato definita eſt: in cujus locum Thomas Fulgoſius & Jacobus Juſtinianus ad regimen rerum, dum civitatis res conſtituerentur, ſuccederent: in cuſtodiamque urbis ducenti exteri milites ſcriberentur, quibus præfectus eſt Auguſtinus Sopranus, cui utraque Factio fidebat: ſicque internecino bello finis impoſitus eſt: quod, præter ignota capita, plus centum viginti cives cogniti nominis ſuſtulit;

in quibus fuerunt Melchior Gentilis, Nicolaus Auria, Joannes Spinula, Carolus Adornius, Gaſpar Patinantius, Ughettus Juſtinianus, privatæque ædes partim incenſæ, partim ruinis proſtratæ, centum quadraginta ſex numeratæ ſunt. Ad decimum Kalendas Aprilis Thomas Fulgoſius & Jacobus Juſtinianus prætorium ingreſſi, Ducem adeunt, ac conventorum admovent: qui, equo magnifice inſtrato conſcenſo, omnibus principatus inſignibus ornatus, ſceptrum atque enſem nudatum præferens; ſummo ac ceteris minoribus magiſtratibus, magnaque civium turba comitante, inter tubarum ſonitus in privatas ædes conceſſit, atque in porticu conſidens ducatu ſe abdicavit.

Ab Thomas & Jacobus in omnes partes mandati muneris exſequendas iotenti, conſilium octingentorum civium ex corpore Nobilium, & popularium, ac Gibellinorum, & Guelphorum, in Factionibus numquam plane exſtinctis, convocant: in quo Ducem eligi, legibus circumſcriptum placuit; qui tertio Kalendas Aprilis creatus eſt Barnabas Guanus: quæ res magna lætitia civitatem affecit; civeſque opinione prudentiæ & probitatis electi Ducis ad melhorem ſpem erexit: quam ille ſpem & opinionem brevi virtutibus ſuis auxit: cum omnia ſumma cum moderatione ageret, & ad præſcriptum legum dirigeret; nemini vim afferri, nemini injuriam fieri pateretur; pietatis inſuper & religionis diligentiſſimus cultor; ne ſeveritatis quidem, cum res poſceret, oblitus. Sabaudium enim quemdam, qui ſuperioribus annis Genuam ventitare ſolebat; occaſioneque civilium diſcordiarum arrepta, occulta conſilia cum nonnullis ſerere cœperat, de civitate Cæſari tradenda, cujus ipſe ſe Vicarium fore ſperabat; cum eum morem, ne tum quidem civitate in tranquillum redacta, omitteret, comprehenſum capitali ſupplicio affecit.

Tantæ felicitatis inſtitutum eurſum parvus quidam caſus interrupit; qui occaſio fuit civitatis in antiqua mala redigendi. Pagi cujuſdam Urſorum appellati homines cum eo forte tempore (neſcio qua de cauſſa) in armis eſſent; ad eos compeſcendos, tumultumque ſedandum miſſus eſt Georgius Guanus, cuſtodiæ urbis præfectus: qui res potius inflammavit, quam mitigavit. Urſani enim nimia Guani ſeveritate exaſperati, tribus ex cohorte illius interfectis, ipſum comprehenſum retinuerunt. Exarſit enimvero Dux degenerum ruſticanorum contumacia: quam ne impunitam relinqueret, è veſtigio Thomam Fulgoſium majoris auctoritatis, majoriſque roboris virum ad eos mittit. Vix ille diſceſſerat; cum nonnulli (bono ne, an pravo animo utentes, incertum) Ducem aggrediuntur; docentque, errare illum vehementer, ſi putet, Fulgoſios & Adornios illum, aut quemquam alium extra familias ſuas, Ducem concoquere poſſe: quem ſummum honoris locum duæ hæ familiæ, ceteris excluſis, non jam ut populi beneficium; ac liberis ſuffragiis mandatum; ſed tamquam jure ſibi debitum petant: haud dubitandum igitur, quin illi in ejus perniciem & caput nefaria conſilia ſtruant; quibus ipſe, niſi antevertat, brevi opprimatur. Hæc & alia ejuſmodi ſæpe iterando, pervicerunt tandem, ut Barnabas nonnulla civitatis loca res novare cupientibus opportuniora præſidiis & armis firmaret: quæ res animum Georgii & Thomæ vehementer offendit: qui Thomas, re cognita, omiſſis Urſanis, mox in urbem revertitur: Duceque non adito, cum ipſe & Georgius capita contuliſſent, Thomas injuriam à Barnaba utrique familiæ factam conqueritur; quarum potentiam & dignitatem immi-

nuere ſtudeat: ceterum hæc merito ipſis accidere; qui alium Ducem, quam ex ſuis gentibus ereari, paſſi ſunt; ac ſeſe ex poſſeſſione principatus civitatis, tot laboribus ab ipſorum Majoribus parta exturbari; cum errorem niſi emendare properent, brevi fore, ut clariſſimæ hæ duæ familiæ avita potentia & dignitate ſpoliatæ, in ordinem cogantur: quæ res olim diſcordes familias inter ſe fecerit, odiaque aluerit, præliis quoque commiſerit; dum utraque in eundem principatus locum tendit, cumque ſibi unaquæque earum præoptat; eamdem rem nunc illos conjungere; ne principatu ſimul dejciantur: cujus rei prohibendæ una tantum ſit via; ſi ſtudiis & viribus conſociatis, ad amiſſum principatum recuperandum unanimes conſurgant: quod ſi alius alio rem trahat, tum vero viam ſibi conſilia ad effectum perducendi mutuo interclusuros: ac quoniam in unum eundemque locum ambo tendere non poſſint; alteri ab altero cedendum: cujus rei arbitrium ſeſe illi permittere, eo, quod ille decreverit, ſtaturus. Probat conſilium Georgius, ac ſic prorſus faciendum dicit; nullamque in ſe moram ad cogitata exſequenda eſſe offendit: ecterum principatum multis de cauſſis magis ipſi Thomæ, quam ſibi convenire affirmat; idque cum juſtius, tum temporibus aptius dicit: æquum enim eſſe, ceteros ejus honoris participes fieri, quem ipſe moltos annos obtinuerit: ad hoc fieri non poſſe, quin principatus multis ipſum inviſum fecerit; cum Thomæ omnia ad gratiam integra ſint.

Quibus rebus conſtitutis, cum dies deſtinatus veniſſet, (is fuit tertio Kalendas Julias) Georgii & Thomæ juſſu, tota urbe ad arma conclamatum eſt; momentoque temporis civitas in armis fuit, magnaque hominum multitudo ſeſe capitibus Factionum adjunxit: qui complures urbis plateas præfidus inſederunt, quinctoque Kalendas Julias prætorium invadunt; Ducique præſidio ad reſiſtendum impari in fugam mox conjecto, prætorio potiuntur; quo paullo ante Barnabas, rebus ad iniqua inclinatis, exceſſerat, periculoque ſe ſubtraxerat. At multitudo armata ex utriſque Factionibus permiſta, tota urbe diſcurrens, una voce nomen Fulgoſium ſubjicit, ingentibuſque clamoribus Thomam Ducem depoſcit: quem recuſantem, ac modeſtiæ ſimulatione retractantem, ſublimem arreptum in prætorium deferunt. Quo tanto populi favore, tantaque voluntatum conſpiratione, vehementer perculſi Iſnardus Guarcus & Baptiſta Montaltus ſuarum Factionum capita, urbe protious excedunt: illeque in vallem Scriviæ, hic Vernaciam opidum concedit: qui paucis poſt diebus, principatu Thomæ ſtabilito, Portu Veneris opido, quod ad eum diem tenuerat, Duci tradito, ipſe Piſas commigrat. Poſtero die, cum trecenti cives ex primoribus civitatis in prætorium conveniſſent, Thomas Dux Genuenſium legibus ſolutus renunciatur: quæ vox magnis plauſibus à populo, magniſque lætitiæ ſignificatioobus excepta eſt; nulluſque umquam Dux majore faſtu principatum init: cum Baptiſta Fulgoſius Ducis frater, qui ſubito utrique oræ Liguſticæ, rerumque militarium, atque urbis cuſtodiæ præfectus declaratus eſt; Theramuſque Adornius, cum quo affinitatis neceſſitudo ſibi intercedebat, ad conjunctionem utriuſque familiæ teſtificandam, magnis hominum agminibus ſtipati, à plaudentibus ac Fulgoſium nomen lætis acclamationibus ſubjicientibus, vexillis geotis Fulgoſiæ inſignibus pictis ſublatis atque extentis; inter tibarum ac citharatum cantus aere tinnitibus è ſacrarum ædium turribus emiſſis undique perſonante, multis civi-

civitatis partibus obitis, prætorium tandem subiissent.

A.C. 1464. At Thomas, insequenti anno ejus sæculi sexto decimo, cum in invidia principatus per vim & seditionem invasi levanda, omnes curas defixisse; brevi id multis in patriam proinceritis, principatumque melioribus artibus, quam quibus illum adeptus fuerat, gerendo, assecutus est: nam & plebem multis oneribus levavit; & ditionem Genuensem compluribus opidis & vicis adjectis auxit: quos Procceribus Malaspinis finium Genuensium accolis per justas causas ademit; illorum audaciæ severus ultor, publicæque dignitatis ac contemptus sui accrimus vindex. Verum hæc leviora sunt: quorum etiam nonnulla, ut sese multitudini venditaret, facta, calumniari quis possit: illud unici exempli in patriam caritatis, ac singularis animi magnitudinis ab illo editum speciemen, nullum livori aut obtrectationi relinquit locum; quod grande ære alienum publicum privato ære suo dissolvit, fexaginta millibus aureorum, quæ immanis summa (ut erat illa ætas) ipsis maximis Regibus horribilis visu esset; è re familiari sua in vectigal salis oppigneratum redimendum prolatis.

Eo anno, cum acerrimum bellum inter Gallos & Anglos terra marique accensum esset; Galli, Legatis Genuam missis, decennalibusque induciis cum Genuensibus factis, octo ingentes corbitas, totidemque triremes conducunt: quas, præter remigium ac ceteram turbam nauticam, sexcenti sagittarii conscenderunt: quo genere teli nemo eo tempore Genuensibus peritius utebatur; nemoque validiores, aut longiore, aut certiore ictu figebat: quibus navibus classi suæ additis, Galli animis sumptis, cum Anglis navale prælium committere non dubitarunt: quod quamquam primo satis acre fuit, magnoque irarum certamine initum; Galli tamen imbecillitati navigiorum suorum diffisi brevi omiserunt: quod sex naves Genuenses, quæ in pugna nihil aliarum discessu perterritæ remanserant, ad noctem fortiter dimicantes extraxerunt: quarum tres ad extremum captæ sunt, tres pestem evaserunt; quæ Genuensium virtus omnium laudibus celebrata est. Publicam gloriam Laurentius Folieta virture sua cumulavit: qui per ea maria privatæ negotiationis caussa commeans, cum nave, quam unicam habebat, in qua non plus duo & fexaginta homines erant, in septem naves Anglicas ad pugnam comparatas incidit; quas Dux Vemichius Regis affinis ducebat: quarum insequentium impetum Folieta cum ab urbe Calero usque ad locum Bancum maritimum Sanctæ Catherinæ appellatum fortiter dimicans sustinuisset; tandem, suis partim fugientibus, partim assiduo numquamque interrisso labore fessis, animum despondere cœpisset; omnia circumspiciens, nautam videt expertæ fortitudinis, qui, gravi vulnere in gutture accepto, loqui non poterat, innuentem, ut vulnus sibi obstrueretur: quod Laurentius, utcumque potuit, mox fecit, sanguinemque fluentem suppressit. At ille ab ultima desperatione in rabiem versus, securi arrepta, asserem, quo pons ab Anglis injectus innitebatur, præcidit: qui, adminiculo subtracto, corruens, magnum numerum superstantium Anglorum ruina sua secum traxit: qui omnes undis hausti sunt. At Angli tam inexspectatæ rei stupore oculis & animis defixis, pugnæ obliti Folietam omittunt: qui incolumis Genuam tandem pervenit; cum ex fexaginta duobus hominibus octo cecidissent, quinquaginta sauciati superfuissent, quartuor tantum integris.

At Thomas in omnes partes muncris sui implendi, resque vitio temporum collapsas restituendi, animum & cogitationem continenter versans, rem magni molliminis, immensique laboris, atque infiniti sumptus aggreditur; quam operi assidue insistendo ad effectum brevi perduxit: interiorem enim portum seculorum negligentia diu neglectum, ac numquam adversus maris impetus reparatum, atque idcirco inundantibus undis obrutum, inutilemque factum, erectis vastæ magnitudinis machinis, aquaque egesta, exsiccavit: duobusque validis muris ex lapide quadrato miræ crassitudinis longitudinisque, altero centum nonaginta: altero fexaginta cubitorum cinxit, ac munivit.

Per idem tempus Vincentellus Istria Corsus defecit; arce Ginereæ, nonnullisque aliis locis occupatis; ditionemque Genuensem terra & mari cum tribus triremibus ac biremi, quas habebat, vexare cœpit: adversus quem Abrahamus Fulgosius Ducis frater cum unica corbita, duabusque triremibus, altera majoris, altera minoris formæ, missus est: qui à Corsis, quorum haud exiguum numerum secum habebat, proditus, nonnullis detrimentis acceptis, pedem referre coactus est: ceterum Joannc Fulgosio ipso quoque Ducis fratre cum corbita & triremi extemplo subsidio misso, copiis auctus Abrahamus Vincentellum bello repetitum Ginerea, ceterisque occupatis locis expellit: Fulgosiique fratres, cum in Corsica debellatum esset, resque pacatæ, Genuam reverturntur. Eodem anno Respublica dominatu castelli Ponsoni aucta est, ab Henrico Marchione venditi.

Ceterum, cum civitas sub moderatione optimi principis à præteritis malis respirare cœpisset; Duxque Thomas tantorum bonorum auctor in magna gratia & benevolentia cum omnibus esset; haud diu quiete frui licuit: hoc enim anno, qui ejus A.C. sæculi fuit decimus septimus, initium factum est 1471. cursus tantæ felicitatis interrumpendæ. Guarci enim, & Montalti, ceterique Genuenses exsules, Adornis cum illis conspirantibus, indignatis sese, quorum opibus & favore fubnisus Thomas principatum patriæ adeptus esset, illius artificio ejectos, in Thomam conjurant: ceterum adversus hominem tantis opibus ac tanta populi benevolentia fultum, totque strenuorum fratrum grege munitum omnes conatus suos irritos fore rati; majoribus auxiliis externorum Principum sese communicandos intelligebant. Qua de caussa Raphael Montaltus Luca, quam sedem exsulii sibi delegerat, Mediolanum profectus, Philippum adit, consiliaque & mandata conjuratorum exponit: oratque, ut tot civium à truculento Tyranno per summam injuriam patria exterminatorum, ac bonis eversorum, inopem ætatem in exsilio agentium misereatur; illorumque propugnationem pro sua humanitate, atque animi magnitudine suscipiat. Cupide arripuit Philippus occasionem ultro oblatam, cujus semper avidissimus fuerat, rerum Genuensium turbandarum & miscendarum; ex quarum turbulento statu viam sibi ad Genuæ imperium, cui imporenti cupiditate imminebat, patefacturum sperabat: quare causam aliquam sibi dari semper optaverat, Genuenses intestino bello inter se committendi; quo enervatos & confectos facilius sibi subjungeret. Raphaelem igitur benigne appellatum bono animo esse jubet; omnesque vires & opes suas exsulibus prolixe defert: quos sese numquam ope sua deserturum promittit. Ejus auctoritate Marchionem Montisferacis ac Carolum unum ex Marchionibus Carretanis, multis de caussis Thomæ infensos in societatem consiliorum traxit.

At Thomas, cum ea moveri sensisset, haudquaquam adversus tantam in se unum omni societate omnique externa ope nudatum intentam molem

animo defecit, ſed omnia, quæ ad hoſtem repellendum uſui futura eſſe crederet, comparare inſtituit; benevolentia populi fretus, ac præſidio ſtrenuorum atque unanimorum fratrum erectus. Thomamque Malaſpinam Cremorum Dominum conſiliorum participem Genuæ obverſantem, quem ad occulta conſilia in ipſius caput ſtruenda venuſſe reſciverat, comprehenſum in cuſtodiam dedit; ac Baptiſtam cuſtodiæ urbis præfectum, Spinetamque fratrem, ad ditionem ejus occupandam cum quattuor peditum millibus mittit: qui, duobus opidis obſcuri nominis captis, Genuam reverſi ſunt: nihilque præterea eo anno poſt tantos conſiliorum apparatus exſules moliti ſunt: qui inſequenti anno, quo nullus toto eo ſæculo infeſtior A.C. 1418. fuit, mille & quingentis equitibus ac duobus millibus peditum coactis, Genuam contenderunt; quo cum perveniſſent, in littore celebris nominis Sancti Petri Arenæ, prope ab urbe, die natali Chriſti Domini, caſtris locatis, biduo in ſpeculis fuerunt; ſi forte ipſorum adventus aliquem motum in urbe excitaret: ceterum, cum diligentia Ducis nihil opportunum illorum conatibus faceret, caſtris retro motis, ac jugis ſuperatis, opidum Gavium in itinere capiunt; præter arcem, quæ tamen cum opido ipſo paullo poſt in manum Philippi venit, à præfecto tradita, octo aurcorum millibus proditionis pretio acceptis. Cumque fama vulgaſſet, Spinulas Luculanos ultra juga adverſus Ducem copias cogere; omnes, qui ejus familiæ Genuæ inventi ſunt, comprehenſi in cuſtodiam traduntur, in abſentiumque bona publice poſſeſſum itur. At exſules omnem vim belli in opidum Capriatam vertunt: extemploque Baptiſta Ducis frater cum mille peditibus & quingentis equitibus ſubſidio miſſus, re infecta, redit; nonnullis damnis in reditu acceptis ab exſulibus, atque ab incolis Campi ditionis Spinularum pagi. Quibus rebus Dux irritatus complures Spinulas Luculanos diligentius conquiſitos in cuſtodiam ipſos quoque tradidit.

Paucis poſt diebus Theramus Adornius, qui ab exſulibus novo atque inuſitato exemplo Dux creatus fuerat, unaque Iſnardus Guarcus Genuam veniunt; atque in pago Corneliano appellato, prope ab urbe tria paſſuum millia ſubſiſtunt: quibus ſexto poſt die turris promontorii Phari prodita eſt: qua potiti, cum uſque ad ipſa urbis mœnia excurrerent, arcem Caſtellacium, quæ eſt in cacumine montis urbi imminente, tentant; irrito incepto, à Baptiſta retro compulſi: in qua fuga duo Genuenſes cives, alter ex Nobilium Factione, altet ex popularium corpore capti ſunt; quos Dux capitali ſupplicio affecit. Menſe Aprili Baptiſta Buzallam contendit; quam captam incendit. At Philippus inſtituta conſilia perſequens, opidum Burgum Furnariorum & Ovatam una cum arce expugnat: quo tempore tres ingentes corbitæ, quas Dux, Joanne fratre præfecto, contra Jacobum Adornium miſerat, tres naves ejuſdem Jacobi prope Provinciæ Narbonenſis littora ceperunt.

At Philippus majore conatu bellum Genuenſe ſibi capeſſendum intelligens, tria equitum atque octo peditum millia (in quo exercitu omnes exſules fuerunr) Genuam mittit: qui ex valle Porciferæ in vallem Biſamniam tranſgreſſi, duo munimenta, quæ Thomas tamquam clauſtra ab ea parte boſti oppoſuerat, expugnant; excurſioneſque uſque ad ipſa urbis mœnia, non ſine cæde ac ſanguine faciunt. At Thomas & fratres omnibus rebus invigilantes, hoſtium conatus diligentia ſua eludebant: quorum tanta fuit virtus, ut, cum bellum à potentiſſimo hoſte ipſis mœnibus inſtitiſſet, in urbe tamen ipſa nullus tumultus eſſet, nullumque belli veſtigium appareret; tabernis reſeratis, ſellulariiſque operi intentis, mercatorioque foro conventu contrahentium frequenti. Igitur hoſtes, cum nihil inceptorum procederet; ne diutius in ſpem irritam tererent tempus, caſtris retro motis, juga tranſcendunt; ac majoris rei ſpe fruſtrati, ad minutiora ſe convertunt; omnibus locis, quæ civitas ultra juga habebat, occuparis, atque inter ſe diviſis: Theramoque Adornio Capriata & Taliolum obvenit: Ponſonum & Parecum Marchioni Montisferacis datum eſt: Petram opidum Marchio Finarii obtinuit: cetera omnia Philippo ipſi ceſſerunt.

Neque interea in ora in Orientem verſa quies fuit: ceterum motuum initia virtute & diligentia Ducis & fratrum compreſſa ſunt: quibus rebus geſtis, Thomas totam Italiam fama nominis ſui implevit: qui tot diſcrimina prudentia, vigilantia, virtute ſua à ſe diſcuſſiſſet: ceterum, cum Philippus Genuenſes bello urgere non deſiſteret; Genuenſes Florentinos legationibus aſſidue fatigabant; quibus conſilia precibus miſcentes, illorum opem implorabant: non enim minus ex ipſorum quam ex Genuenſium re eſſe dictitantes, Philippum ſupra modum non creſcere: cum Mediolanenſes Principes ſeſe non magis Liguriæ quam Etruriæ imperio imminere omnibus temporibus apertiſſima ſigna dederint: qui ſi Genua potiantur, profecto ex ea urbe ſibi ad Etruriæ imperium gradum facturi ſint; ac, ſi nihil aliud, potentes maris facti, mare ac maritima commercia Etruriæ elauſuri: ceterum, cum iſta Florentinos nihil moviſſent, Genuenſes ad conſilium ipſis parum honorificum, in primiſque detrimentoſum deſcendere coacti ſunt; Liburno Florentinus centum & viginti aurcorum nummûm millibus vendito, quibus bellum adverſus Philippum alerent.

Inſequenti anno Genuæ ab externis & inteſtinis motibus otium fuit: at qui inſecutus eſt ejus A.C. 1419. ſæculi vigeſimus, inſignis in primis fuit, clariſſima victoria de celſiſſimo Rege parta; quam nunc exponere pergam. Ferdinando parenti mortuo in duobus nobiliſſimis Aragoniæ & Siciliæ regnis ſucceſſerat Alphonſus filius maximus natu: cujus clariſſimæ & heroicæ virtutes, quarum fere omnium faſtigium tenuit, unam tantum exceptionem habuerunt; immodicam regnandi & proferendi imperii cupiditatem: quod perpetuum fere ſublimium ingeniorum vitium illum ſæpe ad non conceſſa provexit. Is igitur nihil niſi celſum & amplum ſpectans; occaſioneſque omnes quærens, magnum ſibi nomen, magnamque famam faciendi; mire angebatur, cum Sardiniam, & Balcares, ac ceteras interjectas inſulas teneret; nnam Aragoniæ regno & Siciliæ interpoſitam Corſicam velut continuatam imperii ſui ſeriem interſcindere: præ impotenti igitur cupiditate ejus inſulæ potiundæ, fœderis cum populo Genuenſi à Ferdinando parente perpetua fide perſancte culti oblitus, occulta ejus rei conſilia cum multis ex Corſorum primoribus ferere cœpit; quos cum ſpe ingentium præmiorum, tum inſita animis mobilitate inductos facile fuit in ſuas partes ſuamque voluntatem tranſducere: Corſorum enim ingenia ſupra ceteros mortales novandarum rerum avida ſunt: qui numquam in præſentes Dominos ſincera ac ſtabili fide, nova ſemper imperia ſpectant; ad omnemque levem ſpei auram mobiles, ſubita conſilia deficiendi capiunt. Eorum igitur promiſſis erectus Alphonſus, cum tredecim ingentibus corbitis ac tribus & viginti triremibus Barchinone ſolvit: primumque opus ejus in Italiam appulſi ſuit Corſicam, nihil tale Genuenſibus ab amico Rege exſpectantibus, invadere: in qua primo appulſu Calvo munitiſſimo opido, quodque velut clauſtra eſt im-

inſulæ à parte in Italiæ littora verſa, atque alterum ex Genuenſis imperii firmamentis, proditione Corſorum potitus eſt: quo felici ac celeri ſucceſſu erectus, Calvo prævalido præſidio firmato, eundem exitum ſperans, Bonifacio urbi Africam ſpectanti alteri firmamento claſſem admovet. Eſt autem Bonifacium urbs, quam Veteres, ſive ob ſimilitudinem, ſive qua alia de cauſſa, portum Syracuſanum appellabant, natura & opere munitiſſima, in prærupto promontorio ſita, quod rupes undique abſciſſas atque inacceſſas habet; mari fere omne promontorium circumluente, præter exiguam partem, qua paullatim ſe extenuante, continenti jungitur, pariſque formam adſpicientibus præbet. Cingunt urbem prævalida mœnia crebris ambientibus turribus: ſinus maris non plus ducentorum paſſuum latitudinis, à faucibus mille paſſus introrſus retractus, radiceſque promontorii artingent, altitudinis quamvis magnum alveum ſerentis, tutiſſimam ſtationem navibus ab omnibus ventis præbet. Rex ſitum urbis diligenter contemplatus, cum de expugnatione deſperaſſet, ad obſidionem ſe convertit; copiiſque expoſitis, urbem veluti corona terra ac mari cingit & circumvallat; conſilio oppugnationis non tamen omnino omiſſo: quare bombardis ſtatutis in loco, quem campum Romanellum appellant, unde ſolum urbs quati poterat; mœnia verberare inſtituit: pedeſtribuſque copiis admotis, urbem crebris oppugnationibus ſubinde aggrediendo, conſtantiam obſeſſorum tentabat: qui brevi in ſummas anguſtias adducti ſunt; hinc annonæ inopia premente, illinc Aragonenſi nullam nocturnam aut diurnam quietis partem dante: ut juventus numquam arma exueret, cum multis locis regiis terra ac mari urgentibus occurrendum eſſet; neque in tanta defendentium paucitate eſſent, qui integri ſeſſis ſuccederent. Tot igitur aſperitatibus circumventi ac malis domiti ad neceſſitatem cum Rege paciſcendi adducti ſunt; iis conditionibus, ut Rex permitteret Bonifacianos Legatos Genuam mittere, qui ſtatum civitatis demonſtrarent: quod, ſi ad Kalendas Januarias, quæ proximæ erant, ſubſidium à Genuenſibus non ſubmitteretur, tum vero ſeſe urbem Regi tradituros: in quam rem viginti adoleſcentes principum liberos obſides dederunt. Legatus, celoce conſcenſa, ſecunda navigatione uſus Genuam venit: in Senatumque introductus cum ſtatum rerum Bonifacianarum expoſuiſſet, quaſque in anguſtias fideliſſima ipſorum colonia adducta eſſet, demonſtraſſet: quæ, niſi propere ſubſidio eatur, in manus Alphonſi ex pacto ventura ſit: ad hoc, cum omnium temporum merita Majorum ſuorum in Rempublicam Genuenſem commemoraſſet, longa & flebili oratione opem Genuenſium imploravit; cum preces conſilius ſubſequens addidiſſet, longe pluris Genuenſium quam ipſorum Bonifacianorum intereſſe, eam urbem retinere; quippe Bonifacianos, deditione Alphonſo facta, nihil præterea, quam Dominum mutaturos; iiſdem legibus, iiſdem immunitatibus, quibus ſub Genuenſibus, ſub illo futuros: at Genuenſibus in Bonifacii caſibus omnis inſulæ Corſicæ eventum verti. Reſponſum eſt Legato, Bonifacianos apud Genuenſes, à quibus oriundi ſint, non modo generis & ſanguinis neceſſitudine, ſed meritis quoque & officiis, ac fide uno & perpetuo tenore ſincere ab illis culta, filiorum caritatem ſemper obtinuiſſe: quare, tametſi ipſorum diſcrimina nihil populum ac Rempublicam Genuenſem attingerent, illorum tamen cauſſa non minori, quam ſua ipſorum, Genuenſibus curæ ſemper fore; neque minore contentione de Bonifacianorum ſalute & commodis, quam de ſuſtinet, Genuenſes dimicaturos: bono igitur animo eſſet Legatus: poſtulatum enim auxilium in tempore illis præſto futurum; brevique ſe effecturos ſperare, ut nihilo Regi lætiore exitu bellum hoc terminetur, quam injuſtiore cauſſa ſuſceptum ſit; Rexque ſeſe pravis conſilius pares eventus adeptum lugeat. Igitur conſilio civitatis vocato, decretum eſt, ſeptem ingentibus corbitis ac navicula Bonifacianis primo quoque tempore ſubſidio eundum: ceterum res decretu quam expeditu facilior fuit, urbe habitatoribus pene inani: qua maxima civium pars contagionem graſſantis peſtilentiæ fugiens exceſſerat; ærario pecuniis inaniore: quas difficultates Ducis diligentia & virtus expedivit, haud contemnenda pecuniæ ſumma à fœneratoribus Lucenſibus mutua ſumpta; domeſtico argento ac pretioſiore ſupellectili, gemmiſque, quas habebat, in eam urbem oppigneratione miſſis: brevique claſſis comparata & inſtructa eſt, omnis generis commeatuum ac bellicorum apparatuum cumulate plena; ad hoc prævalida ac delecta bellatorum manu firmata: cui præfectus eſt Joannes Fulgoſius Ducis ipſius frater, adoleſcentium vix egreſſus, ceterum magnæ indolis juvenis: cui in conſilio dati ſunt, more Majorum, quattuor cives, Thomas Savignonus, Paulus Interianus, Chriſtophorus Calvus, Joannes ab Andrea. Omnibus rebus expeditis, cum ſe homines ad conſcendendum accingerent; ecce res orta eſt, qua prope factum eſt, ut omnia everterentur, adverſa tempeſtas validis flantibus ventis; quorum rabie ſubinde creſcente, mire animo angi Dux, metuens, die præſtituta urgente, ne tantorum conſiliorum apparatus irriti evaderent, tantamque plagam Corſicæ amiſſæ Reſpublica acciperet: quod impedimentum cum humanis conſiliis expediri non poſſet, ad divinam opem vir pius confugit; ad ædemque Deiparæ Coronatæ accedens, ſollemni ſacro ac precibus Dei immortalis pacem expoſcit. Pii animi eſt credere preces optimi viri tam pia cauſſa incenſas auditas eſſe: inſequenti enim nocte adverſus ventus ſubito concidit; ac pro eo acer Septentrio incubuit, in Meridiem navigantibus inprimis ſecundus; qui nunquam interrupto tenore flans claſſem paucis horis in conſpectum Boniſacii tulit: quæ cum ſubſtitiſſet, Joannes milites ac navales ſocios tali oratione ad pugnam acuiſſe dicitur: *Non, ut vos hortarer, cives, alloquendos vos duxi, quum ego laborem ſemper unanem & ſupervacaneum putavi: nam neque ignavi, & timida, ſtrenui, & audaces oratione imperatoris ſunt; non enim verbis natura vincitur; & fortes ſua ipſos virtus & audacia per ſe ſatis acuit. Ex hoc poſtremo genere vos eſſe, illud certiſſimum eſt argumentum; quod cum Genuæ remanere poſſetis, nemine tamen vos cogente, in tanta diſcrimina voluntarium militiam alacres nomina ultro dediſtis. Tales igitur vos viros caritate patriæ mihi præcurrentes adhortandos duxi? aut id ſine veſtra magna injuria me facturum credam? verum ego, ut vos, quæ res hoc tempore agatur, admonerem, vocavi: verſatur enim magnus in quorundam mentibus error; qui nos ſola miſericordia Boniſacianorum commotos, ac ne fideliſſimam colonam perire ſineremus, domo profectos credunt: quam tamen rem dignam, ut omni noſtro conatu amplecteremur, numquam negaverim: ceterum in longe majoris res diſcrimen, quam Boniſacium eſt, dimicaturi ſumus: de ſervatute enim a patria, nobis ipſis, parentibus, fratribus, conjugibus, liberiſque noſtris arcenda certamen nobis fortuna indixit. Boniſacio enim capto, imperium Corſica Alphonſo ſtabilitur; quam arcibus ac firmis præſidiis firmatam nulla ſpes eſt ex ipſius manibus unquam extorquendi: ex hoc porro inſula nos ſaucibus perpetuo eſt preſſurus, civitatemque noſtram arta obſidione, ſine ullo magnopere impendio ſuo, urgendo, commerciſque & annona commeatibus, quibus alimur, intercludendo, ſume*

ſume ſuffocaturus · qua re ſies ut ſedens & tranquillam quietem agens, nos ad neceſſitatem tandem adigat jugum accipiendi. longe igitur alium animorum habitum pugnam inituri induere debetis: etenim ſi Bonifacio ſalus tantummodo ageretur; ſatis haberetis, pugnam acriter inire, nihil de ſumma contentione remittere, nihil non acuere, omnia denique ſumma facere; ut urbem, ſubſidio introducto, liberaretis: quod ſi ea vis hoſtium vobis opponeretur, cui nullo modo pares eſſe poſſetis; tum vero inexſuperabilibus vim non afferendam ſtatueretis; fideque ad extremum perſoluta, Bonifacianos permitteretis, ut in extremis rebus ſuis, ſibi ac patriæ conſulerent: at an libertate veſtra defendenda, ſic ſtatuere debetis, cives, nihil inter ſubſidium Bonifacium introducendum ſim qua re libertas ipſa veſtra verſatur) & mortem medium: quam mortem non ſolum gloria & decoris cauſſa, fortiter oppetere debetis; ſed quod ex morte veſtra viam ſtraveritis iis, quos ſuperſtites fortuna fecerit (quos multos fore neceſſe eſt) ad perrumpendam per medios hoſtes, atque ad ultimum ſinum penetrandam; naveſque, qua ea tutum evaſerint, urbis ereptæ applicandas: qua non ita pauca eſſe poſſunt; quam eam vim annona & reliquorum commeatuum, ad hoc illud hominum præſidium in urbem inferat, quod ad victum parvo vpido in multos menſes providendum ſatis ſit: atque interea Bonifacianos ipſorum fortuna, aut claſſis a nobis iterum comparanda, aut Regis diſceſſus, ſuis negotiis illum alio avocantibus, expediat. Neminem veſtrum hominem putarem; qui, uxore ac parvulis liberis ante ſe ſtatutis, ac miſericordiam ipſius implorantibus, in miſeram ac perpetuam ſervitutem abducendis; non eos, ſi nulla alia illis ſervandi via eſſet, morte ſua redimeret: eam cogitationem ſecum ipſe quiſque in pugnam afferas: adſpicietis matres Bonifacianas, in medio ardore pugnæ, paſſis crinibus, ac flentes è mœnibus opidi manus in vos intendentes, parvulos natos vobis oſtendentes, miſericordiamque veſtram implorantes: eas non Bonifacianas mulieres, ſed matres, ſorores, conjuges ipſas veſtras putatote, natos veſtros, illorumque ſalutem & libertatem vobis commendantes: hoc ſi bene fixum in animis cujuſque eſt, certiſſima me ſpes ſubſidii introducendi tenet; ſin aliter animati eſtis, nihil eſt, quod nos in tanti diſcriminis caſum temere præcipites demus. Cum vix peroraſſet, conclamant omnes, ne cunctetur; ſed rem communi Marti committere properet: omnes enim animos obfirmaſſe, niſi prælidio Bonifacium invecto, è prælio vivos non redire.

Interea Rex, cum cognoviſſet claſſem Genuæ comparari; fauces portus valido trabium, ac funium, & ferreæ catenæ magnæ craſſitudinis obſtruxerat: quas inſuper, quinque ingentium navium proris in hoſtem obverſis, inter ſe funibus ac trabibus continuato ordine connexis firmaverat: quarum extremæ ponte utrique littori jungebantur, quibus à terra ſubſidia in naves pugnantibus ſubmitterentur: pone quas alium ordinem minorum navium tamquam in ſubſidiis collocaverat; tormentaque in littore diſpoſuerat, quibus latera ſubeuntium hoſtilium navium inceſſerentur: mandatumque terreſtribus copiis dederat, ut ſimulatque hoſtilem claſſem invadentem vidiſſent, ipſi eodem tempore mœnia aggrederentur; ſperans ſe illa defenſoribus vacua offenſutum, opidanorum animis & oculis in eventum navalis pugnæ verſis. At opidani claſſem Genuenſem conſpicati, ſilentio tenebrarum hominem ad præfectum mittunt: qui cum ad claſſem adnataſſet, ſtatum rerum præfectum docet. Præfectus, fide & conſtanti virtute Bonifacianorum laudata, hominem eadem via remiſſum duarum rerum admonere Bonifacianos jubet; ut certamine navali contracto, ipſi bipartiti partim muros cuſtodiant; partim cum ſecuribus præſto ſint, ad funes ac trabes, quibus catena devincta ſit, præcidendas. Cum claſſis, vento ceſſante, ad octavum Kalendas Januarias haud procul ab oſtio portus in ancoris ſtare totum eum diem coacta eſſet, navis Babilani Nigri ingenti bombardæ ictu magno foramine aperta eſt: quare littus circumiens, ad partem ab eo loco averſam navigare coacta eſt, ad cavum obſtruendum. in quo opere dum eſt occupata, Bonifaciani demonſtrant, poſſe ab ea parte, quamvis cum ingenti labore, in urbem penetrari; locumque indicant: cujus rei tantus ardor nonnullis ex iis, qui erant in navi, eſt injectus; ut, Barholomæo Pinello Duce, nihil adſpectu præfractarum rupium à via vix humanis pedibus ſuperabili ingrediendæ deterriti, per arduum & anguſtum clivum mutuo innixi, ac trahentes & ſublevantes ſe, eminentiaque ſaxa manibus apprehendentes, in ſummum jugum evaſerint; atque urbem nonnihil annonæ geſtantes ſint ingreſſi. Poſtero die vento, qui ceſſaverat, acerrimo itetum coorto, Genuenſibus ſecundo, hoſti adverſo; præfectus haud ceſſandum ratus, paucis milites cohortatus eſt, ut ſuæ & Majorum ſuorum virtutis & gloriæ memores acriter prælium ineant; cujus felicem exitum Dei immortalis auxilio freti ſibi animo ſponderent: qui ideo Deus exercituum jure appelletur, quod ejus Numen in victoria danda vel adimenda in primis appareat: neque dubitandum, quin juſtæ Genuenſium cauſſæ eſſet affuturus, ac prælium cum injuſto hoſte, atque alienorum per ſummam injuriam appetente, profligaturus: cujus rei jam evidentia ſigna dederit, vento adverſo, haud dubio miraculo, exſtincto; ac Genuenſibus proſpero immiſſo, & nunc iterum excitato: à perſpicuis igitur pene verbis Dei invitati, ad fortem & intrepidam operam edendam animos & corpora parent. Cum ſua ſponte ſatis antea incenſi, tum oratione Ducis incitati milites, alacri clamore pugnam poſcunt. Hoc militum ardore confirmatus præfectus, nihil cunctandum ratus, omnibus ad pugnam inſtructis & aptatis, ancoris ſublatis, valido vento terga affiante, in hoſtem fertur: tantoque impetu munitionem, qua portus claudebatur, invadit, ut illam primo incurſu perfregerit; hoſtibus miraculo non exſpectatæ rei obſtupefactis: qua re, aditu ſibi patefacto; fauces cum tribus navibus ingreſſus; ceteris quinque retro relictis; ſive quod anguſtiæ plures non caperent, ſive alio conſilio; eum navibus in fronte locatis prælium conſerit: quod ingentibus utrumque animis commiſſum, ipſo certamine paullatim accendebatur; Aragonenſibus in naves Genuenſes magnam vim bombardatum è terra diſplodentibus; Genuenſibus in Aragonenſes ſcorpionibus ac balliſtis magnam vim telorum ingerentibus; quibus multi utrimque vulnerabantur, atque examinabantur: in quorum locum hinc terra ab Aragonenſibus, illinc à navibus Genuenſibus, quæ retro ſubſiterant, recentes & integri aſſidue ſubmittebantur; ut atrox & miſerabilis ſpecies pugnæ brevi facta ſit. Certamen accendebant hinc Rex, prælii è littore è ſublimi loco inſpectator: qui Aragonenſibus maximus erat ſtimulus, ad fortem & ſtrenuam operam edendam; cum nullius audacia aut ignavia Regem, ſub cujus oculis res gerebatur, poſſet latere: illinc Boniſaciani, qui è tectis ac ſummis ædium culminibus prælium ſpectantes, ſignis tantum ac manibus in ſupplicantium ac miſericordiam implorantium modum confirmatis, ſeſe ac parvulos liberos ſuos, quos matres è ſinu inſpiciendos proferebant, Genuenſibus commendabant: virorum igitur fortium opera utrimque edebantur; utroque Duce, Rege terra, præfecto navi diſcurrentibus, providentibus, omnibus rebus occurrentibus, omnia denique bonorum imperatorum munera exſequentibus. Cum amplius tres

horæ,

horas, magno animorum certamine ac ſpe noutro incliuata, pugnatum eſſet, Dux Genuenſis ſollerti induſtria cuncta animo agitans, rem commentus eſt, quæ Genuenſes victoriæ tandem compotes fecit. Erat in claſſe Genuenſi Andreas quidam celebris nominis urinator, quem à comparatione *mergum* appellabant: is ſeſe undis mergere ſolitus, per incredibile temporis ſpatium, nihil ſalſi humoris imbibito, ſub undis durabat: è quibus nulla re læſus emergebat. Hic juſſu præfecti ſpe præmiorum oneratus ſe demergens atque imum petens, latens ad claſſem hoſtilem adnatavit, alveumque regiæ ſubiens ſunes omnes ancorarum, quibus navis firmata erat, incidit: quæ firmamento ſubtracto, undis jactari cœpta eſt, atque huc & illuc ferri, in ſuaſque ipſas naves incurrens, nonnullaſque earum ſecum trahens, ſeriem claſſis interrupit; atque ordinem pugnæ perturbavit. At Genuenſes, occaſione arrepta, per mediam disjectam hoſtilem claſſem, Aragonenſibus ſtupore obtorpentibus, ac cauſſam pugnæ à regia omiſſæ ignorantibus, perrumpunt; atque ad intimum ſinum penetrant; promontoriique crepidini conjuncti ſubſidium hominum, & annonæ, ac reliquorum bellicorum commeatuum per oſtium in urbem introducunt. At Rex, ut exitum Genuenſibus intercluderet, quando ingreſſum non potuerat, aliam pugnæ rationem init: claſſem enim bipartitam utrique littori prætendit; crebris bombardis, & in naves impoſitis, & in littore diſpoſitis, quibus latera Genuenſium navium prætervehentium inceſſerentur: ſimul animos ſuorum adverſo ſucceſſu dejectos verbis erigit; nihil eſſe dictitans, quamobrem Genuenſes virtutem caſui & fortunæ aſſignent: quos, cum ſeſe aperta vi pares non eſſe ſentirent, ad fraudem animum convertiſſe: ſed non ſemper dolos ſelices fore, quibus conſilio occurri poſſit; ac ſuum locum virtuti quoque relictum: proinde ſeſe ad acceptam ignominiam delendam confirment. At præfectus Genucoſis ea ſpecie primo nonnihil perturbatus, deinde celeriter collecto animo; eadem ſollertia, eiſdemque artibus hoſtis apparatus eluſit, quibus ſuperiores conatus fruſtratus fuerat: ventum ſecundum nactus, ancoris ſublatis, ſimplici ordine navium iter ingreditur; navicula ante agmen præmiſſa, pice, bitumine, ſulphure, tæda, aliiſque ignis alimentis plena: quæ ubi claſſi hoſtili appropinquavit, nautæ, materia multis locis ſubito incenſa, navicula vacua relicta, in ſcapham, ut conſtituerat fuerat, deſiliunt: at navis ſubito conceptas flammas late undique jactans, atque hoſtem vapore afflare incipiens; tantum terrorem iis, qui erant in navibus, injecit, ut obliti pugnæ ſeſe partim in terram, partim in mare dejicientes, appetenti peſti trepidantes, aliique alios urgentes ſubtrahere feſtinarent. At Genuenſes fortuna utentes, per mediam hoſtilem claſſem tranſitu libero dato, è faucibus portus erumpunt: veliſque in altum datis, ſecunda navigatione patriam repetunt, magnis cum plauſibus, & alias effuſæ lætitiæ ſignificationibus à cunctis ordinibus excepti; omnibus conclamantibus, raro ullum unquam facinus memorabilius, ac majoris aut in ſuſcipiendo audaciæ, aut in gerendo conſilii & fortitudinis, aut in conficiendo ſelicitatis ab ullo populo editum eſſe; quam hoc à Genuenſibus, ductu Joannis Fulgoſii, & auſpiciis Thomæ fratris in urbe Bonifacio obſidiune eximenda.

Bonifacii retenti lætitiæ, gaudium Calvi inſequentis anni ejus ſæculi viceſimi unius initio ſine certamine recuperati continuatum eſt. Calvenſes enim injuriis & contumeliis Catalanorum & Aragonenſium ſubacti, conjuratione facta, armiſque arreptis, præſidio regio expulſo, ſub antiquum Genuenſium imperium ſua ſponte redierunt: ceterum neque hoc, neque ullum aliud gaudium Philippi ambitio ſincerum eſſe ſinebat. Is non tam ab exſulibus, quorum greges circum ſe aſſidue habebat, continenter inſtigatus, quam indomita cupidine Genuam veteri imperio adjungendi abreptus; nullum Genuenſes vexandi finem faciebat: qui, bello Thomæ Duci palam indicto, bis exercitum in vallem Porciferæ miſit; irrito tamen ſemper incepto: quare Philippus omnes conatus ſuos adverſus Genuenſes ſemper inanes evaſuros, intelligens, niſi maritimo quoque bello illos urgeret, octo triremes à Rege ſibi commodatas ſtipendio conduxit; quibus duas addidit, quas Finarii ipſe armaverat: ſub exitumque æſtatis Guidonem Torellum cum ingentibus equeſtribus ac terreſtribus copiis Genuam mittit; quibus Genuenſes ſpretis, hoſtiles conatus toties inanes experti, incredibili celeritate octo triremes armant, Baptiſta Fulgoſio, magni animi viro, magnique rerum bellicarum uſus, præfecto; qui, Senatus juſſu, Finarium petit: quem triremes Philippi cum pari navium numero advcotantem ptocul conſpicatæ, remis, veliſque fugam capiunt: quarum una, quæ ceterarum curſum æquare non potuit, in terram ejecta, à Genuenſibus incenſa eſt; reliquæ ſeptem cum duabus Finarii armatis, itinere in Occidentem primo ſimulato, proris converſis, portum Piſanum tenuerunt: quas Baptiſta numquam omiſſas ad neceſſitatem prælii adegit: quod primo atrox & cruentum, ad extremum Genuenſibus adverſum fuit, quinque navibus amiſſis, ac præfecto capto; cum tres remorum beneficio peſtem evaſiſſent: qua clade Dux infractus, cum ſibi imparem contentionem cum Philippo eſſe cerneret; pecuniis deficientibus atque animis civium labare incipientibus, hanc quoque moderati animi laudem ceteris recte factis ſuis addidit, ne urbem pertinacia ſua ac regnandi cupiditate everteret: igitur de fratrum ac complurium præſtantiorum civium conſilio & aſſenſu, civitatem ac ditionem iiſdem pactis, quibus olim Antoniottus Adornus Regi Gallorum deditionem fecerat, Philippo tradidit, ſeque ducatu abdicavit; triginta aureorum nummûm millibus ſibi debitis acceptis: cui patria egregium in illum caritatis ac memoris meritorum animi teſtimonium dedit: nam indignum rata, egregium virum ac de ſe ita meritum, abjectum & contemptum in ſolitudine inopem ætatem agere, urbem Sergianam cum tota ditione illi donavit: quindecim aureorum nummûm millibus Spinetæ fratri rerum Saonenſium cauſſa numeratis. Igitur Thomas, Torello ipſo ac magna civium turba proſequente, ad mare deductus, parata nave conſcenſa, iter Sergianam verſus cepit: quo profecto, Franciſcus Carmaniola Comes Caſtelli novi, qui Torello ſucceſſerat, cum omnibus copiis urbem ingreſſus, ejus poſſeſſionem Philippi nomine cepit: qui magiſtratu non mutato, ut animos Genuenſium deleniret, quindecim aureorum nummûm millia, ad detrimenta in bello accepta reſarcienda, civitati donavit: Carmaniolaque, Caſtelletto, ceteriſque ditionis Genuenſis arcibus prius acceptis; ſtipendioque bimeſtri ſibi numerato, ducta ratione annui ſtipendii octo librarum millium, cum totidem Ducibus ſolverentur; Urbanoque à Sancto Aloſio in locum ſuum relicto, Mediolanum rediit: quo paullo poſt viginti quatuor Oratores à civitate miſſi ſunt, ad obedientiam palam in celebri Procerum conventu deferendam; jusjurandumque ſollemnibus verbis dandum.

A.C. 1421.

At Philippus, imperio Genuæ parto, curas ad illud ſibi ſtabili poſſeſſione firmandum extendere cepit: qui quamquam non erat neſcius, eam eſſe Genuen-

nuenſium fortunam, eumque rerum ſtatum, ut in libertate eſſe non poſſent; ea tamen eſſe ingenia intelligebat, ut ſervitutem ferre neſcirent: documento eſſe Gallorum Reges, ipſiuſque majores; quorum dominatus Genuæ numquam diuturnus fuiſſet: ad hoc rem ſibi eſſe intelligebat, non tam cum privatæ ſortis hominibus, aut mercatoribus, qui quæſtui intenti publicas res minus curent, & ab omni cogitatione novandarum rerum privatæ negotiationi ſemper damnoſa longe abhorrent, quietorum quam ſplendidorum conſiliorum amiciores; quam cum multis claris ac præpotentibus familiis; quæ æquabilitatem juris cum ceteris civibus non ſerentes, præter multorum populorum dominatum urbi ac ditioni Genuenſi circumjectorum, capita Factionum Genuæ erant; ſingulæque innumeram multitudinem hominum tam urbanam, quam ex omnibus Genuenſibus finibus, ad ſe trahebant, pro ipſarum dignitate & amplitudine omnem dimicationem ſubire paratorum: in his familiis acres ac ſtrenuos viros, magnæque indolis ac magni animi homines ſemper fuiſſe; qui conſilia de magnis ac publicis rebus cum Regibus ac Principibus agitent; fœdera ac ſocietates jungant; bella gerant; inimicitias ſummorum virorum ac Principum non recuſent; auctoreſque perpetuo ſint rerum miſcendarum; dum unâquæque earum, vel ad principatum ipſum civitatis, vel ad eminentem potentiæ gradum contendit, deque eo ferro decernit: ejuſmodi hominibus non facile jugum imponi. Cum omnia circumſpectaret; nullam aliam expeditiorem viam ineat, conſilia ad effectum perducendi, quam, vires paullatim detrahendo, Genuenſes privatim & publice enervare; facile enim fore, exſangues & enectos ſubigere: quam rem facere duplicitèr aggreſſus eſt: opida & caſtella ditionis Genuenſis à Republica abſtracta, levibus de cauſſis, largiendo; ac lentum & continuum bellum inter illos alendo: quo paullatim conficiantur; dum ipſe exſulibus arma patriæ, atque ipſimet ſubinde inferentibus, tamquam majeſtatis oblitus, ſegniter ac negligenter obſiſtit, modica ac ſera auxilia ſuis ſubmittendo: quæ bella tantarum opum Princeps nutu diſcutere potuiſſet.

A. C. 1422. Inſequenti anno ejus ſæculi vicesimo altero; qui Petrum Georgium Papienſem, Epiſcopum Novarienſem, Gondonem Torellum Parmenſem, Speronem à Petra ſancta Mediolanenſem, Franchinum Caſtellionæum Juriſconſultum Papienſem, Vicarios Philippi habuit; quibus ſub finem anni ſucceſſit Carmaniola; ſeptem naves, Franciſco Spinula præfecto, adverſus Catalanos parvo pecuniarum impendio armatæ ſunt: cum remigium, nullo petito ſtipendio, victu tantummodo contentum fuiſſet. Spinula igitur è portu Genuenſi profectus, claſſe Catalanorum nuſquam inventa, ne ejus expeditio inanis omnino evaderet, opidum Longoſardum in Sardinia expugnavit, Genuamque reverſus eſt: quattuorque rectoribus, quos ſupra nominavimus, ſtipendia perſoluta ſunt: ducta ratione viginti duarum millium librarum annuatum: quod idem ſtipendium, additis inſuper libris octo millibus, Carmaniola voluit: cum diceret eandem ſummam Boricardo Gallo perſoluram fuiſſe: neque conſideraret illud potius meritorum gratuitum præmium fuiſſe, quam mandati muneris ſtipendium; nullumque ipſius meritum in Genuenſem Rempublicam exſtaret.

A. C. 1423. At eo, qui conſequutus eſt, annus ejus ſæculi vicesimus tertius; cum Philippus ad Joannæ Reginæ ac Ladiſlai Provinciæ Narbonenſis Comitis à Regina adoptati partes ſeſe applicuiſſet; Carmaniola omni contentione in conſilio univerſæ civitatis pugnans, ac docens, è re Genuenſium eſſe, Alphonſum & Catalanos perpetuos nominis Genuenſis hoſtes, Neapoli, quam urbem occuparant, expelli; pervicit tandem, ut civitas primo retractans, atque inopiam ærarii excuſans, ducentis librarum millibus in ſumptus decretis, tredecim triremes ac totidem corbitas armaret: quarum præfecti creati ſunt; triremium, Galeottus ex Marchionibus Finarii, Simon à Mari Corſicæ incola, Andreas Lomellinus, Andreas Spinula, Petrus Auria, Anſaldus Grimaldus, Othobonus Imperialis, Petrus Rex, Meroaldus Marruffus, Thomas à Credentia, Nicolaus Biaſſa, Paulus Sanſonus Saonenſis, Blaſius Aſſeretus, qui idem totius claſſis Scriba fuit; addita eſt triremis minoris formæ; ac biremis Joannis Coſſiæ: at corbitis præfecti ſunt, Franciſcus Spinula, Thomas Interianus, Babilanus Nigrius, Philippus Vivaldus, Thomas Squarcuficus, Lucas Ardimentus, Leonardus Savignonus, Dorinus Grimaldus, Hieronymus Fallamonica, Bartholomæus Borlaſca, Bartholomæus Botellus Saonenſis, Jacobus Guantus urbe Pera oriundus, Antonius Montonus à Piſis: novemque majoribus corbitis, præter ordinariam nauticam turbam, quingeni armati ſingulis additi ſunt; reliquis quattuor minoribus duceni ſingulis: additæ ſunt claſſi tritemes tres, duæ majoris, una minoris formæ, quas Ludovicus Genuam miſit: cujus pecuniis duæ quoque Genuæ triremes armatæ ſunt; quarum alteri præfuerunt Opicius & Raphael Fliſci, alteri Baptiſta Fliſcus Canetus & Jacobus Fliſcus.

At Alphonſum triſtis nuncius ex Hiſpania acceptus, Henricum fratrem ab Joanne Rege Caſtellæ tota fere ditione ſua ſpoliatum, captumque, & in cuſtodiam datum, à cogitatione rerum Neapolitanarum in præſentia avocavit: quare Petro fratre infante in cuſtodiam urbis & rerum in regno pararum relicto, ac Jacobo Caldora, cui in primis fidebat, nonnullisque aliis ſociis conſiliorum & regendarum rerum additis, cum ſollemni jurejurando populis confirmaſſet, ſeſe cum majoribus teſtitibus & navalibus copiis brevi rediturum; cum quattuordecim trirembus Neapoli ſolvit: atque in itinere Maſſiliam, civibus, ut in nullo metu, negligenter agentibus, portiſque ac mœnibus urbis nullis cuſtodiis aut ſtationibus firmatis, capit; quam militibus diripiendam dedit: cum nihil ipſe ex præda voluiſſet, præter corpus divi Ludovici, Caroli ſecundi Andegavenſis filii, qui ejus civitatis Epiſcopus fuit; quod poſtea Valentiam delatum loco celſo & conſpecto collocari juſſit; indignum eſſe affirmans, corpus ſancti viri miraculis clari in ſqualore direptæ & incenſæ urbis contemptum obſoleſcere. Illud quoque perpetuæ continentiæ & moderationis ſuæ exemplum edidit, quod mulieres ante direptionem juſſu ſuo in ædem ſacram ſubductas, ne contumeliis militum obnoxiæ forent, attingi aut excuti vetuit; cum multi aſſeverarent, illas ingentem auri & gemmarum vim ſecum tuliſſe: qui, itinere repetito, ſecunda navigatione uſus, Valentiam tandem incolumis appulit.

Interea Guido Torellus præfectus claſſis à Philippo deſignatus, menſe Decembri ineunte, Genuam venit: quæ res animos Genuenſis juventutis in Carmaniolam propenſæ à Philippo alienavit: cujus magna pars claſſem conſcendere recuſavit, imperium Torelli reſpuens, in quo nullum uſum rerum navalium eſſe crederet: tandem claſſis ſolvit; quæ cum Cajetam appulſa eſſet, Cajetani paucitatem navium deſpicientes, cum claſſis nondum tota apparuiſſet, primo Genuenſibus illudere, rogantes, ubi tot equitum & peditum nubes eſſent; ubi tot corbitatum, quem jactaverant, immenſus numerus: ceterum ubi naves armaris homi-

hominibus refertas portum ſubeuntes viderunt, animis conciderunt; præfectumque, nuncijs miſſis, orauiuut, ut Aragonenſi præſidio incolumi dimiſſo, urbis dominatu contentus eſſet, quam illi tradere parati eſſent. Accepta eſt conditio, atque urbs tradita: quod exemplum ceteræ maritimæ urbes ſecutæ ſunt: quibus rebus confectis, claſſis Neapolim petit; cum eodem tempore Franciſcus Sforcia eidem urbi copias admoviſſet: quæ, hinc Franciſco terra, inde Genuenſibus mari acriter urgentibus, brevi in magnas angustias adducta eſt; ut multi ductores cum copijs, quas ſecum habebant, urbe exceſſerint. At Caldora res ad iniqua inclinatas cernens, auxilijs ab Alphonſo plane deſperatis, ſibi conſulendum, ac, quod futurum erat, cum ſuo emolumento adjuvandum ratus, occulta colloquia per internuncios cum Franciſco ſerere cœpit de Petro ac Neapoli deferenda; ſi ſtipendia ſibi ab Alphonſo debita perſolverentur: pauciſque commutatis verbis, res convenit; poſtulatiſque ſtipendijs ex ære Philippi perſolutis, quæ ingentem ſummam confecerunt; Caldora ſimulans, Petrum infantem pernicioſa conſilia in ipſius caput occulta ſtruere, ipſum capiendi & carcere includendi, cum copijs ſuis ipſe quoque Neapoli exceſſit: quare Petrus infans ſeſe ab omnibus fere deſertum cernens, in arcem novam ſe recipit: Franciſcuſque & Torellus urbe, Reginæ Joannæ nomine, ſine certamine potiti ſunt.

A.C. 1414. Neapoli capta, inſequenti anno ejus ſæculi vicesimo quarto claſſis omnem oram Neapolitani regni circumvecta, quæ dubia erant, Reginæ confirmavit; quæ imperium detrectabant, partim vi, partim metu ad deditionem adegit. Neapolimque reverſa, cum, omnibus longa militia abſumptis, nihil eſſet, unde militibus & navalibus ſocijs ſtipendia debita perſolverentur, exiguo ſubſidio à Regina ipſa quoque pecuniarum inopia laborante ſublevati ſunt, centenis aureis nummis in ſingula navigia diſtributis: quorum ſtipendiorum cauſſa magnæ contentiones inter Torellum & præfectos Genuenſes excitatæ ſunt; quæ uſque ad jurgia exarſerunt: at claſſis, rebus feliciter confectis, Genuam incolumis ſub finem Maji pervenit.

Per idem tempus Petrus unus ex Alphonſi fratribus, ex Aragonia profectus, cum viginti quatuor triremibus iter in regnum Neapolitanum habebat: cumque Bonifacium præterveheretur, ſubit animum cogitatio experienda, an, quod frater tantorum laborum & pecuniarum impenſis aperta vi aſſequi non potuiſſet, id ipſi furto inſidiarum ſuccederet: igitur omnia ſe apud Bonifacianos, ut in nulla ſuſpecta re, ſoluta & neglecta offenſurum ſperans, copijs nondum certa luce ſilentio in terram expoſitis, urbem aggrediturr: quam, parum abfuit, quin primo impetu caperet; cum bona militum pars jam in illam irrupiſſet: ceterum Bonifaciani, ſtrepitu audito, ex omnibus urbis partibus in eum locum accurrentes, omnibuſque viribus conniſi, Aragonenſes, non ſine ſuorum ſanguine, retro compulſos urbe ejiciunt.

Eo tempore civitas noſtra, quamquam diuturnis inteſtinis malis lacerata & attrita, tamen diſſimis commerciis ac late in multas Orientis partes extenſo imperio florebat: nam in inſula Cypro Famaguſtam celebre emporium poſſidebat: ad hoc inſulam Chium in Ægæo, ac Peram urbem in Boſporo Thracio obtinebat, ejuſque imperio Amaſtris urbs Ponti & Bithyniæ; atque in Taurica Cherſoneſo Cembalum, Soldana, Caffa, (quæ Veteribus Theodoſia fuit) ſubjunctæ erant: quæ etiam, palude Mæotica penetrata, Tanam urbem ad fluvium Tanaim, qui Europam ab Aſia dividit, dicto audientem habebat; ad hoc in urbes Simopem, Trapezuntem, Sebaſtopolim, complureſque alias Dominorum voluntate fœdere ſibi conjunctorum, Conſules mittebat; qui juriſdictionem inter Genuenſes exercerent, qui negotiationis cauſſa ſedes & domicilium in illis, multiſque aliis Orientis urbibus collocarant. Sub finem hujus anni, Carmaniola à Philippo revocato, Jacobus Inſulanus Bononienſis Cardinalis ejus Vicarius Genuam venit: cujus annuum ſtipendium tredecim millium librarum fuit.

Interea Florentinis nimia Philippi potentia ac felicitas formidoloſa eſſe cœperat; cujus curſum impedire atque interrumpere ſtudentes, anno ejus ſæculi viceſimo quinto claſſem trium & viginti triremium, partim ab Alphonſo commodatarum, partim ab ipſis armatarum, comparant: Thomamque Fulgoſium in Philippum inſtigate incipiunt, hominemque hortari, ne turpi atque ignobili exſulio conſeneſcere velit; ſed ſeſe ad amiſſum principatum repetendum, patriamque ab impotenti Philippi dominatu liberandam accingat. Non recuſat Thomas; non tam Florentinorum verbis inductus, quam ſpe ex rerum Genuenſium ſtatu concepta impulſus; cum ſciret complures ex primoribus civitatis, ob multas acceptas injurias, graviter offenſos: quæ injuriæ quantum Philippum civibus inviſum faciebant, tantum ſibi favorem vulgo conciliabant; recordatione mitis imperii, ac memoria beneficiorum à regnante acceptorum in multis nondum obliterata: ad hoc Guelphorum odia in Philippum ardentia ipſi nota eſſent; quibus Philippus ſpretis ſolos Gibellinos amplificandos ſuſceperat: hac ſpe attractus Thomas claſſem conſcendit; unaque cum illo Nicolaus & Joannes Ludovicus Fliſci, ipſi quoque patria extorres, ac cum illis haud exiguus exſulum numerus: claſſis igitur cum Genuam appulſa eſſet, menſe Aprili ineunte ante oſtium portus in ſalo ſtetit ſpectabunda, ecquos motus ipſius adventus excitaret; nomen Fulgoſium magnis clamoribus crebro ſubjicientes: ſed nullus motus factus eſt; cum omnia firmiſſimis præſidijs munita eſſent. Igitur Thomas atque exſules, ſpe, qua venerant, fruſtrati, puppibus retro converſis, littus in Orientem verſum legentes, portum Delphini, Sigeſtrum, Monelliam opida capiunt; Florentinique copijs equeſtribus & terreſtribus ad Sigeſtrum in terram expoſitis, Thomas totam ora diſcurrens, totaque regione ab omni belli clade intacta, multos ad ſe attraxit.

A.C. 1415.

Quibus rebus cognitis, Philippus claſſem Genuæ comparari mandat; nonnullis Padi accolis in ſupplementum remigij miſſis, cum ipſe tertiam partem impenſæ faceret; decemque & octo triremes ac nonnullæ ingentis magnitudinis corbitæ inſtrui ac parari cœptæ ſunt, Antonio Auria claſſis præfecto: præterea tria equitum ac quinque peditum millia; quas omnes copias Nicolao Tertio cognomento bellatori ducendas tradidit, in plana Sigeſtri deſcendere jubet: inter quos & Florentinas copias acre prælium commiſſum eſt: cum prima acies equites ſuiſſent: ex quo prælio pari Marte diſceſſum eſt: at poſtero die iterum manu conſerta; cum auditum eſſet, Joannem Ludovicum Fliſcum opido Pontremulo, atque à valle Tari fluminis cum delecta juventutis manu adventare, Tertiani ingenti ac ſubito pavore correpti, in turpem fugam ſeſe conjiciunt: quos Florentini inſequentes, ac terga cædentes, magnam vim armorum, quæ fugientes tamquam iter retardantia paſſim abjiciebant, collegerunt; parvo numero hominum interfecto, ſed compluribus captis.

Menſe Julio Philippus Opicium Olgiatum Mediolanenſem Genuam procuratorem rerum belli-

carum mittit : eodemque menſe Baptiſtam Cicadan, ac Stephanum Catanium Jnriſconſultos, Franciſcum Auriam, Bartholomæum Spinulam, Valeranum Lomellinum, Gregorium Marinum, Nicolaum Fliſcum, Raphaelem Adornum, Thomam Promontorium, Oliverium Marruffum, Fabricium Adornum, Nicolaum Judicem, Baptiſtam Leonardum, Paulum Moncham, inſimulatos occultorum conſiliorum adverſus Philippum initorum, Mediolanum evocat; qui annum Mediolani in cuſtodia retenti ſunt: quo peracto, nonnulli dimiſſi ſunt, nonnulli exſulio mulctati; uno tantum Nicolao Fliſco carcere incluſo. Anno exeunte, Philippus Cambium Bononienſem & Urbanum à ſancto Aloſio Tunetum ad redimendos captivos Legatos miſit: cum quibus ivit Ambroſius Spinula à Genuenſibus miſſus; qui tres à Rege comiter accepti, cum maxima parte captivorum redempta reverſi ſuot.

A.C. 1426. Inſequenti anno ejus ſæculi vigeſimo ſexto Franciſcus Spinula, Philippi permiſſu, Plebem Teici & Vallem Arociæ occupavit, præferens octo librarum millia ſibi à Republica debita. Iſnardus Guarcus, opido Ovadæ occupato, ſibi quoque nonnullam pecuniarum ſummam debitam prætexebat: ad hoc cum Philippus menſe Aprili feſe ab Andegavenſibus ad amicitiam Alphonſi tranſtuliſſet; ſocietatiſque fœdus cum illo junxiſſet; Bonifacium & Calvum opida Corſicæ inſulæ claustra Alphonſo dare promiſit, Genuenſibus ne quidem conſultis: ceterum, quoniam ea loca, inſcis Genuenſibus, illorumque juſſu, voluntateque incolarum non explorata, tradi non poterant, Philippus Portū Veneris atque Erice opidis pignori datis, Alphonſo cavit: quæ opida Rex ſuis præſidiis, quorum ſtipendia ſolveret Philippus, interea retineret; dum Philippus Genuenſes ad cedendum opidis in Corſica conceſſis induxit: quas res cum Genuenſes reſciviſſent, gementes & mœrentes diſſimulare coacti ſunt: qui eodem tempore quattuor triremes in Florentinos tribus trirembus mare Liguſticum excurſionibus infeſtum facientes armarunt; quibus præfuit Bartholomæus Juſtinianus; Trierarchique fuerunt Othobonus Imperialis, Bartholomæus Vivaldus, Joannes Montaltus, Nicolaus Ubertus: quæ Florentinas triremes ad Portum Mauricinum opidum adeptæ, præda victas ceperunt. Eodem quoque anno, autumno incunte; Abrahamus Fulgoſius & Theodorus Fliſcus, cum magna paganorum turba multis ex locis corrogatorum, urbem ingredi auſi ſunt; ſpe ſeditionem in Philippum excitandi, reſque miſcendi: ceterum, cum neminem auctoritate nominis ſui moviſſent, urbe protinus faceſſere ignominiæ plenī coacti ſunt.

A.C. 1427. At inſequenti anno ejus ſæculi vicesimo ſeptimo, Thomas Fulgoſius, conſilio Philippi principatu Genuenſi extui bandi repetitis, Antonio Fliſco & Legato Florentino ſocius, cum quadringentis equitibus atque octingenis peditibus exteris, quibus nonnulli oræ Liguſticæ homines addicti ſunt, Genuam venit; atque in ſuburbanis Albario & Terralba, mille circiter paſſibus ab urbe diſtantibus, caſtra locat; ratus ad nomen ſuum circumjectarum vallium homines ac complures ex urbana juventute conſurrecturos; cum in caſtris vulgo conclamaretur, *Io popule, faceſſant Longobardi*: ceterum octavo Idus Auguſtas ſcalis admotis, mœnia aggreſſus, ſcalis amiſſis, non ſine cæde ac ſanguine repulſus eſt: qui cum circiter menſem nocentibus Genuenſibus aſſediſſet; auditiſetque haud contemnendas copias urbi ſubſidio ex Longobardia miſſas adventare; cum ſe in vicos Nervium & Reccum recepiſſet; caſtello quodam in monte Faſcia ab hoſtibus æditicato occupato, cum copiis omnibus mox rediit, propeque ab urbe tria paſſuum millia conſedit; magnis ac continentibus detrimentis regionem, totamque oram Liguſticam afficiens, trium triremium, quarum duæ Florentinæ erant, tertia Joannis Grimaldi Domini Monœci præſidio fultus: adverſus quas quattuor triremes miſſæ ſunt, Aramo Salvago præfecto; ac duobus Catalanis, & Joanne Montalto, ac Blaſio Axereto Trierarchis: quæ hoſtiles triremes ad Vernaziam opidum adeptæ, duas earum prælio congreſſas capiunt: cum Dominus Monœci, velis in altum datis, peſti ſe ſubtraxiſſet, & Franciſcus Fliſcus Cancus, triremi, cui præerat, in terram ejecta, cum toto remigio manus hoſtium evaſiſſet: unus reliquus ex Trierarchis Antonius Falconus Saonenſis captus eſt, ac ſuſpendio cum nonnullis aliis necatus: qua clade audita Fulgoſii, omiſſa urbe, ſe Reccum opidum recipiunt.

Eo anno Carolus Lomellinus civis Genuenſis, Philippo aſſentiente, urbem Abintemelium cum arce occupavit; quam in decennium fiduciariam à Philippo accepit, oppigneratam ob tria aureorum nummūm millia à Carolo Philippo mutuo data: quæ res civibus gravis fuit, magno motu animorum memoria Ovadæ & vallis Arociæ abenatarum repetita. Interea Fulgoſii ſub finem hujus anni, cum Genuam iterum rediiſſent, atque à parte in Occidentem verſa in ſuburbanis Corneliano & Coronatæ aliquamdiu conſediſſent; copus in partem Orientem ſpectantem tranſlatis, caſtriſque in valle Biſamnis ſtatutis; duabus continentibus noctibus urbem furto inſidiarum, prima in eo loco, qui Carinianum vocatur, altera ad ſanctum Michaelem, irrito incepto tentarunt; inſequentique die, ſpe tumultus in urbe excitandi, circumfuſo terrore mœnia ab omnibus partibus aggrediuntur: quod inceptum ipſum quoque vanum evaſit: quos tot laboribus feſſos, ac vix armis ſuſtinendis validos, ad omnumque rerum inopiam adductos, obſeſſi recentes & alacres, eruptione facta, adorti fundunt ac profligant; magna equitatus ac non exigua peditum parte capta; in quibus fuerunt Thomas Freſcobaldus Florentinorum Legatus ac procurator, Bartholomæuſque Comes Ferrarienſis.

Inſequenti anno ejus ſæculi viceſimo octavo Bartholomæus Capra Cremonenſis Archiepiſcopus Mediolanenſis, Jacobo Inſulano Cardinali à Philippo revocato ſucceſſit, vir laudatis moribus. Eo tempore Barnabas Adornius verbis ſacerdotis cujuſdam humilis ſortis hominis inductus; qui ſpem fecerat, ſi ille cum exigua armatorum manu ad urbem acceſſiſſet, ſeſe illum in poſſeſſionem arcis Caſtelletti inducturum; cujus rei cum nonnullis militibus arcis præſidiaris occulta conſilia compoſita haberet; Barnabas cum non plus quingentis armatis in vallem Porciferæ deſcendit, ac ſexaginta homines ad ſacerdotem, ut compoſitum fuerat, occulto mittit: qui cum non fefelliſſent, comprehenſi ſunt: de quorum primoribus ſupplicium ſuſpendio ſumptum eſt: Barnabaſque ſpe tam leviter fundata fruſtratus, Vulturem opidum ſe cum ſuis recepit: adverſus quem miſſus eſt Iſnardus Guarcus; qui tamen ante adventum Nicolai Piccini, quem exſpectabat, nihil tentandum duxit.

A.C. 1428.

Interea Philippus urbe Brixia à Venetis ſpoliatus, Alphonſum ad regnum Neapolitanum repetendum inſtigare inſtitit: quod regnum ab Alphonſo ipſius Philippi ope & opera recuperatum magno ſibi uſui adverſus Venetorum potentiam fore ſperabat: ceterum Rex, ſine Genuenſium amicitia, quorum tantæ eſſent maritimæ opportunitates vanum omnem conatum ratus, illorum voluntates ſibi conciliandas ducens, ea de cauſſa

cauſſa Bernardum Carvarianum, Andream Bibrium, Berengarium Cravellum Oratores Genuam mittit: qui cum mandata in Senatu expoſuiſſent; Senatus quattuor ex præſtantioribus civibus elegit Barnabam Guanum, Clementem Squarciaficum, Thomam Judicem, Gaſparum Lercarium: qui pacem & amicitiam, quibus conditionibus viſum eſſet, componerent: quæ inter illius percupidos facile convenit, nulla Philippi facta mentione. Hanc amicitiam Genuenſes cum Rege ſanxerunt, potius ne illum ſibi magis irritarent, quam quod amicum umquam ſperarent, aut ſincera fide ſecum agere credirent: in qua fide uſque eo permanſurum, dum incepta ad exitum perduxiſſet; ceterum mox ad ingenium rediturum, conſilumque, Corſicæ adjungendæ, quod animo penitus inſidens illi excuti non poſſit, repetiturum. Rem, quam illorum temporum Scriptores dignam exiſtimarunt, quam poſteritati traderent, ne nos quidem omittendam duximus; illius anni ſiccitatem: quæ tanta fuit, ut Genuæ omnes fontes exaruerint; cum à menſe Junio uſque ad Decembrem, tamquam exlo clavo, nulla imbris gutta decidiſſet.

A.C. 1419. Interea Barnabas Adornius ab incepto non deſiſtens, anno ejus ſæculi viceſimo nono nonnulla caſtella in montibus urbi proximis excitavit: ceterum Nicolao Piccino appropinquante, cum non ſatis Porciferanorum fidei crederet; cedendum ſtatuens, finibus Genuenſibus exceſſit. At Piccinus, cum in vallem Porciferæ deſcendiſſet, Porciferanis ob tot ac tam faciles defectiones vehementer iratus, totam vallem exſcindere atque incendere decrevit: verum Magiſtratus Genuenſis precibus exoratus, Porciferanis veniam ſupplicitèr petentibus ignovit: cum tamen tintinnabula è turribus ſacrarum ædium omnia ſuſtuliſſet; quorum ſonitu homines ad arma vocare ſolebant. Eodem anno Lucenſes Paulum Guinſium, impotente hominis tyrannide ipſorum patientiam vincente, captum Philippo vinctum tradiderunt: qui, cum acri bello à Florentinis premerentur, Genuam opem imploratum mittunt: quibus Genuenſes quindecim millia aureorum nummûm mutuo dederunt; arcibus Motrom & Petræ ſanctæ pignoris nomine acceptis.

A.C. 1420. Inſequenti anno ejus ſæculi triceſimo opida Sigeſtrum & Monclia, atque arx portus Delphini, quæ loca exſules numquam dimiſerant, Franciſci Spinulæ Othoboni filii opera & virtute recuperata ſunt. Piccinuſque Carregam, Turriliam, Pontremulum, Varriſium ditionis Fliſcorum opida; nec non omnia, quæ Marchiones Malaſpinæ in agro Lunenſi poſſidebant, occupavit; Florentinorumque exercitum urbem Lucam acri obſidione urgentem fudit ac profligavit; magna parte equitatus capta: cui bello mille ſagittarii Genuenſes cum haud exiguo operæ pretio interfuerunt. At Philippus ad invidiam Lucæ imperio ſubjunctæ deteſtandam, famamque nimiæ cupiditatis vitandam, ſimul ad animos Genuenſium permulcendos, cum Lucenſibus convenit, ut Lucenſes, præter loca Genuenſibus oppignerata, civem Genuenſem Prætorem quotannis eligerent; qui conſilius ipſorum intereſſet; neque ejus injuſſu poſſent legationes aut mittere, aut audire. Eodem anno Jacobus Appianus Plumbini Dominus, ut ſeſe adverſus Florentinorum inſidias & machinationes communiret, ſe in fidem populi Genuenſis tradidit; pactus eoſdem ſe amicos & inimicos, quos Genuenſis populus, habiturum.

A.C. 1421. Sequitur annus ejus ſæculi trigeſimus unus, multis ac magnis rebus geſtis inſignis; quo anno Florentini & Venetu armorum ſocietatem adverſus Philippum junxerunt. At Senenſes Florentinorum nimiam potentiam formidantes, cum ſeſe opera Franciſci Spinulæ Othoboni filii cum Genuenſibus amicitia & fœdere conjunxiſſent, totum bellum in Etruriam transferri cupiebant; quo Florentini impliciti ab ipſis attingendis avocarentur. Philippo igitur auctore, convenit; ut partitis muneribus, Genuenſes, Lucenſes, nonnullis equitum alis à Philippo ſubmiſſis, quam acerrimo bello Florentinos diſtinerent; Philippuſque interea Venetorum ditionem trans Abduam fluvium invaderet: qui ne ſolus adverſus tantas Venetorum ac Florentinorum opes dimicare videretur; auctoritatemque rebus gerendis adderet, ipſo auctore, Genuenſes de commun conſilio bellum Venetis indicunt, io quod una & viginti triremes decretæ ſunt: ceterum ordo compoſitus turbatus eſt; Veneti enim prius exſpectatione Philippi moverunt: qui cum pecuniarum penuria nondum copias ſuas omnes contraxiſſet, coactus eſt equitatum, ad bellum Etruſcum deſtinatum, adverſus Venetos mittere; ut nihil tota æſtate in Etruria memorabile geſtum ſit. At Veneti nullam rationem Philippi urgendi omittentes, ingenti claſſe atque omnibus rebus inſtructiſſima, magnaque copia egregiorum bellatorum referta, quam magnus numerus Patriciorum Venetorum conſcendit, Padum fluvium ingrediuntur: adverſus quos Philippus partem quidem navium numerum Papiæ armarat; ceterum militibus, ac bellicis apparatibus, omnique alia neceſſaria re longe inferiorum: virtus ſola præfecti ſuperiores Venetorum opes, & apparatus, ceteraque omnia æquabat. Is fuit Joannes Grimaldus Genuenſis. Igitur claſſes ad decimum Kalendas Julias ad Cremonam urbem concurruot; acriterque per aliquot horas dimicatum eſt: tandem claſſis Veneta ſuſa ac profligata eſt; viginti octo navibus, atque octo hominum millibus captis: in quibus tredecim Veneti fuiſſe dicuntur, quos à fortitudine fama, tredecim Scipiones inani jactantia appellabant: per quod tempus Bartholomæus Furnarius cum quinque triremibus ac duabus ingentibus corbitis adverſus Florentinos miſſus, illorum littora totam eam æſtatem continentibus excurſionibus, compluribuſque illatis detrimentis infeſta fecit.

At Veneti tam infelicis exitus dolore mœnſi, omnes iras in Genuenſes verterunt; præfecti & nautarum illius nationis hominum virtute ſe tantam cladem accepiſſe rati: quos, ne tantam injuriam inultam ſinerent, cum acerrimo bello terra & mari perſequi decreviſſent; cum Joanne Jacobo Marchione Montiſferacis perpetuo Genuenſium hoſte egerunt, ut Barnabam Adornium apud ipſum exſulantem ad Genuenſes vexandos mitteret: qui haud retractanter morem geſſit: ipſi decem & octo triremes ſubito armatas mittunt; quibus præfectus eſt Petrus Lauredanus, vir in rebus bellicis ac navalibus magni nominis, multiſque inſignibus victoriis clarus: qui, cum ſecunda navigatione uſus, Piſas veniſſet; in ea urbe galeatiam, quattuorque triremes omnibus rebus inſtructiſſimas, quas paratas offendit, ſibi adjunxit: quæ galeatia præter conſuetam turbam nauticam, trecentos delectos milites vehebat. Eam claſſem Jacobus Adornus & Antonius Fliſcus exſules conſcenderunt. At Genuæ adventu Venetæ claſſis Piſas cognito, Franciſcus Spinula Othoboni filius claſſis præfectus, neceſſariis rebus nondum ſatis comparatis, nimio ardore pugnandi provectus, excellentique ſuorum virtute confiſus; quam iidem Veneti tanto omnibus rebus ſuperiores in Pado fluvio non ſuſtinuiſſent; omnia raptim agens, è portu Genuenſi cum una & viginti triremibus, atque ingenti corbita ſolvit: ad nonumque Kalendas Octo-

bris classem Venetam ad sedem divi Fluctuosi, quæ ab urbe Genua minus viginti millium passuum distat intervallo, obviam habuit; cum qua prælium mox commisit. Raro duæ classes ingentioribus animis, majoreque irarum certamine concurrerunt; prælumque atrox & cruentum per multas horas fuit, rebus neutro inclinatis: ceterum ambabus prætoris inter se conflictis; Florentina galeatia beneficio venti exorti utens, per mediam classem perrumpens, magno impetu prætoriam Genuensem invadit; quam ingenti rostri ictus percussam in alterum latus ita inclinavit, ut eo latere demerso, nemo se sustinere à lapsu potuerit; sicque prætoria capta est: quam rem reliquæ naves conspicatæ in fugam se conjiciunt: quas Venetæ insecutæ, octo illarum capiunt, cum tredecim evasissent: quarum undecim portum Delphini proximum subierunt, reliquæ duæ, altera Genuam, altera Plumbinum, pervenerunt. Præfectus Venetus victoria moderate usus est; præfecto Genuensi ac reliquis captivis humaniter & honorifice tractatis; turbaque nautica Itatim sine pretio dimissa: ceterum Genuenses tanto vulnere icti, non tamen animum desponderunt; sed in duodecim triremes, quæ ex pugna superfuerant, reparandas, ac reliqua necessaria providenda omni cura atque opera incubuerunt: cum qua classe tandem reparata & instructa Nicolaus Justinianus præfectus littora Genuensium eo anno tutatus est: cum Veneti totum illud tempus potius in faucis curandis, quam bello persequendo posuissent: qui paullo post partam victoriam, Franciscum præfectum, tresque in consilio additos, ac navium captarum Triearchos Venetias miserunt; qui omnes carcere sunt inclusi.

Interea Barnabas Adornius cum trecentis equitibus & octingentis peditibus à Marchione Montisferacis missus; cui multi sese illius partium homines aggregarunt, fines Genuenses ingressus, Sextum usque perrexerat: cujus copias Nicolaus Piccinus adversus illum à Philippo missus prælio congressus fudit, ipso Barnaba capto: qua victoria parta, Piccinus inaudita illis temporibus eruditatis exempla in miseros Liguriæ incolas edidit; quos inermes ac supplices veniam petentes, ante se adductos jugulari jussit: quorum sanguine tandem satiatus, omnes, quicumque superfuerunt truculentæ iræ, cum ne imbecillæ quidem ætati, ac sexui, aut sacro ordini parceret, præconi subjectos, finitimis metu adactis invitis licentibus, in publica auctione vendidit: quibus in Lugura confectis, fines Montisferacis infesto exercitu ingressus, ferro & igni cuncta late pervastavit.

Interea Veneti, cum audissent Genuensium opida, totamque transmarinam ditionem non satis firmis præsidiis teneri; spe injecta, Chium maritimis commerciis in primis opportunam urbem improviso adventu opprimi posse, Chiensibus, ut in nullo tali metu, solute & negligenter agentibus, ad hoc non satis ad resistendum validis; anno ejus sæculi tricesimo uno classem tredecim ingentium corbitarum ac triremium majoris formæ duodecim, minoris trium, magna celeritate comparant, atque instruunt; cui Andream Mocenicum præficiunt, delectaque cohorte septingentorum armatorum, quam ducebat Scaramucia Papiensis, vir magni in rebus bellicis usus ac nominis, in illam impositа; alia in speciem simulantes, iter in destinatam insulam intendunt: tantamque contentionem adhibuerunt; ut, quamvis mense Novembri aspera hyeme navigarent; itinere tamen incredibili celeritate confecto, famam adventu suo prævenerint: qua subita horribili specie oculis objecta, Chienses primo consternati; mox animis, extrema necessitate urgente, à pavoris cogitatione ad curam salutis defendendæ conversis; dum hostes copias in terram exponunt; dum loca castris locandis ac bombardis statuendis aptiora explorant; dum tormenta ac ceteros belli apparatus expediunt, totamque oppugnationem instruunt; ipsorum interea haud segnis est opera: summoque imperio ad Raphaelem Montaltum delato, virum strenuum & experientem, atque inter ferrum & arma educatum, plurimoque rerum usu eruditum; turres præsidiis firmant, ballistasque ac scorpiones in mœnibus disponunt. Tandem tertio die post excensionem, Veneti, omnibus rebus præparatis & instructis, urbem invadunt: mœniaque longa vetustate imbecilla ac pene soluta, bombardis quassata, multis locis prosternunt. Acriter opidani resistunt, magnam sagittarum ac missilium vim ingerentes: quæ quamquam minus terribili specie, mupusque horribili sonitu, majores tamen hominum partim cæsorum, partim saucionum, quam bombardæ, edebant strages. Pugnatum est diu & acriter, animis utrimque obstinatis, opidanos sua ac conjugum & liberorum salute & libertate acuente; Venetos indignatione accendente; quod urbs parva ac sita in plano, nullisque exteris præsidiis firmata, ad hoc mœnibus multis locis decussis, non extemplo dedition em fecisset. Fine certaminis sub vesperum facto; Mocenico præfecto, quænam ratio oppugnationis optima videretur, Scaramuciam consulenti respondisse illum ferunt; *Verba sibi à Venetis data, vanamque spem ostensam, vile atque imbecillum Graecorum castellum facile expugnanda: ceterum se urbem offendisse, neque armis, neque viris carentem; ad hoc nullius Italica artis rudem: sese igitur magnopere auctorem esse, aut temerarii inceptis omittendis, aut consilia ab oppugnatione ad obsidionem vertendi.* Strages murorum à bombardis facta in primis Chienses perturbabat; nam materia deerat, qua patefacta ruinis loca obstruerent; neque omnia paucitas hominum ubire poterat. Quod huic periculo humani ingenii sollers investigatio remedium invenire non potuit, casus invenit. Erant forte in portu duæ ingentes onerariæ magni pretii mercibus refertæ duabus turribus junctæ, quæ fauces portus munichant: forte nocte intempesta nonnullæ Venetorum scaphæ ac celoces explorandi studio clam portum ingressæ, cum se inter scopulos quosdam & naves insinuassent, strepitumque edidissent; tantum terroris hus, qui erant in navibus & in turrium præsidiis, injecerunt, credentibus omnem hostilem classem portum intrasse, eoque portum; ut mentibus subito pavore ab omni cogitatione alienatis, extemplo navibus incensis ac turribus relictis trepida fuga in urbem se receperint. At hostes occasione utentes, turribus ac navibus defensoribus plane vacuis extemplo occupatis, portam in suam potestatem rediguntur: quæ res urbi saluti fuit; defensorum paucitate iis qui in urbem confugerant, suppleta: ita magnum damnum Chiensibus in maximum bonum vertit. Is casus utriusque partis animos confirmavit: nam & obsessis, qui deficere & labare inceperant, fiduciam auxit; ut non jam ad tutanda mœnia, quamvis multis locis aperta, sed ad erumpendum quoque esset audacia: & Venetos ad spem urbis potundæ, de qua desperare jam cœperant, erexit: qui atrociores coorti, urbem ancipiti oppugnatione terra & mari magno impetu aggrediuntur; majoribus navibus magno armatorum numero refertis à portu inuro urbis admotis. Acriter magnoque animorum certamine utrimque dimicatum est; pugnaque à bombardis & missilibus cœpit: quibus multi ex Scaramucianis non satis armis tecti vulnerabantur: tantaque fuit Venetis bombardarum copia, ut uno die plus octingenti globi in urbem

A.C. 1431

urbem emiſſi numerati ſint. Pugna terreſtri maxima accenſa, nihilo interea ſegnior erat maritima oppugnatio: ſummis enim navium malis muri altitudine longe exſtantibus, hoſtes ex corbibus magnam miſſilium vim in defenſores ſubjectos atque ictibus apertos ſuperne ingerentes, eos locum relinquere coegerunt: quare ſcalis ad murum defenſoribus nudatum erectis ſcandere coeperunt. At Montaltus eo accurrens, unam eſſe extremi diſcriminis diſcutiendi viam audaciam cernens, porta patefacta cum fortiſſima juvenum manu urbe erumpens, hoſtis nihil tale exſpectantis latera invadit; ſcalaſque admotas ad terram deturbat; quarum ruina omnes ſuperſtantes exanimati ſunt: nox accenſum certamen diremit. At Veneti, cum nihil aperta oppugnatione ſuccederet, opidanis acriter ſe defendentibus, de Scaramuciæ conſilio cuniculos agere coeperunt: quo in opere illis occupatis, is ipſe Scaramucia conſilii auctor, dum inſpectior & adhortator ſuſſodientibus adeſt operi intentus, ac parum pro ſe cautus, tragula ictus concidit: ex quo vulnere paucis poſt diebus exſpiravit: cujus caſu animi obſidentium conciderunt, obſeſſorum creverunt.

In ea obſidione incidit caſus, qui cum ab Annalibus memoriæ ſit proditus, nulla cauſſa nobis quoque viſa eſt illum omittendi. Erat tum Chii Ambroſius Grimaldus, qui cum ceteris civibus in ea defenſione operam Reipublicæ armatus navabat. Huic in ſomnis imago horribilis ſerpentis ignem vomentis, hiantibuſque faucibus illum petentis ac veluti voraturi ſpeciem præbentis, obverſata eſt. Somnium amicis cum narraſſet; omnes conſilium dederunt, ut à præliis & eruptionibus abſtineret; neque ad mœnia accederet, ſed domi ſe privatim contineret: paruit aliquandiu monitis: verum cum quodam die magna eruptio in hoſtem facienda eſſet; Grimaldus, ſuo fato illum trahente, imperare animo nequivit, quin agmini ſe aggregaret; non tam pugnandi conſilio (nam abſtinere decreverat) quam exitus inſpiciendi ſtudio: dumque ſub murum latet; paullo majore ſtrepitu orto, cum impotenti cupiditate cernendi, quid incidiſſet, moderari neqiuſſet, caput proferens; ecce bombardam è regione in illum obverſam conceptas jam flammas ore evomentem cernit; ſimul ictum petræ eodem momento cum flamma emicante exploſæ in ore accipit, qui caput illi ablatum longe inde tulit, fidemque ſomnio affirmavit.

Interea, cum in civitate Pera Genuenſium colonia de obſidione Chii auditum eſſet, Damianus Grillus, magni animi, magnæque auctoritatis vir, ad memorabile in primis & audax facinus animum adjecit: ſeſeque ac caput ſuum tot Genuenſibus civibus in extremum diſrimen adductis devovet: quare juventutem hortatus ad ſocietatem egregii incepti, ad ſeptuaginta eorum animi robore & corporis viribus florentes ſecum traxit; duabuſque expeditis triremibus conſcenſis, iter Chium intendit: qui cum navibus hoſtium urbi prætentis appropinquaſſet; nihil Genuenſes aſpectu tanti numeri deterriti, remis & connixi per mediam claſſem hoſtilem, præ ſtupore audaciæ obtorpentibus Venetis, ad urbem perrumpunt. Incredibile eſt, quantum exiguæ illius delectæ manus adventus momentum fecerit ad ſummam belli; quantam ſui fiduciam, quantumque deſpectum hoſtis; qui ignavia ſua duas naviculas per mediam tantam claſſem evadere paſſus ſit, Chienſibus addiderit: qui audacibus & crebris eruptionibus hoſtem continenter vexabant. Igitur Veneti intelligentes ſeſe in ſpem irritam tempus terere, copiis in claſſem acceptis, menſe Januario bimeſtrem obſidionem ſolvunt: duabuſque ingentibus corbitis adverſa tempeſtate in itinere amiſſis, Rhodum inſulam tenuerunt: in quam tantam vim ſauciorum expoſuerunt, ut jure rogatum ſit, ecquis è tanta claſſe integer ſuperfuiſſet. Interea Genuæ nuncio obſidionis accepto, tres ingentes corbitæ ac duæ triremes continuo armatæ fuerant; ac cum egregia mille quingentorum delectorum militum cohorte, magnaque commeatuum ac bellicorum inſtrumentorum vi Chienſibus ſubſidio miſſæ; Thoma Ceba præfecto, ac Thoma Squarciafico, Philippo Juſtiniano, Hieronymo Pallamonica Navarchis, Pelegro Axereto, Martino Nigrono Trierarchis: quorum adventus menſe Martio, poſt hoſtis diſceſſum inutilis plane fuit.

Tot rebus geſtis clarum animum, nec qui conſecutus eſt, ejus ſæculi trieſſimus alter imbellis, aut ſegnis fuit: in quo Orlandus Lampugnanus Mediolanenſis civis in locum Bartholomæi Capræ Archiepiſcopi M. diolanenſis ſucceſſit; cujus anni initio civitas opidum Roccatalıatam recuperavit; Nicolao Fliſco, qui illud invaſerat, capto, & in cuſtodiam dato. Interea, cum acre bellum inter Venetos & Philippum accenſum eſſet; civitas, Philippo poſtulante & inſtante, atque hominum' & pecuniarum ac bellicorum apparatuum ſupplementa promittente, quattuordecim corbitas & decem triremes in Venetos armavit: cui claſſi præfectus eſt Petrus Spinula Cypriani filius: qui menſe Aprili exeunte ſolvit, non minus ad terreſtre quam ad navale bellum inſtructus: magna enim copia veteranorum terreſtribus bellis aſſuetorum claſſem conſcendit. Petrus igitur, nonnullis onerariis Venetis, quæ ſorte in illum inciderunt, citra Pharum capris, Hadriaticum ſinum ingreſſus, exſcenſione ad Corcyram facta, copias urbi admovet: ceterum cum incepta non procederent, Corcyrenſibus egregie ſeſe atque urbem defendentibus; ſuburbiis, ceteriſque urbi circumjectis incenſis diſceſſit; atque in Ægæo inſulas Naxum & Andrum primo adventu capit: verum, annona deficiente, Chium contendit: ibi militibus refectis, partem navium in Cretam mittit: quæ nonnullas onerarias ex Syria venientes nactæ, unam earum magni pretii mercibus onuſtam ceperunt: cum ceteræ beneficio ſuperveninentis noctis & ſecundi flantis venti evaſiſſent. Ac Petrus, magna parte autumni circumacta, Genuam reverſus eſt, aſpera tempeſtate in itinere jactatus, quæ naves paſſim diſſipavit, una illarum depreſſa; quæ tempeſtas cum per totam hyemem ſævire numquam deſiiſſet, non prius menſe Martio lacerata & manca Genuam appulſa eſt.

Dum Petrus claſſem ſine ullo fructu Ægæo circumfert; Veneti, triginta tribus triremibus comparatis & inſtructis, portum Piſanum claſſem appellunt; duabuſque galeatiis ac quingentis armatis à Florentinis ſociis acceptis, iter Genuam verſus dirigunt: quos littora legentes Baptiſta Fulgoſius, qui magnam hominum Factionis ſuæ multitudinem ſpe novarum rerum contraxerat, terreſtri itinere ſequebatur: cumque tam navales quam pedeſtres copiæ Sigeſtrum uſque perrexiſſent; inſulam terra ac mari circumſidunt; qui Genuenſes tres ingentes corbitas, ac mille quingentos milites, Nicolao Nigronio Duce, ſubſidio è veſtigio mittunt: qui, Venetis & Florentinis ſumma contentione contra nitentibus, ſubſidium in inſulam introduxit. At hoſtes, cum audiſſent, florentes ac recentes copias Clavaro & Spedia profectas adventare, itinere fugæ ſimili diſcecſſunt, cum nonnulla ſuorum cæde: ceterum Veneti paullo poſt reverſi, cum ſinum Rapallenſem tenuiſſent, accepta detrimenta Genuenſibus reddunt; neminemque mortalem nacti, in

quem

A.C. 1452.

quem arma diſtringerent, iram in villas & arbores effundunt, compluribus earum inceſis & ſuccisis: indeque diſcedentes Genuam contendunt; inanique jactantia clati portum ipſum navibus, quæ illis obſiſterent, vacuum penetrant: in quo cum duas circiter horas fuiſſent, diſceduot.

A. C. 1433. Interea ſub finem veris ſequentis anni ejus ſæculi tricesimi tertii, Nicolao Marchione Eſtenſi, & Ludovico Marchione Saluciarum arbitris & diſceptatoribus, pax inter Philippum & Venetos ac Florentinos tandem convent: quorum metu liberatus Philippus totum ſe ab Alphonſi amicitia avertit; ſtudiaque ſua ad Andegavenſes veteres amicos tranſtulit; ſive mobilitate ingenii; ſive indignatus, Alphonſum nimis lente egiſſe, neque ſe ſatis pro ipſius Philippi ardore moviſſe; ſive perpetua Viceccomitum io regiam Gallorum propenſione, veterique amicitia mutuis officiis perpetuo culta impulſus: ad cujus exemplum Genuenſes ſe ſubito conformarunt, parvi amicitiam Alphonſi facientes; quam neque ſtabilem fore, neque ab illo temporibus coacto cum fide petitam exploratum haberent; quemque majoribus occupationibus, quibus nunc eſſet implicitus, liberatum, omnes vires ſuas in ipſos Corſica exterminandos, quæ cura illi antiquiſſima ſit, converſurum, non dubitarent. Ex ea pace Franciſcus Spinula cum ceteris, qui Venetiis captivi tenebantur, dimiſſus, in patriam reverſus eſt, honorifice, magoaque cum lætitia acceptus.

Eo anno Græci incolæ Cembali, Tauricæ Cherſoneſi urbis, conjuratione in Genuenſes urbis Dominos facta, armis improviſo arreptis, Genuenſibus ejectis, urbem Alexio cuidam Græco Theodori Domino, quod opidum parvo intervallo abeſt à Cembalo, tradiderunt: qua re cognita Genuenſes claſſem in illos decernunt: cui Carolum Lomellinum præficiunt. Per idem tempus cum duæ Venetorum galeatæ in Euxino adverſæ tempeſtatis vi in terram ejectæ eſſent; Genuenſes Caffæ incolæ, navibus direptis, mercatores captos in cuſtodiam dederunt; ut eos cum Franciſco Spinula, quem nondum liberatum, auditum erat, commutarent.

A. C. 1434. Inſequenti anno ejus ſæculi trigeſimo quarto claſſis in recuperationem Cembali comparata; quæ fuit decem corbitarum, pariſque triremium numeri, in qua ſucrunt ſex bellatorum millia; menſe Martio Genua profecta, Euximumque ingreſſa, Cembalum appulſa eſt: Caroluſque, copiis in terram expoſitis, ac mœnibus admotis, urbem expugnat: qua recuperata, cupido illum cepit, Solcatum Tauricæ Cherſoneſi mediterraneam urbem Genuenſi imperio adjiciendi: quare Caffam petit: indeque cum pedeſtribus copiis Solcatum verſus terreſtre iter capit: quod dum incaute & inexplorato facit, ab ingenti multitudine Tartarorum improviſo circumventus, maxima exercitus parte obtruncata, ipſe cum paucis evaſit.

Per idem tempus Vincentellus Iſtria vir magnæ audaciæ, magnique rerum bellicarum uſus, totam Corſicam, exceptis Bonifacio & Calvo, occupavit: duabuſque triremibus excurrens, mare Corſicæ, & littoribus Genuenſibus interjectum, infeſtum faciebat; continentibuſque damnis Genuenſes afficiebat, atrocia crudelitatis exempla in captos edens: cum quo Zacharias Spinula triremis cuſtodiæ præfectus, quam unicam tum ſecum habebat, congreſſus, illum tandem, poſt longum & cruentum prælium, vicit ac cepit, captumque cum triremibus Genuam adduxit: de quo perduellionis damnato capitale ſupplicium ſumptum eſt.

Alphonſus ab expeditione Africæ fruſtra ſuſcepta, Meſſanam reverſus, animo ad res Neapolitanas adjecto, Reginæ animum tentare inſtituit, ſi A. C. 1435. forte recuperare ejus voluntatem poſſet: quod inceptum irritum quoque fuit; quamquam Regina primo ſeſe ab ejus amicitia haudquaquam abhorrere ſimulaſſet: qua ſpe dejectus Alphonſus, ſimul intelligeos miras eſſe regni incolarum io Ludovicum Andegavenſem, qui tunc in Brutiis erat, animorum inclinationes, quem Joanna ad deſtinatam regni ſucceſſionem è Gallia evocarat; quibus duobus incolumbus omnes conatus inanes fore intelligebat; ea cogitatione in præſentia plane depoſita, regna ſua Hiſpanienſia repetere decrevit: qua de cauſſa ſeſe Drepanum conſert, ex qua urbe brevior eſſet, & facilior in Hiſpaniam tranſmiſſus: eoque omnem claſſem contraxit. Igitur omnibus ad profectionem paratis & inſtructis, cum conſcendere pararet; adverſus ac prævalidus ventus ſubito coortus ſolvere prohibuit: à quo tres continentes menſes, flatu numquam intermiſſo, io ea urbe retentus eſt; fortunæ iniquitatem accuſans, quæ omnibus inceptis ſuis adverſans, iter quoque in patriam ſibi impediret: divini conſilii ignarus, quod illum ad deſtinatum regnum Neapolitanum, velut perſpicuo Numine ſuo retineret: ut hominum mentes futurorum improvidæ, ac præſentium rerum ſpeciebus captæ, illis ſæpe lætari ſolent, quorum jucunda initia perniciem & excidium ſecum trahunt; contra, ea reſpuere, quorum primus adſpectus minime lætus, felices exitus conjunctos habet. Alphonſo quidem adverſæ tempeſtatis incommodum in ingens bonum ac felicitatem vertit: improviſa enim regni Neapolitani recuperandi haud leviter fundata ſpes illi affulſit. Ludovico, dum ipſe Drepani otioſe ceſſat, ſubito morbo abſumpto: quem paullo poſt ipſa Joanna Regina conſecuta eſt; Renato Ludovici fratre filio adoptato, & herede regni relicto. Is in bello, quod Galli cum Anglis geſſerunt, captus, jam amplius triennium à Philippo Duce Burgundiæ in cuſtodia adſervabatur: quo ſubito ac tanto nuncio vehementer erectus Alphonſus, conſilio profectionis plane abjecto, ſubſiſtere in Sicilia, ibique quo motus principum & populorum regni Neapolitani evaderent, exſpectare conſtituit: ut ex iis conſilia & conatus pro tempore caperet: itaque Meſſanam propere repetit: mortua Joanna, eodemmet obitus die, Neapolitani ſexdecim è principibus civitatis eligunt, quos Conſiliarios appellant; illiſque omnium rerum regimen & arbitrium permittunt.

At Eugenius quartus, Reginæ morte audita, nuncio è veſtigio Neapolim miſſo, Conſiliarios monet, ut ab eligendo Rege, aut regno cuiquam deferendo abſtineant: quæ res neque juris, neque arbitrii ipſorum ſit: regnum enim Neapolitanum perpetuæ ditionis Pontificiæ eſſe: quod Carolus Andegavenſis, ejuſque ſtirps à Pontificio ſolio fiduciarium obtinuerint: ea ſtirpe morte Joannæ extincta, jus regni cui libuerit fiduciarii tradendi ad Romanum Pontificem delatum. Seſe igitur propediem Legatum cum amplis mandatis Neapolim miſſurum, qui de ea re cum Neapolitanis proluxe agat: Conſiliarii, teſtamento Joannæ, ſive vero, ſive ſubditicio (nam utrumque traditur) prolato; reſpondent, ſeſe nullum Regem novum creaturos, neque alium Regem ſibi dari paſſuros, quam eum, quem Joanna vera ac legitima regni Domina ſibi Regem reliquiſſet: proinde nihil eſſe, quod Pontifex ſeſe, aut ſacrofanctam poteſtatem in eam rem interponat.

Mors Joannæ magnos motus in regno excitavit, ac ſtudia Neapolitanorum diviſit, aliis alio tendentibus: Conſiliariique Legatos ad Renatum mittunt, qui illum moneant & hortentur, ut ad paratam regni poſſeſſionem quam primum advolet:

at

at multi ex regni principibus tædio diuturni Andegavenſis imperii, ſimul compluribus privatim lætis injuriis, voluntate nudata, Alphonſum Regem accerſebant: in iis fuerunt Joannes Antonius Marzanus Dux Sueſſanus, Chriſtophorus Cajetanus Fundanorum Comes, ac Rugerius frater, alter Protonotarius, alter Quæſtor regni, Franciſcus Pandonius Comes Lauretanus: in primis vero Joannes Antonius Urſinus Princeps Tarentinus, qui opibus & dignitate Jonge eminens, acriore quoque odio Andegavenſibus erat infenſus, majoribus injuriis læſus: à Ludovico enim ea in primis de cauſſa una cum Jacobo Caldora magni nominis Duce in Brutiis miſſo, omni fere ditione ſua, præter nonnullas arces, ſpoliatus fuerat. Hic igitur in Alphonſi fidem receptus, haud contemnendiſque copiis adjutus, brevi amiſſam ditionem recuperavit. At Sueſſano animum ad omne conſilium verſanti, quemadmodum defectionem ſuam Alphonſo aliquo inſigni promerito acceptiorem faeeret, mira magnæ rei occaſio oblata eſt: per occulta enim conſilia cum Cameraco quodam interioris arcis præfecto (nam duas urbs habet) Capuam cepit: cum ſua ipſam utilitate, tum multo maxime momentis, quæ ad ſummam univerſæ ſpei factura eſſet, permagni facicndam. Ea capta Sueſſanus & Cameracus nuncios ad Alphonſum mittunt; quibus eum Regem ſalutant; quæque illius cauſſa egerint, oſtendunt; orantque, ne tantarum rerum inchoatæ ſpei deſit, ſed ad ipſos advolet; ejus enim præſentia ad res Capuæ ſtabiliendas opus eſſe: nam ſeſe quidem Capuam furto capere potuiſſe; captam vero ab ancipiti exteriore & interiore imminenti periculo tueri ſuarum virium non eſſe: illinc armatis copiis, quas hoſtes haud contemnendas adhuc coegerint, ac porro cogere non deſiſtant, obſidione urbem urgentibus; hinc magno civium numero ob vetera partium ſtudia Andegavenſibus rebus haud diſſimulanter faventibus.

Interea Cajetani, omnium animis in regno Neapolitano incerta futuri Regis exſpectatione ſuſpenſis, omnibuſque regni Proceribus, & populis alterutri Factioni ſtudentibus, in veteribus Andegavenſibus partibus conſtanti fide manentes, à Philippo & à Genuenſibus, utroque Legatis miſſis, petunt, ut præſidium ſibi mittere ne graventur; quod urbem teneat, dum communis Mars controverſias inter ambigentes decernit; cuique ſua fortuna ac virtus poſſeſſionem regni ſtabiliverit, ei urbem quoque Cajetam ſimul tradant: interea ſeſe, urbem, ac ſe ipſos præfecto præſidii mittendo regendos permiſuros: virum igitur mittant non modo fortem ac ſtrenuum, ſed gravem quoque ac moderatum: qui belli & pacis artibus inſtructus utrique muneri par ſit. Nulla umquam legatio lætius audita eſt à Genuenſibus; mctu ad eum diem ſollicitis, ne, ſi Alphonſus ipſorum perpetuus hoſtis urbem egregio portu munitam occupaſſet, eamque ſibi in medio Mediterraneo mari arcem feciſſet, maritima commercia, quibus omnia ſua continerentur, ipſis claudcret; ipſoſque veluti faucibus premeret: ad hoc periculo tot civium ſuorum commotis, quorum magnus numerus cum infiniti prctii mercibus ex compluribus orbis partibus contractis, mari tot circa diſcurrentibus claſſibus infeſto, in eam urbem veluti in tutum receptaculum ſeſe ſubduxerant: bono igitur animo eſſe jubent Cajetanos: ſeſe enim non poſtulatum modo præſidium miſſuros; ſed, ſi res poſcat, omnibus ſuis navalibus copiis Cajetanis, ingentibuſque claſſibus affuturos; ac non minori contentione pro urbe Cajeta, quam pro ipſis Genuæ mœnibus dimicaturos: factaque dictis continuantes, Franciſcum Spinulam virum ſpectatæ virtutis cum delecta trecentorum armatorum manu Cajetam mittunt; ingenti onerariа ac triremi ad littorum tutelam addita, una cum Franciſco miſſus eſt à Philippo Otholinus Zoppus, ex intimis familiaribus in Aula educatus, atque aulieis artibus eruditus; qui vafro & ſollerti ingenio, ſtuderet regni incolas quamplurimos poſſet ab omni ſtudio & ſenſu Aragonenſium abducłos ad ſuas partes transducere. Adventu Spinulæ & præſidii, ſimul promiſſo Genuenſium, quorum fides conſtitit, confirmatiſunt Cajetanorum animi; cum etiam delecta armatorum manus à conſilio Neapolitano, petentibus Cajetanis, in præſidium miſſa urbem intraſſet.

Interea, cum Legati Procerum ad Alphonſum veniſſent, ac mandata expoſuiſſent; haud parva ea initia ordiendarum rerum viſa; haud leviaque fundamenta inſtitutorum conſiliorum jactа; hinc perampla ditione Tarentina ſibi adjuncta; illinc Capua tantarum ad bellum opportunitatum urbe occupata; ad hoc tot tantique nominis Procerum erga ſe conſpirantibus ſtudiis. Ingentibus igitur gratiis actis, ob tanta merita, tantamque illorum in ſe voluntatem, nullis prius beneficiis à ſe provocatam, quarum rerum ſeſe perpetuo memorem fore demonſtrat; ſeſe mox aduturum, omnibuſque regnorum ſuorum viribus rem amplexurum confirmat: nullaque interpoſita mora, cum ſeptem tantummodo triremibus, quas paratas inſtructasque habebat, è portu Meſſanæ ſolvit; Petro fratre in Sicilia relicto, qui copias, commeatus, & reliqua in uſum belli neceſſaria deinceps ſubmitteret. Ipſe, ut adventum ſuum à Neapolitanorum ſcientia averteret, altum tenens, procul à littoribus Neapolitanis Pontiam inſulam claſſem appellit; indeque Æmariam petit: certioribuſque Proceribus, qui erant Capuæ, de adventu ſuo factis; littora Sinueſſæ locum colloquio conſtituit: quo cum conveniſſent; poſt primos amplexus, ac prima comitatis officia, quibus Rex animos Procerum mire cepit, cum dixiſſet ſeſe cillos ad Æmariam nonaccerſiſſe, illis parcentem, quod maris inſolentes homines naufea angi neceſſe fuiſſet; ſed ſeſe ad illos acceſſiſſe. Tum conſultari de ratione belli geren di cœptum eſt. Rex Cajetæ urbi animo & cupiditate iminebat; qua ſibi addita, duabus urbibus, quæ velut regni clauſtra eſſent, omnem plane aditum in ſpem veniebat ab ea parte terra marique intercluſurum. Proceres ab eo conſilio Regem magnopere revocare, Capuæ timentes, quæ haud dubie ab illo deſerta in manus hoſtium illico ventura eſſet; qui ingentes pedeſtres & equeſtres copias paratas habeant, quas mox Capuæ ſint admoturi. Stat Regi ſententia Cajetam petere: cum dicerct, ſibi ad utramque rem ſatis virium eſſe: Joannem enim Antonium Urſinum cum iis copiis, quas habeat, partim ab illo ſcriptas, partim ab ipſo illi ſubmiſſas, ac cum ſtrenuis & impigris Ducibus ſubſidio rebus Campanis evocaturum. Adquieſcunt Proceres conſilio & voluntati Regis; cui ut acriores ſtimulos ad ſe defendendos adderent, ad genua procidentes in ejus verba & imperia jurant. Igitur conſiliis conſtitutis, ac finito colloquio, Rex cum copiis, quas habebat nec numero, nec genere contemnendas, Cajetam, Proceres Capuam ad ſuſcepta munera utrique diſcedunt.

Cajetæ natura & ſitus talis eſt. Promontorium præceliſum atque undique abſciſſum, tria amplius paſſuum millia in ambitu patens, totum fere mari circumluitur; præter exiguam partem Capuæ urbi obverſam, qua continenti jungitur: duo ſunt hujus promontorii cacumina, quæ velut duos montes efficiunt, valle modicæ altitudinis interjecta; ſubmiſſius alterum, quod in altum vergit; alterum excelſius, ac ſubmiſſiori imminens, quod à parte continenti juncta conſurgere incipit. Ad

ſubmiſſioris radices urbs eſt Cajeta; quæ leni faſtigio conſurgens, magnam partem dorſi ſubmiſſioris collis ædificiis continuatis occupat; interjecto muro ab eminentiore monte diſcreta. Hunc quoque montem mœnia cingunt, ab ea parte qua à terra ad illum aditus eſt: nam, qua mari alluitur, totus undique rupibus è ſilice ita abſciſſis cingitur, ut, etiamſi à nullo cuſtode defendantur, vix ulla humana ope ſuperabiles ſint. Eſt in cacumine turris præcelſa ac munita, quam Cajetaoi armatorum præſidio firmarant: quorum præfectus Andegavenſibus partibus infenſos Alphonſo occulte favebat: ejus igitur proditione, Alphonſus per occulta colloquia eo monte ac turri furto tenebrarum potitus eſt: eum Spinula, qui tumultu ac trepidationis exeitatus cum valida mano protinus eo accurrerat, omnia hoſtium plena inveniſſet; editioribus collis partibus jam occupatis.

Alphonſus felici eventu confirmatos, cum illius copiæ quotidie augerentur, urbem à terra urgere cœpit; cum Petrus frater, quem accerſierat, nondum veniſſet. Primo, idque per multos dies, res in præliis fuit, quæ inter regios & Genuenſes erumpentes per varias occaſiones committebantur; in quibus multi cadebant utrimque, ac vulnerabantur: deinde ad verberationem mœnium ventum eſt: quam Alphonſus, magna tormentorum vi idoneis locis depoſita, continentem pene exercebat; muruſque ac turres quaſſatæ multis locis procidebant; cum parvo tamen fructu: nam Genuenſes, ut ad talia nullum erat hominum genus ea tempeſtate ſollertius, impigra nocturna opera quaſſata reficere, ruinis patefacta munimentis excitatis obſtruere; cum tamen nunquam à præliis & eruptionibus omnino abſtineretur; Franciſco Spinula nimmbus rebus invigilante, omniaque, quæ imperatorii ac militaris muneris eſſent, monendo, hortando, caſtigando, omnia providendo, omnibus locis occurrendo, in media pugnarum mole verſando, nullam à laboribus quietem aut militibus dando, aut ſibi ſumendo, impigre obeunte. Cum adverſus arma & impetus Alphonſi ſatis invicti ſtetiſſent obſeſſorum animi; à re, quam natura vinc noh ſint, oppugnari cœpti ſunt; hoc eſt, ab annonæ & neceſſarii alimenti penuria: omni terreſtri & maritimo aditu commeatibus clauſo, ac multitudine exterorum inopiam opidanorum aggravante: ſed res initio minus ſentiebatur; artiora deinde omnia eſſe cœperunt: frugibuſque pene abſumptis, fame laborari cœptum eſt: nec diutius durari potuiſſet; niſi Spinula neceſſitate ſubactus ad conſilium ſpecie crudele, ceterum neceſſarium, quodque rebus ad extrema adductis onicum remedium reliquum erat, gemens & mœrens deſcenduiſſet: omnem enim imbellem multitudinem urbe emiſit: quod agmen mulierum ac puerorum immiſtorum, ad hoc ſqualore & macie confectorum, cum in cuoſpectum Alphonſi veoiſſent, & ad genua miſericordiam implorantes procubuiſſent; objecta oculis miſerabilis ſpecies ita illum commovit, ut, animi manſoetudine jus belli vincente, quo illos intra mœnia retro compellere potuiſſet, illorum fame præſenti alimento ſedata, illos, quo liberet, abire permiſerit: quæ elementiæ fama divulgata miras hominom ioclinationes to Alphonſum fecit: quibus rebus cognitis, Genuenſes nihil procraſtinantes, ingentes quinque corbitas comparant, omnibus neceſſariis rebus cumulate inſtructas & refertas; quas ſubſidio laborantibus Cajetanis mittunt. Huic claſſi præficiunt Blaſium Aſſeretum unum ex publicis Scribis; qui ſibi in maritimis rebus magnum nomen fecerat, cum multis omni tempore editis bellicæ ac navalis virtutis & induſtriæ documentis; tum recentis memoriæ facinore, quo Petrutium Verrem celebris nominis piratam ſingulari triremis certamine ſecum congreſſum, eom virtute ac fortitudine, tum conſilio vicit.

At Spinula, civitate exinerata, ut quam longiſſime poſſet, vitam obſeſſorum produceret, panem ac reliquas fruges militibus & opidanis parce admetiri cœpit: ceterum, frugibus in dies magis deficientibus, etiam equis conſumptis; eom herbarum radicibus, omnique ſordidi alimenti genere vitam tolerare cogerentur; opidani ſupplicibus precibus à Doeibus petere cœperunt, ut, fide ad extremum perſoluta, atque omnibos humanis malis patientia & conſtantia ſoa victis; cum una famea eſſet inſuperabilis, ſeſe ſibi in extremis rebus ſuis conſulere paterentur. Nondum eo loci addoctam rem, reſpondere Duces, ut deſpondendus animus ſit; ac non exſpectandum ſubſidium hominum & commeatuum; quod haud dubium à Genuenſibus, civium ſuorum, ac tantarum opum Cajetæ incluſarum periculo cummovendis, mittendum ſit: interea tamen poſſe de pace & deditionis conditionibus cum Rege agi: quo facultate facta, tpidsni ad Regem petitum mittunt, ot aliquem ex ſuis, quem idoneum judicaverit, Cajetam mittere ne gravetur; eum quo de conditionibus pacis agerent. Miſſus eſt Aotonius Panhormita celebris illorum temporum poeta; ut domus Alphonſi ſemper omnium ingenuarum artium receptsculum ſuit; nemoque omnino erat ea tempeſtate mto Chriſtiano orbe, aut doctrinæ, aut eloquentiæ, aut ingenii laudibus præſtans; quem non Alphonſus magnis præmiis invitatum in magno honore apud ſe habuerit. Panhormita igitur, cum in concione Cajetanorum coram Otholino Zoppo, abſente Spinula, qui, vulnere in femore ex tragola accepto, rebus intereſſe non poterat, longa & accurata oratione de præſenti rerum ſtatu diſſeruiſſet, Cajetanoſque ad deditionem inclyto & elementi Regi faciendam hortatus eſſet; petierunt Cajetani à Rege triginta dierum inducias, quibus niſi à Philippo & Genuenſibus ſubſidia in urbem introducerentur; tum vetu ſeſe deditionem jam ex eo die facere, obſideſque pactorum ſervandorum ptincipum civitatis liberos dare paratos. Non accepit conditiones Alphonſus: claſſem enim à Genuenſibus parari audiverat, ante cujus adventum ſeſe traoſacturum ſperabat; neque, deficientibus alimentis, Cajetanos eſſe diutius obſidioni ferendæ putabat; cum ea de cauſſa Panhormita ſæpe ultro citroque commeaſſet; conveoit tandem, ut ipſe Zoppus cum Rege ipſo ſermonem conferret: facilius enim, ipſis Principibus agentibus, quam per ioternuncios rem conveoturam: qui, Spinula non conſulto profectus eſt: enimvero Spinola re ſubito cognita exarſit; in publicumque prodiens, com jam ex vulnere ſatis covaluiſſet, in hominis arrogantiam & temeritatem gravibus verbis eſt invectus: Otholinoque reverſo, omnem mentionem deditionis diſcuſſit. Ex eo tempore parum inter Spinulam & Otholinum convenire cœpit: quæ tamen Ducum diſcordia nulli impedimentu rebus gerendis erat: cum Spinula voluntates civium teneret, illorumque fidem & prompta obſequia in ſe firmaſſet; contra Otholinum animis reſpuerent Cajetani, ob ſuperbiam & avaritiam iovilum: quare omnia arbitrio & imperio Spioulæ regebantur; Otholino fruſtra diſſentiente.

Interea Petrus frater cum magno corbitarum & triremium numero ad Regem venit: quibus navalibus copiis auctus Alphonſus, omni deditionis ſpe amiſſa, urbem oppugnatione aggredi conſtituit. At Genuæ, cum auditum eſſet navales Regis copias in dies augeri, majora mulis majoriſque conatus ea expeditio viſa; variatumque ſententis eſt: nam alii moveri pudore, ſi miſeros ſocios in ſitam opem confugientes, ac ſpe promiſſi patrocinii ad reſiſten-

ſtendum Alphonſo inductos, aliter ſibi conſilium capturos, in ipſo initio nulla re tentata turpiter deſeruiſſent; ipſique metu & ignavia hoſti à ſe victo ceſſiſſe viderentur: moveri etiam periculo egregii & primarii civis, ac de Republica præclare meriti; ſimulque cum illo fortiſſimæ cohortis, quam non ad bellum miſiſſe, ſed hoſti opprimendum objeciſſe viderentur: accedebat ingens mercium magni pretii vis ac privatæ fortunæ opulentia; quam, ut diximus, Genuenſes ex omni regno periculis imminentium bellorum ſubtractam, Cajetam tamquam in tutum locum convexerant; cum tanta rei familiaris jactura à publica calamitate disjuncta eſſe non poſſet. Contra alii ab impendiis belli abhorrere; eo gravioribus futuris, quod in tanta ærarii inopia ex privata re eſſent eroganda: ſummæque temeritatis eſſe dicere, ſeſe ac Rempublicam tot diſcriminibus ac laboribus ſine ulla fructus ſpe involvere: quod enim tandem iſtud eſſe conſilium; ipſos, apud quos omnia tenuia ſint, adverſus tantum Regem tot opulentiſſimorum regnorum viribus ſultum bellum ſuſcipere? nam, quod ad cives & mereces Cajetæ incluſas attinet, nihil eſſe expeditu facilius: pacto enim ſalva & incolumia omnia fore; ad quod Alphonſus haud retractanter deſcenſurus ſit, celeritati Cajetæ potiundæ ſtudens, neque humilia hæc ac ſordida reſpiciens.

Hæc diſputatio cum civitatem diu tenuiſſet; vicit tandem pars, cui decus, exiſtimatio, dignitas publica, tum autem fides omnium rerum antiquiſſimæ fuerunt: quattuor naves ad priores addi decretæ ſunt: quæ res dum ſedulo comparantur, auditum eſt, fratrem Regis cum tota claſſe Cajetam appulſum: eſſe autem undecim triremes ac decem & ſeptem variæ magnitudinis corbitas: quarum regtam ea eſſe magnitudine, ut altitudo proræ dimidium malum alterius quamvis ingentis onerariæ æquet. Igitur Genuenſes tres onerarias, quæ erant in portu Saonæ, ad privatam negotiationem deſtinatæ, mercibus exoneratis, ad bellum armatas ceteræ claſſi addunt; numerumque duodecim navium omnibus neceſſariis rebus cumulate inſtructarum efficiunt. Rem diſtinebat urbana juventus, omnem mentionem belli animo & verbis reſpuens, irata ob ſtipendia ſuperiorum expeditionum non ſoluta; ſimul offenſa ob cladem & ignominiam ad Solcatum Ducis temeritate ac vitio recentee acceptam: cumque navium magiſtri, monendo, hortando, ſuadendo, rogando, ſtipendium offerendo, omma ſumma facerent; nemo tamen reperiebatue, qui in inviſam expeditionem nomen daret: cum ne ex tota quidem Liguſtica ora, in quam idem morbus pervaſerat, regionum præſides, omni contentione adhibita, quemquam ad nomen profitendum cogere potuiſſent; præter inconditam tyronum turbam, agro potius colendo quam armis tractandis aptam. Mire angi Blaſius præfectus, his interpoſitis moris, quæ curſum inſtitutorum conſiliorum retardarent; vneiſerarique, hac urbana pigritia & ſocordia, Franciſcum Spinulam ac fortiſſimam juvenum manum, ſimulque dignitatem publicam prodi: vehementerque agendo, tandem pervicit, ut ſtrenuiſſimus quiſque ex urbana juventute & ex circumjecta regione ad nomina danda imperio adigeretur: qui & patriæ caritate victi, & aptis tempori verbis delenti, ad hoc ſpe promiſſorum præmiorum inducti, tandem in poteſtate Magiſtratus fuerunt: fuitque fortiſſima hæc manus victoriæ in primis cauſſa.

Cetetum, eum audiretur omnia Cajetanis artiora in dies fieri; metuſque eſſet, ne illi tædio malorum ac deſperatione ſubſidii tandem animo ſuccumberent; mitti placebat, qui, quæ Genuæ gererentur ac pararentur, Cajetanos doceret; ac ſpe mox adfuturi ſubſidii confirmaret: ceterum, quemadmodum mittendus in urbem terra marique arte circumſeſſam, ac velut circumvallatam, penetrare poſſet, non reperiebatur. Profitetue operam ſuam Benedictus Palavicinus, cui notitiæ domeſticæ jus cum Alphonſo intercedebat: Regemque aſtu eludendum ſuſcipit. Collaudatus Palavicinus, qui ſeſe tanto diſcrimini pro patria offerre non dubitaret, mittitur. Is, ad Regem cum veniſſet; non magis Cajetanorum ipſorum, quam Genuenſium, ait, rem agi in Cajeta conſervanda; cum cujus excidio conjunctus ſit tot civium Genuenſium ea urbe incluſorum interitus, ad hoc tantæ privatæ fortunæ jactura: ſeſe igitur Genua miſſum, qui Cajetanis Genuenſium verbis ſuadeat, ut obſtinationis finem tandem faciaot; ac deditionis conſilis auribus admittant: de illa igitur, ſi cum bona Regis gratia liceat, ſeſe urbem ingreſſum cum Cajetanis actorum: ſperareſe, illos auctoritate Genuenſium permotos, quorum ſpe omnia ipſorum nitantur, ad ſaniora conſilia inclinaturos: enimvero Rex ſincera fide Palavicinum agere ratos, lætus occaſione rebus ac deſiderio ſuo in primis apta, facultatem urbem ingrediendi ac de pace agendi Palavicino facit. Ille urbem ingreſſus, Franciſcum, ac præſidium & Cajetanos docet, quanta diligentia Genuæ comparetur, remque haud procul ab eo abeſſe, ut claſſis ſolvat; quæ mox ſit affutura, ac prævalidum hominum ac commeatuum ſubſidium, Rege invito, in urbem introductura: quare obfirmarent animos, ad tot jam exſudatos labores perpaucos dies addere; qoi ipſos è manibus Regis iuſenſiſſimi ſint erepturi: qua ſpe erecti Cajetani, ad omnia conſtanter perſerenda animos firmant. Palavicinus ad Regem reverſus, ſumma ſeſe omnia feciſſe renunciat: ceterum rabiem quandam Cajetanorum mentes invaſiſſe, ut morte ſua patriam evertere ſibi pulchrum ducant: qui, commeatu à Rege ſumpto, ſelici dolo lætus Genuam revertitur.

At Alphonſus, cum fama apparatuum, qui Genuæ fiebant, in dies creſceret, ipſeque à navalis pugnæ fortuna abhorreret, omnibus viribus conmitendum ſtatuit, ut rem ante Genuenſium adventum tranſigeret: quare urbem juſta oppugnatione atque univerſis viribus tentare decrevit: igitur turri lignea ædificata, quam mœnibus admoveret, atque omni apparatu oppugnandarum urbium expedito, omnibuſque rebus inſtructis; Petro fratre maritimæ oppugnationi præfecto; ipſe terra urbem tripartito magno impetu invadit. At opidani nihil tanto undique circumfuſo pavore infracti, omnibuſque locis impigre occurrentes, prælium ingentibus animis excipiunt: quod acre ubique ſubito accenſum eſt; circa tamen Regem atrocius erat, præſentia Regis ſtimulos ſuis addente: turris rotis agi cœpta primo terrori opidanis fuit; deinde ulterius promota, partim ſua ipſa mole, partim ingenti vi miſſilium è machinis, quas in muris ereбras opidani diſpoſuerant, conmotis, perfracta & disjecta eſt: cujus ruina cum ſuperſtantes oppreſſiſſet, obſeſſorum animi ab ea parte creverunt: cumque prælium à miſſilibus procul cœptum jam mœnibus appropinquaſſet; regiique murum ſubeuntes ſcalas admovere, ac corvos mœnibus injicere conarentur; & machinæ admotæ longuris & furculis ad id paratis diſcutiebantue, & ſubeuntes creberrimis miſſilibus è muro vementibus (nullo telo io confertos ac conſtipatos vano accidente) partim vulnerabantur, partim exanimabantur. Similis fortunæ pugna in maritima oppugnatione verſabatur; in qua quæ naves muro propius ſuccedebant, ingentia detrimenta à machinis muralibus accipiebant; neque corvi, propter numium intervallum, injici poterant, &c.

si qui injiciebantur, ii, axibus rotarum præfractis, ac pondere ipsi suo depressi, in mare corruebant; omnesque superstantes armis degravati undis hauriebantur. Hic res memoratu digna traditur, quam omittere non fuit consilium: duos enim Drepanitanos ferunt ita præsenti animo in salute expediendâ fuisse, ut demersi, thoracibus, quibus erant induti, diloricatis, ac reliqua armatura sub ipsis undis sibi detracta, ex undis emersi ad naves incolumes enataverint. At Alphonsus, cum nihil succederet, omniaque cædium & sanguinis plena essent; ne in suam & suorum perniciem frustra pertinax esset, receptui canì jussit, neque oppugnationem semel infeliciter tentatam, postea repetendam duxit.

At Genuæ, omnibus rebus comparatis & expeditis; cum dies consecendendo præstituta venisset, quæ fuit sub finem mensis Julii; atrox tempestas cum fulguribus ac tonitribus subito orta est, quæ ingentem marmoreum lapidem à culmine templi divo Ambrosio dicati avulsit: quæ res in omen vulgo accepta est, varia interpretatione; aliis ad spem læti exitus, aliis ad metum tristis eventus, pro cujusque ingenio, illam trahentibus: Magistratusque Blasium per viatorem monuerunt, sese a profectione præsentia sua de more honestanda tempestate prohiberi; quare in alium diem differret. At ille ad nuncium conversus, *Abi*, inquit, *& nuncia Magistratui, me tum consendisse, cum culmen Ambrosiani templi de cœlo tactum est: neque inanium istarum specierum honoris ante tempus habiti unquam cupidum fuisse; quare officium istud in illud tempus reservent, cum victor cum reduci classe in patriam redierо:* quo responso dato, classem solvit, eni additæ sunt tres triremes, ac naviculæ exigui alvei: cum omnis multitudo tam militum, quam nautarum, duorum millium quadringentorum numerum non excederet: additi sunt præfecto quattuor cives, qui illi essent in consilio, Leonardus Savinionus, Antonius Salvagus, Luchinus Facius, Thadæus Zoalius: magistri navium fuerunt Ælianus Spinula præfectum vehens, Jacobus Justinianus, Cyprianus à Mari, Galeottus Lomellinus, Jacobus Calvus, Carolus Interianus, Lucas Interianus, Joannes Thomas Nigrius, Andreolus Auria, Hieronymus Fallamonica, Jacobus Raibaldus, Joannes Perdix, Joannes Fridericus: trierarchi fuerunt, Othobonus Imperialis, Ludovicus Camulius, Stephanellus Cajetanus.

Interea, cum Alphonsus audisset classem è portu solvisse; omnibus, quæ ad prælium navale pertinebant, propere expeditis & instructis, classem ipse cum sex armatorum millibus ex toto exercitu delectis, conscendit: quod duabus de caussis fecit: quod personam ac præsentiam suam magnum momentum ad victoriam facturam putaret; & ut fratrum contentiones tolleret ad præfecturam classis haud obscura æmulatione adspirantium. Conscenderunt cum Rege ii ipsi regni fratres, Joannes Rex Navarræ, Henricus militiæ divi Jacobi Magister, ac Petrus Infans; unaque cum illis Princeps Tarentinus, Dux Sueslanus, Comes Fundi, ac centum Proceres titulo ac dominatu populorum insignes, magnaque vis Nobilitatis. Igitur Rex quinque corbitis in obsidione Cajetæ relictis, cum reliquis, quæ fuerunt quattuordecim numero, Kalendis Augusti è portu movit: insulamque Pontiam tenuit, atque ad latus in Orientem versum mille passus procul à littore in salo stetit. Nomina navium, quas Alphonsus duxit, fuerunt, *Maguana* omnium celsissima, quæ Alphonsum ipsum vehebat; *Figaretta* Regi Navarræ attributa; *Infangasotta*, quam Magister Jacobitanus regebat; *Incantona* Petri Infantis vectrix; *Imbescbetta*, cui præerat Legatus Regius; *Ingarona*, *Incorsita*, *Battisona*; ceterarum nomen incompertum est.

A Interea Blasius, omnibus curis in ea, quæ ad tantum imminens certamen pertinerent providenda & expedienda intentus, nullamque sibi ipse diurnæ aut nocturnæ quietis partem à laboribus dando; non modo, quæ facto opus essent, imperare, sed omnia minima & maxima per se ipse obire; singulasque naves lustrans, officii sui milites, nautas, gubernatores, navarchos admonere; suum cuique locum pugnæ assignare, subsidia apte collocare; puppi, proræ, lateribus, corbibus, qui res regant, præficere; gladios acui, scuta, thoraces, hastas fractas, aut parum corpori gestantis aptas refici & aptari; si quæ quassata aut contusa in navibus essent, sarciri ac firmari à fabris & artificibus, quorum magnum numerum circum se habebat, jubere: qui, omnibus rebus constitutis, ne ulli parti imperatorii muneris deesset; tali oratione milites ad prælium adhortatus dicitur: *Si cum alio hoste nobis res futura esset, cives; haud parum vererer, ne nemen regium plerosque nostrum perturbaret: nunc, cum prælium nobis infestes cum Alphonso, eo ipso, quem iidem ipsi nos Genuenses ad Bonifacium nuper vicimus; credo vos didicisse, Reges quoque viris fortibus superabiles esse. & Hercule, adempto hoc fulgore nominis regii, quid aliud Reges tandem sunt, quam privata capita, non pluribus manibus, aut oculis, aut majore robore corporis mentis, quam ceteri mortales; interdum etiam corpore imbecilliore, quo minoribus laboribus duratum est? quod idem de Procerum & Magnatum cohorte, quibus latera septa habent, dicere licet: qui nihil aliud plerumque sunt, quam effeminatorum hominum greges, umbra, mus, epulis, luxu enervatorum: ejusmodi species perinde sunt, prout illas sibi quisque fingit: ignavis & timidis terribiles; fortibus & audacibus contemnendæ: sed nihilo plus me terres major pugnantium, ac major navium numerus, quem Alphonsus secum trahere dicitur: omnium enim seculorum usu compertum est, rem militarem ac victoriæ spem non numero hominum, sed virtute pugnantium contineri; maximasque victorias de innumera hominum multitudine ab exiguis copiis partas. An ego vos, viri fortissimi, ac rerum navalium usu & scientia ceteros mortales, omnium fere concessa, longe antecedentes cum imbellibus copiis Alphonsi comparem? in quibus quamquam multos fingere libeat viribus atque animi & corporis robore florentes, diuturnoque usu armorum assuefactos & roboratos, quos verisimile est illum a terrestribus copiis detractos in classem transtulisse; dubitare tamen non debemus, quin eo mare, cujus insolentes sunt, inutiles faciat; ac jactatio, teter odor sentina, nausea, æstus, etsi nos ferrum non admovcas, confecerit. Quæ hactenus commemoravi, cives, ea ad metum, si quis forte animo ejusquam insedit, demendum valent: pauca addam, ad vos ad pugnam incitandos, atque in hostem inflammandos: primum est vestri contemptus, quo nullus ad generosos animos acuendos aptior est stimulus: quos si hostis non dico fortes ac strenuos, sed viros saltem armis tenendis aptos putasset, nunquam omnem regis apparatus opulentiam, atque infinitis pretiis regiam gazam sponte, ac nulla re cogente, in classem conjecisset: tamquam nullum a vobis immineat periculum; ac velut ignaviam vobis haud obscuris ambagibus exprobrans: ecquid intelligitis, viri fortissimi, quanto contemptui virtus vestra tumido ac vano ingenio sit? an ille tantam arrogantiam ac superbiam virium fiduciam dimissi impunitam ferret? quod? præmia, qua nulla ex victoria unquam majora petita sunt, quæque singulos ditare possint; qua ipse hostis vester ultro vobis offert, uno facto duplicem vobis stimulum ad pugnam addens? quantam vim ad vos impellendos debent habere? accedit misericordia civium vestrorum, qui mœnibus Cajetæ inclusi opem vestram supplices expectant; quæ una illos è faucibus infensissimi hostis possit eripere: postremo fides vestra agitur; ne Cajetanos fidelissimos socios vestros, qui, cum tranquillam ætatem procul ab omni contentione agere possent, sese Alphonso

phonſo tradendo; veſtra tamen non in poſtremis cauſſa, ne urbe opportuniſſima hoſtis veſter potiretur, quæ velut compede vos conſtrictos teneret; ſeſe tot laboribus ac diſcriminibus impliceare non dubitarunt. Eos ſi in media mole periculi deſerimus, atque hoſtis prodimus; quid turpius vobis, quid nomine Genuenſi magis abominabile omnibus nationibus umquam futurum eſt? cum igitur vobis non veſtram tantum, ſed civium ac ſociorum veſtrorum vicem pugnandum ſit; agite, ad plusquam virilem operæ partem edendam corpora & animos parate, atque in tam opimam prædam arma alacres capite. Cum orationi præfecti vocibus animorum indicibus crebro ſuccliamatum eſſet, *Properaret ad hoſtem ducere, ac facultatem manus conſerenda facere: ſeſe enim non aliter, quam aut victoria aut morte ſua prælio finem impoſituros.*

Hoc animorum ardore confirmatus Blaſius porro ire pergit, & ad quartum Nonas Auguſti hoſtem in conſpectu habuit: caduceatoremque io ſcapham impoſitum ad Regem mittit: qui illi demonſtret, Genuenſes ad hominum & commeatuum ſubſidium Cajetam introducendum veniſſe, neque ullo modo Cajetanos in fidem receptos deſerere poſſe: quod ſi per Regem liceat; ſeſe, muoere mandato impleto, nulla re tentata, protinus iter tetro repetituros: ſi prohibeat Rex, tum vero ſeſe viam ſibi ad deſtinata conſilia perficienda quacumque ratione aperire conaturos. Exarſit Rex poſtulato: caduceatoremque totum illum & inſequentem diem tetinuit, dum de reſponſo deliberat. Ea conſultatio biduum tenuit; variantibus in conſilio ſententiis: nonnulli enim ſalutaria ſpecioſia anteferentes, Regem à conſilio navalis pugnæ cum Genuenſibus ineundæ magnopere deterrere: exemplo receotis Boniſaciani eventus, io quo Genuenſes longe & navium nomero & pugnantium copia inferiores, quibuſque non ſolum cum Rege, ſed multo magis cum locorum iniquitate pugnandum fuerit, omnia virtute perfregerint, ſubſidiumque Boniſacium, ipſo invito, introduxerint: neque turpe dicere tanto Regi, non quidem virtute aut opibus, ſed navali peritia, qua hoſtes haud dubie excellant, illis videri ceſſiſſe: quare ne ſe in præceps diſcrimen daret; ſed minima malorum eligeret, ſubſidiumque Cajetam introduci pateretur; quæ nihilominus tandem caſura eſſet, commeatibus conſumptis: neque Genuenſium tenuibus opibus ad tanta impendia magnarum claſſium continenter emittendarum diu ſufficturis. Quam orationem ut degenerem, atqoe animi ſui magnitudini parum aptam aſpernatus Rex, *Ego ne*, inquit, *ut tantum dedecus admittam? ac tot res a me geſtas tanto flagitio neceſſario certaminis cum inopibus nautis detrectatis deformare non dubitem? ac ſubſidium, me inſpectante, ac viribus longe ſuperiore, Cajetam introductum, ſegui obſidione me ad parva urbis mœnia conſonescere facias? Tum vero me indignum regno, regio nomine, ac majoribus meis clariſſimis Principibus plane judicem: nam Boniſacium objectum quid aliud habet, preter aſtum quendam & caſum ſuninm regiarum anconarum inciſorum, ac navicula incenſe commeatum; quod timidos hoſtes ſubterlapſos, eum aperta virtute congredi non auderent, manibus meis eriput? ſed non ſemper præſtigia felices ſunt: navalis vero peritia & aſſiduus uſus, ad quam tandem rem valet, præterquam ad velocitatem quandam atque expeditionem diſcurſumn tum, cum pugna potius eluditur, quam committitur? quorum naves ſi harpagonibus & ferreis trabibus injectis fixas, ac manum veluti ſtatarias & terreſtri pugna ex propinquo conſerere cogas; tum intelliget, quantum nautica concurſatio ſtabili militum virtuti cedat: accendit preterea indignatio; quod exigua civitas, cuique omnia tenuia ſint, ultro me tantorum tamque opulentorum regnorum opibus ſubnixum bello appetere audeat; ac tamquam præcipuo certamine, per animi libidinem, nullis a me injuriis provocata adverſus me ſumpto, omnibus rebus, quaſcumque aggredior, quamquam nihil res ſuas attingentibus, mihi ſeſe opponere ludum ac jocum putet. Adeone nos degeneri ipſi & contempto hominum generi deſpectes eſſe? frangenda eſt aliquando omens contumacia, gravique illorum plaga majeſtas noſtra ſanienda.* Quibus rebus pronunciatis, caduceatorem dimittit; cui comitem addit Franciſcum Pandonium, qui reſponſum det, ac prælium Genuenſibus indicat: monitum prius, ut animum præfecti primo leviter, deinde minaciter agendo teotet; an forte à conſilio pugnaodi deducere poſſit.

Pandonius cum in conſpectum præfecti veniſſet; mirari vehementer Regem dicit, Genueoſes cum tanta claſſe in ea loca veniſſe; ac quærere, quid ipſis rei in regno Neapolitano ſit? quid juris inulla illius parte habeant, aut umquam habuerint? quid petant; aut quo tandem veteris amicitiæ & ſocietatis jure, quave veteris fœderis neceſſitate inducti Cajetanos adverſus ſe defendendos ſuſceperint? aut quod tandem iſtud fuiſſe conſilium; Cajetanorum cauſſa, cum quibus oihil juris ipſis umquam fuerit, taotum Regem, à quo nulla injuriis læſi ſiot, ſibi irritare; ac ſeſe tanto bello implicare; tantamque negotii molem nullum fructum tot laborum & impendiorum ſpectantes ſibi conflare? ſapientius igitur illos rebus ſuis conſulturos, ſi retro iter vertant; neque alieois rebus, quæque nihil ad ipſos attineant, ſe interponant: neve Regi in jure ſuo perſeqoendo impedimento ſint: id illos integra Regis gratia adhuc facere poſſe. Multa io eam ſententiam a Blaſio dicta ſunt; quamobrem negotio deſiſtere non poſſet: neque jam efficiotegrum Genuenſibus Cajetanos in fidem receptos deſerere: neque eam rem ſuæ deliberationis eſſe dixit; cujus tanxummodo partes ſint Magiſtratui Genuenſi, à quo miſſus ſit, parere. Excanduit Pandonius, atque intemperantia linguæ provectus: *Tantane*, inquit, *vos veſtri ac Regis ignoratio tenet; ut ſperetis vos Cajetam jam ad extrema adductam è Regis manibus ereptures; veſque tam tenuium opum homines Regi omnium maximo & potentiſſimo pares bello eſſe conſidatis? Eventus rerum, ac bellorum in manu Deiimmortalis eſſe*, reſpondet Blaſius: *Genuenſes nullis minis, aut terroris ac periculorum denunciatione officium, quod omnium rerum ipſis antiquiſſimum ſit, umquam deſerturos.* Cui Pandonius tamquam in rabiem verſus, *Cladem*, inquit, *vos veſtra, quando verba non poſſunt, ad ſanitatem revocabunt: proinde vos ad preſens prælium, & ad internecinum bellum parate. Jam ſuperiorum rerum eventibus Regem didiciſſe*, reſpondet Blaſius, *Genueſes non magis ad accipiendas quam ad inferendas cladeſ aptos; neque certaminum magnopere detrectantes eſſe: cum vellet Rex, congrederetur; intelleturum illum, potentiſſimorum quoque Principum opes tenuiorum hominum virtute, ſi Deus annuat, ſuperabiles eſſe.* Annales noſtros ſecutus à viris gravibus illorum temporum æqualibus ſcriptos, Blaſium Regi denunciaſſe, ſeſe ad ſubſidium hominum & commeatuum Cajetam introducendum veniſſe, ſcripſi; à qua re ne Bartholomæus quidem Facius Alphonſi ipſius Scriba, quique de vita & rebus ab illo geſtis octo libros conſcripſit, diſcrepat: quamquam ſcio nonnullos exteros Scriptores aliter tradere: ajunt enim Blaſium Regi nunciaſſe, ſeſe ad cives Genuenſes præſidio Cajetanis miſſos obſidioni eximeodos veniſſe: quod non modo re falſum eſt; ſed genere nugatorium: quid enim artinebat tam validam claſſem tantis impendiis comparare; aut tantam virium civitatis partem tanto diſcrimini ſubjicere, ejus rei cauſſa, quam epiſtola aſſequi poterant; Franciſco Spinolæ præſidio præfecto ſcribendo, ut fide ad extremum perſoluta, ſi io eo res eſſet, ut Cajeta jam teneri non poſſet, pactus eum Rege iocolumem exitum, ſuæ ac mili-

tum ſaluti conſuleret? quæ res uſitata ſemper fuit: deinde Rex Blaſii poſtulato non modo non retractanter, ſed cupide quoque annuiſſet: quid enim ipſius conſiliis erat aptius, quam urbem delectæ cohortis præſidio emiſſo, enervare? poſtremo quid magis ridiculum fingi poteſt, quam Genuenſes delectum fortiſſimorum juvenum præſidium Cajetanis ad illos tantummodo ludificandos miſiſſe, quod, cum tempus gerendarum rerum veniſſet, revocarent? ut mirer, Paulum Interianum Genuenſem civem, exterorum ineptum ſomnium ac patriæ parum honorificum potius, quam patriorum Annalium incorruptam fidem ſecutum.

Nuncio regio ſub veſperum dimiſſo, certamine inſtante, Blaſius totam noctem, quæ illud anteceſſit, ad omnia maxima & minima, quæ ad victoriam ferrent, mentem atque animum verſans inſomnem traduxit: diuturna inveſtigatione ſollers ingenium rem tandem commentum eſt, quæ maximum præ ceteris omnibus momentum ad victoriam fecit: tribus igitur ex magiſtris navium ad ſe vocatis, quæ cogitatio animum ſubierit, demonſtrat; imperatque, ut, cum ipſum recta & aperta via cum tota claſſe in hoſtem tendentem viderint, illi cum navibus ſuis longo circuitu altum petentes, uſque eo provehantur, dum ſecundi venti favore captato, proris converſis, flexoque in hoſtem itinere, latera & terga hoſtilis claſſis ſub adverſo vento deprehenſæ in media pugna invadant. Illi imperata impigre exſecuti ſunt: Blaſiuſque nuncio circummiſſo reliquos Navarchos mirari vetat, ſi, cum ipſe claſſem in hoſtem recta moverit, tres naves ſeſe à reliqua claſſe ſegregantes, atque iter alio vertentes viderint; id enim illas ſuo juſſo facturas, itaque facto opus eſſe.

Orta luce, Blaſius, Aragonenſi claſſe in ſe veniente procul conſpecta, ancoris propere ſublatis, veliſque datis, claſſem ipſe quoque ſuam in hoſtem movet: treſque naves, ut imperatum fuerat, à reliqua claſſe digredientes, velis in altum datis diverſum iter capiunt: quas Alphonſus procul conſpicatus manum in illos intendens exclamat: *Ecquid videtis, milites ac Proceres, tres ex hoſtilibus navibus metu ſeſe pugna ſubtrahentes fugam capere? properemus igitur non tam ad certamen, quam ad certam & exploratam victoriam, & ad prædam; vel, ſi tanta pauciras pertinax fuerit, ad eam velut parem pecudum numerum jugulandam, & ad vecordis temeritatis pœnas ab amentis hoſte exigendas.* Igitur claſſes brevi propinquæ factæ inſeſtis roſtris magno impetu mutuo ſe invadunt: quarum quattuor ſingulari certamine concurrunt: in quibus regia navis cum prætoria Genuenſi; ac, quæ Regem Navarræ vehebat cum Lomellina, eaque in qua erat magnus Magiſter Jacobitam Ordinis, manum conſeruerunt: reliquas quinque Genuenſes ſingulas binæ Aragonenſes circumſiſtunt: præliumque initum eſt animis tantummodo par, cæteris omnibus rebus diſpar: Aragonenſibus navium multitudine ſuperantibus; illorumque copiis numero, Genuenſibus genere firmioribus: Regis enim milites non quidem robore corporis aut virtute animi inferiores; ſed terreſtribus pugnis aſſueti, ac maris inſolentes, non modo ad militaria opera prompte edenda non ſatis habiles eſſe, ſed plerique illorum tetro ſentinæ odore ac naufea confecti, ad hoc jactatione navium veſtigio titubante, neque arma tenere, neque ſe regere à caſu poſſe; pugnæque omnino inutiles eſſe. At Genuenſes in uſitata navali militia notaque diſciplina, nulla nova re perturbari, habili & expedito curſu ultro citroque diſcurrere, atque omnia, quæ militaris & navalis muneris erant, impigre obire: iſque erat pugnæ ſtatus, ut quæ naves compari Marte concurrerant, in iis æqua fere ſors pugnæ eſſet; Aragonenſibus numero pugnantium, Genuenſibus virtute & peritia rem æquantibus: at in Genuenſibus, quas binæ Aragonenſes circumſiſtentes ancipiti prælio premebant, haud mediocriter laboraretur. Acriter magnoque irarum certamine per multas horas pugnatum eſt, neutro fortuna rem inclinante; Genuenſibus magnam ſagittarum ac tragularum vim ſcorpionibus & balliſtis (cujus bellici inſtrumenti uſu in primis pollebant) certiore ac validiore ictu figentium; ad hoc magna tedarum ac bituminis & accenſorum caleis globorum in Aragonenſes naves ingerentibus: quibus multi partim vulnerabantur, partim exanimabantur: cum ipſi contra haud levia detrimenta acciperent à varii generis Aragonenſium miſſilibus, ac præſertim bombardis, quarum illi numero abundabant; atque à ſubter diſcurrentibus hoſtium triremibus, quæ ipſæ quoque haud levia damna quamvis ſupinis ictibus inferebant. At Blaſius rem, tot iniquitatibus prementibus, in anguſtum adductam cernens, homines, qui erant in tribus triremibus, quarum vel nullus vel perexiguus in pugna uſus erat, corbitas propere, ad fructuoſiorem operam navandam, ſapienti conſilio, conſcendere jubet: quibus recentibus atque integris copiis ſanciorum & cæſorum numero ſuppleto, refecti ſunt pugnantium animi; præliumque, quod apud Genuenſes multo in locis ſegne eſſe cœperat, novo hoc addito auxilio recruduit. Cum diu & acriter pugnatum eſſet, re potius in defatigationem ultimam ſpectante, quam ad alterutram ſpem inclinata, interea tres naves, quas à reliqua claſſe ſe ſeparantes altum petiſſe diximus, ſecundo vento capto, valido flatu impulſæ, pugnæ ſuperveniunt: quarum adventus fortunam prælii ad eam horam ancipitem ſecundum Genuenſes decrevit: neque vero peritum Ducem fefellit, ab illis navibus initium victoriæ faciendum: tanto enim impetu latera hoſtilium navium in pugnam verſarum ex tranſverſo invaſerunt; ut regia gravi ictu percuſſa in latus prætoriæ Genuenſi obverſum ita alte inclinata ſit, ut, aqua accepta, haud procul à periculo demerſionis fuerit; infanamque trepidationem ſuperſtantibus præbuerit: qui in latus inclinatum ruentes pondere inſuper ſuo illud gravabant: quod etiam faciebat ſaburra eadem inclinatione in idem latus aggerata: ut navis numquam ſe in rectum ſtatum plane erigere poturit, ſed propendens tabulatum, ac ſuperſtantes ictibus Genuenſium apertos objiceret: qua occaſione illi utentes ingentem telorum ac lapidum vim inſtar creberrimæ grandinis ingerebant: quibus regii nulla re protecti vulnerabantur atque exanimabantur: qui etiam à flamma & vapore ex globulis calcis tabulato illiſis, quorum magnam vim Genuenſes intorquebant, emicantibus proſpectu adempto, pugnam omittere cogebantur: quare Rex ad iniqua rem inclinatam cernens, ſimul ut ſeſe periculo ſagittarum inſtar denſiſſimæ nubis eriperet; ex ſummo puppis tabulato, in quo omnia circumſpectans ac providens conſtiterat, deſcendere, ac ſub tectum puppis ſe recipere coactus ſit: qui tamen ne in extrema quidem ſpe ſe deſerens, Genuenſes in regiam veluti victoria jam parta tranſilientes comprehendi, ac vinctos ad ſe adduci jubebat: qua re animadverſa, à præfecto tranſilire prohibiti ſunt: qui nautas regios mali cuſtodes minaciter adegit ad antennas dejiciendas; quæ, funibus inciſis, tanto impetu deciderunt, ut prægravi ictu navis concuſſa atque undis afflicta fatiſcere multis locis atque undam accipere cœperit.

Incidit præterea caſus, qui Proceres Regem circumſiſtentes motu exanimavit: verutum enim magnæ craſſitudinis à balliſta Genuenſi magno impetu contorium ad pedes Regis accidit, magnaque vi tabulato infixum eſt, ut parvo momento

Rex

Rex peſtem vitarit: quare Proceres Regem ne ad tanta quidem pericula animum ſubmittentem, niſi genibus, conſiliaque precibus miſcentes ſuppliciter orare, ne ſeſe ac ſuos nimia animi magnitudine ac conſtantia perditum iret: meminiſſet, ſe non ſuo tantum capite dimicare, ſed in ejus caſibus omnium regnorum ſuorum fortunam verti: illo ſalvo, ſalva omnia, damnaque facilia reparatu fore; pereunte, ſimul omnis petitura: proinde ſeſe ille ſibi, Reipublicæ, ac regnis ſuis reſervaret: ſatis illum decori, ſatis officio atque exiſtimationi feciſſe; omnibus regiis & imperatoriis muneribus cumulate impletis: ſatis ſpectatam virtutem & conſtantiam; ceteris laudibus prudentiæ quoque gloriam adjiceret, quæ doceret cetera omnia, præterquam fortunam, à magnis viris poſſe præſtari: huic, cum res cogat, cedendum, cujus ingruentis vis nullis humanis opibus refringi poſſit. Expugnatus tandem invictus animus precibus eſt: quare conſiliis acquieſcens, nomina ac ſtatum fortunæ Navarchorum Genoenſium ſibi edi poſtulat: omnibuſque, Blaſio præſertim præfecto decus dediti Regis ſumma ope petentibus, Jacobo Juſtiniano, cujus familis Chii rerum potiretur, jureque ſignandi aurei nummi eſſet inſignia, deditionem fecit.

Hic neceſſario nobis paullum è via excedendum eſt, atque aperiendum, quemadmodum gens Juſtiniana dominatum nobilis inſulæ, partim Genuæ ipſius patriæ, partim exterorum Principum conceſſu, adepta ſit: quam rem ad hunc locum facere diſtulimus; ut ſeriem jam inde ab initio repetitam continuaremus; quam ſæpe interruptam interpoſitæ res minus perſpicuam feciſſent. Inſulæ Chii, atque utriuſque Phocææ in ora Aſiæ imperio, ductu Simonis Vignoſii, Genuenſibus parto, claſſeque victrice Genuam reverſa, magiſtri navium, quorum ſumptibus expeditio facta fuerat, ac bellum altum, ſibi de impenſis factis, ac de pecuniis Reipublicæ mutuo datis ſatisfieri poſtularunt: cum exhauſtum ærarium tanto ære alieno ſolvendo non eſſet, vectigalia partæ inſulæ illis ad certum tempus oppignerata ſunt; quæ, niſi intra præſtitutam diem à Republica redimerentur, loco ſolutionis creditoribus cederent, ſimulque cum illis inſulæ & utriuſque Phocææ utilis, quem vocant, dominatus; ſummo imperio, quod merum & miſtum Juriſconſulti appellant, ac jure gladii Reipublicæ ſalvo: quod creditorum corpus *Monas* Græco vocabulo nominatum eſt. Hæc Monas, vectigalibus non redemptis, utili dominatu uti inſtituit, Magiſtratum ex ſui corporis hominibus Reipublicæ Chienſi ac rebus gerendis præficiens; quattuorque viros ipſius Monadis ſuffragio creatos nominans, ex quibus ſummus Genuenſis Magiſtratus Prætorem legit, qui juriſdictioni Chii præſit. Hæc Monas per varias occaſiones variiſque temporibus omnis fere à familia Juſtiniana occupata eſt: quæ cum capitum & larium numero frequentiſſima eſſet, ac divitiis florens, portiones ceterarum familiarum patrim pretio, partim jure affinitatum & ſucceſſionum, aliiſque legitimis titulis ſibi paravit. Hujus familiæ nonnulla pars Genuæ ſubſtitit; multo maxima inteſtinorum malorum ac domeſticarum diſcordiarum pertæſa, Chium, tamquam in quietiores ſedes ac domicilium, commigravit; urbemque tam extra quam intra pomœrium magnificentiſſimis ædificiis frequentavit & ornavit; cum centum amplius capita patrumfamiliarum eſſent.

Ceterum cum, Bajazeto Turcarum Principe à Tamerlano Tartarorum Imperatore acie victo ac capto, Conſtantinopolitani Cæſares periculo à Turca cervicibus imminenti liberati reſpirare cœpiſſent; ingens metus Juſtinianis eſt injectus, ne Cæſar vires paullatim aſſumens, inſulam veteris juris Conſtantinopolitanotum Cæſarum, quam Genuenſes quinquaginta amplius ante annis illis abſtraxerant, armis repeteret, quibus ipſi haudquaquam parca eſſent: quare in omne obſequii genus compoſiti, illius ira mitigata, inſulam ab illo fiduciarism impetrarunt: quam ille genti ac nomini Juſtiniano conceſſit, cum jure aurei nummi ſignandi; quod jus Juſtiniana gens perpetuo uſurpavit; quingentorum perparorum anniverſarium vectigal in Cæſaris veſtiarium ex conventis pendens. At Turcarum potentia in Aſia in immenſum crefcente, atque omnibus finitimis regnis formidoloſa facta; Juſtiniani, utraque Phocæa jam à Turca occupata, inſulæ quoque Chio timentes, fœdus cum Mehemete Calepini Turcarum Regis filio, Oratotibus ad illum miſſis, inierunt: quo fœdere Juſtinani anniverſarium tributum quattuor florenorum millium pendere obſtricti in amicitiam & fidem à Turca accepti ſunt, facultate illis ac jure commerciorum facto per omnia Aſiæ regna, quæcumque Ottomanorum imperio parebant; tutoque acceſſu & receſſu omnibus negotiationis cauſſa Chium commrantibus, etiam Turcarum hoſtibus dato: defenſioneque Juſtinianorum Chii Dominorum (ita enim illos in diplomate appellat) adverſus quoſcumque ſuſcepta; cum ſollemni jurejurando promiſiſſet Turca, Juſtinianos à ſe ſucceſſoribuſque ſuis inviolatos fore; illorumque res intactas. Quo fœdere ſancito, inſula opulentis commerciis celebrata eſt, atque incolis frequentata, quæ ad nonaginta millia capitum numerum adſcenderent: ejuſque vectigalia aucta ad ſexaginta anniverſaria aureotum nummûm millia, partim ex maſtice, qui nullo alio orbis loco naſcitur, partim ex portoriis, partim ex ipſorum incolarum tributo: Juſtinianorumque opes & dignitas in immenſum crevit: qui tum egregio muro urbem totam cinxerunt, validis circum propugnaculis firmato; peramplaque ac profunda foſſa circumducta, in quam mare exceptum totam urbem circumluit. Juſtinianorum inſignibus portæ urbis ſuperpoſitis, in celebrioribuſque urbis & muri locis affixis, decimo octavo poſt anno, idem jus fiduciæ, eademque fœdera & pacta cum Joanne Palæologo Conſtantinopolitano Cæſare, eo, qui Florentino Concilio interfuit, renovata ſunt: ceterum tanta fuit in Juſtinianis modeſtia, eaque patriæ caritas, ut numquam ſummi imperii titulo ac nomine Genuam parentem urbem fraudarint; aut uſum Prætoris, qui juriſdictioni præeſſet, Genua accerſendi intermiſerint: cum incolæ ſollemni illa ac ſtata anniverſaria acclamatione, ut mos eſt genti Græcorum, Juſtinianos Dominos agnoſcant & ſalutent: idem jus fiduciæ, eademque pacta poſt pugnam hanc, quam modo ſcripſimus pugnatam, à Turca Conſtantinopolitano imperio & urbe potito confirmata ſunt. Juſtiniani igitur inſulæ dominatu ſibi ſtabilito, ſingulas ejus præfecturas, quæ tredecim omnino ſunt, tredecim ex ipſis quotannis in orbem lecti, ſinguli regendas accipiunt. Illaque eſt neutiquam vulgata hujus claræ gentis commendatio; quod, cum ceterum octo familiæ, quæ caput ſupra ceteras extulerunt, Spinula, Auria, Grimalda, Fliſca, Adornia, Fulgoſia, Montalta, Guarca ad ſummam potentiam, ſummaſque opes malis publicis magna ex parte pervenerint; ex diſcordiſque civitatis creverint; una Juſtinisna gens ad parem dignitatem, parque honoris faſtigium, nulla, niſi ſalubri Reipublicæ parte, nullifque improbandis artibus conſcenderit. His igitur de cauſſis Alphonſus Juſtinianam gentem, in deditione facienda, ceteris familiis Genuenſibus merito prætulit. Nunc ad inſtitutam hiſtoriæ ſeriem redeo.

Caſum regiæ captæ reliquæ naves ſecutæ ſunt; partim illico ſo tradentes, partim cum aliquantum præ-

prælium etiam extraxiſſent: ſicque finis prælio ſub veſperum factus eſt; quod ingentibus animis initum, magnoque irarum certamine continuatum, decem horas duravit: Genuenſeſque tota claſſe potiti ſunt, præter unam navim, quæ fuga cladi ſe ſubtraxit. In poteſtatem Genuenſium venerunt, præter Regem ipſum, Regemque Navarræ, ac magnum Magiſtrum Compoſtellani Ordinis Regis fratrem, amplius centum Proceres dominatu populorum inſignes; atque ingens nobilium virorum atque Equitum numerus: in quibus fuerunt Joannes Antonius Dux Sueſſanus, Joannes Antonius Princeps Tarentinus, Antonius Comitis Fundani filius, Joannes Magiſter Ordinis Alcantaræ: nemoque omnino Principum ex tanta clade evaſit; præter Petrum naru minimum regiorum fratrum, qui in ſubjectam triremem ſune demiſſus fuga ſalutem expedivit. Huc acceſſit regia gaza, ac reliqua infiniti pretii præda, ingenſque auri vis ex captivorum redemptione redacta: ad hoc pretium navium, ac bellicorum & navalium armamentorum, & inſtrumentorum; quæ victores ita ditarunt, ut multi eorum ex tenui fortuna ad magnas opes pervenerint. Huic victoriæ tanta cum gloria à Genuenſibus partæ, ſi numerum navium, quibus ſæpe concurſum eſt, ac multitudinem illarum captarum, atque hominum cæforum ſpectes, multas omnium temporum anteponas: ceterum ſi magnitudinem rei geſtæ, ac virtutem, & conſilium in illa gerenda, in primis vero ſplendorem Regum ac Procerum captorum conſideres; haud facile reperias, quam ex omnium ſæculorum memoria illi conſeras.

Cladi navali terreſtris continuata eſt: Cajetani enim tanta victoria animis auctі, audaci ac prævalida eruptione caſtra regia aggreſſi; primo incurſu hoſtes, cum mœrore tantæ cladis ſub oculis pene ipſorum acceptæ obtorpuiſſent, fundunt ac fugant, caſtriſque potiuntur; quæ & ipſa opulentæ prædæ Cajetanos compotes fecerunt. Blaſius, multitudine captivorum prægravante, ſecuritati ſuæ cavens eodem die claſſem exoneravit, quinque millibus illorum in terram expoſitis, ac liberatis; portumque Cajetæ cum claſſe victrice ac victa ſimul ſubiit.

Interea Genuæ certo nuncio victoriæ nondum allato, omnia exſpectatione ſuſpenſa erant: rumor tamen incertis auctoribus manarat, res ad Cajetam proſpere ſucceſſiſſe: quæ res omnium animos ac ſpem erexit, ut, juriſdictione intermiſſa, opifices, ſellulario opere omiſſo, ac tabernis clauſis, urbem percunctabundi circumirent; atque ut quiſque peregre advenerat, cum circumſiſtentes, ac rogantes, ecquid novi afferret; atque ecquid de claſſe ac rebus Cajetanis audiſſet, non prius dimitterent, quam omnia ordine enarraſſet. Tam ſollicitæ ac ſuſpenſæ civitati cum certus tandem nuncius victoriæ partæ ac Regis ipſius capti veniſſet; rum vero nemo fuit, qui ſuperfundenti ſe lætitiæ temperaret: ſed matronæ omnis decori oblitæ in publicum proſilientes, ac magnis & crebris agminibus per urbem diſcurrentes, ipſæque ac viri, nullo ætatis, aut ſexus, aut ordinis, & fortunæ diſcrimine immiſti, ac præ gaudio mentis vix compotes, plauſibus ac clamoribus effuſam animi lætitiam ſignificarent. Tres continentes dies ſupplicationes habitæ ſunt, gratiæque Deo immortali actæ: decretumque eſt, ut Nonæ Auguſtæ divo Dominico feſtæ, quo die tanta victoria parta eſt, ſacro ſollemni atque anniverſario dono ad templum illi divo ſacrum delato celebrarentur.

Ceterum tanta lætitia brevi Genuenſibus non modo luxuriavit, ac vana evaſit, ſed in mœrorem quoque & indignationem vertit: qui tamen mœror ad extremum in ingens gaudium erupit. Philippus enim, nuncio victoriæ accepto, extemplo duos nuncios, alterum Genuam Ludovicum Cretum, alterum ad Blaſium Marcum Barbavarium miſit: qui Genuam miſſus eſt, petit à Senatu, ut eandem claſſem ad Siciliam occupandam mitterent. Reſponſum eſt Regi, neque claſſem ſine novo ſtipendio reliquiſque bellicis apparatibus ac terreſtribus copiis mitti poſſe; & à maritimis periculis omnia tuta eſſe. Aragonenſi enim claſſe deleta, nullam aliam toto mari Mediterraneo Genuenſi parem reliquam eſſe: qui ad Blaſium venit, verbis Philippi illi imperavit, ut Genuenſi portu omiſſo, recta Saonam contenderet; indeque Regem ac captivorum delectos primores Mediolanum ad Philippum adduceret. Dicto audiens fuit Blaſius, imperio adactus; quamquam grave cenſebat patriam tanto ſpectaculo ac gloria pene tantæ partæ victoriæ orbare: videbatque obtrectatorum ſermones de ſe duriores futuros: ceterum præponderabat Principis reſpectus, cujus imperio ſeſe facere nullo modo poſſe intelligebat, quin pareret: neque enim neglectum ſibi impunitum fore, nullius rei pœnas Principibus, quam ſpreti imperii, vehementius, aut perſeverantius exigentibus; neque, ad manus Philippi internecino odio ipſum perſecuturi ſubterfugiendas, ſatis ſibi præſidii in ejus ſuorum opibus aut benevolentia fore ſperabat: quorum principes immo in ipſa expeditione iniquos ſibi expertus eſſet; ut nonnulli Scriptores tradiderunt, in quibus eſt Bartholomæus Facius; qui ſcripſit Nobilium Factionem, cumque illa conjunctam magnam clarorum popularium familiarum partem, cum hominem novum in tanto imperio poſitum concoquere non poſſent, omnibus rebus illi incommodaſſe: ac, quoniam aperta via imperium abrogare non poterant, idem per occultos cuniculos tentaſſe; ſtipendia extrahendis, delectuque artificio impediendo: quæ res coegerit Blaſium per occultos nuncios opem Philippi adverſus Magnatum Genuenſium iniquitatem implorare; rujus favore imperium illi ratum factum ſit, ac difficultates expeditæ: poſtremo conſiderabat illa tempora locum ejuſmodi querelis non dare; cum Factionibus accenſis, jam in uſum ac diſciplinam Genuenſibus veniſſet, armis inter ſe de jure publico contendere: alteraque pars primariorum civium urbe extorris, ſtudiis ac ſocietate cum externis conjuncta, patriam infeſtis armis obſeſſam & oppugnatum venire, illuſque ditionis opida & caſtella occupare ac retinere. Tam indignum tamque in nomen Genuenſe contumelioſum exemplum, magnas animorum commotiones Genuæ fecit; vulgoque omnes pro ſe quiſque fremere, itane ſibi iniquum eſſe Philippum; adeo ſeſe ab illo ſperni; ut ſi tanti facinoris gloriam Genuenſibus, quorum tota eſt, permittere noluerit, at non ſaltem rum illis communicandam duxerit; ſed totam ad ſe attraxerit? non ferendam tantam injuriam; ſed juſtum dolorem adverſus Philippum capitaliorem atque abominabiliorem hoſtem, quam Alphonſum, ulciſcendum: ſi ab exterioribus ſignis ad intimos hominum ſenſus penetrari poteſt, cupiſſe profecto Philippum Genuenſes ab Alphonſo profligari ac deleri: ut civitatem, juventutis robore exſtincto, exinanitam & enervatam libidinibus ſuis magis obnoxiam, (quod ille ſemper ſpectarit) pedibus ſibi proculcandam ſubjiceret. In Cajetanos in fidem & ſocietatem receptos ab Alphonſi impetu defendendos tantam claſſem Genuenſes comparaſſe: tantam hominum ac pecuniarum impenſam feciſſe; vires civitatis ac flotem Genuenſis pubis extremo diſcrimini objeciſſe, in Philippi injuriis à ſe ipſis repellendis, in duro atque immani jugo à cervicibus diſcutiendo, non eandem virtutem adhibituros? in alienis rebus, ac nihil fere ad ſe attinentibus, fortes atque impigros, in ſuis ignavos ac deſidos? Irritatis

ani-

animis duæ contumeliæ additæ ſunt, quæ illos magis exaſperarunt: vetuit enim præſes Senatum per litteras ſuas Principes amicos victoriæ partæ certiores facere, ſuperfluum eſſe dictitans officium, in quo Philippus præverterit: ad hoc Philippus Henricum Regem Navarræ, nonnulloſque carptim captivorum primores, Alphonſo gratificans, cum quo redierat in gratiam, qui Genuam adducti fuerant, ſibi illico Mediolanum tranſmitti imperavit: quæ res liberiores voces hominum elicuit, minime dubiorom, quin deficiendum eſſet: ceterum multa conſilium diſtinebant: primum principum civitatis voluntates, quas in Philippum antea mire propendentes, haud ſatis exploratum erat, an tot patriæ impoſitæ injuriæ immutaſſent; deinde res ſuo ipſo molimine gravis atque ardua, tantam arcium moltitudinem Philippo in finibus Genuenſibus occupante: tenebat enim Philippus præſidiis ſuis valida caſtella, Novas, Gavium, Vultabium, Figconem; ad hoc tres arces ædificarat ad Pontem decimom, Montembellum, Bulzanetum, quæ viam illi deinceps ad Genuenſia mœnia per vallem Porciferæ muniebant: erat præterea in illius poteſtate urbs Saona cum duabus arcibus. Terrebat in primis arx Caſtellettum in ipſa urbe, ut illis temporibus, munitiſſima, atque edito loco ſita, prævalidoque præſidio firmata: ad hoc Alphonſus duas Portus Veneris arces, ac munitiſſimam turrim Ericis opidi occupata tenebat.

Interea Mediolani Alphonſus & Philippus inter ſe in gratiam redierant; magnaque voluntatum conciliatio inter ipſos facta erat. Alphonſus enim à Philippo comiter exceptus, honorifice tractatus, ſimulatque facultas colloquendi cum Philippo facta eſt, ita de præſenti rerum ſtatu diſſeruiſſe dicitur: *Si mihi cum imperita multitudine agendum eſſet, Philippe; vererer, ne mihi aſſenſam præſens fortuna mea abrogaret, ac leviorem me auctorem faceret; ac ne oratio, quam habiturus ſum, non tam ſententia mea, quam mœrum temporum videretur: rerum enim ignarum vulgus auctoritate potius ducs quam rationem ſoqui ſolet: at graves & ſapientes viri non tam loquentem ſpectant, quam rationum momenta ponderant; ac perinde ut illa ſunt, ita de rebus ſtatuunt: amplum tibi & in præſens eſſe, & ad poſteritatis memoriam fore cenſes, Philippe, Alphonſum Regem navali prælio victum & captum: ceterum hujus gloria magnam partem fortuna, magnam militis & Ducis, quorum virtute, fortitudine, conſilio te abſente præclara res geſta eſt, ad ſeſe trahunt. Genuenſes quidem, te plane excluſo, non partem modo, ſed totam ſibi illam vindicant; ſuis armis, ſuis hominibus, ſuis claſſibus, ad hoc navalium rerum ſcientia & uſu victoriam partam aperte præferentes: una tibi ex egregio facinore reliqua eſt gloria, qua tota tua ſit; in cujuſque ſecretatem neque fortuna, neque militis aut Ducis, neque Genuenſes, neque quiſquam omnino mortalium venturus ſit; bonus illius uſus: luxuriavit quidem multo ſæpe ac vana evaſit victoria lætitia; nullo fructu, male illa utendo, ex ea percepto. At tua tanto eſt iniquior hac in re quam ceterorum conditio; quod pravus illius uſus non modo fructum ſperandum corrumpit, ſed in magnum quoque tuum damnum, atque adeo in exitium vertet: quo magis igitur in anceps ac lubrico aut ſalutis, aut excidii loco verſaris; eo tibi conſideratius & providentius eſt agendum; ac cavendum, ne te inanibus ſpecibus auferri ſinas; ſed ſalubria in conſilio potiora habeas. Miratus ſum, Philippe, te, amicitia mea ſubito relicta, ad ſocietatem Andegavenſium tete adjunxiſſe. Mittoquærere, quid in me offenderis, quam ob rem me deſereres; qua mea injuria te a me abduxerint; nam iſtis omnibus rationem utilitatis ac conſilia ſtatus rerum ſtabilendi præponderare ſolere ſcio: ut igitur de hac ipſa rerum ſtabilitate tecum agam; quid tandem in me relinquendo, & te ad Andegavenſes appli-*

A *cando ſecutus es? non te latet, Philippe, Andegavenſes hominet Gallos eſſe Italice nomuis haſtes ſempiternos; ad hoc Italia imperio ex omnium ſæculorum memoria immunentes: quod illis natura ita inſitum eſt; ut numquam bellum atque arma ab Italia abſtinuerint; niſi cum occaſio aut facultas illa inferendi defuit. hos igitur homines tu in Italiam accerſis? atque in poſſeſſionem tanta ac tam opulenta illius partis inducere ſtudes; ex qua ſtabilita gradum illis ad te opprimendum tute ipſe facias? quod ſi feceras, illos tanto tuo hoc beneficio devinctos ingenium exuturos, magna te omnium rerum ignoratio tenet: nam neque homines beneficiorum memores unquam ſunt, cum hac memoria illis inutilis & incommoda eſt; neque imperem dominandi & regnandi cupiditas, omma divina & humana jura perfringere ſolita, memoria beneficii accepti vincitur: quod etiam minoris ab accipiente quam a dante ponderari ſolet: quam compar hoc factum tuum Joannis Galeacii parentis tui ſapientiſſimi Principis prudentia eſt? qui ceterorum Regum ac Principum arma Italis ſpernenda, Gallorum autem formidanda diſſitare ſolebat: primum propotentia, deinde Italia viſceribus hærentia: quod idem tibi a nobis Aragonenſibus periculum non eſt: tenuibus ſcilicet Regibus, ac tantis maris & terrarum ſpatiis ab Italia diſcretis: quin contra Aragonenſium & Vicecomitum amicitiam utriſque utilem, perpetuam quoque eſſe neceſſe eſt: qua utrumque adverſus communem propotentem ac formidoloſum hoſtem mutua ope communiat: quid igitur pravoſto conſilio tuo agis, Philippe, quam ut naturales hoſtes tuos opibus tuis auctos adverſus te confiemes? neque Italia exterminata, atque hoc tui propugnaculo tibi ipſe adverſus hoſtium impetus detracto, vam illis ad te opprimendum communias? a quo conſilio niſi deſiſtis; brevi tum, cum inutilis ac ſera erit pœnitentia, intelliges, te non tibi, ſed hoſti tuo vicſſe; neque in tuam utilitatem, ſed in tuam pernicicm victoriam partam; utiliorem que tibi futuram fuiſſe cladem, qua non magis te quam hoſtem naturalem tuum proſtigaſſet; neque regno Neapolitano potitum, tibi tandem adjunxiſſet; utriuſque rationibut ita ferentibus: at victoria, propugnaculo, quo tutus eſſe maxime potes, tibi adempto, te pedibut Gallorum proculcandum, atque avita dutione tandem evertendum projecit.*

In ſuam ſententiam tandem traduxit Alphonſus Philippum, cum veris rationibus victum, tum lenitate & humanitate Alphonſi captum: in hoc enim Rege comitas, atque ingenii facilitas, ſingulariſque cum majeſtate conjuncta morum ſuavitas, ita ceteras præſtantes atque heroicas virtutes ornavit, ut miras hominum voluntates ad illum alliecrent. Philippum quidem ita attraxerunt, ut totum ab omni ſtudio ſenſuque Andegavenſium abductum ad Alphonſum traduxerint; artiſſimoque ſocietatis & amicitiæ fœdere illi devinxerint; qui Genuenſibus imperavit, ut ſex ingentes corbitas ad Regem in ſua devehendum compararent & inſtruerent: quæ omnia à Genuenſibus gementibus & mœrentibus, quia nondum res ad deficiendum ſatis maturæ erant, obedienter tamen facta ſunt.

Ceterum Philippus certior à ſuis factus, Genuenſes gravites offenſos, ſpectaculo Regum civitati ſubtractu, de quo Philippus tamquam à ſe victo triumphare voluerit; ne vultu quidem tantam injuriam ſatis diſſimulare, remque ad defectionem haud dubie ſpectare; vehemeoter perculſus, æſtu Genuenſium conſilia eludere parat: per ſpeciem enim honoris habeodi, Genuam ſcribit, non ſe alter de redemptione captivorum actuum, quam coram Genuenſibus ipſis, quorum opera & virtute capti ſiot: legationem igitur ad ſe mittant amplam & honorificam. Miſſi ſunt Legati: quos ad ſe introductos Philippus benigne appellat; atque ſeſe non minus de Genuenſium commodis & amplitudine quam de ſuamet laborare: omnia ſe adhuc feciſſe, ac porro facere perrecturum, ut victoria non minus Genuenſibus

quam ſibi læta ſit; atque adeo illis quam ſibi etiam fructuoſior: expugnaſſe ſe tandem Alphonſi animum diu renitentem; atque ad regno Sardiniæ illis cedendum induxiſſe. Quo major res erat, eo minus credibilis Genuæ viſa: mirarique omnes tam ſubito Philippi voluntatem mutatam; ut, qui in Genuenſes conterendos, enervandos, omni dignitate ſpoliandos, omnibus iniquitatibus premendos, omne ſuum ſtudium perpetuo contulerit; eos repente tanto imperio, tantaque opum acceſſione augendos ſuſceperit: profecto in tanta benignitate aliquid fraudis latere: quæ fraus ſtatim apparere cœpit, aliis atque aliis armatorum agminibus tamquam in præſidium Sardiniæ coactis ſubinde Genuam miſſis. Exarſere Genuenſes hoc novæ fallaciæ commento; ac vix ad pueros fallendos idoneis ambagibus.

Cum hic eſſet animorum habitus; Genuenſeſque minime dubii, quin deficiendum eſſet, locum & tempus conſilii exſequendi circumſpectarent; orta eſt res, quæ priora vulnera exulceravit; atque ad ſuperiores offenſionum cauſſas novam animorum irritationem addidit, Genuenſeſque ad cogitata conſilia defectionis acceleranda adegit: Legati enim Cajetanorum principes civitatis Genuam venerunt victoriam gratulatum; ac gratias actum, quod ſeſe ex faucibus Alphonſi eripuiſſent: qui in Senatum introducti, Genuenſis populi in ſe omnium temporum merita diligenter perſecuti; cum non pauca de Franciſci Spinulæ præfidis fide, conſtantia, fortitudine, ad hoc juſtitia, & continentia, totuſque cohortis virtute atque indefeſſis laboribus, malorumque toleranria addidiſſent; eaque ſingula magnifica oratione facta dictis æquando ad cælum extuliſſent; ad extremum orationem ita concluſerunt, ut dicerent, ſeſe, dum fortuna regni poſſeſſionem vero Domino adjudicat, intelligere in nullius omnino populi aut Principis, qui ſub cæln ſunt, quam in populi Genuenſis fide & ditione melius eſſe poſſe: proinde poſtulaverunt, ut Senatus quotannis Prætorem ac civitatis ſuæ rectorem Cajetam mittere ne gravaretur: petamplum id omnini Genuenſi dupliciter fore; qui ad bellicam virtutem ac navalium rerum ſcientiam & gloriam, qua omnibus populis antecellant, ea continentiæ, juſtitiæ, moderationis exempla addiderint, ut homines ſeſe ultro illorum imperio ſubjiciant: deinde magno beneficio Renatum in perpetuum demerituros; ſi urbem munitiſſimam, ac nobiliſſimum illum portum, quæ tamquam claſtra ac propugnaculum ab ea parte regni Neapolitani ſit, de manu Genuenſium acceperit. Laudata eſt virtus & fides Cajetanorum; qui enm tranquillam pacem agere poſſent alienorum malorum ſpectatores, ſine ullo diſcrimine rerum ſuarum; fidei tamen adverſus legitimum Dominum ſervandæ cauſſa in tam præcipitem caſum ſeſe ſuaque omnia dare non dubitarint; atque omnia extrema ſint perpeſſi: lætari igitur populum Genuenſem, quod beneficium ſuum apud tam gratos & fideles homines poſuerit. Quod ad Prætorem mittendum attinebat; dilata res eſt, dum voluntas Philippi exploraretur: qui, re cognita, uſque adeo non tenuit iram; ut jure gentium vinlato, Legatos Cajetanos comprehendi atque ad ſe vinctos adduci imperaret: quos ante ſe ſtantes, ac verbis primo male acceptos rogavit; quod tandem iſtud ipſorum fuiſſe conſilium, ut in Prætore poſtulando populum Genuenſem ſibi tanto Principi, tum autem eorundem Genuenſium Domino prætuliſſent. Liberum reſponſum unus ex Legatis dedit: *Seſe rectores ab ipſo Philippo & a Genuenſibus miſſos expertos, illorum ſuperbiam & avaritiam abominatos; horum æquitatem & continentiam amplexos.* Dux libero reſponſi nomine nihil ſe commotum demonſtrans, multis rationibus docere homines cœpit, bene illos rebus ſuis conſulturos; ſi, partibus Andegavenſibus relictis, (id quod ipſemet feciſſet) ſeſe ad Alphonſum applicarint, qui regno haud dubie tandem potiturus eſſet: ſi faperent igitur, properarent gratiam futuri Regis captare; ingentique promeriti præteritarum offenſionum memoriam delere: ſicque illos ſuis conſiliis imbutos domum remittit.

Tantis indignitatibus atque acerbitatibus alia ſuper alias coacervatis ſubacti Genuenſes ad cupiditatem libertatis exarſerunt: ac quamquam ad veteres difficultates novus eſſet additus terror duorum millium armatorum, quos Philippus per ſimulationem præſidii in Sardiniam decreti Genuam miſerat; libertatem tamen per æqua, per iniqua, per prona, per ardua repetendam ſtatuunt, principio conſpirationis à primoribus civitatis facto: qui, partitis muneribus, cum ſibi quiſque ceteros cives, prout cuique aliquid juris adverſus ſingulos erat, appellandos & incitandos ſuſcepiſſent; neminemque retractantem, aut ejuſdem ardoris expertem invenuiſſent; hoc univerſæ civitatis conſenſu confirmati tempus patrandæ facinori eligunt pervigilium natalium feſtorum, quæ ſuberant; ſimul ad Thomam Fulgoſium Sergianam mittunt; qui conſenſum civitatis ad recuperandam libertatem illi demonſtret; petatque, ut ſeſe ad ſalutare conſilium omni ope adjuvandum comparet: ceterum aptior & facilior ad conſilium exſequendum adventus Eraſmi Trivultii, viri opibus & factis clari, ſucceſſoris præfidis viſus eſt, qui propediem exſpectabatur: qui cum veniſſet, ac cum Opicino veteri præſide, qui obviam proceſſerat, urbem intraſſet; repente ii, quibus id negotii datum fuerat, portam divi Thomæ, per quam præſides ingreſſi fuerant, ſtatione facile expulſa, occupant & ad arma conclamant; ſubitoque Franciſcus Spinula, qui ſe principem profeſſus fuerat, cum haud contemnenda gentilium ſuorum ac clientium & amicorum manu in publicum proſilit: libertatemque magnis clamoribus ſubjicit. Incredibile eſt, eo nomine audito, quam ſubito omnium ordinum & ætatum ſtudia ad libertatem repetendam exarſerint: nemo enim, qui eſſet armis ferendis, domi ſe continuit; momentoque temporis civitas omnis in armis fuit, auctoritatem Franciſci ſecuta: quibus ſubitis motibus præfides perculſi, cum, porta urbis occupata, nullus retro eſſet regreſſus, diverſum iter capiunt: Trivultius arcem verſus, in quam incolumis evaſit: at Opicinus ædes publicas repetens, ad quadrivium, quod vulgo *Foſſatellum* appellatur, ab ingenti armatorum multitudine, quæ ex multis undique urbis partibus pluribus agminibus eo confluxerat, circumventus interficitur: qui ante ædem divi Syri nonnullas horas exanimatus jacuit; cujus mota palam teſtata, & ad Genuenſium commotum ardorem incitandum, & ad militum præſidiariorum animum frangendum, magnum momentum facere poſſet: qui morte alterius præfidis, alterius veluti careere debilitati, ne tentata quidem pugna, ſe Genuenſibus dediderunt; à quibus paullo poſt armis ſpoliati dimiſſi ſunt. Illud memorabile ad memoriam poſteritatis traditur; tantum facinus, quod tantæ dimicationis fore timebatur, tam brevi ac tam facile ſine ſanguine ac cum dolore tantummodo hominum cæde, Jacobi Carbonis & pueri cujuſdam Opicino à ſtapeda. Exemplum Genuæ Saona ſecuta, ipſa quoque, præfide Mediolanenſi expulſo, arces paullo poſt captas diſturbavit: ceteræ quoque arces in finibus Genuenſibus a Philippo excitatæ, paullo poſt parvoque negotio deinceps captæ ſunt æquatæ ſunt. At Genuenſes, jugo excuſſo, ſex primarios cives urbis rectores ac libertatis tutores eligunt, Matthæum Lomellinum, Petrum Bondenarium, Franciſcum Spinulam,

lam, Andreolum Aurium, Nicolaum Justinianum, Petrum Cassinam: quibus, paullo post duobus additis collegis, Andrea Marino & Joanne Navono, ampla facultas data est status rerum emendandi, ac Reipublicæ constituendæ; modo ne veteres leges usuque non abolitas abrogarent, neque antianorum jus aut auctoritatem infringerent.

A.C. 1416. At Philippus, initio insequentis anni ejus sæculi tricesimi sexti, dolore tantæ urbis, præter omnem exspectationem, amissæ, incensus, iracundiaque ardens, omnes curas in eam recuperandam vertit: imperatque Nicolao Picinino, ut suis, qui arcem Castelletum tenebant, cum omnibus copiis subsidio accurrat: ea arce retenta, recuperari Genuam aut vi, aut metu posse; ceterum omnia in celeritate posita esse. Impigre imperata facit Picininus: omnesque copias tam pedestres quam equestres ex hybernis corrogat.

Interea Genuenses inchoata consilia liberandæ patriæ urgentes, arcem arte circumsessam aggrediuntur; validaque ac continenti unius diei oppugnatione, quam præfidiariorum acriter se defendentium virtus ad noctem extraxit, tandem illos possessione exterioris muri dejectos intra interiorem compellunt; aliquotque dies quies à præliis fuit: eumque audirctur Picininum cum omnibus copiis venturum, resque Genuenses caput curarum Philippo esse; Genuenses, ut sese adversus tantam in se intentam molem, quibuscunque rebus possent, communirent, ad externas opes confugiunt: Damianoque Palavicino Jurisconsulto, Simone Maza, Joanne Justiniano, Luciano Grimaldo, Legatis ad Venetos & Florentinos missis, petunt ab utrisque ut sibi opem ferre, ac secum fœdus & societatem jungere adversus Philippum communem hostem ne graventur: ipsi interea nullas partes diligentiæ omittentes, ingentem fossam ante urbis mœnia à parte in hostem versa ducere constituunt: famaque adventus Picinini cum ingentibus copiis in dies percrescente, (quindecim enim peditum millia & complures equitum alas sub signis habere dicebatur) arcem altera oppugnatione tentare constituunt: dieque ad consilium exsequendum præstituto, omnis civitas mota est; cum imbellis ætas & sexus, quamquam prælio interfutura non erat, adesse tamen spectaculo vellet: qua tanta multitudine tantoque oppugnationis apparatu qui erant in arce vehementer perculsi, quæ consilii via ipsis esset incunda consultare cœperunt: resque mediis certaminibus, aliis alio tendentibus acta est. Erasmus enim, quique cum illo in arcem se subduxerant, nihil exitum rei qualiscumque futurus esset ad suum vel decus, vel dedecus pertinere existimare: alii furorem concitati populi timere Philippi injuriis irritati; sibique ipsis infensi, ob privatas injurias tamquam à Philippi procuratoribus acceptas: ii omnes salubria speciosis præferre, atque à præliis abhorrere, nullamque viam salutis expediendæ pudendam ducere: iis omnibus præfectus arcis acriter resistere, dedecus ac pudorem militaris flagitii veritus. Vicit tutior ac frequentior sententia: quare deditionem pacisCuntur, si ad certum diem subsidium in arcem non esset introductum; unamque ex turribus arcis obsidem servandæ fidei in manum Genuensium tradunt: quiesque Genuæ aliquot dies fuit.

Ceterum cum auditum esset Picinini adventum appropinquare; Genuenses nova Philippi injuria irritati, qui Genuenses omnes tota ditione sua diligenter conquisitos ac captos custodia incluserat, omnibus viribus conniti arcem invadunt: præfecto vociferante, ac nequidquam fidem recentium pactorum testante: parvoque certamine captam extemplo solo æquant; omnibus, qui in ea inventi sunt, ut Philippo par referrent, in artam custodiam traditis.

At Picininus fines Genuenses infesto exercitu ingressus, iisque, qui contra illum missi fuerant, facile repulsis & in fugam conjectis, omnia populationibus ac direptionibus miscens, per vallem Porciferæ iter faciens ad mare pervenit: atque in littore, quod Sanctum Petrum ab Arena vulgo appellant, quod ab urbe circiter duorum millium passuum abest intervallo, nonnullæ navium carinæ, quæ ædificabantur, incensæ sunt: quam rem tamen postea Picininus facti turpitudinem agnoscens, subito ac temerario militum impetu, sese inconsulto, Philippique injussu, factam excusavit: ceterum aree capta, cum nulla esset caussa ibi subsistendi; ne frustra omnino fines Genuenses ingressus videretur, iter in oram in Occidentem versum flectit: Vulturemque opidum populabundus petit, ab incendiis tamen abstinens: inde infesto agmine Inganum contendit; Galeotto Carretto Marchione Finarii fœderum fide, quæ ipsi cum Genuensibus intercedebant, spreta, non jam occultis studiis favente, sed palam sese illi adjuncto. Picininus, agro Inganorum late pervastato, ingentique hominum & pecoris præda abacta; ingenti vi sagittariorum ex dictionibus Marchionum Cevæ ac Carrettorum corrogata, copias urbi admovet; cui præerat Thomas Auria Conradi filius, vir strenuus ac spectatæ virtutis. At Ingauni cives, cum magna armatorum multitudo ex circumjecto agro, sub adventum Picinini, belli procellæ sese subtrahens in urbem velluti in tutum locum concessissent; simul eccenses sagittarii Genua extemplo missi urbem intrassent; iis copiis freti sese acriter ad resistendum parant. Picininus, urbe magno impetu sæpe frustra tentata, cum de expugnatione desperasset; consilia ab oppugnatione ad obsidionem vertit: quare urbem undique circumsedit; parte inter urbem & littus interjecta firmissima armatorum manu insessa.

Interea Genuam, quamquam Legati, quos missos diximus, cum Venetis & Florentinis nondum fœdus iissent; ex Etruria tamen mille pedites cum nonnullis equitibus missi Florentinorum subsidio venerant. Lætitia recuperatæ libertatis brevi luxuriavit: quam dum aerius Genuenses repetunt, quam illa salubriter utuntur, civitatem in antiqua mala redegerunt: quæ contentionibus, tumultibus, seditionibus, omnia misscuerunt: is enim per ea tempora tum erat Genuæ rerum status, ut, cum summus imperii locus, populoribus civibus lege deberetur; nemoque nisi ex popularium corpore, ut sæpe diximus, ad ducatum admitteretur; multæ sæpe contentiones inter populares cives excitatæ sint ab ambitione potentiorum familiarum in eum locum tendentium: resque sæpe à prehensationibus & allegationibus ad tumultus & seditiones, postremo ad manus & ferrum venit: per quæ dissidia duæ familiæ populares, Adornia & Fulgosia vires paullatim colligendo ita creverunt, itaque supra ceteras caput extulerunt; ut ad alterutram tantummodo earum ducatus deferretur, ceteris omnibus de dignitate illis longe concedentibus, cum Montaltorum & Guarcorum potentia, quæ iisdem de caussis plus quam modica fuerat, ac nomen consensisset. Harum igitur duarum familiarum Adorniæ & Fulgosiæ opes ita excellebant; ut non modo omnem civitatem, sed totam Liguriam Factione fua comprehenderent: nemoque omnino esset, qui non alterutras partes & animo & ipsi nominis appellatione profiteretur: cum ne Nobilium quidem Factio, ac splendidarum familiarum homines rem pudori sibi ducerent: resque eo pervenerat; ut principatum patriæ non jam ut populi beneficium hæ duæ familiæ exspectarent, sed velut pro suo jure peterent; satisque justam caussam illum invadendi solum familiæ nomen haberent; nemine

jam factum, aut mirante, aut improbante, aut ad crimen ullum revocante: in quo turbulentiſſimo rerum ſtatu Nobilium Factio, quod aperta via obtinere non poterat, ingenio & artificio, ut jam ſuperius diximus, aſſecuta eſt, ut priſtinam dignitatem ſuam vel ſummo principatus honore excluſa, paullatim recuperaret: nam, cum adverſus conſentientis populi vires haudquaquam ſe parem intelligeret; illas inter ſe dividendo enervare ſtudebat: quare muneribus inter ſe partitis, bifariam diviſi; altera illorum pars in alterius præpotentium harum duarum popularium familiarum Genuæ regnantium amicitiam ſeſe inſinuans, alteramque adverſus alteram ſuis ac ditionum ſuarum opibus, quæ pluſquam modicæ erant, fovens, illas brevi ita ſibi devinxerant, ut Adorni & Fulgoſii nobiles familias, quarum opes tanto ſibi adjumento eſſent, in ſocietatem auctoritatis & potentiæ aſſumere non indignarentur: cum tamen neutram illarum ita exceſſere vellent nobilis Factionis homines, ut alteram deprimeret; ſed ita res temperarent, ut ocutra alteri præponderante, paria eſſent in utriſque auctoritatis & potentiæ momenta: ad hoc, ſiquando irritatam plebem in ſe conſpirantibus ſtudiis inſurgentem cernerent; illam inter ſe committere ſtudebant, Adoriorum & Fulgoſiorum nomina ſubjiciendo; quæ exaudita ſubitn conſentientia plebis ſtudia diſtrahebant: cum unuſquiſque, priore contentione omiſſa, ſeſe ad nomen Factionis ſuæ, quod ceteris omnibus rebus præponderabat, applicaret; atque in Nobilitatem intentam vim in ſe ipſi verterent.

Accedebant ad domeſtica incommoda duo totius Italiæ Principes, Alphonſus & Philippus, Genuenſi nomini capitalitec inſenſi; nullumque finem Genuam vexandi facientes; quam ſuis quoque ipſam viribus oppugnabant, ejus civibus in illam armatis, ut quiſque illorum præſenti rerum ſtatu minime contentus, aut neceſſario, aut voluntario exſulio ſolum vertens, ſeſe ad alterutram eorum conferebat. Ceterum Genuæ, arce diruta, atque animis metu Philippi ſolutis, mira omnium rerum negligentia erat, Magiſtratuſque rebus emendandis & conſtituendis creatus frigide ac lente omnia agebat, ſtudiis partium alia alium trahentibus. Quorum diſcordiæ, ex qua nihil ſalutare ſperaretur, cum civitatem tædium tandem cepiſſet; populariurn principes in ædem divi Syri convenientes, Iſnardum Guarcum Ducem creant; eum elari parentis memoria, tum ſuis ipſum virtutibus commendatum: atque, ut parens difficillimis Reipublicæ temporibus rem cum ſumma æquitatis & moderationis laude quinquennium rexerat; ita in hujus moderatione & æquitate haud exiguam ſpem à præteritis malis reſpirandi vulgo ponebant: cui in ædes publicas pacate deducto Magiſtratus ceſſit: atque in ſuas quiſque privatas ædes conceſſit: ceterum idem fere finis, quod initium magiſtratus Iſnardi fuit, ſeptimo die ab illn dejecti: Thomas enim Fulgoſius, qui paullo ante urbem intrarat, à Factionis ſuæ hominibus honorifice exceptus, valida clientium & amicorum manu coacta, ædes publicas aggreſſus, præſidioque dejecto, conſilium civitatis convocat: atque (ut ſunt hominum ingenia ad aliquam ſpeciem juris actionibus ſuis imponendam nimin plus facunda) non ſeſe ad libertatem patriæ invadendam, aut Rempublicam opprimendam, quam vita ipſa cariorem habeat, veniſſe ait; ſed ad jus ſuum repetendum, atque adco continuandum: ſe enim Ducem Genuenſium liberis ſuffragiis ac legitime creatum, patriæ ſalutem ſuo honore potiorem ducentem, ut ab imminentibus cladibus illam prohiberet, urbe quidem exceſſiſſe; ac paſſum eſſe Philippum Dominum Genuenſibus adſciſci: ceterum magiſtratu num quam ſeſe abdicaſſe. Philippo igitur expulſo, ejuſque jugo excuſſo; vigere jus ducatus ſibi numquam abrogati: quare non ſe aliena ereptum, aut Iſnardum mandato honore ejectum veniſſe dicit; ſed illum vitio creatum arguere: jus proiode ducatus ſibi hærens in alium, ſe vivo, transferri non poſſe: quod ratum haberi à conſilio poſtulavit: ſummn omnium conſenſn ducatus illi ratus ac continuatus ſuit.

Igitur rebus urbanis conſtitutis cura externarum ſucceſſit: decretnmque eſt, in Etruria milites ſcribi; ac validum ſagittarinrum ſubſidium Ingaunum miſſum eſt, Angelo Dentuto præfecto: qui cum ad littora Ingauneníia navim appuliſſet; in terram impigre deſiliens, atque Ingaunis audaci eruptione nbviam exeuntibus conjunctus, in urbem cum adducto hominum præſidio perrumpit: in quam extrema annonæ inopia laborantem Benedicti Perdeis navis primo, deinde Bartholomæus Auria trium navium adverſus Catalanos armatarum præfectus, magnam vim commeatuum omnis generis invexerunt: quare Piciminus ſpe urbem per obſidionem potiundi dejectus, conſiliis oppugnationis repetitis, illam magna tormentorum vi quatere inſtitut: in qua nppugnatione immanis ſævitiæ exemplum ab illo editum eſt: Valentem enim quendam Focaciam, hominem gregarium, litteras Genua ad Ingannos deferentem, interceptum, cruribus ad collum deligatis, tamquam globum tormento incluſum io civitatem fœdn ac miſerabili ſpectaculo contorſit.

At Genoenſes fœdere tandem per Legatos cum Venetis & Florentinis ictn, copiis auctı; cum duo millia peditum in Etruria ſcribi juſſa veniſſent, Ingaunum obſidione eximere conſtituunt, ſexque ſagittariorum millia ea de cauſſa cogunt: qui cum, omnibus rebus præparatis & inſtructis, iter ingreſſuri eſſent; auditum eſt, Piciminum obſidionem ſolviſſe: paulloque poſt Legati Ingaunorum Genuam venerunt; qui in Senatum introducti, illorum fide & conſtantia laudata, multis immunitatibus donati ſunt: cumque Genuæ magna eſſet peeuniæ penuria, captivi Aragonenſes exiguo pretio in ſingula capita dimiſſi ſunt: ſub finemque hujus anni, cum Alphonſus Portu Veneris tandem diſceſſiſſet, arces illius opidi ac turris Ericis recuperatæ ſunt; atque omnibus ditionis Galeotto Carretti hominibus acceſſu finium Genuenſium eſt interdictum.

At Philippus anno, qui inſecutus eſt, ejus ſe- A.C. culi triceſimus ſeptimus, cum res illi aperta vi non 1437. ſucceſſiſſent, ad dnlos & artes verſus, eo abimpotenti cupiditate provectus eſt, ut fratres ipſos inter ſe nefario parricidio committere non dubitant: quare Baptiſtam Fulgoſium Thomæ Ducis fratrem per occultos nuncios, ſpe perpetui illius patrocinii à ſe ſuſcipiendi facta; ad principatum patriæ invadendum, Thoma fratre dejecto, impellere adortus eſt. Eorum hominum erat Baptiſta, qui, quæcumque ſpes creſcendi illi oblata eſſet, adeam ſeſe, omni fandi ac nefandi diſcrimine omiſſo, à nima cupiditate rapi ſineret: quare conditione haud retractanter accepta, cum voluntates prætorianorum paullatim collegiſſet, occaſione arrepta, eum Dux in æde divi Dominici religionis plenus ſacris operaretur; perditorum hominum manu coacta, ædes publicas occupat, atque eorum ſuffragio, qui non plus octogınta ſeptem fuerunt, Dux Genuenſium renunciatur: qua re ſubitn nuncio ad Thomam perlata, cum confuſum primn animum mox collegiſſet, non deſerit ſe; ſed magna bonorum multitudine, atque omnibus, qui factum Baptiſtæ improbabant, ad illum confluentibus, cum ſatis virium collegiſſet; ædes publicas è veſtigio recuperat, ac fratrem capit. Hic ſingularis manſuetudinis atque egregiæ fraternæ pietatis exemplum à Tho-

Thoma editum eſt : nam cum multi illi auctores eſſent, ut de ſcelerato fratre pro manifeſto perduellionis crimine juſtum ſupplicium ſumeret, æmuloque ſublato, principatum ſibi ſtabiliret; eorum orationem Thomas animo ac vultu reſpuens, *Ne iſthuc*, inquit, *Deus optimus maximus, Virgoque Regina ſinant, permittantve, ut ego alieno exemplo potius pravus fiam, quam alii meo recte facere deſcant. atque plus apud me fraterna injuria, quam pietas valeat. Ego ne, ut odio parricidii in parricidium ipſe ruam? ac principatum mihi occiſi fratris ſcelere ratum faciam? vivat vero frater, quem ſi meum exemplum ad bonam mentem converterit; hunc magnum ex clementia mea fructum percipiam fratris luctifallis: ſin impunitas ad talia dehinc audenda provexerit; fatius eſt me in ſolitudine privatam vitam agere, quam principatum fraterno ſanguine pollutum gerere.*

Interea regni Neapolitani Proceres, Renato jam à Burgundio dimiſſo, per aſſiduos nuncios & litteras inſtare, maturaret in regnum venire. Alphonſum enim præſentem, ſpe, donis, promiſſis, auctoritate denique ſua, Procerum ac populorum voluntates ad ſeſe magis ac magis in dies attrahere; magnaſque animorum inclinationes ac magnos hominum concurſus ad illum quotidie fieri: neque in ſe ſatis eſſe opis aut auctoritatis ad rem ſiſtendam: alterius igitur Regis præſentiam illi opponendam: quod niſi ille facere properet, brevi omnia Alphonſi fore.

Quibus adhortationibus permotus Renatus, cum pecuniæ inopia omnia tardiora faceret; quinque tamen triremes Maſſiliæ comparavit & inſtruxit; Georgioque Comite Pulcini Genuam miſſo, ſeptem triremes à Senatu impetravit; quarum præfectus is ipſe Baptiſta Fulgoſius deſignatus eſt; quattuor illi civibus, more Majorum, in conſilio datis, Georgio Grillo, Gaſpare Marruffo, Uberto Juſtiniano, Angelo Joanne Lomellino: inſequentique anno ejus ſæculi triceſimo octavo menſe Aprili incunte, Renatus cum quinque triremibus Maſſilia ſolvens Genuam venit, honorifice acceptus, maxima civitatis parte obviam effuſa: quindecimque poſt diebus Genua ſolvens, cum duodecim triremibus Portum Veneris tenuit: ibique præſto habuit Janum Fulgoſium cum duabus triremibus, quas in Corſica armarat, quo ſibi adjuncto, ſecunda navigatione uſus Neapolim appulit; claſſemque ſubito ob rei nummariæ penuriam dimittit.

Hoc anno Genuæ peſtilentia vehementer laboratum eſt: quam ortam ferunt ab ancilla quadam, quæ gregarii militis, cum quo conſuetudinem Veneris habebat, contactu infecta, contagione ſua morbum vulgavit; cujus tanta vis fuit, ut maxima para civium in ſuburbana concedens, urbem pene habitatoribus vacuam reliquerit; nec prius quam circumacta æſtate, cum ſalubria corpora eſſe cœpiſſent, in urbem redierit.

Per idem tempus aliquot Catalanorum naves excurſionibus ac latrociniis mare infeſtum faciebant: multaque inhumanæ ſævitiæ & rapacitatis in Genuenſes exempla edebant: claſſis igitur quattuor ingentium corbitarum in illos decreta eſt, cujus præfecturam compluribus ex potentioribus civibus ambientibus, ac magnis allegationibus petentibus; Dux & Senatus invidiam declinantes, primoribus Magiſtratibus ac nonnullis ex principibus civitatis convocatis, qui omnino ſexaginta fuerunt, eorum ſuffragio rem permittunt: creatuſque eſt præfectus Pelegrus Promontorius; qui Genua profectus, cum hoſtem multis in locis perquiſitum uſquam reperiſſet, itinere, ut mandatum fuerat, Neapolim directo, turba nautica, ſeditione facta, ire recuſavit, metu ne ſecundi menſis ſtipendium, primo jam peracto, ſibi non perſolveretur: quare præfectus claſſem Genuam reducere coactus eſt; magno cum Ducis ac principum civitatis dolore & indignatione; qui Dux cum iracundiam primo diſſimulaſſet, paullo poſt de tribus ſeditionis auctoribus compreheſis ſuſpendio ſupplicium ſumpſit.

Inſequentis anni, qui fuit ejus ſæculi triceſimus nonus, libertatis recuperatæ tertius, cum initia quieta in primis domi ac foris fuiſſent, ut haud diu ea quiete civitas fruereturr, res Renati adverſæ fecerunt: quæ initio lætæ, paullatim labi cœperunt. Alphonſuſque Rex, Genuenſibus triremibus à Renato, ut ſupra dictum eſt, dimiſſis, naves undique contrahere cœperat, ut Renatum navalibus copiis omnino nudatum mari quoque oppugnaret: cui cum Genuenſes omni ratione opem ferendam ſtatuerent, tres naves ad ſuperiores quattuor addiderunt: cum quibus Promontorius præfectus ſolvens, Neapolim, nemine impediente, pervenit: ceterum Renatus impendiis parcens, quattuor navibus retentis, reliquas tres dimiſit: cum quibus Promontorius præfectus diſcedens Nicolaum Fulgoſium Spinetæ filium in ſuum locum ſuffectum Neapoli relinquit. Is initia juventutis ſuæ memorabili in primis facinore inſignia fecit. Renatum enim ex Samnio Neapolim reverſum primo retractantem, ac ſermonem vix auribus admittentem, firmiſſimis rationibus tandem victum induxit, ad arcem munitiſſimam, quæ Caſtellum novum appellatur, oppugnandam: quam Alphonſus ab Joanna acceptam valido præſidio tenebat, illique præfecerat Rainaldum Sancium Catalanum, virum impigrum ac ſtrenuum, conſtantiſque in dominum fidei: quam rem velut nullius facultatis ac ſpei ab omni hominum cogitatione longe remotam nemo umquam tentavit.

Igitur Renatus, ut, qui auctor conſilii fuiſſet, ejus quoque præcipuæ eſſent imperii partes, Nicolaum rei gerendæ præficit: arxque inſequenti anno ejus ſæculi quadrageſimo terra à pedeſtribus copiis Renati, mari à claſſe Genuenſi circumfeſſa eſt. Eſt autem hæc arx ad mare ab extrema altera urbis parte moli, quæ conjuncta illi eſt ac portui imminens, ſubſidiis terreſtribus & maritimis patens. Eam ædificavit Carolus Andegavenſis primus Rex; tantum ſpatium munimento amplexus, quod non arcis modo, ſed peramplæ quoque regiæ habitationis uſum præberet. Duo prima opera Nicolai fuerunt: turris, quam vocant, ſancti Vincentii, prope ab arce in mari conſurgens, delecta ex toto exercitu quadringentorum manu in naves accepta, acri aliquot dierum oppugnatione in deditionem accepta; & arx à terra ampla & præalta foſſa circumdata, quam, crebris caſtellis excitatis, communivit, ut omnis ad arcem velut indagine cinctam terra & mari aditus eſſet excluſus: quibus operibus perfectis, arx terra marique oppugnari ac tormentis atque omni miſſilium genere continenter quati cœpta eſt: cum corbes in ſummis navium malis altitudinem turrium arcis pene æquarent; ex quorum ictibus multi in arce vulnerabantur, ac nonnulli cadebant.

At Alphonſus omni ſibi ope connitendum ſtatuens, ne arx, in qua tanta eſſent ad ſummam belli momenta, in poteſtatem hoſtium veniret; cum omnem maritimæ viæ ſubſidii rotroducendi ſpem turris ſancti Vincentii, quam hoſtis tenebat, ac claſſis arci prætenta præciderent, validis coactis pedeſtribus & equeſtribus copiis, ad quindecim millium numerum, Neapolim contendit: propeque ab urbe ad arcus jactum, in loco, qui vocatur *Ebria*, conſedit: cujus advenientis fama prius commotus Nicolaus, follam in majorem altitudinem depreſſerat; caſtellorumque numerum duplicaverat. Oppoſuit ſeſe Alphonſo Renatus pari fere copiarum numero, partim ex urbana juventute delectorum,

corum, qui ſtipendia faciebant; ita ut inter utrumque exercitum ſola via intercederet: multaque quotidie prælia per varias occaſiones committebantur, utroque Rege præſente & inſpectante, ac partem laborum & diſcriminum capeſſente; ſuoſque patrii decoris æmulatione, ſpe præmiorum & bonorum, ac ceteris omnibus animorum incitamentis ad fortem & fidelem operam edendam acuente.

Hic memorabilis virtus Petri Ludovici Auriliæ Neapolitani genere Nobilis, ac Renato ob egregiam ſpectatam fidem cariſſimi, atque in regia honorifico Oeconomi munere fungentis ſilentio prætercunda non fuit: is quotidie equo concitato confertiſſimos hoſtium globos infeſta haſta invadebat: qua tandem perfracta, ſæpe ab illis circumventus, mira virtute atque animi præſentia, ad hoc agilitate & equi regendi peritia ſalutem expediebat: quæ exempla eximiæ virtutis & fortitudinis ſæpe Alphonſo inſpectante edita, in eam ſui admirationem atque amorem magnum Alphonſi animum traxerunt; ut Rex indignum ratus conſpectam fortiſſimi ac nobiliſſimi equitis virtutem gregarii hominis ignaviæ obnoxiam eſſe; toto exercitu per tibicinem edici juſſerit, fraude utriuſque manus amputandæ propoſita, ne quis Auriliam, arcu, ſcorpione, ſclope, aliove ullo miſſilium genere petere auderet; adverſus quem haſta tantummodo & gladio uti liceret.

At Alphonſus ſeſe in ſpem irritam terere tempus intelligens; cum omnia ultima tentaſſet, incepto tandem omiſſo, in ſua ſe recepit: ſub cujus diſceſſum Rainaldus extrema omnia perpeſſus, omni alimento deficiente ſibi, ſuiſque incolumitatem pactus, Renato arcem tradit: miſerabileque fuit exeuntium arcem agmen, eum ſqualore ſuo atque horrido totius corporis habitu, ad hoc pallore peremptorum, ac macie umbrarum verius hominum, quam hominum ſpeciem intuentibus præberent. Caſtellum novum captum mox altera arx, quæ caſtellum Ovi appellatur, ſine certamine conſecuta eſt, à fratre Rainaldi præfecto ad extremam omnium rerum inopiam ipſo quoque adducto tradita. Genuenſium & Nicolai præfecti laudes, quorum forti, ſollerti, impigra in primis opera arx capta eſſet, Renatus ac Procerum principes literis ſuis, & ad Senatum Genuenſem, & ad ceteros Italiæ Principes ampliſſimis verbis ſcriptis perſecuti ſunt. Arce capta, quantum Andegavenſium res creviſſe videbantur, tantum inopia Renati, quæ in dies magis apparebat, omni ſpe quidquam è Gallia erogandi plane præciſa, brevi conciderunt: quæ omnino corruiſſent, niſi virtute & opibus Joannis Candolæ magni inter Neapolitanos Proceres nominis, ad hoc Eugenii Pontificis Alphonſo exſecrabili odio infenſi; pecuniis præterea ac navalibus Genuenſium copiis, quas ſuis ipſi pecuniis alebant, hoc & inſequentibus duobus annis ſuſtentatæ fuiſſent.

A.C. 1441. Genuenſes hujus anni initio, qui fuit ejus ſæculi quadrageſimus unus, fœdus & ſocietatem cum Eugenio adverſus Alphonſum communem hoſtem, ac multis de cauſſis utriſque inviſum, junxerunt. Ex eo fœdere Pontifex quatuor equitum millia conſcripta adverſus Alphonſum miſit; Genuenſeſque, veteribus triremibus refectis, ac novarum carinis poſitis, claſſem comparare inſtituunt; cujus præfectus deſignatus eſt Joannes Fulgoſius Thomæ Ducis frater natu minimus. Ea electio gravis enimvero & acerba Nobilitatis Factioni fuit: fremereque omnes; ac Ducem omnis ſuorum ſtudioſum, omnaque ad illos attrahentem lacerare: ſed nemo rem gravius aut indignius tulit, quam Joannes Antonius Fliſcus, magnæ potentiæ, magnarumque opum vir: qui eam præfecturam cupiditate & ſpe ſibi deſtinarat, neminemque ſecum de ea certaturum animo propoſuerat: is non occultis querelis rem pervellere; ſed palam vociferari, ventum ad extrema eſſe; nec tantas injurias atque indignitates ferri jam poſſe: veteri civitatis inſtituto claſſium præfectos ex utroque Nobilium & popularium civium corpore alternos legi debere, à quattuor deinceps creatos eſſe præfectos omnes populares, Aſſeretum, Baptiſtam Fulgoſium, Promontorium, Nicolaum Fulgoſium: quas res, quamquam animos Nobilium acriter pungerent, concordiæ tamen & quietis cauſſa patienter illos tuliſſe: ne quinctum quidem relictum Nobilitati locum: quod quid aliud eſſe, quam Nobiles ab aditu honorum, atque ab omni Reipublicæ participatione excludere? tantum ſui contemptum diutius non eſſe ferendum: ſed expergiſcendum aliquando Nobilitati; ac cauſſam dignitatis atque adeo libertatis ſuæ capeſſendam: ſe quidem, vel aliis dormientibus, tantarum injuriarum acrem vindicem fore: minitabundusque, urbe relicta, Turriliam ditionis ſuæ opidum concedit.

Erat eo tempore omnibus, quos præſens rerum ſtatus non delectaret, quique res turbare cuperent, paratum in Philippi ope præſidium. Eos Philippus amplecti, illorum ſpem promiſſis alere, re juvare: conſiliis igitur cum illo communicatis, ac pecuniis acceptis; illius hortatu, Joannes Antonius, magna montanorum manu ex circumjectis regionibus corrogata; compluribuſque in ora maritima gentis Fliſcæ ſtudioſis concitatis; ditionem Genuenſem invadit; omniaque tumultibus complet: ad hoc nonnullis navigiis amicorum ac cum illo conſentientium opera contractis; terreſtribus & maritimis excurſionibus, eum ſæpe in conſpectum urbis ipſius veniret, omnia infeſta faciebat: cum eodem tempore nonnullæ naves ab Alphonſo, poſtquam fœdus à Genuenſibus cum Eugenio initum audivit, miſſæ, ut illos negotio in ſuis ipſorum finibus exhibito diſtentos à cogitatione claſſis adverſus ſe comparandæ averteret, littoribus Genuenſibus invehebantur; prædaſque hominum & navigiorum facerent: quas regias naves Galeottus Carrettus Marchio Finarii, quod opidum exſulum Genuenſium atque à Republica diſſidentium perpetuum receptaculum fuit, amicitiam Alphonſi ſecutus, littoribus ſuis excipiebat, annonaque & aliis in uſum neceſſariis juvabat: quare mari commeatibus clauſo, brevi urbs multarum rerum penuria tentari cœpta eſt: quibus undique circumfuſis pavoribus, Dux haudquaquam obtorpuit, ſed animum ad pericula undique intenta propulſanda, atque omnibus rebus occorrendum intendit; magno militum numero ſcripto; atque urbe, omnibuſque ditionis opportunis locis, validis præſidiis firmatis; ad hoc nonnullis navigiis armatis in quas res cum pecuniæ in uſum claſſis, ex fœdere contra Alphonſum mittendæ, erogatæ neceſſario omnes inſumptæ eſſent; claſſis inſtrui atque emitti non potuit. Enimvero Eugenius, re cognita; cum jam ipſe plus quattuor equitum millia adverſus Alphonſum miſiſſet; ſeſe abillis ludificatum vociferans, aſperiſque verbis in illorum perfidiam (ut ipſe appellabat) invectus eſt: neque exaſperatus animus ullis umquam excuſationibus, aut neceſſitatis, aut temporum Reipublicæ mitigari potuit.

Interea Renati res magis ac magis in dies labebantur; omneſque, illo deſerto, ſeſe ad Alphonſum applicabant, cum illius liberalitate invitati, tum deſperatione rerum Andegavenſium debilitati; cum Renati inopiæ par certamen cum Alphonſi opibus haud diu fore cernerent: Neapolique acri terreſtri ac maritima obſidione circumſeſſa, frugum atque omnium neceſſariarum rerum penuria vehementer laborabatur: nec duratum eſſet; niſi naves Genuenſes aſſiduo ſubſidio ſubmiſſæ, ter aut quater in anno annonam in urbem invexiſſent:

sent: quibus discedentibus mare iterum claudebatur, urbsque in antiqua mala redigebatur: ut hæc anniversaria impensa urbem Genuam assidue exhauriret; essentque Genuensibus res Neapolitanæ veluti profunda quædam vorago, quam nihil umquam expleret: quæ tamen vix tolerabilia impendia Genuenses patienter ferebant: idque non tam ob certamen, quod adversus Alphonsum animis imbiberant, ac veteris & inexpiabilis in Catalanam gentem odii stimulos; quam quod vires hominum navalibus opibus, atque usu & peritia pollentium supra modum crescere, atque in Italia convalescere nolebant: ad hoc Alphonsi animum tot tamque acribus omnium temporum cautibus irritatum numquam sibi placabilem fore sperabant: quibus im-
A. C. pensis Neapolis ab Alphonso insequenti anno, qui
1442. fuit ejus sæculi quadragesimus alter, octavo Idus Junias, quarmque post anno, quam Renatus eam ingressus fuerat, tandem capta finem attulit. Urbem Alphonsus partim aperta vi expugnavit, partim furto insidiarum surreptus; valida delectorum militum manu per specum, qui olim usum aquæductus præbuerat, usuque illo diu intermisso, ab omnium cogitatione & memoria remotus erat, in urbem immissa: qui ex specu per puteum in domum aniculæ cujusdam erumpentes, atque ab ea occultati; eum Alphonsus à parte ab eo loco maxime aversa valida oppugnatione urbem aggressus esset; ipseque Renatus atque omnes copiæ, ad arcendum Alphonsi impetum eo accurrissent; atque omnium Neapolitanorum animi & oculi in eum locum, ubi contractum certamen erat, versi essent, immissi armati è domo, ubi latuerant, prosilientes, murum proximum urbis defensoribus nudatum occuparunt: signoque dato, cohortes ad id ab Alphonso ante præparatæ ex insidiis, ut compositum erat, consurgentes eo accurrerunt: quæ partim à superstantibus in morum extractæ, partim proxima porta ab eisdem refracta in urbem introductæ sunt: ad quem tumultum à tergo personantem, cum multi, ceteris rebus omissis, ipseque Rex accurrisset; tum Alphonsus majore impetu connisus in urbem penetravit: Renatusque omnem urbem plenam hostium cernens, una cum Proceribus Gallis, ac nonoollis Genuensibus primaris civibus illius partes secutis in arcem concessit: in quibus fuit Antonius Calvus, cujus pecunias Renatus magnam partem belli aluerat: sicque Alphonsus urbe potitus est eadem aquæductus via; qua nongentesimo prius anno Belisarius illam ceperat: demonstrasse autem hoc iter Alphonso Anellus quidam cæmentarius dicitur; cum à fame ad transfugii necessitatem adactus, tum ab hac ipsa anu, quæ armatos domo excepit, inductus: qui casus docuit sapienter à nonnullis dictum, *Incendia, quibus maxima urbes conflagrant, non semper a basilicis, ac theatris & templis, sed interdum ab humilibus quoque tugurus oriri.* Hanc aniculam ferunt ad extremam necessarii victus inopiam adductam ad Renati genua advolutam, supplicem aliquid alimenti sibi ac parvulis natis fame pereuntibus petisse: quam Renatum verbis male acceptam torvi vultu aspernatum, à se dimisisse: illam dolore ardentem animum non muliebriter ad flebiles questus, atque ad divim Numinis ultricem iram precibus fatigandam; sed ad virilis cogitationes, fluctuumque contumeliæ ulciscendæ contulisse: quam contumeliam cum Anello, cum quo ut ejusdem sortis homine forte familiaris usus sibi intercedebat, conquestam, hominem ad hanc viam Alphonso enunciandam induxisse.

At Genuenses, ne amicum Regem, quem quattuor annos magnis impendiis sustentaverant, in extremis angustiis destituisse viderentur; hoc quoque exemplum ejusdem tam in perditis & desperatis, quam in lætis vel dubiis rebus animi, ejusdemque in amicum & socium fidei addiderunt; duasque ingentes naves omni nautico armamento omnique bellico apparatu affatim instructas, ad hoc cum annonæ magna copia ac delecta armatorum manu Neapolim mittunt; mandato magistris navium dato, ut Regi, quidquid consilii ille ceperit, sine ulla retractatione dicto audientes sint: quas Renatus ad arcem appulsas, nulla interposita mora, conscendit, Calvumque arci præficit, quam veluti pecuniæ creditæ pignus haberet: diemque præstitoit, qua, nisi subsidium submittatur, sibi consulat, permisit: ipse cum Etruriæ littora tenuisset, ad urbem Pisas exscensione facta, Florentiam contendit; ut animum Eugenii tentaret: quem, quamquam Alphonso capitaliter infensum, cum à molesto infinitorum impendiorum ac perexiguæ spei negotio abhorrentem offendisset; omni auxiliorum & recuperandi regni spe dejectus, iisdem navibus patriam repetens, in portum Massiliæ est invectus. At Calvus, tempore definito circumacto, cum omnia apud Renatum desperata essent; pecunias debitis sibi integre persolutis, Alphonso arcem tradidit.

Eo anno Baptista Fulgosius, Thomæ Ducis frater, armorum præfectus fato functus, regii sumptus & apparatus funere elatus est; quæ inducta liberæ civitati species animorum motus fecit; iovidiamque in Thomam jam ante multis de causis commotam mire inflammavit: cum ille non modo apud Nobilitatem numquam ipsi fatis æquam offendisset; sed multis quoque ex popularium principibus stomachum fecisset. Vulgo agitur pro se quisque superbiam & fastum Ducis lacerare, fremereque omnes; parum esse Ducibus, omni æquabilitatis jure perfracto, Genuæ regnare; nisi etiam Regum speciem apertis signis præferant. Quid attinebat exteros Principes expellere; si, illis exterminatis, non jam dominatu civitas liberaretur, sed Dominos tantummodo mutaret? minore certe pudore ac minore dedecore civitatem magnis ac præpotentibus Principibus, quam civibus suis tenuis sortis hominibus, servire; ac, si non soaviore, splendidiore certe catena constrictam Genuam ab externis Principibus teneri. Hæc indignatio opportunum Thomam consilio Joannis Antonii Flisci præbuit: quæ ille ab Alphonso & Philippo fotus & incitatus, in Ducis perniciem assidue struebat; compluribus ex civitatis primoribus consiliorum participibus: quæ consilia inter multos agitata, cum, ut necesse erat, emanassent, in Thomæ notitiam pervenerunt: ceterum res suo ipsa molimine ardua, cum dio exttaheretur; contemptui esse coeperant Duci Flisci conatus ac minæ: at cum sudisset, constitutum esse Fliseo, ad quinctum decimum Kalendas Januarias urbem noctu à maritima parte, eo in loco, ubi est ædes divorum Nazarii & Celsi, adorti; quod ibi mœnibus nudata scopulis veluti in gradus excisis facilem adscensum accedentibus præbet, Dux eum locum valida armarum statione firmat: ceterum, cum intoleranda vis frigoris esset, acerque Favonius atque ab Oriente venientibus adversus flatet, qui erant in statione, ventum satis pro se pognare dictitantes, stationem deserunt, atque in sua quisque privata tecta concedunt: verum incredibili Flisci felicitate factum est, ut Favonius subito in non minus acrem Septentrionem versus sit: quo utens Flisscus parvis navigiis, quorum magnum numerum contraxerat, conscensis, Camulio opido solvit; triumque horarum spatio urbem ac locum destitoatom defensoribus nudatum tenet; nulloque certamine urbem ingreditur: quo trepido nuncio excitatus Dux, incertus consilii animo fluctuare, variaque suadentibus amicis nemini satis assentiri: tandem, cum dies venis-

veniſſet, armaque contra ſe commota nunciarentur, multique illi auctores eſſent, ut otio civitatis ac paci civium conſulens fortunæ cederet, haud temere tantum conſilium præcipitandum dicere, ſed caute & circumſpecte agendum: permiſitque arbitros & diſceptatores rerum ſuffragio civitatis creari. Electi ſunt ſexdecim cives, omnes fere è corpore populari, qui, ut mandatum fuit, octo ex civitatis primoribus legerunt, penes quos omnium rerum arbitrium & regimen eſſet. Hi fuerunt Baptiſta Guanus Juriſconſultus, Petrus Fliſcus, Baptiſta Furnarius, Demetrius Catanius, Thediſius Auria, Petrus Bondinarius, Andalonus Marruffus, Lucas Grimaldus. At Fliſcus, cum interea Thomas animum non induceret, ut magiſtratu abiret, ædes publicas invadit, illiſque nullo certamine potitur: Thoma in turrim Solarii compulſo, qui paullo poſt ſeſe in poteſtatem Raphaelis Adornii tradidit: ceterum antiani, octo, quos diximus, additis, octo cives eligunt, penes quos regimen omnium rerum eſſet, Capitaneos Genuenſis libertatis vocatos; Raphaelem Adornium Juriſconſultum, hunc ipſum, qui Thomam expulerat, Joannem Antonium Fliſcum Equitem, Paulum Albarium, Andalonum Marruffum, Lambam Auriam, Baptiſtam Spinulam, Meliaducem Salvagum, Dominicum Ricinm à pago Bargalio lanium: ceterum eorum diſcordia brevi hic Magiſtratus lapſus eſt; ut paullo amplius menſtruus fuerit: quare ad quinctum decimum Kalendas Februarias inſequentis anni, ſumma civitatis voluntate, ſilentio electus eſt Dux is ipſe Raphael Adornius Georgii filius, Antoniotti nepos, qui ambo Duces fuerunt: creatique ſunt quattuor cives, qui ſalubribus legibus ſtatum Reipublicæ emendarent, ac Ducis poteſtatem nimiù ſe efferentem, atque idcirco ſemina diſſidiis & ſeditionibus præbentem cohiberent: neque tamen eo aut inſequenti anno civitati à malis quies data: duobus civibus à Philippo & Alphonſo inſtigatis continenter illam vexantibus: alter fuit is ipſe Joannes Antonius Fliſcus; qui nimius animis, cum populares Duces ac popularem rerum ſtatum Nobilium opibus prævalentem ferre non poſſet, urbe iterum exceſſerat, opidiſque Recco & Portu Delphini occupatis, cuncta populationibus, direptionibus, aliiſque belli cladibus miſcebat: alter fuit Petrus Fulgoſius magnorum ſpirituum adoleſcens; omniumque, quos ea ætas tulit, acerrimus & audaciſſimus: qui gentem ſuam Fulgoſiam principatu patriæ dejectam graviter ferens, ad hoc egeſtate rerum ad ſplendidum cultum tuendum neceſſitatum inductus, cum perduellionis damnatus atque hoſtis patriæ judicatus eſſet; ex opido Novis, quo ea de cauſſa à Philippo donatus fuerat, excurſiones faciens, omnia circa itinera late infeſta faciebat, prædas undique agens: in quibus illa inſignis fuit, centum viginti clitellarii muli magni pretii mercibus onuſti, quas in Galliam convehebant, abacti; in quibus arma omnis generis ad uſum ipſius Regis affabre facta fuiſſe dicuntur: quæ res moleſta in primis Raphaeli Duci fuit, tanti Regis offenſionem verenti; quem litteris demiſſe conſcriptis placare ſtuduit, culpam à civitate & publico conſilio amovens; atque in exſulem contumacem transferens: ut duo hæc inquieta & vivida ingenia, tamquam dun ungues in ulceribus publicis eſſent: cum per idem tempus, anno ejus ſæculi quadrageſimo quarto, neceſſe fuerit tres A. C. 1444. corbitas armare adverſus Catalanos, commercia maritima juſſu Alphonſi inſeſta facientes: cui claſſi præfectus eſt Guhelmus Marruffus, duobus illi, more Majorum, in conſilio datis, Philippo Grimaldo & Hieronymo Furnario.

Tandem civitas diuturnu malis feſſa, ad neceſſitatem cum Alphonſo pacificandi adacta eſt, conditionibus potius Reipublicæ temporibus aptis, quam ſatis ipſi honorificis: ad iracundiam enim Regis; ob acceptas clades, atque ob memoriam ſui capti animo alte inſidentem permulcendam, pelvim auream quotannis Regi pendere ſe obſtrinxerunt: qua pace facta, aliquandiu res Genuæ quietæ fuerunt: quare animo ad res conſtituendas adjecto; hoc anno Magiſtratus ille inſtitutus eſt, qui à numero ipſo annorum nomen accepit: in cujus procurationem vetera nomina à publicanis ac ceteris Reipublicæ debitoribus nondum exacta rejecta ſunt.

Sequuntur duo anni ejus ſæculi quadrageſimus A.C. quinctus, & quadrageſimus ſextus: quorum pri- 1445. mus nihil memorabile habet præter obedientiam à 1446. Portuvenerenſibus, Legatis miſſis, delatam; cum nonnullæ cauſſæ diffidendi interceſſiſſent: at ſecundus magnam Genuenſis populi offenſionem, ob faſtum & arrogantiam Alphonſi; qui pelvim à Genuenſibus ex fœdere miſſam non privatim, ſed palam in frequenti Aula, regnique Proceribus convocatis, accipiebat: quæ liberis oculis minime tolerabilis ſpecies, Genuenſium animis exaſperatis, res in antiqua mala redegit.

Sequitur annus ejus ſæculi quadrageſimus ſeptimus, maxime inſignis ob duo memorabilia edita à A.C. 1447. duobus Genuenſibus civibus, alterum ſuſpiciendæ moderationis, alterum incredibilis audaciæ, exempla. Ea tum erant tempora, quæ vitia Ducum ferre non poſſent; & virtutem ac probitatem, ſi cujus emineret, odiſſent. Raphaelis igitur Ducis moderatio, æquitas, juſtitia, manſuetudo, prudentia, cum illum vulgo etiam adverſæ Factionis civibus carum facerent; Adornii ſuis inviſæ erant, tamquam ipſorum libidinibus minus aptæ: conſilio igitur agitare cœperunt de illo dejiciendo, ac ducatu ad Barnabam conſiliorum auctorem transferendo; cui alia eſſet morum via, quique non tam jus & æquum quam emolumentum & amplitudinem in principatu patriæ quæreret; ac ſuorum cupiditatibus obſequi haud abnueret: ſed prius omnia tentanda ſtatuebant, ſi forte res ſine tumultu atque offenſionibus tranſigi poſſet; vim ad extremum reſervantes: igitur Raphaelem arte aggreſſi, demonſtrare homini inſtituunt; ſi ipſe in animum induceret poſſit, ut ducatu abeat, fore, ut concordia ac civitatis tranquillitas conſtituatur ac ſtabilitur. Enimvero Raphael nullam fraudem aut dolum ſubeſſe exiſtimans in conſilio, cujus auctores eſſent ii ipſi ſuæ gentis homines, quorum non minoris quam ſua intereſſet principatum patriæ in gente Adornia eſſe; nihil cunctatus, ſeſe in illorum poteſtate fore reſpondet: averteret hoc à ſe Deus optimus maximus, ut ipſe ambitione ſua bono publico in mora eſſet: principatum patriæ ſe non ſua, ſed Reipublicæ cauſſa ſuſcepiſſe, Reipublicæ quoque cauſſa non minus lubenti animo deponere paratum: factiſque dicta ſubſequens extemplo magiſtratu ſe abdicavit, & in privatas ædes conceſſit, à magna civium frequentia virtutem & merita divinis laudibus proſequentium deductus: ceterum quamquam duodecim cives rebus conſtituendis creati ſunt; tanta tamen fuit in Barnaba & conſilii conſortibus impudentia, ut ab impotenti cupiditate eodem die, quo Raphael magiſtratu abiit, Barnabas Dux creatus ſit: quæ tamen lætitia Barnabæ haud diuturna fuit; nec principatus fraude ac malu artibus partus plus menſtruus fuit.

At Janus Fulgoſius magni animi, magnorumque ſpirituum vir, memorabile in primis facinus auſus eſt: qui nihil deterritus fama firmiſſimæ ſexcentorum delectorum militum cohortis, quam Alphonſus Fulgoſiorum hoſtis ad Barnabam & Adornios miſerat, cum una tantum trireme ſilentio noctis portum furto ingreſſus, cum delecta quinque & octoginta tantummodo fortiſſimorum juvenum manu, atque in omne diſcrimen pro illo paratorum, ædes pu-

publicas ac prætorianos invadit; prælioque atroci commisso tanta fuit in Fulgosio virtus & constantia, ut omnibus suis saucijs, ac nonnullis cæsis, victor tandem evaserit, ædibusque publicis, ac ducatu patriæ, Barnaba ejecto, potitus sit. Is initio ducatus Petrum Fulgosium exsulio mulctatum non modo patriæ restituit, sed urbis præfectum armorum creavit.

Ceterum, cum non magnorum modo Principum odijs per ea tempora res Genuensis premeretur; sed finitimorum quoque tenuis sortis Procerum contemptu laboraret; in illis molestissimus semper fuit Galeottus Carrettus Finarij Marchio: quod opidum in ora Ligusticæ in Occidentem versu ditioni Genuensi interjectum eam medium secat. Ex eo opido Carrettus per varias occasiones in fines Genuenses excurrere, diripere, prædas agere, aliisque belli cladibus incolas vexare: cum Genuenses majoribus externis & domesticis occupationibus impliciti rem dissimulare ac negligere sæpe cogerentur. Quæ patientia cum hominis audaciam aleret; diuturna impunitate ad alia ex aliis majora in dies audenda provectus, Salanellum quoque & Justenecum duos ditionis Genuensis vicos occupavit; atque hoc anno prægrandem onerariam magni pretij mercibus onustam cepit. Enimvero Genuenses exarserunt, hominemque nullum insaniendi finem facientem acri bello persequendum, atque ex tota Liguria prorsus exterminandum constituunt; necessaria pecunia in usum belli decreta. Quod cum magno conatu gerendum constituissent, scribi copiæ justæ sunt, in vicariatu Clavari sexcenti pedites, in vicariatu Speciæ quadringenti, in tribus præfecturis urbi proximis octingenti, in ipsa urbe quadringenti sagittarii, in præturis Varaginis, Savonæ & Nauli pedites mille, Ingauni & in ditionibus gentis Autiæ & Linguillæ quattuor peditum millia, in ditione Saxelli à Philippo Auria Domino quinquaginta sagittarii, in ditionibus Fliscorum quantum Duci visum esset. Spinulæ regionem Luculum appellatam incolentes ducentos sagittarios contulerunt: quæ copiæ Finarium initio insequentis anni, qui fuit ejus A. C. sæculi quadragesimus octavus, admotæ sunt: cumque ejus belli causa multa à multorum conscientia 1448. remota esse oporteret; potestas Duci permissa est, cum quattuor tantummodo civibus illi additis, rem, quemadmodum illis visum esset, silentio ducendi: hi fuerunt Andreas Imperialis, Petrus Montenigrus, Lucas Grimaldus, Paris Justinianus: qui mense Junio duas naves, Finariensis belli causa, armarunt: quorum Finariensium odio inusitatæ rei exemplum Genuæ editum est: nam ipsis Finariensibus Dominis illorumque ditioni subjunctis, quod omnes in vexanda Republica consensissent, fructus ex vectigalibus publicis oppigneratis adempti sunt, atque in usum belli conversi.

Sub finem hujus anni mortuus est Janus Dux cum bonorum dolore: probata enim est illius gerendæ Reipublicæ ratio: quem dolorem civitas testificata est, peramplo marmoreo sepulcro illi decreto. In demortui locum suffectus est Ludovicus Fulgosius: A. C. insequentisque anni, ejus sæculi quadragesimi noni, 1449. initio nonnullæ naves in quosdam piratas Corsos & Provinciales Narbonenses excursionibus mare infestum facientes decretæ sunt, bellumque Finariense, opido tandem capto, ad finem pervenit: quæ res anceps item deliberationem in consilio præbuit: multis consentibus opidum non modo diripiendum, sed prorsus exscindendum, uleusque illud à corpore Ligurijæ abscindendum. Vicit mitior sententia; quæ suburbia tantum diripi decrevit, atque arcem Goonem solo æquari. Finariensesque, cum Genuam venissent, venia erratorum suppliciter postulata, in imperia jurarunt: quibus postea multæ immunitates, multaque jura eximia concessa sunt.

Marcoque Carretto, qui cum Galeotto non consenserat, quin contra, rem Genuensem fortiter ac fideliter juverat; cuique ideirco tertia pars Finarij promissa fuerat, fides servari decreta est: sub finemque anni acriter & severe animadvertendum in eos decretum est; qui Romæ Pontificias litteras ac rescripta contra publica civitatis jura impetrarent.

Insequens annus ejus sæculi quinquagesimus tur- A. C. bulentus nonnihil fuit: Ludovico Fulgosio, qui 1450. civitati ignavia sua non satisfaceret, magistratu abrogato: in cujus locum Thomas Fulgosius Sergiana (tanta erat hominis existimatio) tertium Dux accersitus est: qui ultro delatum honorem repudiavit; ætatem prægravem, atque annis & laboribus sessam, neque jam muneribus publicis aptam excusans: suasit autem Petrum Fulgosium præfectum armorum urbis, recenti gloria expugnati Finarij fulgentem eligi: in eo viro esse indolem parem tanto fastigio: bellicosa tempora Reipublicæ imminere; bellicoso igitur & vivido ingenio opus esse. Probato consilio, Petrus frequentibus suffragijs Dux creatur. Petri ducatus ipso initio infestus maxime fuit; & Principum exterorum & exsulum Genuensium, quos Principes alebant, insidus appetitus: quorum conatus, terrore aliquo injecto, compescendos ratus Petrus, Galeottum à Mari nullis de causis suspectum, ac linguæ immodicæ hominem, an- A. C. no ejus sæculi quinquagesimo uno, in area ante æ- 1451. dem divi Francisci togatum & crepidatum suspendio necavit, cum hac inscriptione in tabella à pedibus suspensa exarata, *Hic homo locutus est ea, quæ non licet.* Quæ fœda & liberæ civitati intoleranda species animos hominum vulgo vehementer commovit.

Illud quoque ab Annalibus traditum silentio prætercundum mihi visum non est, quattuor Legatos sacrum diadematis à Friderico acceipiendi, honestandi causa Romam missos: Episcopum Naulensem, Nicolaum Fulgosium urbis armorum præfectum, Demetrium Vivaldum, Nicolaum Vialem notarium. Sub finem hujus anni, cum Galli à Carrettu auxilio accersiti in oram Ligusticam deflexissent, opidaque Finarium & Petram occupassent, missi sunt in præsidium circumjectorum locorum quingenti pedites ac ducenti sagittarii: arxque Ficonum aucto præsidio firmata.

At insequens annus ejus sæculi quinquagesimus A. C. alter, præter duos Oratores Romam missos, ad obe- 1452. diendum Nicolao Pontifici deferendam, Episcopum Naulensem & Gotardum à Sergisna, illud memorabile habet, validum præsidium in urbem Peram missum trecentorum sagittariorum, ducentorum loncatorum, quadringentorum galeatorum; cum formidolosa esset Mahumetis Turcæ potentia, quem urbi & portui Constantinopolitano imminere fama erat.

Sequitur annus ejus sæculi quinquagesimus ter- A. C. tius, cum toto Christiano orbi, tum Genuensibus 1453. privatim lugubris: nam sub finem veris, classis Aragonensium Fanum Florentii in Corsica occupavit; & Constantinopolis à Turca tandem expugnata est, acriter ab Joanne Justiniano Genuensi summo terrestrium & maritimarum copiarum Græci Cæsaris Duce defensa: qui cum validissimam Turcarum oppugnationem constantissime sustinuisset, gravi vulnere accepto, ejus curandi causa prælio excedere coactus est: qua occasione Turcæ utentes, prælio acriter redintegrato, omnibusque viribus conniss civitate potiti sunt. Expugnationem Constantinopolis deditio Peræ subito consecuta est: quam coloniam suam Genuenses peramplis ædificiis atque insignibus sacris ædibus frequentarant. At Genuenses Fano Florentii & Pera urbe amissis commoti, reliquæ Corsicæ ac ceteris urbibus, quas in Euxino possidebant, timentes, dominatum omnis

insulæ Corsicæ, nec non Caffæ urbis, quam olim Theodosiam appellatam scio, in Magistratum sancti Georgii transtulerunt.

Locus postulat, ut de Magistratu sancti Georgii nonnulla attingam; quo appareat, quanta cum ratione Corsica in eum Magistratum translata sit, tamquam possessione ejus insulæ pacatiore & stabiliore futura: quibus de caussis Magistratus sancti Georgii Genuæ institutus sit, superius exposuimus. Hoc corpus civium, in quod vectigalia publica transferri cœperunt, paullatim auctum, novisque alia ex alia exorientibus quotidie caussis publicorum vectigalium alienandorum; paullatim viribus assumptis, in numerum & amplitudinem justæ civitatis crevit: factumque est, ut in eadem urbe duæ essent civitates, duæque Respublicæ; non genere solum variæ, quod penes alteram esset regimen atque imperium civitatis & totius Genuensis ditionis; sed moribus diversis ac fortuna & statu rerum dispares: cum superior corruptissima sit, nihilque sani aut integri habens; ad hoc turbulenta & inquieta, molestiarumque plena, discordiis ac factionibus agitata, seditionibus, tumultibus, bellis deoique civilibus lacerata, postremo libertate orbata, ac modo exteris Principibus, modo civibus suis pudendam ac duram servitutem serviens: at hæc priscorum morum sanctitatem & incorruptam veterem disciplinam retinens, pacato & tranquillo statu utens, omnibusque pacis & quietis, illibataque libertatis bonis florens: quibus rebus factum est, ut cives patriæ debitum amorem à priore Republica ad secundam hanc omnem transtulerint, acerrimique illius defensores sint; cum cujus rebus secundis, vel adversis, privata ipsorum res conjuncta sit, magna ex parte in vectigalibus publicis occupata. Res profecto mira, atque ex omnium sæculorum & gentium memoria unici exempli; quæque numquam vel in alieujus Legislatoris cogitationem venerit, vel in aliquorum Philosophorum disputationibus versata sit, ut intra eadem mœnium septa eodem tempore duæ Reipublicæ formæ essent; tyrannica una, politica altera: ita nulla re inter se implicitæ aut cohærentes; ut, altera ruente, altera non modo non concideret, sed ne metu quidem labefactaretur.

Cum nullum Petrum vexandi finem faceret Alphonsus, cum suis privatim odiis, tum assiduis exsulum stimulis incitatus; omniaque in ora Ligusticæ terræ & maris esset infesta; neque aperta vi tantummodo, sed etiam occulus insidiis Petrus peteretur, isque omnibus rebus invigilans ad omnia occurreret; diligentaque sua atque animo ad labores & pericula invicto hostis vana consilia faceret, tandem Alphonsus majore conatu Petrum petendum
A. C. 1454. 1455. cum decrevisset, hoc anno, qui fuit ejus sæculi quinquagesimus quinctus, cum superior nihil memorabile habeat; Bernardum Villamarinum magni in navalibus rebus nominis Ducem, cum ingenti classe, simul Palermum Neapolitanum terrestrem Ducem cum haud exiguis copiis Genuam mittit: in quibus fuerunt Raphael & Barnabas Adornii, atque Joannes Antonius Flisscus, cum magna exsulum manu; quos Alphonsus, præcipuo certamine animi adversus Petrum sumpto, restitui in patriam volebat.

At Petrus nihil tanta terra & mari sese circumsistente mole animo infractus, sese ad resistendum comparat: at cum ad apertam vim atque exteriores conatus sese parem fore confideret; ille assiduus stimulus animo insidebat domesticorum odiorum, quæ metu ad eam diem compressa haud dubie in spem tam validi & propinqui auxilii essent eruptura: in quo periculo discutiendo, eximii consilii ac nentiquam vulgaria militaris astus specimen edidit: ædibus enim publicis valido præsidio firmatis, quidque facto opus sit, præfecto monito, ipse simulans sese urbem exire, ad copias hostium ex propinquo speculandas, atque ad nonnulla, quæ usus postulet, providenda; devio atque occulto itinere à nemine conspectus in aream concessit, quæ à cohorte numero & genere firmissima tenebatur; ac motus adversæ Factionis speculabundus exspectat: nec fefellit hominem sagax consilium: nam advertit Factionis capita Petrum urbe vere excessisse credeotes, primum se intendentibus tenebris, in publicum armati prosiliunt; nomenque Adornium & Aragonense magnis clamoribus subjicientes, magna hominum turba excita, ac sibi adjuncta, ædes publicas magno impetu invaduat; quique præsidio relicti fuerant, acriter resistennbus, brevi atrox certamen inter illos accensum est. Enimvero Petrus procedente consilio lætus, cohorte secum rapta, ad locum, in quo contractum certamen erat, contendit; magnisque clamoribus Fulgosium nomen subjiciens, inimicos in adversum certamen totos animis & oculis intentos à tergo invadit: quos primo incursu fundit ac fugat, magna illorum cæde edita; in magnamque eorum partem, qui stragi superfuerant, tota urbe dissipatam comprehensam, tamquam in seditiosos, capitali supplicio animadvertit.

Igitur Petrus ab urbanis motibus egregio commento securus, liberas curas ad ea, quæ ad impetus exteriores arcendos pertinebant, adjicit, omnis providens ac circumspiciens, omnibusque impigre occurrens. At hostes spe urbanorum motuum, qua in primis se commoverant, dejecti, simul diligentia & vigilantia Petri nihil eorum conatibus opportunum relinquente, in spem irritam sese terere tempus intelligentes, appetente hyeme, itinere retro repetito, in sua concedunt; aliquot triremibus relictis, quæ rem Genuensem infestam facerent: ut ea de caussa insequenti anno ejus sæculi quinquagesimo sexto, nonnullis motibus in ora in Occidentem versa, atque in urbe Ingauno excitatis, missi sint eo ad res pacandas, Andreas Francus, Bartholomæus Auria, Antonius Lomellinus: ceterum classibus Aragonensibus per Ligusticum mare assidue discurrentibus, naviumque & hominum prædas agentibus; duæ naves omnibus rebus instructæ ad litorum & commerciorum tutelam postea emissæ sunt. A. C. 1456.

At Petrus eum tantas dimicationes, virtute, consilio, constantia, vigilantia sita octo annos sustinuisset; omniaque ultima esset expertus; neque exsecrabile in se odium Alphonsi ullis Francisci Sforiæ, aut cujusvis precibus mitigaretur; cum ille animo obfirmasset Petrum de honore dejicere, atque Adornam gentem ac reliquos exsules in civitatem restituere; omnibus auxiliis nudatus, atque assiduis sumptibus exhaustus; simul impotentem dominatum suum universæ civitati offensum & invisum intelligens, fortunæ tandem cedendum statuit: qua in re nihil à se ipso, infractoque animo, ac vivido ingenio suo, ceterisque à se rebus gestis absonum fecit: ducatu enim cedere quidem constituit; sed non inimicis suis cedere: igitur de consilu civitatis sententia, anno ejus sæculi quinquagesimo octavo, dominatum A. C. 1458. Genuæ, ut aliquando jam factum fuerat, isdem quibus antea conditionibus in Carolum septimum Regem Gallorum transferre decrevit: qua de caussa quattuor Legati in Galliam missi sunt, Marcus Grillus, Joannes Ambrosius Marinus, Gotardus Stella, Baptista Guanus; qui civitatem Regi tradiderunt: Rexque è vestigio Joannem Andegavensem, & Calabrensem Ducem Genuam mittit: quo honorifice accepto, ac jusjurandum exigente; populus in hortis Fulgosiis, qui sunt in suburbiis sancti Thomæ, in imperia Regis juravit; ipseque Regis nomine juribus publicis, & sancti Georgii confirmatis, possessionem civitatis regio nomine accepit: cui Castellettum in ipsa urbe aeque reliquæ totius ditionis Genuensis arces traditæ sunt.

VBER-

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

HISTORIAE GENVENSIVM

LIBER XI.

DOMINATV in Regem translato, duplex gaudium civitatem cepit: nam & se ex infinito illo Petri imperio liberatam lætabatur; & cauſſam Alphonſo, cui nullæ inimicitiæ cum Carolo intercederent, civitatem vexandi præciſum ſporabat: quæ ſpes uſque adeo homines fruſtrata eſt; ut, re cognita, Alphonſus atrocior & vehementior in Genuenſes coortus ſit; dolore & indignatione imperii, cui ipſe haud obſcure imminebat, in alium tranſlati: quare, Petro Spinula & ceteris exſulibus inſtigantibus, præter eas naves, quas in mari Liguſtico continenter habebat, excurſionibus & prædationibus omnia infeſta facientibus, prævalidam claſſem comparat viginti corbitarum ac decem triremium: quam omnibus apparatibus bellicis, omnique commeatuum copia affatim inſtructam, ad hoc magno militum & nauticorum ſociorum numero refertam, Villamarino præfecto, Genuam mittit: quæ claſſis urbi admota, ante oſtium portus in ancoris ſtetit: ad hoc terreſtres copias, quarum Duces erant Adorni, auxit: ut urbs artiſſima obſidione terra & mari urgeretur; ingemiſcentibus Genuenſibus ac mœrentibus, quo conſilio ſe laboribus & diſcrimnibus erepturos ſperarant, illud miſerias & calamitates civitatis auxiſſe. At Andegavenſis oſtium portus catenis & trabibus obſtruit; urbemque cum regiorum militum, quos ipſe adduxerat, tum eorum, qui ſub Petro ſtipendia fecerant, præſidio firmat: cum in omnibus rebus ſollerti opera Petri ipſius uteretur, viri expertæ in rebus bellicis virtutis, & magni conſilii.

Cum res in magnas anguſtias atque in extremum diſcrimen adductæ eſſent; peropportuna Alphonſi mors, quæ fuit Kalendis Julii, Genuenſes ab imminenti peſte eripuit; coſque animos jam deſpondentes à deſperatione recreavit & erexit; contra, obſidentium fregit: claſſiſque, ut erat multis ex locis collecta, ita ſubito diſſipata eſt, navibus fugientium ſpecie, alia alio tendentibus: Adornique ac Joannes Philippus Fliſcus obſidionem ſolvere coacti ſunt.

Bellicos labores peſtilentia excepit, quæ crebris funeribus civitatem deformavit; maximaque pars civium ea de cauſſa in ſuburbana conceſſit: qui, cum graviore tempore anni circumacto vis morbi deſaviſſet, in urbem reverſi ſunt; eorumque curæ in ſtatum corruptum rerum emendandum verſæ: ceterum eum ad tantas copias neceſſario alendas ærarium non ſatis potens eſſet; coactus eſt Joannes ingentem pecuniæ ſummam partim à privatis Genuenſibus civibus, partim à Franciſco Sfortia Mediolanenſium Duce, Daniele Riſo Neapolitano ea de cauſſa ad illum miſſo, mutuam ſumere.

Alphonſo tanto hoſte ac tam obſtinato Genuenſium infectatore mortuo; res Genuenſes in multum tempus quieſcere & à diuturnis malis reſpirare poſſe videbantur: ceterum, tamquam diſcordiæ & contentiones ac turbæ fatales noſtræ urbi eſſent, ſubito novum incendium exortum eſt ab eadem face excitatum, quæ illis temporibus bella civilia ac domeſticas perturbationes perpetuo accendit. Petro enim Fulgoſio metu Alphonſi liberato ſuum repente redditat ingenium: quem pœnitentia ceperat præproperi conſilu: angebaturque ingentium ſpirituum vir, ſeſe nimis celeri rerum deſperatione principatu ceſſiſſe: cauſſas igitur novorum motuum quærens, cum ſeſe Novas & Vulrabium recepiſſet, quæ opida velut pignora ſibi retinuerat; pecunias ſibi debitas ac promiſſas ob Caſtellettum & reliquas arces Gallis traditas, civiliter primo petere cœpit: cum differretur, conqueri Petros, ſe extrahi ac veluti ludibrio eſſe; ac magis & magis inſtare: poſtremo, cum reſponſum eſſet, nullam in præſentia in tantis rei nummariæ anguſtiis tantæ ſummæ diſſolvendæ Genuæ eſſe facultatem; minaciter agere, ac ſeſe fide publica circumventum & deceptum, clamare; non eſſe ferendam injuriam, ſeque contemptus ſui haud ſegnem vindicem fore feroci oratione præferre: quæ verba cum præfervidum ac præceps hominis ingenium formidoloſiora faceret; Genuenſes Petri fratres ac propinquos, quos cum illo conſentire haud dubitarent, urbe exactos exſilio mulctant: quæ nova inſuper addita contumelia cum turborum cupido cauſſas novandi res accumulaſſe viderentur; Petrus Franciſco Sfortiæ demonſtrat, ſeſe gravibus injuriis à Gallis & Genuenſibus pariter læſum, neutri ſe ulla eſſe verecundia obſtrictum; ambos igitur ſe juſto & pio bello perſequi decreviſſe: quod bellum non magis ſuſceptu juſtum ſit, quam confectu facile: ingentem enim eſſe tam in urbe quam in totis Genuenſibus finibus rotaque Liguria clientium & Fulgoſianæ Factionis hominum multitudinem; à quibus aſſiduis precibus ultro accerſatur: eos omnes ad primum ipſius adſpectum haud dubie conſurrecturos; neque dubitare ſe, quin ipſe eorum opibus & favore niſus è veſtigio urbe ſit potiturus: inopiam pecuniæ ſolam conſilium diſtinere, cujus ſi tanta ſumma à Franciſco ſubveniatur, quæ in menſtruum ſtipendium copiarum neceſſario ſcribendarum ſatis ſit; ſeſe nullam moram movendi facturum.

Ea de re nunciis ſæpe ultro citroque miſſis, Franciſcum aſſiduis precibus fatigabat. Ille inter ancipitia conſilia incertus animis fluctuare: hinc cupere Gallos Genua expulſos, dupliciter inviſos; quod illi, ipſo vetere amico ac ſocio, tum autem finitimo non conſulto, neque participe conſilii facto, Genuæ imperium accepiſſent, tamquam ipſius amicitia ſpreta; & quod formidoloſas Gallorum opes nimis prope ſe convaleſcere haud lato animo adſpiceret: illine ſtultum cenſere, nulla re cogente, tantam negotii molem ſibi ultro conflare, ac tam potentem hoſtem, tum autem tam propinquum factum ſibi irritare. Hæc ſententia cum animo inſediſſet, reſpondet Petro, gravem quidem ſibi eſſe accolam Gallum, ceterum nullam ſe ſpeciem armis illi inferendis prætexere poſſe: verum ne animo deficeret Petrus: quam enim opem illi aperta via ferre jus & pudor pro-

hibeant, eam ſeſe occultis conſiliis laturum. Ferdinandum enim Aragonum & Neapolis Regem ad cauſſam Petri toto animo ſuſcipiendam, illiuſque conſilia fovenda & adjuvanda inducturum: ab eo Petro tamquam à potentiore & opulentiore Principe longe majora auxilia quam à ſe exſpectanda: nec minus factis, quam dictis, promptus prius abſtitit incepto, quam Ferdinandum Petro conciliatum ad illius conſilia amplectenda induxit: cum illi demonſtraſſet, quod ultro offeratur, id illum cupide petere debuiſſe: unam enim eſſe Gallos Genua expellendi viam, Petri amicitiam & audaciam: impigrum & experientem virum tamquam obicem Gallorum comtibus in ipſum intentis opponendum: neque debere illum credere, Gallos Genuæ imperium per ſe quæſiſſe, rem moleſtiarum & impendiorum ſine ulla fructus ſpe plenam: non igitur Genuam ſuis ipſam momentis, ſed opportunitate Principibus utilem eſſe; ipſis in primis vallis, qui ex ea urbe gradum ſibi ad ipſum in regno Neapolitano opprimendum facere queſierint: implicandos igitur Gallos Genuenſibus moleſtiis; quæ illos à conſiliis regni Neapolitani petendi, quod aperte præferant, avocent: ridiculumque eſſe ipſum Ferdinandum à Petro, tamquam exſecrabili odio Alphonſo parenti inviſus fuerit, abhorrere: animos enim Principum, ac res publicas gerentium, magnaque negotia tractantium, rationes imperii atque utilitatem publicam conjungere & disjungere: cum ratione igitur temporum mutata, mutanda quoque eſſe conſilia: magna ratione tum Petrum regiæ Aragonenſi inviſum, ac bello perſequendum fuiſſe, majore nunc eúndem amplectendum ac ſuſtinendum. Probato conſilio, Ferdinandus per litteras ſuas peramanter ſcriptas omnes regnorum ſuorum opes ad Petrum prolixe defert: perpetuumque illius patrocinium ſeſe ex eo tempore ſuſcipere confirmat, quod numquam ſit deſerturus: haud exiguaque pecuniæ vi ad illum miſſa, hortatur & poſtulat, ut omnibus viribus conniſus Gallos Genua expellere ſtudeat: ſi id aſſequi in præſentia non poſſit; illos certe quam acerrimo bello diſtineat.

Enimvero Petrus non procraſtinat, hyemeque nondum planc exacta, inſequenti anno, qui fuit A. C. 1459. ejus ſæculi quinquageſimus nonus, copiis quantis maximis, equeſtribus & terreſtribus, potuit coactis; Joanneque Philippo Fliſco, ſuas & ipſo odii cauſſas cum Gallis habente, magnamque clientium manum ſecum trahente, ſibi adjuncto, ex opido Novis movet: Apenninoque ſuperato, in pago, ac colle Albario amœniſſimis hortis & villis frequenti, qui diſtat ab urbe haud plus quingentos paſſus, caſtra locat. At Joannes, quamquam ardentia omnium ordinum atque ætatum odia in Petrum deprehendcrat; contra ſumma in Gallos ſtudia, neque à militibus omnino imparatus eſſet: tamen urbanam ac ſellularem maximæ ex parte multitudinem haud temere veteranis atque equitibus objiciendam ratus, mœnibus ſe continebat; quamquam levia prælia, quæ quotidie inter milites ſuos crumpentes & Fulgoſianos nullo magno diſcrimine committebantur, non magnopere prohiberet. Petruſque Fulgoſius ac conſiliorum conſortes hoſtes patriæ ac Regis Gallorum judicati & pronunciati ſunt: neque tamen, bello mœnibus ipſis inſiſtente, exterarum rerum cura omiſſa; auxiliumque Mitylenes Dominо adverſus impetus Turcarum inſulæ imminentium mitti decretum eſt: Prætoriquc imperatum, ut concumaciam Georgii Carretti unius ex Marchionibus Finarii Reipublicæ fiduciarii, qui Ceſſanum Ingaunenſis diœceſis opidum invaſiſſet, juſtis pœnis afficeret: item obviam eundum temeritati Pauli Dentuti decretum eſt: qui nomine præfecti, Magiſtratus injuſſu, ſibi privatim adſcito, rc mali exempli, naves capere atque alia hoſtilia facere cœpe-

A rat: quæ tamen omnia lente adminiſtrata ſunt, majoribus occupationibus urgentibus: illud Reipublicæ fructuoſum fuit, inducias cum Rege Anglorum in quadriennium factæ, qui, nonnullis controverſiarum cauſſis cum Genuenſibus ſibi intercedentibus, mercatores illius nationis retinuerat, cum magno commerciorum detrimento.

At Joannes, omni animi contentione inſeſemuniendo adhibita, primum Petrum Aicardum Portumauritianum cognomento Scarinicium cum duabus triremibus piraticam facientem, virum ſtrenuum, ac non exiguo uſu & ſcientia navalium rerum, ſtipendio conducit: ſimul à Rege Galliæ impetrat, ut Rainaldus præfes Haſtenſis cum delecta trecentorum equitum ala, quam habebat, rebus Genuenſibus laborantibus ſubſidio veniat: utque Renatus Rex ex Provincia Narbonenſi florentem trecentorum equitum cohortem ad ſe mittat. Cum ad apertam vim omnia diligentia Andegavenſis eſſent clauſa; Petrus ſuarum artium memor animum in omnes partes verſari: nam modo luce ac palam copias urbi admovere, modo ſilentio noctis ſcalas ad mœnia erigere, modo ſpeciem urbem invaſuri præbere; nullam denique nocturnæ aut diurnæ quietis partem, ſubitis conſiliis ſuis, obſeſſis dare; ſi forte tædio laborum, atque aſſidua vexatione labefactare obſtinatos animos poſſet: adverſus quæ omnia invicti Genuenſes ſteterunt; nulluſque motus umquam in civitate factus eſt, odio Petri inveteram Factionis ſtudia, raro admodum exemplo, vincente: quem omnes auribus adſpernabantur, animo reſpuebant, verbis tamquam peſtem patriæ ac facem omnium malorum exſecrabantur: ceterum, cum fama percrebeſceret præſidem Haſtenſem cum prævalida equitum ala appropinquare; Petrus, ante ſubſidii adventum, dimicatione ultima urbem tentandam decernens, copias propius mœnia admovet, occaſiones captans rem præſio committendi: cujus rei nullam facultatem faciebat Andegavenſis miſſibus Fulgoſianos ex mœnibus inceſſens: quo tempore Joannes Philippus Fliſcus ætatis ardore provectus, ſimul vana cupiditate oſtentandarum virium elatus, dum mœnia incaute propius ſubit, ictu colubrinæ concidit; in caſtraque inter manus relatus, paucis poſt horis exſpiravit: cujus mors omnia evertit: ſeditione enim caſtra nonnihil agitari cœpta ſunt: nam Orlandus & Ubertus Fliſci Joannis Philippi fratres, ſimulque Jacobus fratris filius, neipſi quidem ſatis inter ſe concordes ab exercitu diſceſſerunt: quos haud exigua militum pars, ſimul magna Ligurum multitudo, quos auctoritas Joannis Philippi in caſtra traxerat, ſecuti ſunt: quare Petrus, exercitu imminuto, non ſe tuto ibi eſſe intelligens, ſilentio noctis caſtra retro movet; inſulamque Sigeſtri cum arce impoſita non ſatis defenſoribus firmatam primo adventu capit: indeque Clavarum petit, opidanoſque blandis verbis ac promiſſis ad ſuas partes traduxit.

Interea Rainaldus præfes Haſtenſis cum equitum ala Genuam venerat: qui tamen, cum obſidione ſoluta nullus jam fui uſus eſſet, finiſque ſtipendiorum appeteret, itinere retro converſo, in ſua ſe recepit: at Genuenſes, decem triremibus ac duabus corbitis continuo comparatis & inſtructis, Joanne Coſſa è Proceribus provincialibus præfecto, ad loca per tempus belli ab exſulibus occupata recuperanda cum hac claſſe ac cum terreſtribus copiis contendunt: exiguoque certamine primum arx portus Delphini, ac deinde opulentum opidum Clavarum, poſtremo inſula & arx Sigeſtri recuperatæ ſunt. Petruſque res perditas cernens, exercitu dimiſſo, ſeſe Novas recepit, haud diu quieturus.

Unum reſtabat ad reliquias belli conficiendas, urbs Naulum, quam Joannes Carrettus Marchio Finarii per hæc belli tempora occupatam valido præſidio

dio tenebat: ceterum, cum is eſſet urbis ſitus, ut aditus ſubſidio introducendo intercludi non poſſet; à re ardua in præſentia abſtinendum decretum eſt: verum quod humanis conſiliis deſperabatur, ut ea urbs eo tempore recuperaretur; id caſus fecit: duodecim enim triremes Aragonenſes, Villamarino præfecto, per eos tempora venerunt, omnia circa Liguriæ littora excurſionibus & latrociniis late infeſta facientes: cumque frumentandi cauſſa portum Naulenſem ſubiiſſent; Genuenſes, re cognita, Villamarinum aggredi ſtatuunt: ceterum ut hoſtem celarent, urbis portis obſeratis, itineribuſque ſtationibus inceſſis; viam commeantibus in eam partem claudunt: ipſi interea, incredibili adhibita diligentia, decem triremes breviſſimo temporis ſpatio comparant & inſtruunt: quæ media nocte portu ſolventes, ſecundaque navigatione uſæ, nondum ſatis certa luce, in conſpectu Villamarini fuerunt: qui re improviſa atque ab omni exſpectatione longe remota vehementer perculſus; cum ſubita confuſio animi neque numero hoſtilis claſſis recenſendo, neque ulli cogitationi omnino locum daret; funibus ancorarum extemplo inciſis, ſeſe ex portu repente proripuit; trepidaque fuga altum petens ſeſe periculo eripuit: qui idem pavor cum ad animos præſidiariorum Finarienſium manaſſet; Genuenſes portum Naulenſem ſine certamine ingreſſi, præſidiariis metu obtorpentibus, urbe & arce ſine certamine potiti ſunt.

At Andegavenſis, rebus Genuenſibus pacatis, civitateque in tranquillum redacta, omnes cogitationes in regnum Neapolitanum, quod tum illi caput curarum erat, convertit: qua in re omnia Genuenſium in illum grati & memoris animi publice & privatim officia conſtiterunt, decem triremibus ac tribus corbitis cum trimeſtri ſtipendio illi decretis; ad hoc ingenti auri pondere donato, (ſexaginta enim millia aureorum nummum fuerunt) immani, ut illis temporibus, ſumma: nec minori ſumma à compluribus privatis cavibus certatim atque ultro offerentibus ſe, ac liberalitate ſua deſiderio Joannis occurrentibus, mutua accepta: præterea audiebatur, Renatum parentem duodecim triremes Maſſiliæ comparare, quas ad filium mitteret: exieratque fama, ipſum Regem Galliæ omnibus regni opibus Joanni adeſſe decreviſſe. Harum omnium claſſium ſummus præfectus creatus eſt Joannes Coſſa: jamque Genuam venerat Ludovicus Valla gubernator Regis in locum Joannis ſuccedens.

Quibus apparatibus cognitis, vehementer perculſus Ferdinandus, ut novo negotio exhibito curſum Gallorum tardaret, magna vi auri Petro Fulgoſio miſſa, illum, ut ad patriam amiſſimque principatum repetendum ſeſe quamprimum comparet, hortatur. Non procraſtinat Petrus: haud contemnendiſque copiis extemplo corrogatis, Apennino ſuperato, in vallem Porciferæ deſcendit; propeque ab urbe quattuor millia paſſuum conſedit. Eadem diligentia eademque defenſionis ratio, quæ in ſuperiore impetu Petri cohibendo, ab Andegavenſi inita eſt; muris valido præſidio firmatis, magnoque ſagittariorum numero completis. Angi Petrus, autumno appetente, ac vereri, ut fluvio Porciſera autumnalibus imbribus intumeſcente, ipſe in illis locis diutius eſſe poſſet: ad hoc intelligere, ſi tempus ſtipendiorum exiret; milites ad ſigna retineri non poſſe: omnia igitur quamvis præcipitia, modo celerrima eſſent, conſilia ſibi amplectenda ſtatuere: verum cum ab exploratoribus pro re certa compertiſſet, omnia loca in urbe intentiſſimæ & artiſſimæ cuſtodiæ eſſe; inops conſilii, unde initium invadendi faceret, circumſpectare: opportuna ſunt conſilia claſſis è portu profectio, ad naves Ferdinandi, quæ ad portum Liburni ſtare dicebantur, perſequendas: quæ cum inaniorem præſidiis urbem feciſſet; Petrus haud cunctandum in oblata occaſione ratus, dimidio menſe Septembri circumacto, ſilentio noctis mœnibus appropinquat; parteque copiarum in virgultis & vepribus circumjecta veſtientibus in inſidiis collocata, ipſe mœnia circumvehitur, omnia oculis intente circumluſtrans: eum cuſtodum voces exciperet ſomni & laſſitudinis indices, toto exercitu raptim magnoque cum ſilentio mœnibus admoto, ſcalisque erectis, cum magno audaciorum militum numero in urbem tranſcendit; cuſtodibuſque partim dormientibus, partim ſemiſomnis obtruncatis, cum nullus ſui ſenſus in urbem penetraſſet, proxima portula refracta, omnes copias in urbem introducit; proximumque collem, qui Petræ minutæ vocatur, armatis complet: quo trepido nuncio Andegavenſis vehementer primo perculſus, ac nimis propere claſſem urbe emiſſam dolens, tamen celeriter collecto animo, non deſerit ſe; ſed armis repente arreptis, omnibuſque, quos circa ſe habebat, armatis, atque omnibus opportunis urbis locis præſidiis firmatis; ipſe cum ſuis ſtipendia facientibus, magnoque civium omnis generis globo, qui ad eum convenerant, in hoſtem pergit; atque extra ſepta interioris muri (duplici enim muro Genua cincta eſt) in vaſta area, cui ab altera parte imminet collis Petræ minutæ, is ipſe, quem inſederat Petrus; ab altera collis, in cujus cacumine arx Caſtellettum eſt, acie inſtructa conſtitit, conatus Petri exſpectans, ut ex illis ipſe conſilium caperet: totaque nox ita traducta eſt; cum miſſilibus tantummodo eminus mutuo ſe inceſſerent, nemoque ſe loco moveret; ejuſdemque rei exſpectatio illinc ſpe, hinc metu animos Ducum verſaret: ſperante Petro Factionis ſuæ homines favore exercitus jam in urbem introductis tutos motum tandem excitaturos, atque adarma conſurrecturos; idemque Andegavenſi timente, ac mobilia multitudinis ingenia formidante: cui rei ut, quantum humana providentia poſſet, occurreret, Paulum Adornium, qui erat in proximo, triremi ad eum miſſa, propere accerſit, ut nomen adverſæ Factionis Petro opponeret: lux orta pugnam, quæ ad eam horam ſegnis fuerat, irritavit; acriterque dimicabatur, cum collis Petræ minutæ percommodus eſſet Petro; Andegavenſi contra arx Caſtellettum imminens tutelæ eſſet: ſub quam, cum à Fulgoſianis numero ſuperioribus premebatur, ſe recipiebat, intra ſepta interioris urbis muri ſuos ſubducens: cui cum multi auctores eſſent, ut ſeſe in arcem ipſam recipiens, ſaluti conſuleret; degener conſilium auribus & animo adſpernatus eſt, cum magna vocis & vultus contentione reſpondiſſet, non eo adhuc res adductas, ut tali conſilio locus eſſet; oreque alacri & erecto certam victoriæ fiduciam præferret. Longe illius habitus animi in Petro fuit, mœrente & ingemiſcente, Factionis ipſius Fulgoſianæ homines ita à ſe alienatos, ut nullo metu ipſos cohibente, ne ullus quidem vel minimus motus in civitate fieret: qui mœror crevit, cum auditum eſt, in urbe nomen Adornium clara voce ſubjici; triremiſque portum ſubiens conſpectata eſt, quam Paulum Adornium vehere fama exierat: ſecum igitur reputans, illud ſeſe tantorum conſiliorum apparatum aſſecutum, ut procul amiſſum principatum recuperaret, in cum inimicos ſuos, adverſæque Factionis principes à ſe toties expulſos induceret; remque ad iniqua inclinatam cerneret; in rabiem verſus, atque ad omnia præcipitia paratus in inferiora deſcendit: ac cum delecta manu portam ſancti Thomæ petit, eo conſilio, ut, illa occupata, ac valida ſtatione firmata, novoque præſide Ludovico ex ædibus, in quibus ſubſtiterat, dejecto, ac nemine hoſte poſt terga relicto, ipſe deinde omnibus copiis Andegavenſem invaderet; remque communi Marti decernendam daret: ſed ſpe fruſtratus eſt: Ludovicus enim cum firmam delectorum manum circa haberet, magno animo ſeſe illi oppoſuit, acrique prælio commiſſo,

illum tandem avertit: qui ad ſuos rediens, cum interiori muro appropinquaſſet, portamque, quam Vaccarum nominant, pateſactam ac ſine ſtatione vidiſſet; ſubit animum impetus interiorem murum cum paucis illis, quos ſecum habebat, intrandi, indomita cupiditate omnia quamvis periculoſa tentandi, ſi forte ipſe intra urbem ipſam interiorem tamquam victor conſpectus ſegnitiem Factionis ſuæ hominum excitaret: quare porta præſidio equitum firmata, quibus Maſſioum fratrem & Galeottum patruelem præfecit, dato mandato, ut nulla quamvis gravi de cauſſa locum commiſſum deſererent; ipſe cum paucis interiorem murum ingreditur: ceterum, qui portæ cuſtodiæ relicti ſunt, ſive majore ſupervenicnte vi abacti, ſive cupiditate prædandi abducti, ſimul atque Petrus diſceſſit, portam deſeruerunt: quam hoſtes valida ſtatione è veſtigio firmarunt: nec major conſtantia aut fides in comitibus fuit; à quibus fere omnibus eſt deſertus, iſque ſolus cum tribus equitibus manſit: quem ex inſigni cono ſuperpoſito agnitum Coſſa inſequi ioſtitit. At Petrus ad extremam deſperationem adductus, animo agitare quemadmodum diſcrimini ſe eriperet: quare equo concitato, iter in averſam portam urbis, quæ ſpectat in Orientem, Hircorum vulgo appellatam, intendit; ſi forte per eam patentem ſe ex urbe proripere poſſet: quam rem aggreſſus eſt magis inopia conſilii, quam effectus ſpe: cum ad portam perveniſſet, eamque clauſam invenisſet; equo circumacto iter retro vertit, ignarus quo renderet, aut quam partem urbis peteret: cum aliquantum proceſſiſſet, duplicem ictum ferrei ſuſtis à Coſſa, qui numquam illum omiſerat, in capite accipit, eodemque tempore ingentibus ac crebris lapidibus ex ſummis ædibus in illum devolutis percuſſus equo dejicitur; captuſque ac ſemanimis iorer manus ab hoſtibus ipſis ſpectaculo lætis in ædes publicas defertur; in quibus paullo poſt exſpiravit: cujus examine corpus à multis hoſtili odio in illum efferatis pugionibus confoſſum eſt; iram acceptarum injuriarum, quando in vivum non potuerant, in mortuum explomentibus. Hoc miſerabili exitu Petrus Fulgoſius curſum vitæ in inimicis & adverſariis exercendis, à quibus ipſe quoque exercitus eſt, perpetuo poſitum terminavit: in quo viro haud facile ſtatuas, utrum naturæ & ingenii bona, quibus nemo omnino ea ætate inſtructior fuit, plus habeant admirationis, an pravus illorum uſus vituperationis.

Petri morte audita, ejus copiæ ſubito dilapſæ ſunt; peditumque exigua pars partim è mœnibus ſe demittentes, partim per portulam, qua urbem intrarant, ſe proripientes, ſalutem fuga expedierunt: maxima pars aut capti, aut cæſi: equitatus omnis captus eſt: in illiſque Maſſinus Petri frater, & Orlandus Fliſcus, ac Sigiſmundus Brandolinus, qui alienigena in cuſtodiam datus eſt: de Fulgoſio & Fliſco, quod Genuenſes eives eſſent, tamquam majeſtatis & perduellionis reis atque hoſtibus Regis, capitale ſupplicium ſumptum. Occupationibus Genuenſium rerum defunctus Andegavenſis, menſe Octobri à Genuenſi ora ſolvens Neapolim proficiſcitur; ſpem hominis alentibus magna Procerum Neapolitanorum parte: à quibus occultis conſiliis evocabatur: in quibus princeps fuit Joaonea Antonius Princeps Tarentinus, is ipſe, qui ſuperioribus annis Andegavenſes expellendi Alphonſo accerſito ſe auctorem palam profeſſus erat; ſive vitio ingenii, parum ſtabilis fidei ac mobilis animi vir fuerit; ſive Ferdinandi injuriis ad novorum conſiliorum neceſſitatem ſubactus ſit. Varia in eo regno repetendo fortuna uſus eſt Andegavenſis: cum initia læta fuiſſent, ac magnam partem regni recuperaſſet: ceterum exitus triſtis fuit: à Ferdinando enim regno exterminatus eſt, atque omnibus, quorum potitus fuerat, fere exutus: qui cum in inſulam Iſchiam, quæ Ænaria Veteribus fuit, ſe recepiſſet; decem triremibus à parente ſubmiſſis conſenſis, ſexto poſt anno, quam in Italiam venerat, Galliam repetit; Genua quoque urbe à Gallis, ut mox ſcribemus, amiſſa.

Petro defuncto, atque exſulibus contoſis, inſequentis anni initio ejus ſæculi ſexageſimo octavo Genuæ ab externis & urbanis motibus fuit: quod tamen leviter laceſſitum eſt à Ludovico Fulgoſio nonaginta librarum milia ſibi debita poſcente; & à Scarincio pirata, cujus paullo ſuperius meminimus; qui excurſionibus & latrociniis infeſtum circa mare faciebat: & aliquam viam rei eum Fulgoſio componendæ ineundam eſſe, & audaciæ piratæ, majore claſſe in illum emiſſa, obviam eundum, decretum eſt: ad hoc arces opidorum Mulazanæ, Camulii, Stellæ, Petræ, juſſu Magiſtratus dirutæ ſunt: quæ oulli rei, quam pecuniis abſumendis eſſent: ceterum hæc leviora erant: illud malum propius erat, atque animos civiom magis angebat; aſſiduum tributum, quod è privata re conferendum erat, in extrema ærarii inopia, tot ſumptibus in præteritabella factis exhauſti: quæ tributa affectam familiarem rem brevi confectura eſſent: quæ res magna incendia excitavit, magnorumque motuum & tumultuum cauſſa fuit; magniſque diſcordiis, contentionibus, poſtremo dimicationibus civitatem involvit, ut numquam Reipublicæ tempora turbulentiora, aut duriora fuerint; majoribuſque moleſtiarum tempeſtatibus jactata: defixerant animos eives in cogitationem hujus mali vel exſtinguendi, vel levandi: aliuſque aliud, pro ſe quiſque, in medium afferre, nonnulli cenſere immunitates tollendas: magnam in eam Reipublicæ levationem fore: ceterum frequentius in eam ſententiam ibatur, nullam aptiorem & expeditiorem eſſe viam difficultatis nummariæ expediendæ, quam aut nova portoria inſtituere, aut vetera augere. Enimvero plebs acriter reſiſtere, ac clamare, nihil aliud hoc eſſe, quam onera publica à divitibus in pauperes inclinare: non ferendam tantam injuriam: quinetiam, ſi quis in judicando æquitatem adhibeat, totum contra eſſe debere; onerum enim publicorum plebem expertem eſſe omnino oportere; quæ ab honoribus & commodis publicis excluſa ſit, nullaque in re Reipublicæ particeps: penes eos igitur onera eſſe debere, penes quos emolumenta & commoda ſint: ſimul Vicarium regium orare, ut ſui patrocinium ſuſciperet; ipſoſque ex hiantibus faucibus divitum & potentiorum extraheret.

Cum res aſſiduis contentionibus agitaretur, quotidieque conſilia haberentur ſine ullo fructu, plebſque contumacior in dies fieret, ac minaciter magis quam ſupplieiter ageret; ipſa quoque à præfidibus ſuis congregata eſt. Turbulentum id conſilium maxime fuit: ac clamoribus & querelis in divites & potentiores conſumptum, dum acerrimus quiſque potius principum civitatis avaritiam & ambitionem, tum autem animum plebi perpetuo iniquum lacerat; quam quidquam ſalutare in medium conſuluit. Tandem adoleſcens quidam infimæ ſortis, *Quidquid eſt*, inquit, *tot conſiliis & diſputationibus; in quibus adverſarii noſtri ſemper ſuperiores erunt, noſque artificiis ſuis ludificabunt? noſtra certamina, non diſputationes, aut verba, ſed arma & gladios decernant:* ſeque continuo ex loco, in quo congregati erant, proripit, atque ad arma conclamat: qua voce exaudita; in ſuburbio ſancti Stephani, quod intra pomœrium exteriore muro receptum magna civitatis pars eſt, novandarum rerum cupidi (qui magnus numerus fuit) exemplo armis captis in publicum proſiliunt: portamque divi Andreæ, ac turres illam utrimque communientes validis ſtationibus firmant: clamantes, non ſeſe contra regium dominatum, ſed ad injurias à ſe arcendas arma ſumpſiſſe. At regius Vica-

A.C. 1460.

carius incitatos plebis animos potius miti oratione flectendos, quam, obviam armis cundo, (ut multi illi auctores erant) illorum iram magis irritandam ratus, vanum id consilium expertus est; multitudine armatorum in horas crescente, seditionesque majores vires paullatim sumente: ut infequenti nocte ii omnes, quos luce ac palam ad arma ire pudor prohiberat, in armis omnes fuerint: Vicarisusque regius tantæ multitudini armatæ cedendum statuens, in arcem cum suis se recipit: at primores civitatis, omnesque boni & quieti studentes cives non desernt Republicam; sed plebem circumeuntes, ut sibi adversus singulos aliquid juris erat, prehensare; sermones tempori aptos ferre; orare, ut averterent parumper ab ira animos: quid tandem illos ex seditionibus & tumultibus quærere præter patriæ communis interitum? quæ cupiant, eadem omnia cum bono publico impetraturos; si se Regi sinant, ac salutaria auribus admittere possint, ipsi smet enim disceptatoribus, si modeste agatur, rem transactum iri.

Flectere cœperant animos, resque ad pacificationem spectare videbatur; cum ecce Paulus Fulgosius Archiepiscopus civitatis, Petri frater interfecti, & Prosper Adornius urbem ingrediuntur; quorum adventus spem bonorum ac procedentia consilia evertit: magni enim armatorum concursus subito ad utrumque facti sunt; ut studia Factionum plebem ac rerum novandarum cupidos ad sua quemque capita suosque Duces aggregabant: acriaque prælia in compluribus urbis locis commissa sunt. Terrebat in primis Nobilitatem ac principes civitatis omnesque quietos cives Pauli ingenium non minus vehemens ac fervidum, quam Petri fratris; ad hoc infinita ambitio, regnandique impotens cupido; præ qua omne jus, fas, pudor, religio apud illum levia essent: præterea animus immitis, tantis injuriis læsus, ac lædendi cupidus: facile autem esse hominem evertere, Prospero sibi adjuncto: cum quo non mitioribus ipso per se Adornianæ Factionis opibus subnixo, si Nobilitas ac Vicarius regius vires suas conjungerent, illico Paulum triplici machina oppugnatum ruere necesse fore. Negotium sibi deposcit gens Spinola, Prosperum in causam traducendi: cum quo complura privatæ necessitudinis atque affinitatis quoque jura sibi intercedebant. Occultis igitur colloquiis, nunciis inter Prosperum ac Vicarium ultro citroque commeantibus, agi cœptum: quæ cum sensisset Paulus noctu clam urbe excedit, in qua non se tuto esse intelligeret; atque in proxima montana concedit, eventum exspectans. At luce orta Fulgosianæ Factionis homines circumeuntes plebem sedulo monere, caverent à Nobilium artificiis; qui nihil aliud simulatione pacificandi agant, quam ut, Prospero ad se attracto, Fulgosianam Factionem urbe expellant: qua exacta, Adornianam quoque non minus invisam exterminaturos; civitatemque Gallis subjecturos, qui in miseram plebem omni præsidio nudatam omnia inhumanæ crudelitatis exempla editurі sint, quæ adversus regium dominatum arma sumere ausa sit: quod illi facinus tamquam ad divini Numinis læsi crimen revocare soliti sint. Qua oratione plebs incitata, armis iterum sumptis, seditionem integrat: consiliumque universæ civitatis convocatum est, quod omni genere hominum ac fordidorum opificum promiscuum fuit. Ibi octo opificibus sellularіis lectis, penes quos regimen rerum & totius civitatis esset, arx oppugnari decreta: ceterum longe majora momenta ad res miscendas fucrunt in Paulі Fulgosii astu & consilio, qui interea non deseruerat se, nec segne tempus triverat; re ardua tentata & ad effectum perducta: per nonnullos enim suæ Factionis homines, qui in urbe subsiterant, ad ejusmodi negotia ducenda in primis idoneos monere Prosperum cœpit, caveret ab insidiis Nobilium: errare enim illum, si putet, Nobiles perpetuos Adornіæ & Fulgosiæ gentis, atque implacabiles hostes quidquam secum sincera fide agere: popularis enim nominis odio, quod primas auctoritatis partes in urbe obtineat, summo principatus loco concesso; omnibus curis semper in classimas duns has gentes Adornіam & Fulgosiam, quarum opibus & potentia popularis dignitas inniss stet, premendas & exstinguendas fuisse intentos: cui cohsilio ipsarummet familiarum discordias, quæ Nobilium artificiis alantur, ipsas opportunas facere: resipiscendum aliquando, ac studia & vires adversus communes hostes conjungendas, causam enim, quæ una unanimos distinere videatur, præcidi facile posse, si modo uterque in suam perniciem obstinatus esse nolit: ac, quoniam tot annorum usu didicerint, summum principatus locum, in quem utraque familia tendit, neque societatem admittit, in alterutra tantum esse non posse; transigi rem facile posse vel alterno imperii usu, vel aliqua salutari inita ratione. En sese, quoniam alterum alteri cedere necesse sit, initiumque ab altero eorum fieri, ducatu cedere illi partum, summo in sacris rebus loco contentum. Prospero facile in sententiam tracto, extemplo ambo urbem repetunt; ad quorum adventum octo populi rectores illico se magistratu ac mandato munere abdicant, & in privatas domos concedunt: consilioque civitatis convocato; Paulo principe, ac tota Factione Fulgosiana haud minus quam Adorniana acriter pugnantibus; Prosper frequentioribus quam ullus ad eum diem suffragiis, Genuensium Dux renunciatur.

Igitur Gallis civitatis principatu dejectis; unum opus belli restabat arcis expugnatio: quæ situ & opere ut ea ætate in primis munita, magni ac diuturni certaminis, magnorumque impendiorum erat: ad hoc civitas eum tam potente Rege haudquaquam parem contentionem sibi esse intelligebat: ceterum rem necessariam, ac per omnia ardua & desperata tentandam & ad effectum perducendam statuebant: primum igitur, cum pecuniæ nusquam aliunde erogari possent, tributum à civibus mœrentibus quidem animo ac gementibus, ceterum doloremcompriment ibus, severe exactum est: postulatumque à Francisco Sforzia, ut, quoniam Gallos possessione Genuæ & Ligurіæ expelli, quæ Italiæ claustra & ostium sit, non minus è re ceterorum Principum, ipsiusque in primis Francisci, qui omnium proximus incendio sit, quam Genuensium ipsorum sit, in arce expugnanda sibi opc sua adesse ne graveret. Respondet haud retractanter Franciscus, sese Genuenses in tam sancto negotio libertatis fuæ tuendæ, & duri Gallorum jugi discutiendi, nullis unquam opibus suis defuturum: multæ autem exque non leves causæ Francisсum ad subitum consilium accipiendum induxerunt: primum, quod accolas Gallos abominabatur; deinde quod Ferdinandus, cui cum Gallis apertæ inimicitiæ intercedebant, cujusque idcirco partes causam Genuensium suscipiendi præcipuæ fuerant, bello domestico, eoque peracri implicitus, neque externa respicere, neque sese novo negotio onerare poterat: ad hoc occultis consiliis à Ludovico Caroli filio apud Burgundium exsulante, cum quo occultam societatem junxerat, in parentem secum discordem assidue instigabatur; atque ad illum simul & Andegavenses Genuæ expellendos incitabatur. Iis de caussis Francisсus magnum auri pondus ac mille delectos pedites Genuensibus submittit, Thoma Raitino Duce: cui duo mandata in primis dat; alterum, ut in expugnationem arcis omni ope incumbat; alterum, ut inter Prosperum & Paulum concordiam, qua una omnia continerentur, tueri studeat.

At Genuenses pecuniis & copiis aucti, oppugnatio-

tionem arcis ſedulo inſtituere incipiunt ; aliquot bombardis majoris formæ fabricatis: vinſque proximas in arcem ferentes tranſverſis ductis muris obſtruunt; ut improviſæ in urbem irruptiones obſeſſis clauſæ eſſent: qui non ſolum arcem tenebant ; ſed ſubjectam quoque ædem, ac peramplum cœnobium divi Franciſci, quod proximum arci ac prope continuatum eſt, delecta trecentorum armatorum cohorte firmarant: quotidianaque prælia ad munimenta inter Gallos & Genuenſes, qui arcem undique copiis ſuis circumſederant, committebantur: cum non modo ſagittis, ſed bombardis quoque dimicaretur: ceterum, cum ineeptum oppugnationis non procederet, conſilia ab obſidionem verſa ſunt: parſque copiarum, cum tantus numerus ad obſidionem ſupervacaneus eſſet, ad urbem Saonam recuperandam miſſa eſt: quæ brevi, irrito incepto, ne ulla quidem re tentata, redierunt ; cum Patriciorum Genuenſium, quorum ingens multitudo in eam urbem ſe ſubduxerat, ad quorum auctoritatem Saonenſes ſeſe adjunxerant, fidem in Gallorum Regem conſtantem ac ſtabilem; & urbem præſidiis & omni apparatuum & commeatuum genere affatim firmatam offendiſſent: ceterum Genuæ longe durior erat obſidentium quam obſeſſorum conditio, quippe obſeſſi areis mœnibus tecti ex tuto pugnabant: at obſidentes ictibus obnoxii vulnerabantur, multique cadebant: quotidieque exanimatorum corpora inter manus, miſerabili adſpectu, ante oculos propinquorum & cognatorum deferebantur. Illud autem erat in primis horribile, quod Galli ex arce continentibus bombardarum ictibus ſubjecta ædificia petebant: ad hoc ingentis ponderis ſaxa ac durioris quoque materiæ immanes globos è machinis, quas ingentes & crebras ſtatuerant, in ſublime intorquebant: qui magno impetu ex alto in ædificia incidentes, non modo ſumma tecta perfringebant, ſed in inferiora quoque tabulata penetrabant ; magnaſque edebant trabium & murorum ſtrages : ex quarum reſilientibus fragmentis multi exanimabantur : longe autem ærumnoſior erat pavor, quam damnum ipſum ; quippe ille ad omnes, hoc ad paucos pertinebat : nam, cum tormenta nullum certum aut deſtinatum urbis locum peterent, ſed paſſim omnes partes civitatis incertis ictibus inciderent, ac propterea nullus eſſet rutus ab illis locus, fiebat, ut ſingulorum animi exſpectatione incertæ & inevitabilis peſtis tamquam in ipſorum cujuſque capita caſuræ pavore proſtrati, inter vota & gemitus jacerent. His malis acceſſit ipſorum rerum capitum paullatim gliſcens diſcordia ; quam inter illos delatores & obtrectatores, quorum plena erant omnia, ſerere non deſiſtebant: cui malo Dux Mediolani à Legato ſuo certior factus occurrens, continuo Paulum ad ſe Mediolanum evocat. Proſper ſe ab inteſtinis inſidiis liberatum ecnſens, majore diligentia & contentione obſidionem pergit urgere.

Interea Carolus, defectione Genuenſium & obſidione arcis audita, haud contemnendas copias, quas ſubſidio ſuis mitteret, in Delphinatum contraxerat, nec numero exiguas (ſex enim millia ſub ſignis fuerunt) & genere longe firmiſſimas ; in quibus magnus loricatorum equitum numerus fuit. Eodemque tempore Renatus Rex Andegavenſis decem triremes Maſſiliæ compararat & inſtruxerat: quam claſſem præter navales ſocios ipſemet cum mille delectis militibus, quos in terram exponeret, conſcendit: cum quibus copiis Renatus mari, Dux terreſtris exercitus terra, é Gallia movent: qui ambo quarto, poſt defectionem, menſe Saonam convenerunt, à Genuenſibus civibus, quos in eam urbem conceſſiſſe diximus, honorifice atque omnibus lætitiæ ſignificationibus excepti : qui cum biduum Saonæ reficiendi à præteritis laboribus milites cauſſa ſubſtitiſſent ; Genuenſium civium clientibus ac nonnullis etiam ſtipendio ab eiſdem conductis ſibi adjunctis, maritimum & terreſtre iter Genuam intendunt ; Varagine opido ſine certamine in itinere capto.

At Genuæ quamquam initio motibus Gallorum auditis, ſuadente Franciſco Sforzia, pecuniſque adjuvante, Marcus Pius Dominus Carpenſis cum egregia equitum ala in urbem introductus fuerat, tamen hoſtilibus copiis tam propinquis, magna trepidatio fuit: civibus ſecum reputantibus, quam non ſuarum virium eſſet dimicatio cum tanto Rege terra & mari urgente : cum ne ipſæ quidem ipſorum vires totæ ioiegræ apud ipſos eſſent ; ſed magna nobilium & primariorum civium pars ab hoſte ſtaret, ejuſque partes & caſtra ſequeretur : augebant terrorem duæ res ; altera Renatus ipſe Rex præſens ; qui profecto, niſi magna & explorata prope ſpe, perſonam ſuam numquam bello & caſtris commiſiſſet ; altera genus ipſum hoſtium, quos ferebat fama homines eſſe diuturna aſſuetudine armorum duratos ac feroces ; ad hoc ingenio immites, ad facinus pronos, avidos ſanguinis, victuſque implacabiles.

At Dux Mediolanenſis non minos, quam cives ipſi, de exitu rerum Genuenſium ſollicitus, quæ regnum ſuum, rerumque ſuarum ſtatum haud leviter attingerent, Paulum Fulgoſium, cujus ingenium vividum ac ſagax, operamque fortem atque impigram magno uſui laborantibus rebus ſore intelligeret, Genuam remittit, multum prius monitum, ut concordiam cum Proſpero coleret, in qua omnia duatum harum clariſſimarum familiarum poſita eſſent. Cum Paulus faſſus vera loqui Ducem, quantum ſuum ſemper fuerit concordiæ ſtudium, illud argumento eſſe, reſpondiſſet, quod ipſe neque à Duce, neque ab ullo mortalium monitus ſuopte ingenio inductus ſponte Proſperum ad illam invitarit & adduxerit : in ea mente ſe mancre conſtanter, ac perpetuo manſurum : ceterum alienam voluntatem ſe præſtare non poſſe : vereri ſe, ac ſemper veritum Proſperi parum ſtabile ingenium atque aures delatoribus pervias : qui falſa veris miſcentes diſcordiarum cauſſas ſerere, atque omnia inter ipſos ſuſpiciosa facere non deſiſtant : ſe quidem, urbanorum artificiorum ac forenſis fuci gnarum, ad illis reſiſtendum animum obfirmaſſe : at ne Proſperum pervertant periculum eſſe, quem in fide & conſtantia retinendi ipſius in primis Ducis partes eſſe : atque ita dimiſſus a Duce, Genuam venit, comiter & hilari in ſpeciem vultu à Proſpero acceptus. Primum conſilium fuit, pecunias per æqua & iniqua cogere; iis, quæ Mediolano ſubmiſſæ fuerant, ad tantum bellum baudquaquam ſuffectoris : ceterum, cum tributum à civibus injuſſu Magiſtratuum exigi non poſſet, quæ res magni molimiris ac diuturni tractus erat ; Proſper rem novam ac peſſimi exempli ingreſſus eſt : triginta enim longe primarios cives, tam ex Nobilium Factione, quam popularium corpore, qui divitiis excellere putabantur, in arta cuſtodia retinuit ; cum ingentis mali comminatione, niſi Reipublicæ in extremis illius temporibus reſus familiari ſubveniſſent : quod impotentis tyrannidis editum ſpecimen Proſpero ad nullam rem valuit, niſi ad ingentem invidiæ molem ſibi ac genti ſuæ Adornæ conflandam : quam rem ſpectaſſe dicitur Paulus ejus conſilii auctor, vir ad omnem fallaciam compoſitus : cum omnes conſilanter reſpondiſſent ; ſeſe ad omnia ultima perpetienda potius, quam ad aſſem ea via à ſe extortum dandum paratos : qui etiam Proſper ſacinus facinore cumulans, duas ingentes corbitas, quæ erant in portu, dominis ablatas, Navarchis ejectis, occupavit, quas ad ſubita belli præſto haberet.

At Proſper & Paulus capita de ratione belli gerendi ac tantæ moli reſiſtendi conferentes, ita mu-

munera inter ſe partiuntur ; ut Paulus, flore juventutis, ac quicquid roboris eſſet in populo, ſimulque Sfortianis copiis, in quibus ſumma belli ſpes eſſet, ex urbe eductis, dorſum collis, qui a Caſtelletti arce ad extremum promontorium divi Benigni, quod eſt altetum Genuenſis portus cornu, porrigitur, occuparet ; ab eaque parte hoſti terra ac mari invadenti reſiſteret : Proſper vero cum reliquo populo in urbe ſubſiſtens, quæ ad bellum neceſſaria eſſent provideret ; ac motus & tumultus, ſi qui forte excitarentur, comprimeret : in primis Gallis ex arce erumpentibus ſeſe opponeret. Conſilius ita diſpoſitis, adventum hoſtium exſpectant ; qui interea Varagine moventes Corneliaum uſque perrexerant, qui pagus minus tribus paſſuum millibus ab urbe diſtat. Eo ſubito Proſper & Paulus, ſimulque cum illis Marcus Carpenſis, cum magna populi parte ac cum equeſtribus copiis contendunt : ceterum hoſtes, contra quam ſperarant, inſtructos, atque telis intentis in ſe venientes conſpicati, itinere extemplo retro repetito, nulla re tentata, trepido curſu in ſua ſe recipiunt ; hoſtium parte illos inſequente, ac terga premente : qui eodem impetu cœnobium divi Benigni, ac proximos colles, nemine reſiſtente, occuparunt : quam rem magni certaminis fore crediderant : Renatuſque Rex, claſſe littori divi Petri ab Arena prætenta, in ancoris ſtetit : proque certo creditum eſt ; ſi Rex porro ire pergens portum intraſſet, terreſtreſque copiæ impetu non ſuppreſſo ad mœnia acceſſiſſent ; eo die hoſtes urbe potituros fuiſſe, ac bello finem impoſituros : ceterum, ſive militum laſſitudini de longo itinere feſtorum timuerint ; ſive tumultus aliquos in civitate ſecum ipſa diſcorde excitatum iri ſperarint, quæ res urbem ſibi in manus ſine certamine traditura eſſet ; ſive cives, qui in caſtris erant Saona profecti, motu direptionis patriæ, ſi illa vi & impetu capta eſſet, illam ad neceſſitatem deditionis adigi mallent ; auctores ulterius non procedendi Gallis fuerunt. Hoſtes, caſtris ſtatutis, ac tentoriis erectis, quod reliquum ejus diei fuit, ac proximam noctem totumque inſequentem diem in eo loco ſubſtiterunt : quo tempore levibus ac crebris præliis inter Gallos & Genuenſes certatum eſt : quæ Genuenſibus fere ſecundiora animos illis auxerunt.

Biduo exacto, cœlo albeſcente, Renatus milites, qui erant in claſſe, in terram expoſitos, totumque exercitum ad ſe accerſitum inſtructum collem conſcendere jubet ; ipſe ex triremi eventuum ſpectator ſtetit : primum agmen equites levis armaturæ, ſagittariis additis, fuerunt ; in media acie robur ipſius exercitus fuit : poſtremi gregatiorum ac tironum multitudo ſequebantur. Tripartita quoque fuit Genuenſium acies : equitibus levis armaturæ ac ſagittariis à Paulo præmiſſis dato mandato, ne hoſti appropinquarent, ſed miſſilibus procul illum inceſſerent : ipſe cum robore urbanæ juventutis ac Sfortianorum militum in medio colle conſtitit ; ut iter hoſti ad arcem interrumperet : reliquam collectitiam turbam in circumpoſitis collibus diſpoſuit ; qui clamoribus & crebris incurſionibus latera exercitus petentes, hoſtem potius territarent, quam prælio tentarent. Proſper quoque haud otioſe ceſſans res in urbe ita inſtruxit : nam partem urbanarum copiarum, quas retinuerat, in maritima loca & ad extremas urbis crepidines adverſus claſſem regiam diſtribuit ; partem adverſus eruptiones præſidiariorum arci oppoſuit, ipſe cum delecta armatorum manu ad ædes publicas conſtitit ; ex quibus, ubicumque uſus & eventus rerum poſtularent, occurreret ; cum recentes commeatus atque omnia, quæ ad reficiendos milites in colle pugnantes, ubi moles belli conſiteret, ſummaque rerum vertebat, pertinebant, aſſidue

A Paulo ſubmitteret : inter quem & Gallos acre certamen interea contractum erat ; cum Galli primo impetu, conſenſo colle, planitiem quandam occupaſſent, turba ſagittariorum ſugata : quæ pugna atrocior ſubinde fiebat, copiis ſemper creſcentibus ; cum Gallis multa eſſent adverſaria, primum iniquitas locorum, Genuenſibus ſuperiora loca obtinentibus, cum ipſis in adverſum enitendum eſſet : ad hoc Genuenſes, recentibus copiis in felſarum locum ſuccedentibus, vividiores ſemper & alacriores pugnam integrarent : cum contra Galli diuturno itineris & prælii labore feſſi, cui eoſdem paucitas copiarum, nullis recentibus ſupplementis refecta objiciebat ; ad hoc æſtu & ſiti confecti, cujus ea gens intoleratiſſima eſt, animis & corpore deficere incipiebant. Cum pugna, ſpe neutro inclinata, ad meridiem producta eſſet ; repente forma illius mutata eſt : nam Galli omnibus viribus conniſi cacumen proximi collis occuparunt ; quod cernens Paulus, ne ſupernis illorum ictibus ſubjiceretur, ipſe quoque alterius collis faſtigium, pari altitudine è regione oppoſitum occupat : quos Galli bombardis ac colubrinis, quarum magnam vim habebant, è colle dejicere contendunt. At Paulus, munitione ſubito adverſus earum ictus excitata, ipſe contra ingentibus balliſtis, ac vario telorum genere Gallos petebat ; cum etiam in valle haud ſatis ampla interjecta cominus æquoque Marte pugnaretur : cum per aliquot horas ita pugnatum eſſet, fortuna vires neutro inclinante : incidit improviſa res, quæ rem ad eam horam dubiam decrevit ſecundum Genuenſes : tres enim ordinum Sfortianorum ductores nullis cum comitibus, pugna tum ut cum maxime accenſa, ſuperveniunt, Carolus Cadamuſtus, Georgius Martinus, Nicolaus Epirota, viri fortes & ſtrenui, ac longo uſu bellicarum rerum clari ; qui præceptis Franciſci Ducis inſtructi, Paulo ac Genuenſibus clara voce ita, ut à propinquioribus Gallis, qui in valle pugnabant, exaudirentur, nunciarunt, magnam equitum & peditum copiam à Franciſco ſubmiſſam adeſſe, manuque ita, ut ab hoſte quoque conſpicerentur, intenta, nonnullos incolas Porciferanos, quos ex compoſito armarant, ad exercitum tendentes demonſtrant : primum agmen adventantium Sfortianorum eſſe mentientes : quæ res Genuenſium animos mire auxit, qui ingenti clamore effuſæ lætitiæ indice ſublato, nonnunque Ducis & Sfortiæ ſubjicientes, loco, ubi conſtiterant, moventes, pleno gradu ad hoſtem contendunt, illumque magno impetu invadunt : quem alacritate hoſtium & terrore ſupervenientis auxilii, ut putabat, animo infracto tandem avertunt. Ii ſenſim atque ordines ſervantes ſe recipientes, cum poſtremum agmen prælium excipiens impetum Genuenſium ſuſtineret ; tandem, cum multitudo, quæ in montibus diſpoſita erat, clamoribus ſublatis, utà Paulo præceptum dicimus, terrorem addidiſſet ; Pauluſque ſuos ad gradum acrius inferendum hortatus, terga recedentium premens, illoſque velut miſſilium nube obruens, in effuſam ac præcipitem fugam tandem conjectos, uſque ad mare magnam illorum cædem edens inſecutus eſt : quos Renatus orantes adſpernatus navibus excipere recuſavit ; quin contra triremibus procul à littore in altum propulſis, ne milites ad eas annatare poſſent ; magna vocis aſperitate ac vultus contentione exclamavit ; milites, qui ignavia prælium deſtituiſſent, omni miſericordia indignos : quare hoſti trucidandi relicti, plus duo millia quingenti cæſi ſunt, magnaque pars, qui inconſulto pavore in mare ſe projecerant, ut nando ſalutem expedirent, undis hauſta : reliqui, qui vivi ſuperfuerunt, à Genuenſibus capti ſunt : quæ victoria

nonnullo quidem ſanguine ſtetit, compluribus ſauciatis; at nulla fere cæde, quattuor omnino tantum capitibus in omnibus illis prælijs deſideratis: cujus victoriæ memoria anniverſario ſolemni die divo Alexio feſto, quo parta eſt, celebrari decreta eſt.

Lætitiæ tantæ victoriæ partæ, ne ulla umquam quies miſeræ civitati à malis daretur, inteſtinæ diſcordiæ, ac domeſtici tumultus continuati ſunt. Proſper enim, cui elatum ac ſuperbum Pauli ingenium ſuſpectum ſemper fuiſſet, veritus, ne, ſi ille gloria tantæ rei geſtæ præfulgens urbem ingreſſus eſſet, omnium oculi in illum converterentur, ac principatus, ipſo exturbato, illi conferretur, ingreſſu in urbem Paulo interdixit. Manſuetum quoque ingenium tam atrox injuria accendiſſet; Paulus quidem ita exarſit, ut linguæ non temperaret, vociferans: *Hæccine mihi tanta victoria parta, ac tanti in patriam promerito gratia referetur, at à patria, quam ſervavi, Genuenſis civis, nullius criminis inſimulatus, cauſſa non dicta, excludar? hæccine mihi principatus illi virtute ac laboribus meis ſtabiliti mercedem perſolvit Proſper? hoc vero ex omnium ſæculorum memoria unicum in me inſignis perfidia atque ingrati animi à viro præmortuo puderis edetur exemplum? qui ſi virtutis & gloriæ meæ ignaviſſimus ipſe invidit, ac Majores quidem meos viros clariſſimos, ac de patria omnibus temporibus optime meritos, in me veretus eſt: quid enim regnum Cypri à Majoribus meis perdomitum, ipſumque ac Regem Reipublicæ Genuenſis vectigalem factum commemorem? quid Famagaſtam nobiliſſimum illius inſula emporium imperio Genuenſi adjectam? quid Corſicam Fulgoſiorum in virtute retentam, Bonifacio urbe incredibili virtutis & audaciæ exemplo ex Alphonſi faucibus ereptam? quid arcem Neapolitanam expugnatam? quid recentia optimi Ducis Thomæ, ac multiplicia in patriam merita, qua tanta fuerunt, ut merito pater patriæ appellatus ſit, ſæpeque ea urbe Sergiana, quam ſibi ſedem ſenectutis delegerat, ad principatum patriæ ultro evocatus: ut taceam Malaſpinarum gravium accolarum ac fines Genuenſes numquam venare deſiſtentium audaciam à Baptiſta fratre compreſſam? age nunc contra conferat Proſper gentis ſuæ in communem patriam merita; atque Adornorum ſuorum facinora, qui aciem ac claſſes numquam viderunt: tum vero ignavior ego, quam ille ſim; niſi mea ac meorum dignitatis acer vindex fuero:* è veſtigioque Pandulphus ſinter ſcapha piſcatoria conſcenſa, promontorio Phari ſuperato, cum vis terreſtris occluſa eſſet, in urbem venit: quem paullo poſt ipſe Paulus eadem via conſecutus eſt: quibus ſtatim imperatum eſt, ut ex urbe propere faceſſerent. Seſe euimvero facere non poſſe, reſpondet Paulus, quin Ducis dicto audiens ſit; verum cauſſam, quæ ipſum tanto edito in patriam promerito urbe expellat, quærere: ceterum res brevi à ſermonibus ad manus venit. Bartholomæus enim Auria Lambæ filius cum duabus triremibus portum ingreſſus eſt; cumque omni turba nautica armata ſeſe cum Paulo & Fulgoſis conjunxit: quos Carolus Adornius, juſſu Proſperi fratris, delecta armatorum manu ſtipatus adortus eſt; Sforzanis inſpectantibus, utque ſe prælio immiſcentibus, mediosque ſe gerentibus: tandem victoria penes Fulgoſios fuit. Proſperque cum paucis comitibus fuga ex urbe peſti ſe ſubtraxit: cujus Fulgoſii potentes facti ſunt; Spinetaque Fulgoſius Pauli conſobrinus ipſo Paulo concedente, (credo, ne ambitione inductus ea feciſſe videretur) Dux ſilentio creatus eſt.

Inſequenti nocte Ludovicus Valla Vicarius regius arce exceſſit, claſſemque Renati conſcendit; arce prius Ludovico Fulgoſio tradita, qui initio horum motuum ex urbe Sergiana, aliquot armatis, quos in agro Lunenſi corrogarat, terreſtri itinere ad urbem prænullis, ipſe cum celoce Genuam advolarat: qua arce potitus Ludovicus, Spinetæ triduo poſt, quam creatus fuerat, ſine certamine cedente, Dux creatus eſt: Vallaque Vicarius regius cum præſidio, quod in arce Caſtelletti habuerat, ſecum educto, urbi Saonæ à Renato præfectus eſt. Sub finem anni miſſi ſunt duo Legati ad Franciſcum Sforziam Ducem, Balthaſſar Lomellinus, & Gotardus Stella; ad gratias agendas, ob patrocinium Reipublicæ Genuenſis ſuſceptum & auxilia ſubmiſſa: illius enim opibus, fateri Genuenſes, Gallos Genua expulſos.

Per ea tempora Carolo ſeptimo mortuo ſucceſſit Ludovicus filius: ad quem cum Franciſcus pro veteri amicitia & ſocietate Legatum gratulatum miſiſſet; Legatus non modo non comiter neque hoſpitaliter à Rege, ſed truci vultu & aſperis verbis acceptus eſt; exprobratæ, Franciſci opibus illiuſque militum opera copias parentis deletas, Galloſque poſſeſſione Genuæ exactos: ad hoc favere Franciſcum Ferdinando regiæ Gallorum aperto hoſti; Joannique Calabriæ Duci propinquo ſuo adverſarium eſſe. Reſpondenti Legato, quin ea omnia inductum ab ipſo Ludovico, ejuſque adhortationibus Franciſcum ingreſſum; reſpondit Rex, aliud tum privatam fortunam ſuam tuliſſe, aliud nunc rationes regni ab ipſo poſtulare; quæ ſimul cum fortuna ſententiam quoque mutent: Legatumque minitabundus à ſe dimittit; cum ſe acrem ultorem injuriarum regiæ impoſitarum fore affirmaſſet.

Gallis exactis, atque Adornia gente Genua exterminata, Fulgoſiſque rerum potientibus, quieſcere aliquamdiu civitas à domeſticis motibus & ab inteſtinis malis poſſe videbatur; cum nullæ diſcordiarum civilium, quæ turbare res poſſent, cauſſæ apparerent: at eæ ſubito, unde minime ſperabatur, exortæ ſunt; hoc eſt inter ipſosmet Fulgoſios, quos cupido principatus inter ſe commiſit. Paulus enim Archiepiſcopus expoſtulare atque indignari cœpit, penes ſe labores & diſcrimina, penes alios præmia eſſe: non ſe Gallos & Adornios urbe & principatu ſibi, ſed aliis ejeciſſe: quippe alios in imperio poſitos; ſe in contemptu vivere: monſtri id ſimile eſſe, ac nullo modo ferendum: cum in ſuum aſſenſum magnam clientium manum traxiſſet, eoſque omnes, quibus facinoribus & rapinis vitam tolerare aſſuetis aptius erat Pauli ingenium: cum Ludovici nimia lenitas neque illi, neque ſuis utilis eſſet: ejuſmodi igitur hominum gregibus ſtipatus Paulus, Ludovico, ut in nulla tali ſuſpecta re, improviſo petito atque dejecto, principatum pridie Idus Majas inſequentis anni, qui fuit ejus ſæculi ſexageſimus alter, invadit, Duxque renunciatur: qui tamen principatus haud diuturnus fuit; eodem menſe occupatus & depoſitus: cum Paulus adverſus totius civitatis conſentientem voluntatem tendere tutum non duxiſſet: cives enim diuturnitate malorum feſſi, atque otii avidi, nominaque Factionum abominantes, vehementis & pertii ingenii hominem haud dubium quietis perturbatorem in principani æquis oculis adſpicere non poterant. Igitur illo ſine retractatione principatu abeunte, quattuor ex opificum corpore rectores civitatis creati ſunt; Simon Cantalupus, Chriſtophorus Davania, Dominicus Trabucus, Conradus Bozomus: quorum magiſtratus octo tantum dierum fuit; Ludovico Fulgoſio ad ſextum Idus Junias Duce tertium creato: quod occultis primariorum civium conſiliis factum eſſe creditur; totam Rempublicam in manum opificum veniſſe indignantium, neque à manſueto & moderato Ludovici ingenio abhorrentium.

Sub finem hujus anni Caliſto Pontifice mortuo, Pius ſecundus Senenſis in demortui locum ſuf-

A.C. 1461.

ſuffectus eſt: cujus pontificatus primum opus fuit, bellum Turcis indictum, cujus cauſſa Fabianum à monte Polinano egregium Juriſconſultum Genuam miſit: qui, convocato civitatis conſilio, Pontificis verbis Genuenſes pro conteſtata illorum pietate hortatus eſt, ut Majorum ſuorum & veteris gloriæ memores ſacrum bellum omnibus civitatis viribus amplecterentur. Pontificis ſollicitudine ampliſſimis verbis laudata, reſponſum eſt; Genuenſes à ſua & Majorum ſuorum pietate haud umquam deflexuros, idque cum ſua ſponte & Majorum exemplis inductos, tum Pontificis adhortationibus incitatos: duodecimque cives ex primariis electi ſunt, qui ea, quæ ad expeditionem pertinerent, procurarent.

A. C. 1463. Sub initium inſequentis anni ejus ſæculi ſexageſimi tertii Ludovicus; cui aſſidua impendia in Saonam tuendam gravia eſſe cœpiſſent, ex qua urbe nullum emolumentum perciperet, ſimul bellis civilibus ac domeſticis moleſtiis implicitus, cum magna pars Procerum, Ducibus Britanno & Burgundio rerum capitibus, ab illo defeciſſent; Franciſco Sforiæ, gratia cum illo reconciliata, tradidit: ſimul omnia jura, quæcunque Gallorum regia in urbe Genua, totaque ditione habebat, tranſtulit: cujus rei omnes Italiæ Principes per litteras ſuas certiores fecit, minas ac denunciationem inimicitiarum regiæ Gallorum addens, ſi quis Genuenſibus adverſus Franciſcum opem tuliſſet.

Interea Paulum Fulgoſium pœnitentia erperat principatus depoſiti: quare, Ludovico nullo negotio iterum dejecto, principatum iterum invaſit; quem ſibi à Pio Pontifice ratum fieri, ſeſeque legibus ſolvi, ſi quibus forte vir ſacer profanum principatum gerere prohiberetur, poſtulavit, impetravitque.

A. C. 1464. Interea Franciſcus Sforia, anno inſequenti ejus ſæculi ſexageſimo quarto ineunte, in poſſeſſionem urbis Saonæ, hominibus ea de cauſſa cum mandatis eo miſſis, à Vicario regio inductus eſt: tribuſque arcibus, quæ erant in ea urbe, traditis, paucis poſt diebus urbs Ingaunum, ceteraque Liguſticæ Occidentalis oræ opida Saonæ exemplum ſecuta, ſeſe Franciſco dediderunt: Joanne Carretto Marchione Finarii, & Lamberto Grimaldo, qui Albintemelium urbem, ac Monœcum opidum, nonnullaque alia Genuenſis ditionis loca à Republica abſtracta tenebat, adhortantibus. Gentilitium iſtud edidit Grimaldus; tamquam ab uſitato parentum & avorum more ſe degenerantem putaret, ſi cum illi nobili ac pervetuſta urbe, haud contemnendiſque opidis patriam ſpoliaſſent, ipſe, (quod unum eo tempore poterat) non ad ea, quæ reliqua erant, illi detrahenda atque ad exteros transferenda operam & conſilium contuliſſet.

At Paulus Fulgoſius Dux, qui ad eum diem ſimulationibus ſuis famæ & exiſtimationi hominum ſerviviſſet, liberas ſibi omnium rerum voluntates cernens, ſuo ingenio vivere cœpit. Ibleto enim Fliſco ſimilis ingenii viro ſibi adjuncto, omnem ducatus ſui vim in inimicos inſectandos, bonos ac quietos cives vexandos contulit; ingentibus gregibus ſatellitum ad vim, facinus, rapinas, cædes paratorum ſtipatus. Ii non noctu ſolum, ſed luce ac palam, per urbem vagi, rapere, ſpoliare, vulnerare, poſtremo occidere, nullo divini Numinis metu illos tenente, nulla hominum verecundia cohibente: ad hoc nullus eſſe judicis locus, nulla Magiſtratuum reverentia: ſua cuique libido pro lege eſſe, nullis præſidiis innocentia tuta eſſe: civitaſque funeribus aliis in alia quotidie editis ſubinde deformari: omnia denique, quæ captarum urbium ultima eſſe ſolent, pati; ut nulla aſperiora aut miſerabiliora tempora, nulluſque lugubrior rerum ſtatus Genuæ umquam fuerit, qui Adornianis ac Fulgoſianis æque odio eſſet: quare omnes boni catervatim, urbe caſtello omnium ſcelerum excedebant, impotentium tyrannorum latrocinia ſeſe eripientes, ac ſuam quiſque fortunam, ſuaque privata, conſilio publicis deſperatis, ſequentes; multique primarii cives Saonam ſe ſubduxerunt. Ii aſſiduis precibus Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolanenſium fatigare, ut miſericordia nobiliſſimæ ac finitimæ civitatis perculſis tandem illum caperet; illamque ab interitu, à quo non multum abſit, ſervandam, atque è faucibus perditorum latronum eripiendam ſuſciperet; non hoc in poſtremis laudibus illius fore. Haud retractanter ſuſcipit rem Dux, bonoque animo eſſe cives jubet: ceterum ſatius eſſe ducens rem ſine tumultu conficere, animum Pauli per Georgium Annonenſem tentat; magnis præmiis propoſitis, ſi arcem Caſtellectum ſibi in manum tradere in animum inducat. Cum nihil ea moviſſent Paulum, Dux, quoniam res conſilio non proceſſiſſet, ad arma deſcendendum intelligens, ut quantis plurimis poſſet machinis Paulum oppugnaret, Ibletum Fliſcum, Spinetam Fulgoſium, Proſperum Adornium ad ſe evocatos in ſuam ſententiam præmiis captos traducit: cum, inter cetera, caſtellum Ovadam Proſpero dediſſet; ac Jacobonus Fliſcus, qui arcem Montoginn tenebat, ipſe quoque præmiis inductus lignum Ducis Mediolani ſuſtuliſſet.

At Dux, Proceribus Genuenſibus, quos ſibi adjunxerat, ad partes impoſitas exſequendas dimiſſis, Jacobum Vimercatum cum ingentibus copiis in Paulum mittit. Is per vallem Porciferæ iter faciens, Cornelianum uſque pagum perrexit, ibique ſubſtitit; ut multis ad illum quotidie confluentibus, exercitum augeret: cui ſe ſubito peditatus à Duce Saonam miſſus aggregavit, multique ex primaria Nobilitate Genuentes cives ingentem plebis ruſticæ multitudinem ſecum trahentes: quorum Duces ac capita fuerunt Paulus Auria & Hieronymus Spinula. At Paulus ſeſe tantæ moli in ſe unum incumbenti, atque univerſæ civitatis odio haudquaquam parem intelligens; non quidem principatu cedere in animum induxit, ſed urbe excedere, ac ſe ad occaſiones recuperandi dominatus reſervare decrevit: quare arce Caſtelletto delecta quingentorum armatorum cohorte firmata, Bartholomæaque Petri Ducis fratris uxore, ac Pandulpho fratre in ea relictis; ipſe, infidelitate amicorum multum accuſata, in primis Ibleti Fliſci caput exſeveratus, qui præmiis emptus ipſum conſortem fœnorum, qualiacunque tandem fuerint, in medio curſu prodiderit, quattuor navibus conſcenſis, quas dominis invitis abſtulerat, vela in altum dat: quarum una mox demerſa, quæ navigationi inutilis, curſum ceterarum retardaret, nonnullis onerariis, quas tritico onuſtas Genuam petere fama erat, inſidiari cœpit.

At Ibletus Fliſcus, cognito Pauli diſceſſu, cum magna clientium & ditioni Fliſcæ ſubjunctorum manu ad urbem acceſſit; ac ſine certamine porta Hircorum occupata, ac præſidio firmata, ipſe cum copiis in urbem introductus in hortis Carinianis conſedit, ac Vimercatum accerſit. Retractare primo Vimercatus, neque ſatis incolis & paganis fidere, aut ſuam ſalutem mutabili ruſticorum fidei committendam ducere; tandem Ibleti & ceterorum adhortationibus victus, Idibus Aprilis Corneliano movet; longoque ac difficili circuitu per aſpera & confragoſa in vallem Biſamniam deſcendit; urbemque ingreſſus ſeſe cum Ibleto in hortis Carinianis conjungit:

triduoque porta Vaccarum, præsidio Fulgosiorum ac Joannæ Galeacio Fulgosio præfecto fugato, à Sfortianis capitur : Vimercatusque cum omnibus copiis in urbem penetrat, ædibus publicis ac circumpositis turribus ab Ibleto occupatis, ac præsidio firmatis. Tum milites, qui erant in custodia arcis, quotidie in inferiora descendere soliti, ac levibus præliis cum hostibus contendere, fiucm erumpendi fecerunt, cœnobio divi Francisci, atque intra arcis septa se continentes. Igitur Vimercatus omnibus urbis locis, præterquam arce ac cœnobio Franciscanorum, potitus, ad ædes publicas accedit, quas aucto numero validiore statione firmat : magnique subito populi concursus in ædes facti sunt, visendi hominis caussa : qui subito sublimis arreptus, & in maximam aulam delatus, consentientibus omnium studiis, magnoque animorum ardore præfes civitatis, ac Vicarius Ducis Mediolani salutatus est : consilioque confestim habito, urbis principatus in Ducem Mediolanensem translatus est ; Vimercatoque jusjurandum Ducis nomine exigente, in ejus imperia juratum : continuoque curis ad arcem urgendam adjectis, ejus rei caussa tres vastæ magnitudinis bombardæ Mediolano Genuam missæ sunt, difficili ac magni negotii attractione, per loca aspera, ardua, confragrosa. At Bartholomæa mulier sagax & astuta de deditione arcis simulate agere cœpit ; consilio, ut putabatur, extrahendi, quo interea Paulo tempus daretur ad comparandum, ac subsidio veniendum. Sensit astum Franciscus ; quare, ut Bartholomæam ad necessitatem arcis tradendæ invitam subigeret, opida Novas & Vultabium, quæ ad eum diem passus fuerat à Bartholomæa teneri, illi adcmit : quo vulnere icta Bartholomæa, per occulta consilia atque à conscientia Fulgosiorum, qui erant in arce, secreta, pacta, ut sibi Novæ restituerentur, ac quattuordecim millia aurcorum nummûm nonnullis de caussis sibi debita, ut illa affirmabat, numerarentur ; Gaspari arcem tradidit, noctuque clam, Fulgosiis omnium rerum insciis, præfidium Sfortianorum in arcem introduxit : sicque quadraginta post Pauli discessum diebus, arx Castellettum in potestatem Ducis Mediolani venit : quibus rebus confectis, amplissima legatio viginti quatuor ex principibus civitatis ad res firmandas, conditionesque deditionis faciendas Mediolanum missa est : quibus magnifice & apparate à Duce exceptis, ac præstituto die ad Ducem introductis, in magno Procerum cœtu Baptista Guanus, ac Joannes Serra Jurisconsulti ex principibus legationis luculentis orationibus rem nobilitarunt : cum Guanus res à Genuensibus omnibus temporibus gestas, clarissimas victorias partas, urbes & insulas imperio adjectas persecutus esset ; Serra laudes Francisci Ducis, magnitudinemque rerum gestarum, clarissimasque virtutes, quæ illi ad tantum fastigium adscensum dedissent, magnifica oratione ad cælum extulisset : Franciscusque prudenti & moderata oratione nihil sure virtuti assumpsisset ; sed omnia divini Numinis benignitati accepta retulisset : addidissetque, se, non imperii proferendi cupiditate, (satis enim opulentum atque amplum regnum possidere) Genuam in fidem accepisse ; sed caritate nobilissimæ ac propinquæ urbis ruentis inductum, ut illam ab interitu sisteret, secundum eam orationem deditio sollemnibus verbis facta est ac pacta, & conditiones fœderis sancitæ.

Dum ea Genuæ & Mediolani aguntur ; Paulus infestam classem circumferens, cum quiescere non posset, oramque Ligusticam circumvolitans, Villam Francam venit ; portumque subiens, nonnullas Genuensium naves in eo deprehensas magno impetu aggressus est ; nihilque atroci prælio justi dici assecutus, irrito incepto, sub vesperum, pugna omissa, altrum petit ; itinereque in Orientem directo, Siciliam usque perrexit, naves Genuenses quæritans : adversus quem quattuor ingentes corbitæ, Francisco Spinula præfecto, Genua emissæ sunt : qui Paulum haud procul littoribus insulæ Corsicæ adeptus est : at Paulus, qui conspecto, impar sibi certamen cum Francisco ratus, in scaphas descendens sese cum maxima suorum parte in terram subduxit, navibus Francisco relictis ; quas captas Franciscus Genuam adduxit.

Modestus Franciscì principatus finem tandem imposuit seditionibus, tumultibus, bellis civilibus, rapinis, cædibus, exsiliis, ceteriisque calamitatibus ; quæ per multos annos miseram civitatem privatim & publice laceravant ; ac sanguine missò ita enervarant, ut viriles portiones in publicis vectigalibus à centenis libris ad vicenas trinas descenderint ; ac pro illis pax & tranquillitas civitatis domi & foris, otium, justitia, ceteraque felicium civitatum dona succesterunt : tantaque in caritate Franciscus cum civitate fuit, ut, Catalanis & Rege Neapolitano Corsicam vexantibus, Magistratus sancti Georgii eo, qui consecutus est annus, ipse sua sponte dominatu ejus insulæ illi cesserit ; ratus eam sub tanto Principe, & ad externos impetus, & ad intestinas seditiones tutiorem & quietiorem futuram : quem felicem civitatis cursum mors Francisci, quæ fuit ineunte vere sequentis anni ejus sæculi sexagesimi sexti, interrupit. Hoc Principe nemo ex multorum sæculorum memoria altius heroicarum virtutum ac gloriæ fastigium tenuit ; nemoque clarioribus belli ac pacis laudibus cumulatior fuit : qui inter perpetua & assidua bellicæ virtutis omnis generis edita opera, bis & vicies justa acie victor fuerit, numquam ipse victus ; ac, cum aperta vi, tum occultis insidiis totius pene Italiæ in ejus perniciem conspirantis sæpe petitus, tanta in se intenta discrimina consilio & virtute discusserit : quæ res illum opulentissimi ac nobilissimi principatus tandem compotem fecerunt. Bellicas laudes pacis artes æquarunt : nemo enim illo continentior, in subjugandisque regendis moderatior, aut justior fuit ; nemo religiosior, aut liberalior ; nemoque illum regii cultus splendore superavit : quibus virtutibus tanta in caritate cum omnibus fuit, ut ejus mors, tamquam optimi parentis, bonis omnibus acerba, Genuensibus luctuosa fuerit : qui tanto icti vulnere, ne qui novi motus ejus morte excitarentur, omnia, quæ ad statum rerum tuendum, ac principatum Galeacio filio conservandum pertinerent, providere & expedire instituunt.

Longe diverso ingenio, longeque à Francisco parente diversis moribus Galeacius fuit : quæ res longe quoque diversam fortunam illi fecerunt. Genuenses quidem Principem mutatum subito senserunt ; perampla enim legatio quattuor primariorum civium, Meliaducis Salvagi, Pauli Justiniani, Lazari Auriæ, Jacobi Afferati ad illum, ut sciret in talibus rebus officii caussa, missa, neque comiter, neque honorifice à novo Principe excepta est : quæ res eo acerbior Genuensibus fuit, quo Florentinos Legatos in majore honore habuit. Renovata sunt cum Galeacio ab eisdem Oratoribus pacta & conventiones ; in ejusque verba juratum.

Per idem tempus, cum Barchinonenses, fide pactorum fracta, quattuor corbitas ingentis magnitudinis contra Genuenses emisissent ; classis adversus illos decreta est : cujus comparandæ & instruendæ octo civibus negotium datum est, Antonio Giberto, Thobiæ Gentili, Luciano Marino, Alexio Saluccio, Luciano Spinulæ, Marco Lercario, Lazaro Varisco, Joanni Francisco Palmario : à quibus ter corbitæ omni bellico apparatu ac nautico instrumento,

A.C. 1461.

ro, ad hoc magna militum & ſociorum copia inſtructæ, comparatæ ſunt. Huic claſſi præfectus eſt Lazarus Auria: qui portu Genuenſi ſolvens, quamquam hoſtem multis in locis perquiſitum nuſquam adeptus eſt, non tamen ſegnis hominis opera fuit: diligentia enim ſua, littora ac circumjecta maria Genenſiumque commercia tuta præſtitit; navi etiam hoſtili capta, ac pari detrimento hoſti reddito, qui navem Genuenſem prius ceperat.

Sub finem hujus anni, cum leges municipales ac forenſes res multis in rebus corrigendæ viderentur, illarum emendandarum cauſſa, octo cives electi ſunt, tanto muneri aptiores viſi, Ælianus Spinula, Nicolaus Interianus, Franciſcus Salvagus, Lucas Grimaldus Juriſconſultus, Andreas Benigaſſius Juriſconſultus, Antonius Cabella, Gulielmus Marruffius, Ubertus Folieta.

Per idem tempus, cum inter Galeacium & Blancam Mariam matrem, lectiſſimam & ſapientiſſimam feminam, antiquorumque morum mulierem, non ſatis conveniret; quod mater filium à paterno corſu deflectentem aſſiduis monitis, adhortationibus, precibus; poſtremo objurgationibus quoque in rectam morum viam revocare contenderet; ille autem moroſam & incommodam libidinum moderatricem non pateretur, minuſque liberas ſe rerum voluntates habere, ægre ferret; tandem mater omnem laborem in filio regendo irritum cernens, Mediolano exceſſit, Cremona urbe, ſua dotali ſede ac domicilio ſenectutis electa: ceterum vix urbe egreſſa in opido Mariniano in morbum incidit; quo ſubito, haud ſine veneni ſuſpicione, conſumpta eſt.

A.C. Quattuor inſequentes anni nihil ſane memora-
1467. bile habent; præter nonnullas legationes levibus
1468. de cauſſis in varias partes miſſas: at, qui conſe-
1469. cutus eſt annus, ejus ſæculi ſeptuageſimus unus,
1470. contumelioſus in primis civitati noſtræ fuit: quæ,
1471. ut Galeacium cum uxore, ac fratribus, magnaque Procerum caterva, Florentia, ubi voti cauſſa fuerat, venientem honorifice exciperet, ædes publicas ac primariorum civium ædificia omni regiæ opulentiæ apparatu inſtruxerat: ampliſſima præterea dona præpararat: in quibus fuerunt quatuor crateres aurei, ſinguli duodenûm pondo: quæ omnia Galeacio ingrata fuerunt, qui ſummum civitatis contemptum præferens ipſe, & uxor, ac cæteri, qui cum eo erant, veſtitum ſordidum ac degenerem induti; non modo præparatis diverſoriis uſi non ſunt, ſed ne illa quidem adſpicere in animum induxerunt: ut tantorum apparatuum impenſæ à Genuenſibus fruſtra projectæ ſint: qui Galeacius cum triduo in arce ſuiſſet, citato ac confuſo agmine diſceſſit; ut ejus iter fugæ magis quam pacatæ profectionis ſimile eſſet: hoc Galeacii ſuperbum & arrogans factum magnum cumulum veteribus offenſionibus addidit: ceterum Galeacius paucis poſt menſibus à Senatu Genuenſi poſtulat, ut peramplam legationem ſexdecim ex principibus civitatis ad ſe mittant; velle ſeſe cum illis de magnis rebus, ac de ſumma Republica agere. Mittuntur Legati, Dominicus Spinula, Lazarus Auria, Simon Nigronius, Thobias Gentilis, Lucas Grimaldus Juriſconſultus, Marcus Lomellinus, Benedictus Fliſcus, Ambroſius Marinus, Baptiſta Guanus Juriſconſultus, Jacobus Juſtinianus, Petrus Clavarus, Franciſcus Camulius, Bendinellus Saulus, Paulus Francus Turturinus, Baptiſta Rapallus, Laurentius Preſenda. Nihil aliud cum Legatis egit Galeacius, quam de navalibus ad eam magnitudinem amplificandis, quæ quinquaginta triremes caperent: quamquam morem gerendum Duci in conſilio decretum eſt: tamen res ad effectum numquam perducta eſt.

Sub finem hujus anni ampliſſima legatio Romam decreta eſt ad Pontificem Sixtum, qui Paulo ſucceſſit, natione Ligurem, patria Saonenſem: ad pontificatum gratulandum, ſimul obedientiam de more deferendam: fuerunt autem Baptiſta Guanus Juriſconſultus, Gotardus Stella, Ludovicus Centurio, Jacobus Aſſeretus, Ambroſius Spinula, Paulus Juſtinianus, Hieronymus Grimaldus, Petrus Gentilis, qui comiter & honorifice a Pontifice accepti multa jura eximia ab illo impetrarunt, quorum diploma in tabulario publico adſervatur.

Inſequenti anno ejus ſæculi ſeptuageſimo tertio, A.C.
(nam qui anteceſſit, nihil habuit quod memoriæ 1472.
mandaretur,) Galeacio poſtulante, viginti tri- 1473.
remes armari decretæ ſunt: cujus rei cauſſa Reſpublica undecim millia aureorum nummûm inſequenti anno ejus ſæculi ſeptuageſimo quarto Ga- A.C.
leacio mutuavit; Lucæ Grimaldo Jureconſulto, 1474.
Joanne Petro Vivaldo, Pelegro Monelia, Franciſco Borlaſca ad eum miſſis: ceterum, cum omnia inter Ducem & Genuenſes ſuſpicioſa facta eſſent, Galeaciuſque ſe Genuenſibus offenſum intelligeret; vereretur, ne illi ab ira & indignatione aliquid ſubiti conſilii contra ſe caperent; mitigandum ingenium & Genuenſium animos permulcendos ratus, quattuor Genuenſium Legatos ad ſe mitti anno, qui conſecutus eſt, poſtulat. Mittuntur Jacobus Caſanova, Paulus Juſtinianus, Marcus Lercarius, Affranius Spinula; quos Galeacius comiter & benigne accepit, ipſoſque ſimul omnes illorum familiares ſplendidis ac magni pretii veſtibus donavit.

Hic annus populo Genuenſi lugubris & calamitoſus in primis ac maxime probroſus fuit; urbs Caffa, à Veteribus Theodoſiæ appellatæ, frequentis ac celeberrimi totius Euxini emporii imperio, quod multa ſæcula civitas noſtra poſſederat, ſcelere & avaritia nonnullorum ipſorummet civium noſtrorum amiſſo. Creverat ea urbs ſub Genuenſi imperio in magnas opes; civitatique noſtræ privatim & publice fructuoſiſſima erat; ob frequentia & ampla commercia, quæ privatim cives divitiis augebant: quibus rebus fiebat, ut magnam potentiam magnamque auctoritatem apud accolas Tartaros obtineret: ipſeque Tartarorum Imperator, cui latiſſime patentes circa regiones parebant, coloniam illam, quæ regnis ſuis haud exiguo emolumento eſſet, in magno pretio magnoque honore haberet: quare omnium finitimarum præfecturarum controverſiæ, Genuenſibus Magiſtratibus diſceptatoribus & arbitris (ita Imperatore volente) Caffæ tranſigebantur: neque præfectus campeſtris regionis ſine voluntate & aſſenſu Genuenſium Magiſtratuum eligebatur: quorum Magiſtratuum tanta erat in eo negotio auctoritas, ut in quem ipſi ſtudia inclinaſſent, is, victis competitoribus, præfecturæ compos fieret: præter Conſulem autem, cui duo in conſilio addebantur, & ad quem ſumma imperii pertinebat quattuorviralis Magiſtratus eligebatur rebus campeſtribus moderandis & procurandis.

Is cum eſſet ſtatus rerum, Mamaces campeſtris præfectus moritur; in cujus locum Satrapes quidam nomine Emineces ſuffectus eſt. Huic, ex teſtamento Mamacis ab Imperatore approbato, nominatus erat ſucceſſor Caraimerza Satrapes: ceterum uxor Mamacis vidua mulier prædives ac potens, inſigniſque ſuperbiæ & ambitionis femina, in eam præfecturam indomita cupiditate pro filio ſuo Seitace tendebat: cum non modo precibus & allegationibus, ſed pecuniis quoque & corruptionibus pugnaret; negotio Conſtantino Petrocoſſo Genuenſi dato; qui primo Gotofredum Lercarium Genuenſium Conſulem, ac deinde Baptiſtam Juſtinianum ſucceſſorem appellavit;

quorum fidem nullis promiſſis aſſidue obtunden-
do labefactare umquam potuit; cum viri graves
& integri providerent, quantam ea res malorum
tempeſtatem eſſet excitatura: ceterum non eadem
fides & integritas, idemque boni publici ſtudium in
ſucceſſoribus Magiſtratibus ſint; qui fuerunt Anto-
nius Cabella Conſul, atque Ubertus Squarciafi-
cus, & Franciſcus Fliſcus, illi de more in conſi-
lium additi: quattuorviri vero rerum campeſtrium
fuere, Nicolaus Turrilia, Julianus Fliſcus, Bar-
tholomæus à ſancto Ambroſio, Cyprianus Vival-
dus, cum Uberto Squarciafico altero ex Conſilia-
riis affinitate conjunctus. Horum novorum Magi-
ſtratuum electio ſpem Conſtantini ad rem iterum
tentandam erexit: qui, inito facto à Nicolao Tur-
rilia, per eum Ubertum Squarciaficum in ſenten-
tiam traxit, mille aureis nummis illi, ac duobus
millibus Squarciafico promiſſis; quod is Conſul
fuiſſet, magnumque eſſet in colonia ejus nomen
& auctoritas: qua ceteri commoti deinceps appel-
lati, omnes pretio corrupti in ſocietatem conſilii
venerunt. Seitaceque in urbem accerſito, Eminecis
per dolos & confictas calumnias peſtem machinari
incipiunt: quem per litteras occultæ amicitiæ oc-
cultorumque conſiliorum cum Imperatore Turca-
rum apud Melincherium Tartarorum Imperatorem
inſimulant: hortanturque, ut proditori præfectu-
ram abroget; aliter civitatem Caffam non poſſe
ſervari. Imperator ſeſe morem geſturum vnlnrati
colniæ reſpondet, cujus ſalutem non minus quam
ſuam cordi habeat; rationemque initurum Emine-
cis amovendi: quo tamen amoto præfecturam ad
Seitacem deferri non poſſe, Caraimerza vivente;
& potiore jure, quod illi auferri juſte non poſſit,
in ſucceſſione ſulto, & Aidaris propinqui ſui im-
menſarum opum, immenſæque potentiæ Satrapis
favore ſubniſi: ut ardua in primis & periculoſa ſit
Seitacis creatio, quæ magnis motibus ac magnis
offenſionibus cauſſam poſſit præbere: ceterum Ma-
giſtratus Genuenſes, avaritia ſtimulante, monitis
Imperatoris auribus non admiſſis, rem nihilomi-
nus urgere pergunt; multiſque ultro citroque com-
meantibus litteris & nunciis, res tandem eo dedu-
cta eſt, ut Genuenſes, modo Eminecis tolleretur, ſeſe accipere paratos dicerent quemcunque
ſucceſſurem Imperatori mittere libuiſſet. Probat
rem Impetator: Aidarique & Caraimerzæ nego-
tium evertendi Eminecis dat; ſucceſſione in præ-
fectura Caraimerzæ ſollemni jurejurando promiſ-
ſa: quibus conſiliis ac machinis in caput ſuum
cognitis, Eminecis ab omnibus deſertus, fuga,
quæ una erat ſalutis expediendæ via, ſeſe pericu-
lo ſubtrahit. Caraimerzaque & Aidares fidem pro-
miſſorum ab Imperatore poſtulant: qui, promiſ-
ſis confirmato & iterato, ea de cauſſa, iiſdem
Caraimerza & Aidare comitibus, Caffam ſe con-
fert; iſque ſolus urbem ingreditur: cum Satra-
pes, non ſatis explorata Magiſtratuum Genuen-
ſium voluntate, extra urbem ſubſtitiſſent. Magna
inter Imperatorem & Magiſtratus Genuenſes cer-
tamina ea electio præbuit: Genuenſes acriter &
obſtinate pro Seitace pugnare, qui ipſorum pro-
miſſis inductus Caffam venſſet; quorum promiſ-
ſorum fidem ſervari, ad ipſorum exiſtimationem
pertinere dicere: contra Imperator litteras ipſo-
rummet Genuenſium proferre; quibus Eminece
exſtincto libera eligendi conſilia permiſſiſſent: cap-
tinſe litteras ſuas interpretari Genuenſes: exſtin-
ctum enim illum dici, qui vel mortuus, vel in
vinculis ſit, Eminecem & vivere & in libertate eſſe.
Fluctuare inter ancipitia conſilia Imperator: nol-
le fidem Caraimerzæ & Aidari bis datam fallere;
nolle Genuenſium animos offendere: tandem U-
bertus Squarciaficus à diſputationibus in minas
verſus, *Niſi Seitacem*, inquit, *eligis*, *Imperator*,
vos omnes, *quos Saldaya*, *te inſtante*, *in vinculis ha-
bemus*, *capitales hoſtes tuos emittemus*; *quos noſtri*,
cum numero, *tum potentia ſua te ac regnum tuum in
ultimum diſcrimen adducere poſſe*: quo timore victus
Imperator Genuenſibus obſequi in animum induxit; omniumque Magiſtratuum Genuenſium vo-
luntate Seitaces in prætorio Genuenſi præfectus
campeſtris reginnis creatur.

Graviter Caraimerza & Aidares tanta injuria ex-
arſerunt; ab Imperatoreque deficientes, qui in ſua
conceſſerat, maxima Procerum & Satrapum mul-
titudine armorum ſocietate ſibi conjuncta, Emi-
necem evocarum, exturbato Seitace, in locum
ſuum reſtituunt; peſtemque atque excidium Ge-
nuenſibus conrumeliæ auctoribus machinari inci-
piunt, Turcarum Regem in ipſos incitantes; ſpe
haud dubia facta, ſi ipſe copias ſuas Caffæ admo-
viſſet, ſeſe illi urbem, & cetera loca, quæ Genuen-
ſes in ora Euxini poſſiderent, exiguo, aut nullo
certamine traditures. Haud cunctatur Turca: op-
portuneque claſſem quadringentarum octoginta na-
vium in expeditionem Cretæ præparatam in Caſ-
ſam vertit; in quam Imperator cum Seitace à Ge-
nuenſibus evocatus redierat, urbemque ab aſſi-
duis Eminecis oppugnationibus, cujus copiæ in
dies augebantur, defendebat: quæ oppugnatio à
dimidio menſe Aprili ad extremum Majum per-
ducta eſt; cum tandem claſſis Turcica Kalen-
dis Junius in ſinum Caſſenſem appulſa, copias mul-
tis in locis in terram exponit, atque urbem tor-
mentis ſtatutis verberare inſtituit, veteribuſque
mœnibus decuſſis, cuniculi agi ac nova mœnia quati
cœpta ſunt. At opidani, tantis circumſiſtentibus
terroribus, & à Turca & à Tartaris, trepidi,
clavibus urbis ad Ahamatem Turcicarum copia-
rum ſummum Ducem miſſis, deditionem faciunt.
Retractare primo Ahamates, atque, ut ſeſe de-
fenderent, monere: tandem mutata voluntate;
nuncium in urbem mittit, cui Conſul & colle-
gæ prætorium & ſublum conſulare tradunt: po-
ſtero die Ahamates arma, telaque omnia in præto-
rium comportari jubet: luſtroque habito, incola-
rum numerum nationatim recenſet, omniaque bo-
na & depoſitas pecunias profiteri exteros jubet:
ex quibus plus viginti quinque millia aureorum
nummum abſtulit: ſecundum ea, urbem ingreſ-
ſus mille quingentos impuberes Conſtantinopolim
mittit, atque omnes ſervos capit, tributumque ab
incolis, pro dignitate ac rei familiaris portione,
à quindenis uſque ad centenos aſperos exigit; di-
midiumque rei familiaris ab incolis auſert: qui-
bus rebus confectis, omnes Latini nominis inco-
las claſſe conſcenſa in urbem Peram trajici jubet:
certamque regionem hominibus in urbe Conſtan-
tinopoli vacuam ædificiis frequentandam tradit;
ceterum diſpar fuit Uberti Squarciafici & Scita-
cis exitus: nam debita merces perfidiæ Uberto per-
ſoluta eſt, ſuſpendio necato: at Seitaces reſerva-
tus, biennio poſt in præfecturam reſtitutus eſt.

Nec mihi omittendum viſum eſt memorabile
& audax facinus, quod Simon Furnarius ſelici
exitu edidit: armis enim arreptis, ac ceteros Ge-
nuenſes ejuſdem fortunæ conſortes, ut idem fa-
cerent, adhortatus, Turcas omnes, qui erant in
navi, qua vehebatur, nihil tale ſuſpicantes impro-
viſo aggreſſus obtruncat, navemque favore ſecun-
di venti à reliqua claſſe Moncaſtrum opidum ap-
pellunt, prædamque inter ſe partiuntur, quæ ſin-
gulos ditavit: verum in nonnullis minutis rebus
dividendis orta inter illos contentione, cum à ver-
bis ad jurgia, poſtremo ad ferrum veniſſet, Do-
minus Moncaſtri hæc ſentiens, navim & præ-
dam ſibi aſſumit; ipſiſque nudos & omni re ſpo-
latos dimittit.

Interea Genuæ offenſiones & animorum irrita-
tiones

tiones in Galeacium' in dies augebantur: cum neque ille, neque ejus adminiſtri & procuratores injuriarum finem facerent; pacta & conventa perfringentes, fidemque promiſſorum quotidie violantes; neque legationibus, quæ multæ quotannis alia ſuper aliam Mediolanum mittebantur, quidquam proficeretur: Duxque acerbitatem injuriarum ab ipſius procuratoribus civitati quotidie impoſitarum, cum querelæ de illis ad eum deferrentur, ſuperbis reſponſis orationeque contumeliæ plena inſuper exaſperaret: quæ res quamquam magnas animorum commotiones in omnibus faciebant; Galeaciumque haud dubium ſervitium civitati machinari, perſpicue apparebat; non tamen erat idem omnium ſenſus civium: nam alii cenſere, tantas acerbitates haud jam ferendas, ſed libertatem repetendam: neque jusjurandum obedientiæ violari, quod Galeacius toties pactis & conventis non ſtando ipſe prior perfregiſſet: contra alii nimias vires Galeacii formidare; periculoſumque ac præceps ducere, rem arduam ac minime explorati exitus aggredi; in primis vero memoriam præteritorum malorum horrere; in ea ne, Galeacii jugo excuſio, civitas iterum redigeretur, veren: præſentem igitur qualemcunque tandem fortunam potius tolerandam, quam tantam negotii ac diſcriminum molem excitandam, quæ in nullo meliore ſtatu civitatem eſſet conſtitutura.

Igitur, cum res ad defectionem ſpectaret; Galeacius, Joannis Scipionis Palavicini Vicarii ſui monitu, ad illud conſilium animum adjecit; quod, pro eo, ut defectionem impediret, illam immo maturavit: munitionem enim ab arce ad mare per mediam urbem ducere decrevit; per quam maritima ſubſidia in arcem introducerentur: cui rei idem Joannes Scipio conſilii auctor viam præmunire ex diſcordiis civitatis inſtituit: perſuadere enim plebi cœpit, tributum non recte univerſe ac promiſcue pendi; ſed diviſionem inter plebem, & tenuiores, atque Optimates fieri oportere; ſigillatimque utrumque corpus portionem ſuam tribuere; magnam in ea re allevationem oneris plebi fore: deceptos ad eum diem artificiis Optimatum, nec ſatis in ſua re ſapientes plus oneris ſubiiſſe, quam illis jure obvenat: poſtulent modo conſtanter jus ſuum: ſe enim æqua poſtulantibus auxilio & favore ſuo non defuturum. Haud mirum fuit, in animis ad omnem levem occaſionis auram natura mobilibus, ac, vel nullo magnopere propoſito emolumento, novandi res ſemper avidis, tantam & utilitatis & ſpei rem facile aſſequendi ſimul oblatam ſpeciem magnas commotiones feciſſe: acres igitur ingentique motu ad poſtulatum conſurrexerunt. Perculit ea res vehementer animos Optimatum gementinm & mœrentium, illud etiam reſtitiſſe ad ſummam malorum inteſtina odia ac civiles diſcordias.

Palavicinus igitur id, quod quæſierat, aſſecutus, ut civitatem inter ſe committeret, haud jam cunctandum ratus, juſſum Galeacii præferens, funiculo ab arce ad mare perducto, foſſam fundamentis munitionis jaciendis fodere incipit: quæ res, præter publicam cauſſam & apertum civitatis ſervitium, urbem quoque ruina innumerabilium magnificentiſſimorum ædificiorum deformabat: atrox igitur res civitatem luctu implevit; magnaſque iras & indignationes accendit: commetaque inter plebem & Optimates odia, tanquam majoris mali formidine minoris ſenſum conſopiente, exſtinxit, & in ipſum Galeacium convertit: lamentationes igitur & querelæ vulgo exaudiebantur; nudaſſe tandem animum Galeacium, ac ſervitium, quod jamdiu occultis dolis atque artibus machinatus eſſet, aperte tandem moliri. Hæc imbellis ætas, & ſexus, ac timidi & humilis animi homines flebilibus vocibus jactare: at virilis ætas, vividaque ingenia, omnesque, in quibus aliquid roboris erat, inunlibus querelis omiſſis, iniquiſſimum jugum tandem excutiendum, libertatemque repetendam ferociter conclamare: in quibus Lazarus Auna indignatione atque animi magnitudine, tum autem communis patriæ caritate proveſtus, cultello, quem geſtabat, educto, ipſis Galeacii procuratoribus atque adminiſtris inſpectantibus, funem præcidit: ut tanta conſpiratione civitatis perterritus Palavicinus domi ſe contineret, neque in publicum prodire auderet.

Quibus motibus cognitis, Galeacius, ut imminenti periculo qua poſſet occurreret, octo ex primariis civibus ad ſe accedere extemplo jubet: qui, quamquam metus civitati eſt injectus, ne Galeacius vel illorum morte ceterorum audaciam comprimere vellet, vel ſaltem ipſis in cuſtodia retentis, illis tamquam pignoribus animos Genuenſium conſtrictos libidinibus ſuis obnoxios teneret; miſſi tamen ſunt: qui cum in conſpectum ejus veniſſent, Franciſcus Marcheſius Juriſconſultus celebris nominis legationis princeps ita verba feciſſe dicitur: *Superbia, & rapacitas, ac crudelitas proximorum Ducum civium noſtrorum ad neceſſitatem exteri principatus quærendi nos adegit, Dux: quod conſilium ab invitis expreſſum divina prope virtus clariſſimi parentis tui, in cujus imperium & fidem nos tradidimus, felix etiam fecit: ejus æquitas, juſtitia, continentia, manſuetudo, moderatio firmiſſimam & ſtabilem arcem, ac nullis machinis labefactandam, aut evertendam in animis Genuenſium defixit: ut omnes præteritos malis civitatis & acerbitatibus lataremur, qua ut nobis patefeciſſent ad tam felicem ſtatum; & ad illud conſilium, ad quod nullis prementibus malis noſtra ſponte nunquam animum adjeciſſemus. Mutata vero gerendarum rerum a miniſtris tuis, fortunam quoque urbis & animos populi Genuenſis mutavit. Is nos nullis acerbitatibus vexare, nullis contumeliis afficere, pacta & fidem conventorum violare, diſcordias inter plebem & Optimates ſerere & alere nunquam deſiſterunt: poſtremo, munitione per mediam urbem ducta, novam arcem adficant: qua res apertum indicium eſt ultimum ſervitium molientium. Mitto hac in re religionem jurisjurandi ſpretam, fidem conventorum fractam: nam hæc quam pro indomitis cupiditatibus ſuis miniſtri tui levia ſemper duxerint, ſæpe experti ſumus: illud quæro, quam tandem utilitatem ſpectarint; quamque ſpem habeant in manibus: ſi imperium tuum Genuæ ſeſe ſtabiliturus putant; ut omittam vulgata & omnibus temporibus decantata illa, ſtabiliora eſſe imperia beneficio adjuncta, quam vi parata, in patrum memores recentis exempli fuiſſe videntur, cum Genuenſes tedio Ducum civium ſuorum externum imperium ſibi acciverunt: nec cogitaſſe, eo faciliorem & promtiorem eſſe à principatu ad libertatem regreſſum, quam a libertate ad externum imperium tranſitum; quod ad hunc uno tantum ſtimulo agimur, hoc eſt, injuriarum & malorum odio; & ad illum duobus, & hoc ipſo eodem malorum odio, & (quo nullus natura acrior eſt) amore libertatis. Genuenſes, Dux, ſuam fortunam, Majorum ſuorum animos gerunt: illi, fortuna civitatis ſua ferente, virtudam ingenii indolem, omnes maritimos tractus præpotentibus claſſibus obeundo, civitates & inſulas imperio addendo, exercebant: nobis quantam unam libertatis tuendæ gloriam reliquam fortuna fecit, in hac innumeris exemplis numquam nos a Majorum virtute degeneraſſe declaravimus: erationem quamvis humoli tamen apta comparatione concludam, Dux: vetus hoc eſt apud nos, Genuenſium ingenia perſimilia eſſe herbæ ozimi, quæ leviter attrectata ſuavi, aſpere & preſſe fetro odore manus perfundat.* Acris oratio vim habuit timidum ac mobile Galeacii ingenium facile mutandi: liberum igitur de re arbitrium Genuenſibus permittit: quæ res magna cum omnium læ-

titia Genuæ excepta est : plebsque exsultans (ut nullum modum in libertate exercenda habere solet) Galeacio tamquam victo verbis contumeliosis insultans, jacta fundamenta munitionis revellere aggreditur.

Galeacium, cum primus ille motus timoris desedisset, remque suis ipsam momentis expendere coepisset, pœnitentia facti cepit præputantem quam turpe, quamque ignominiosum sibi tanti faltigii Principi esset, ad primam comminationem populi sibi subjuncti, à re tanto consiliorum apparatu incepta subito destitisse. Inflammabantur hæc ab Angelo Stuffa Florentinorum Legato, qui vir paullo dicacior, quam personam publicam gerentem decuisset, facetiis & salibus suis Galeacium ceperat ; ejusque vivido & prompto ingenio mire delectabatur Galeacius : is igitur Galeacium ad dignitatem suam armis vindicandam incitare non desistebat. Galeacium anceps cura agitare : hinc cupere existimationem amissam recuperare, hinc consensum Genuensium in tuenda libertate illinc perabilem intelligere, formidareque adversum exitum, qui dedecus cumulaturus esset. Fluctuanti inter ancipitia consilia, discordia inter plebem & Optimates Genuæ in partiendis oneribus nonnullarum triremium comparandarum, animos fecit : igitur è vestigio triginta peditum millia scribi jubet : ceterum timor externus concordiæ vinculum Genuensibus fuit : qui contentionem inter se omissam, omnem in Galeacium vertunt ; sæpeque ad resistendum mutuo hortantur : at Galeacius, conspiratione Genuensium audita, primo titubare ; deinde infinitæ impensæ ratione subducta, omnibusque fere ordinum ductoribus, quique præcipuum usum in re militari habere existimabantur, ab arduo ac laborum & discriminum pleno, sine ulla magnopere effectus spe, negotio deterrentibus ; ut erat timidi ac nc ad exiguum quidem tempus stabilis ingenii, voluntatem subito mutat, atque inchoatum consilium deponit.

Ceterum Genuæ studia animorum contra Galeacium commota sensim slexere ; iniquumque tandem jugum discutiendum palam ferre, ac rem in quotidianis cœtibus & circulis sermonibus agitare : proni erant omnium animi in libertatem repetendam : ceterum, qui auderet initium facere, nemo reperiebatur. Hieronymus tandem Gentilis, magni animi, magnarumque opum juvenis, charitate patriæ stimulante, sese pro communi libertate in tantum discrimen dare non recusavit : qui, multorum ex principibus voluntate explorata, mense Junio magna armatorum manu in proximum suburbanum suum corrogata, nocte per portam divi Thomæ statione fugata cum omnibus suis urbem ingressus, libertatem discursens conclamare cœpit : ad quam vocem cum multi consurrexissent ; nonnullique se illi aggregassent ; omnibus urbis portis occupatis, in loco, quem magis idoneum judicavit, cum suis constitit, eventum exspectans : neque mens illi data est prætorium aggrediendi ; quod, haud dubitatur, quin tanta armatorum manu stipatus expugnaturus fuerit, ac præclarum consilium ad effectum perducturus. Interea, luce appropinquante, multi ab illo dilabi cœperunt : cumque clara luce se cum paucis reliquum cerneret, ad portam sancti Thomæ se recepit, quo res evaderent, exspectans.

Interea Magistratus, omnesque fere primarii cives, ac consilium civitatis, in prætorium ad Guidonem Viccomitem conveniunt : is senex, ac natura pavidus, ejusmodique motuum & contentionum insolens, trepidans saluteum suam ac statum rerum Ducis sui supplicibus verbis civibus commendabat. De consilii decreto, octo cives, præsidio armatorum illis dato, ad tumultus sedandos, ac Hieronymum compescendum mittuntur : quibus audacter obviam factus Hieronymus cum paucis illis, qui apud illum remanserant, (fuerunt autem non plus triginta numero) illos avertit, propeque factum est, ut in fugam conjicerct : tandem, viginti quattuor ex honestioribus urbis artificibus sese interponentibus, res compositæ sunt ; venia Hieronymo, omnibusque, quicumque illum secuti fuerant, data ; septingentisque aureis nummis Hieronymo numeratis, quos in libertatem patriæ asserendam impendisse dicebat : ita Hieronymus, porta restituta, gemens & mœrens tam egregios conatus irritos : ac Superos atque homines testans, brevi fore, ut Genuenses ignaviæ suæ in libertate, tanta oblata occasione, non recuperanda pœniteat, urbe excessit.

At Genuenses civitatem & Rempublicam extra noxam conservandam statuentes, quattuor Oratores ad Galeacium mittunt, Antonium Spinulam, Joannem Salvagum, Bartholomæum Juttinianum, Ubertum Folietam : qui civitatem purgarunt ; docuerunteque, nihil publico consilio motum : neque temeritatem inconsulti adolescentis civitati ac Reipublicæ assignandam. Sub finem anni repentinus & inexspectatus nuncius Galeacii cædis omnium animos stupore defixit : subiatus est conjurationc trium adolescentium ex principibus civitatis, Joannis Andreæ Lampugnani, Caroli Vicecomitis, Hieronymi Olgiati : quos ad necem Principi machinandam induxerunt, cum nonnullæ injuriæ privatim à singulis acceptæ, tum studium quoddam gloriæ ac cupiditas famæ patriæ ab impotenti tyrannide liberatæ : quod studium cum suopte ingenio susceperant, tum Nicolai Montani rhetoris, apud quem prima rudimenta adolescentiæ posuerant, imbuti : cum ille in lectionibus & disputationibus suis principum liberis, qui ad illum disciplinæ caussa confluebant, (tamquam ad eam rem formandos illos accepisset) demonstrare non desisteret, cas urbes beatas esse, quæ in libertate essent, contra eas, quæ alterius imperio parerent, miseras : claros omnes viros, quique magnas res gesserint, quorumcunque nomen ac fama ad posteritatem celebris sit, in liberis civitatibus semper fuisse : Principes enim ac Reges nimis se efferentem virtutem subjunctorum odisse, eamque omnibus iniquitatibus premere solitos, & exstinctam cupere : alebat præterea illorum spem communc universæ civitatis in Galeacium odium, ut sese facinore patrato, non modo tutos ac defensos ad satellitum Galeacii impetum, sed tamquam libertatis auctores conspectos ab omnibus certatim complexum iri sperarent : cujus libertatis nomen tota urbe discurrentes subjicere constituerant : fuit enim Galeacius, veluti monstrum quoddam, ex ingentibus vitiis & virtutibus constatum : præfulgebat in eo magnifica liberalitas, atque in omnes tam suos quam exteros beneficentia ; domestici cultus multiplex splendor omnes Reges ætatis suæ superans : conspiciebatur enim ingens vasorum aureorum & argenteorum multitudo ; nobilium equorum ex omnibus nationibus conquisitorum innumeri greges : eminebat in primis venaticus apparatus ; quem infinito sumptu tuebatur, ut ea res sola illi centenis sexagenis millibus aurcorum nummûm quotannis staret ; immani, ut illis temporibus, summa : nam, præter stabula canum, in primis oculos spectantium tenebant in peramplis porticibus falconum & accipitrum prælongi ordines perticis insidentium ; pendentia serica aulæa auro & argento egregiis acus picturis distincta & variata : doctrina, eloquentia, omnibusque ingenuis artibus claros viros undique conquisitos, magnisque stipendiis conductos apud se in honore habebat ; ad hoc bonos & recti exempli homines fovebat & amplectebatur:

batur: contra vitiis inquinatos & maleficos homines oderat & infectabatur: faciles aditus, benignæ aures: procedebant ſtipendia numquam intermiſſa aut retardata: cujus rei tam diligens obſervator fuit Galeacius, ut omnes, qui illis alebantur, quæ ſint infinita multitudo, tamquam in arce condita ea haberent. Egregias virtutes ingentia vitia deformabant, flagitia ac fœdæ corporis libidines; quibus injurias ſæpe addebat, ſtupratas a ſe matronas ſuis proſtituendo, inhumana crudelitas, avaritia, ac rapacitas inſatiabilis; nova onera ſubjunctis alia ſuper alia impoſita: quæ vitia virtutum ſplendorem obruentia exſecrabile odium illi vulgo conflarant.

Tria ſunt in conjurationibus pericula, quæ ſingula ſuperare incredibilis felicitatis eſt: primum in conjuratione ipſa ducenda, quæ ſi diutius extrahitur, vix fieri poteſt, ut non res vel proditione, vel levitate alicujus ex conſilii conſortibus, vel aliquo verbo temere pronunciato, vel aliquo nec opinato caſu emanet: alterum in facinore patrando, quod in Principem ipſum intentum ſui ipſius cogitatione animum, cum hora advenit, confundere ac pavore deſigere ſolet; deinde majeſtas ipſius Principis mentes hominum quadam ſui veneratione obſtupefaciens, ad hoc ingens Procerum atque armatorum & ſatellitum circumfuſorum numerus; quæ omnia conjuncta tanto horrore mentes perfundunt, ut ferociſſimi ceteroqui homines, atque in aſſiduis cædibus verſati, quique in acie adverſus mille in ſe intentos gladios inter fœdam & horribilem circa ſe cadentium ſtragem intrepidi ſteterint, ab hac una infinita terroris mole obrutis animis conciderint: tertium, poſt patratum facinus, periculum læti vel triſtis exitus. Horum trium, duo conſilio & audacia conjuratorum ſuperata ſunt: nam diutius re extracta, ac nonnullis clientibus ad extremum in conſiliorum ſocietatem acceptis nihil umquam emanavit: cumque Dux ad templum divi Stephani die ſilvo illi ſexto, magno Procerum numero ac tota fere Nobilitate ſtipatus, ad hoc magna armatorum & ſatellitum manu latera cingentium acceſſiſſet, nihil adoleſcentes tanto terrore offuſo infracti ſunt: Lampugnanuſque obviam Duci factus, tamquam turbam officii cauſſa ſubmovere vellet, nemine mirante, (erant enim omnes tres in intimis familiaribus & Aulicis Ducis) genu niſus, ſiniſtra in ſpeciem libellum porrigentis clara, dextera pugione inguen ad veotrem Ducis duobus lethalibus vulneribus hauſit: duoque reliqui accurrentes binis & ipſi lethalibus vulneribus Ducem confodiunt; qui, tantum Deipara nominata, examinatus coreuit. At tertium tempus uſque adeo duobus ſuperioribus non reſpondit, ut exitiale è veſtigio omnibus fuerit: nam & Lampugnanus à feroci Æthiope, qui Duci erat ab equo, cum lacinias mulierum in ſolo confidentium implicatus cecidiſſet, illico interfectus eſt. Olgiatus vero & Vicecomes acerbiſſimo ſupplicio ac cruciatibus omni humanæ patientiæ intolerabilibus audaciam lucrunt; cum Hieronymus deformitatem illam virtute honeſtaſſet; qui cum, carnifice pectus ferro aperiente, acutiſſimo doloris morſui ſuccumbere inciperet, ſubito ad priſtinum animum reverſus, conſtanti & intrepido vultu hæc verba pronunciavit; *Colligе te, Hieronyme, egregii facinoris memor: mors quidem acerba, at fama perpetua; ſtabit vetus memoria facti.* Mortuo Galeacio, nimioque illo imperio civitate liberata, Principeque ſucceſſore manſuеti ingenii puero, ac tutrice & omnium rerum procuratrice & moderatrice matre, placidis & amœnis moribus muliere; res Genuæ in multum tempus quieſcere poſſe videbantur: ſi per capita Factionum in otio eſſe licuiſſet. Ii variis in locis diſperſi, omnibus viis res novas tentandi ad eam diem obſtructis, omnique undique ſpe præciſa, morte Galeacii audita, omnes ad ipſem mutandæ fortunæ animos erexerunt.

At Genuæ, nuncio cædis perlato, Vicarius Magiſtratibus ac multis ex principibus civitatis convocatis, cum initio orationis cædem diſſimulaſſet, Ducemque tantummodo vulneratum dixiſſet; atque omnes tanti parricidii conſortes comprehenſos eſſe, meritas pœnas ſceleris mox daturos; nullumque motum Mediolani factum: vernm, ut Ducem ex humanis decedere contingat, nihil præterea, quam jacturam unius capitis fieri, omnes vires ac fundamenta principatus ſtare; paratum eſſe ſucceſſorem alterum ex duobus Galeacii liberis Joannem Galeacium natu majorem; ipſorum porro prudentiæ eſſe ſaluti ac tranquillitati patriæ conſulere, ac providere, ne quos inexſpectatus ac ſubitus caſus motus excitet. Magiſtratus & omnes convocati atroci re commoti, ſententiis exquiſitis, octoviralem Magiſtratum creant, qui quieti civitatis tuendæ omnibus curis invigilent; ampliſſima omnium rerum facultate ea de cauſſa illi permiſſa. Is Magiſtratus initio inſequentis anni, qui fuit ejus A. C. ſæculi ſeptuageſimus ſeptimus, pecunis ex tributo 1477. erogatis, ducentos pedites ordinariæ cuſtodiæ prætorii addidit: nonnullis frumenti medimnis in plebem, permulcendorum animorum cauſſa, diſtributis: per quod tempus Franciſcus Sottia Juriſconſultus Genuenſium Orator quinque aureorum nummûm millia à Sixto Pontifice in tutelam inſulæ Chii impetravit.

Initium motuum factum eſt ab Joanne Baptiſta Guarco; qui cupidus Factionem ſuam jamdiu conſopitam ac pene obliteratam renovandi, magna armatorum manu corrogata, tota valle Porciferæ diſcurrens, multis ſeſe illi ſubinde adjungentibus, omnia tumultibus complevit. Hujus tumultus cauſſa, nonnullæ peditum centuriæ Mediolano ſtatim Genuam miſſæ ſunt: quarum una aciem atque arduam viam ingreſſa, nullo certamine à ruſticanorum manu, qui omnes anguſtias inſederant, veſtibus & armis ſpoliata & profligata eſt, Guarco ſuo juſſu id factum negante: ceteræ, per altiora montium tuto & pacato itinere facto, ad mare incolumes pervenerunt; ex opidoque Vulture navigiis in urbem invectæ ſunt.

Per idem fere tempus Carolus Adornius atrociſſimam injuriam fratris conquerens, quem nullius criminis inſimulatum Mediolanenſes tot jam annos in arce Cremonæ in cuſtodia habuiſſent; ne Galeacii quidem morte, in qua omnes fere ingentium noxarum rei, ac capitalia auſi è carceribus & vinculis ſoluti fuiſſent, illum dimiſiſſent; in vallem Porciferæ venit, magnumque hominum Factionis ſuæ numerum illico ad ſe contraxit. At altera parte Fliſcorum Factionis homines maritima Orientalis oræ Ligulticæ incolentes, ipſi per ſe ſine ullo capite motus excitarunt, cupidi injurias Fliſcis à Mediolanenſibus impoſitas ulciſcendi: igitur cum magna illorum manus ad Reccum opidum convenſſet, montana petunt; conſilio caſtella veteris ditionis Fliſcorum, quæ illis exactis præſidiis Mediolanenſibus tenebantur, expugnandi. Erant tum Romæ Fliſcorum exſulantium capita; cum Genuæ unus tantummodo adoleſcens ſupereſſet Joannes Georgius. Is cum aſſiduis nunciis & precibus ab his, qui arma moverant, caput rerum acceſſeretur, emiſo Vicariu Ducis imperio, ne ab urbe diſcederet, retinebatur: cujus etiam rei cauſſa occulti cuſtodes illi circundati ſunt: ceterum, accerſentibus nullum inſtandi finem facientibus atque obteſtantibus, cauſſam ab ipſo ſuam prodi, cuſtodibus cluſis, atque imperio ſpreto, ex urbe evadit; ac Turrilium

riliam ſe confert, magna lætitia à ſuis exceptus: verum, cum firmiore ætate ac robuſtiore animo ad res regendas opus eſſet; paullo poſt Matthæus Fliſcus Danielis filius ad illos venit.

Tanti undique motus & tumultus urbi circumfuſi omnia Genuæ ſollicita & ſuſpenſa faciebant: in qua occultæ motuum cauſſæ ſenſim gliſcebant, quas nonnulli inquieti ingenii è populari corpore homines, ac præſentium rerum ſtatus pertæſi, & rerum miſcendarum cupidi, ſenſim ſerebant: ii, omiſſo diſcrimine, falſa, an vera jacerent, ac verane, an falſa invidia Nobilitatem onerarent, fremere vulgo, totam fere Rempublicam Nobilibus ceſſiſſe; illos in conſilium adhiberi, illos conſuli, illorum ſententia & arbitrio omnia regi & adminiſtrari: indigniſſimum eſſe, Nobilitatem, quæ dimidiam Reipublicæ partem, eamque populi beneficiariam habeat, artificiis ſuis totam illam ad ſe attrahere: qua oratione cum motus in animis hominum facere inciperent, eorumque licentia impunitate quotidie augeretur; metu pœnarum cohibenda viſa eſt: igitur, nonnullis, quorum ſuſpectior erat audacia, in prætorium vocatis, ac graviter & aſperis verbis objurgatis; duo ex ipſis, ut eorum exemplo ceteri comprimerentur, Baptiſta Delphinus & Benedictus Ponzonus comprehenſi, ac vincti apparitoribus in carcerem ducendi dati ſunt: quæ res per urbem vulgata haud exiguos motus continuo excitavit: nam Baptiſta Coſta & Gregorius Sorius, nonnullique alii ejuſdem in Republica ſenſus homines, ſoliti in conſilio libere ſententiam dicere, ac Nobilitatis voluntati obviam ire, ſubito ad arma conclamant, populumque ad ſeditionem hortantur: vociferantes, Nobilibus auctoribus ea fieri, quorum conſilium ſit comprehenſorum morte ceteros à ſententia in conſilio libere dicenda deterrere; ut nemo poſthac adverſus illorum libidinem vocem libertatis memorem mittere audeat: ſeditioneque commota; in ſtrepitu & tumultu furentis multitudinis Ponzonus ex apparitorum manibus ereptus eſt; cum Delphinus jam ante vultu obducto, ſilentio in arcem ductus eſſet. Jam tabernæ claudi cœperant; ſeditioneque magis ac magis ſæviente, ingens timor principibus civitatis eſt injectus: qui Vicarium Ducis circumſiſtentes omnes pro ſe quiſque ſedulo monere, ut furenti multitudini cederet, nec materiam imminenti incendio præberet: paruit Vicarius, Delphinuſque extemplo dimiſſus eſt; turbæque illico contiterunt.

Urbanis motibus auditis, Matthæus Fliſcus incertus primo animi addubitavit, an Genuam peteret: tandem ſpecioſioribus vincentibus ſilentio noctis cum paucis armatis, quos precibus ſecum trahere potuit, ad urbem accedit: ſcalisque mœnibus urbis admotis, ut tum erant omnia Genuæ cuſtodiis & vigiliis ſoluta, procuratione Reipublicæ Vicario pene omiſſa, quinquaginta armati mœnia tranſcendunt, portulaque Olivellæ appellata, quæ perpetuo negligenter adſervari ſolet, reliquas copias introducit; ac colle hortorum Cariniani occupato, libertatis nomen clara voce ſubjecit: cui ſe nonnulli illico adjungunt, leviaque prælia inter ipſos & prætorianos prodeuntes in variis locis urbis commiſſa ſunt: à quibus prætoriani, quamquam & numero & genere firmiores, inferiores ſemper diſcedebant; modicoque edito prælio pugnam ſtatim omittebant, formidine ſaxorum, quæ à mulieribus & pueris cum ipſorum ingenti detrimento ſuperne in ipſos crebriſſima dejiciebantur: ut facultas data ſit Matthæo integram noctem tota urbe diſcurrendi, ac ſeditionem ciendi: quæ res ſine effectu fuit; ut orto ſole Matthæus ſe cum paucis relictum videret, ſimiliſque exitus Hieronymi Gentilis animo obverſaretur: cepiſſet profecto fugam ceteri omnis conſilii inops; niſi ſpes, unde minime exſpectabatur, jacentem erexiſſet. Petrus enim Auria Petri filius, principibus famdiæ inviſis ac deterrentibus, cum ſeſe ex conſilio repente prorripuiſſet, togaque abjecta, ac tolo arrepto, cum Matthæo conjunxiſſet, multique ex famdiæ Auriæ clientibus ſe cum illo conſociaſſent; neque principes familiæ clamoribus, minis, adhortationibus, ad extremum precibus illos à temerario ac præcipiti conſilio avocare potuiſſent: duplicatis viribus, atque auctis animis, Vicarium oppugnare adorti ſunt Matthæus & Petrus; prætorianis, portam Hircorum & turrim ſancti Stephani adhuc tenentibus, prius dejectis. At Vicarius, cum principes civitatis illum retinere conarentur, ipſeque prævalida ac delecta mille armatorum manu communitus eſſet, numquam tamen ſe ſeptis prætorii credere voluit, ſed in arcem cum omnibus ſuis vir ſupra modum timidus ſe recepit, agmine trepido & incompoſito; Genuenſibus urgentibus ac terga cædentibus; nihilque prætorianis præ timore ſuperne venientium ſaxorum reſiſtentibus, ac galeas, thoraces, ſcuta, lanceas, ut expeditior fuga eſſet, paſſim abjicientibus: factumque eſt, ut armati ab inermibus, multi à paucis caperentur, ac vulnerarentur; multique ex prætorianis in eo itinere ſunt deſiderati. Operæ pretium eſt conſiderare, quo furoris & iraſiniæ commota multitudo progredi ſoleat: quæ, cum audiſſet, Vicarium prætorio exceſſiſſe; tamquam prætorium inviſorum hoſtium munimentum & arx eſſet libertati imminens; ac non communis patriæ & publici conſilii domicilium; accurrens, ea in illud ſocdæ rapacitatis exempla edidit, quæ nulla barbaries umquam edidiſſet: prætorio enim direpto non ſatis habuit vaſa & ſupellectilem Mediolanenſium aſportare; ſed ipſarum portarum fores, ac feneſtrarum valvas revulſas, omnemque materiam, quæ prædæ facilis fuit, abſtulit: quarum rerum refectio haud exiguo pretio publice ſtetit.

Matthæus igitur & Carolus Fliſci civitatis potentes facti univerſæ civitatis conſilium convocant, ac de Republica conſtituenda referunt. Poſtulare tempora viſa ſunt, ut regimen rerum penes populares eſſet: Nobilitatis igitur Factione haud reclamante, creatus eſt magiſtratus ex popularis corporis hominibus, qui ſummæ Reipublicæ præeſſet; appellatique ſunt libertatis Genuenſis præſides: ii fuerunt, Petrus Magiolus, Dominicus Promontorius, Ludovicus Rivarolus, Bartholomæus Canicia, Nicolaus à Marco, Gregorius Vuada: perpetuo artificio uſa Nobilium Factio; ut per ſpeciem habiti honoris popularium animos ſibi conciliaret, ea procuratione Reipublicæ illis cedens, quæ brevi lapſura eſſet; quamquam mox duo ex Nobilitatis Factione illis additi ſunt, Cevas Auria & Hieronymus Grimaldus: cumque inter majores occupationes, majores curæ non eſſent negligendæ, negotium datum eſt quatuor civibus, Alexandro Spinulæ, Uberto Folietæ, Carolo Lomellino, Baptiſtæ Juſtiniano, Florentinos, qui contra publica edicta Saonam uſque triremibus progreſſi erant, bello perſequendi & ulciſcendi. Cum bellum à Mediolanenſibus haud dubie imminere; adverſus illos iidem Matthæus & Carolus Duces creati ſunt: ceterum Optimates ac principes civitatis longe magis multitudinem, ac tenuiores, plebemque ruſticam armatam horrebant, aſſiduuſque direptionis metus bonorum animis inſidebat: cum immatura Matthæi & Caroli ætas, apud quos omnia tenuia eſſent, tantæ negotii moli par non eſſet: evocari igitur Roma placuit Ibletum Fliſcum caput familiæ, ac magnæ auctoritatis hominem: in quo uno & animus & facultas eſſet; neque voluntatem

tatem defuturam pro certo crederent imminentes motus comprimendi, Rempublicamque è tanto periculo eripendi. Varia calibus ætatem agitatam habuit Ibletus: nam initio principatus à Galeacio, cui ſuſpectus fuit, opidis ac vicis antiquæ ditionis Fliſcorum, ceteriſque omnibus ſuis ſpoliatus, ac Mediolanum ductus, ibi aliquot annos in cuſtodia fuit: aſtu tandem è manibus Ducis elapſus, omnium rerum inops multas orbis partes pervagatus, cum uſque ad extrema Galliæ proceſſiſſet, tandem Romam cum Joanne Ludovico fratre minore natu venit, brevique familiæ commendatione, quæ Romæ perpetuis honoribus floruiſſet, ac ſummum rerum faſtigium aliquando tenuiſſet, gratiam ac voluntatem multorum Aulæ Procetum, atque ipſius Sixti Pontificis tenuit: à quo diu ſuſtentatus eſt, omnibus in domeſticum cultum laute præbitis: retinebatur tamen à Pontifice rebus Mediolanenſibus favente, ac quieti Liguriæ conſulente, quam inquietum Ibleti ingenium poſſet turbare: qui, cum per crebras litteras Genuam ab Optimatibus accerſeretur, nonnulli quoque Cardinales clam illum hortarentur, ut ad liberandam patriam properaret; noctu clam biremi, quæ forte eo tempore in flumine reperta eſt, conſcenſa, ſecunda navigatione uſus brevi Genuam pervenit, honorifice ac lætè ab Optimatibus & omnibus bonis obviam effuſis exceptus: cui ſtatim ſummum bellicarum rerum imperium mandatum eſt.

Eodem tempore ceterarum omnium Factionum capita animis erectis Genuam venerunt: ii fuerunt Carolus Adornius, Auguſtinus & Jo. fratres Adornii, Raphaelis filii, qui ipſe quoque Dux Genuenſium fuit: qui tamen urbem ingreſſi non ſunt, quamquam ab Ibleto & libertatis præſidibus invitati; ſed in cœnobio divi Benigni ſubſtiterunt. Fulgoſii quoque deinceps venerunt, Jo. Galeacius, Thomaſinus, Paulus urbis Archiepiſcopus, qui Dux fuerat: qui ipſi quoque extra urbem ſubſtiterunt. Eo tempore multis de cauſſis infeliciſſimus erat civitatis ſtatus: nam & omnium animi exſpectatione ſuſpenſi & metu ſollicti erant, ancipiti & utroque ingenti periculo imminente; hinc à capitibus Factionum, quarum jamdiu compreſſa cupiditas ne tandem erumperet, periculum erat; illinc à Sfortianis Principibus, qui magna ope comparare audiebantur: ſed longe magis urebat inteſtina, viſceribuſque hærens peſtis, detrimentaque, quæ quotidie ab arce accipiebantur: tetraque & miſerabilis erat rei facies; cum arx crebris bombardarum ictibus, ad hoc mortariis novo quodam prægravis miſſilis genere ſubjecta tecta continue peteret; quæ, nullo ictu vano accidente, perfringebant, cum hominum, ac mulierum, & puerorum cæde: quæ mortaria in altum emicantia ac magno impetu decidentia fœdas publicorum & privatorum tectorum ſtrages edebant: quorum tanta vis in prætorium contorta eſt, ut, tectis omnibus in partibus perforatis, atque inferioribus tabulatis perfractis, nemo illud ſubire auderet. Idem erat privatorum ædificiorum ſubeundorum metus; cum nemini tutus eſſet in ſuaſmet ædes receptus: tormenta enim, non unum tantum urbis locum petebant, ſed paſſim emiſſa nullam partem intactam relinquebant: quod malum, cum ſua ipſum pernicie, magnum erat, tum metu & ſollicitudine abominabilius: quippe damnum ad paucos perveniebat; metus atque exſpectationis exitii nemo expers erat.

Interea Mediolani magnæ equeſtres & pedeſtres copiæ coactæ ſunt; quarum Dux creatus eſt Robertus Sanſeverinus, qui ea tempeſtate rerum militarium ſcientiſſimus habebatur: additi illi ſunt tres ex Principis patruis, Sfortia, Ludovicus, Octavianus per ſpeciem honoris Mediolano ablegati; cum tanta fratrum multitudo rebus prægravis eſſet. Interea Ibletus omnibus curis in res præmuniendas intentus, arcem Caſtellacium appellatam, in cacumine montis urbi ab Occidente imminentem, cuſtodibus, primo propugnaculo eorum negligentia ſubito occupato, turpiter ſe tradentibus, occupavit: nec parum ejus arcis expugnatione ad ſummam belli profectum videbatur: ea enim arce præſidiis in arces urbis à ſuperioribus locis ſubmittendis iter intercludebatur. At Sfortiani Genuam ſuis ipſam quoque viribus expugnandam rati, Proſperum Adornium è carcere educunt: injuriam, quæ tamen à præſenti Principe illi facta non ſit, temporibus excuſant: animum ingentibus donis atque ingenti habito honore permulcent: Vicarium enim illum Genuæ creant, ingentemque præmiorum ſpe erigunt; hortantur, ut fortem & fidelem operam in recuperanda Genua, cui ipſe cum ſummo imperio perpetuo præfuturus ſit, Principi navet: qui hoc ſummum illi beneficium perpetuo ſit debiturus, & Genuæ & dignitatis ſuæ recuperatæ. Accepit conditionem perhonorificam læto animo Proſper, vir ſincera fide ac conſtanti ingenio. His apparatibus nonnullorum principum civitatis ac bonorum animi occulte lætabantur, priſtini ac quieti civitatis ſtatus cupidi.

Interea Sfortianus exercitus, omnibus rebus ſatis paratis & inſtructis, movet: numerus copiarum, præter eos, qui ſubinde adjuncti ſunt, fuit centum viginti peditum ſigna; quæ ducebat Donatus cognomento Comes, magni in rebus militaribus nominis, qui rudimenta primæ ætatis ſub Franciſco Sfortia poſuerat; ſubque illo perpetuo militans omnes belli artes prædidicerat: & quattuor peditum alæ, quarum præfectus erat Joannes Comes: cum bis copiis Sanſeverinus ab opido Sarravalle vallem Scriviæ ingreſſus, Buzallam venit: multi autem erant in exercitu nobiſſuate & opibus inſignes Proceres: ſummus ipſe Dux Sanſeverinus, tres Principis patrui, quos diximus, Proſper Adornius, Joannes Palavicinus, qui multos annos Genuæ præfuerat, Joanpes Jacobus Trivultius Eraſmi filius, Petrus Franciſcus Vicecomes; multique primæ nobilitatis viri: qui inſignibus armis ſulgentes, ac generoſorum equitum gregibus conſpecti egregias clientium catervas ſecum trahebant: cum Marchio Montiſferacis delectam quoque quingentorum peditum manum ad exercitum miſiſſet. Conjunxerunt ſe cum exercitu omnes Spinulæ familiæ principes; quorum caput fuit Alexander Juriſconſultus, qui honoris & auctoritatis locum, quem in conſilio Galeacii obtinuerat, adhuc retinebat. Ii magnam hominum vim ex vallibus Scriviæ & Botbiliæ, quibus tum Spinulæ imperabant, præmiorum ſpe allectam ſecum eduxerant.

Interea ad Proſperum magna Porciferanorum ſuæ Factioois hominum manus convenerat: quibus iter expedientibus & præmunientibus, hoſtiles copiæ, ſine certamine ſuperatis jugis, in vallem Porciferæ deſcendunt; pacatoque agmine, itinere per longitudinem vallis facto, ad mare perveniunt. Interea Carolus Adornius, Proſperi frater, nocte, quæ præceſſerat, arcem Caſtellettum clam intraverat: cum quo complures Factionis ſuæ homines clandeſtinos ſermones contuletunt; ordoque rerum gerendarum inter ipſos compoſitus eſt.

At Ibletus, ceteris omnibus neglectis, omnes curas in hoſtilem exercitum intendit; quo ſuperato, vel abacto, cetera omnia tuta & proclivia fore ſperabat: quidquid igitur roboris ac floris in juventute Genuenſi fuit, ex urbe emiſſo, dorſum collis Promontorii copiis ſuis occupat: quibus præfectus eſt cum ceteris Fulgoſiis ipſe idem Paulus, qui in eodem loco ante annos ſexdecim de Gallis eodem modo

Genuam petentibus claram victoriam tulerat; ut fortuna loci, memoria parti decoris nondum oblitterata, fiduciam Genuensibus augeret: qui transversis trabibus, atque omni materiæ genere itinera claudere instituunt, adscensum quoque ad superiores partes variis objectis impedimentis hosti adimere: quem interea Guarcus magna Porciferanorum manu, per varias occasiones terga & latera incessendo, carpere non desistebat; qui ultra flumen Porciferam in pago Corneliano in patenti littore, atque equitatui explicando apto, consederat. Intervenit res, quæ quamquam nullum momentum ad summam rerum fecit, tamen omittenda visa non est. Benedictus enim Spinula, qui cum duabus triremibus suis Legatos ad Pontificem vehendos ceperat, mutata subito (incertum qua de caussa) voluntate, in portum redit: suspectum fuit Ibleto Benedicti factum: hominem igitur duabus triremibus, quas Philippus Lomellinus ducebat, in illum emissis, improviso comprehendere parat. Spinula, cum rem sensisset, fuga se periculo præripuit: quem cum Lomellinus aliquantum spatii insecutus urgeret, Spinula sub collem cœnobii sancti Andreæ tutum receptum habuit, lete ab exercitu acceptus, tamquam suarum partium homo. Noctem, quæ consecuta est, hostes haud parvo metu sollicitam traduxerant: nam neque Porciferanis itinerum ducibus satis fidebant, instabilis fidei & mutabilis ingenii hominibus; & adversos colles armatorum completos, crebrisque facibus collucentes cernebant, ad hoc totam belli cogitationem amplectentes angebantur, se magna annonæ inopia laborare: neque, omnibus viis clausis & obstructis, ullum aditum ad urbem videbant: omnis igitur spes in motibus civitatis esse: nam idem, quo venerant, retro iter repetere, nulla re tentata, ac tot locorum angustias superare, id cum turpe, tum periculosum in primis videri: orta luce, exercitus torrente, qui fere exsiccatus erat, trajecto, ad promontorium sensim accedit. primum agmen erant scutati: hos sequebantur sagittarii: postremi erant scloparii: claudebat agmen innumera multitudo, non tam ad pugnam, quam ad subsidia & supplementa cadentium instructa: equites ad radices collis substiterunt: cum ad cacumen evasissent, prælium cum Genuensibus commissum est, primo Lombardis secundum, [illegible] Genuensis juventutis manus superveniens, prælio inito, fortunam pugnæ mutavit. [illegible] Lombardos ad radices collis retro com[illegible], qui tamen præsidio equestrium alarum tuti [illegible] quam rem cernens Sanseverinus, non de[illegible], sed vetus ac peritus Dux equites ad pedes [illegible], ac trabes & cetera munimenta a Genuensibus opposita securibus & dolabris refringere imperat; quod dum illi impigre exsequuntur, interea [illegible], [illegible] contentio, majore [illegible] quod dum atrox esse incepit, [illegible] Carolus [illegible] Adornus [illegible], neque numero exiguo, [illegible] [illegible], qui [illegible] neque [illegible] subsisterent, [illegible] impetu [illegible] fugæ, qui civitate ultro excessit. Ejus [illegible] utrumque exercitum [illegible] animorum habitus fecit. [illegible] Genuensium, qui [illegible] pugnam commi[illegible] [illegible] Duces de commu[illegible], continuo animis [illegible] labascere cœperunt.

At Prosper [illegible] utendum ratus, fra[illegible], parva [illegible] cohorte [illegible] Adornum [illegible], per interius planum iter ur[illegible], ac per portam divi Thomæ a fratre [illegible] ingressus, ipse & frater tota urbe dis-

A currentes, ac nomen Adornium & Spinulam tantummodo subjicientes, omni mentione Joannis Galeacii compressa, ne invisum nomen animos exulceraret; totaque urbe pronunciari jubent Joannem Galeacium præteritorum erratorum atque armorum in ipsum sumptorum veniam dare. Postero die Prosper, Senatu ac multis primariis civibus convocatis, concionem habuit, in qua litteræ Principis perhumaniter scriptæ lectæ sunt: quibus Joannes Galeacius Princeps ac tutores Prosperum Vicarium suum Genuæ creabant, omnesque ad quietem ac bonum publicum atque ad obedientiam hortabantur: litteras Principis Prosper ejusmodi

B oratione subsecutus dicitur: *Non simulate me, neque fallaciter, sed ex animi sententia vobiscum agere, cives, vel ea sit fides, quod quæ vobis publice suasurus sum, ea ipse prior privatim sum amplexus: atrocibus injuriis a Galeacio affectus, omnibus meis spoliatus, tetro carcere diu maceratus, quem animum erga illum gesserim, ad intimos suos quisque referat sensus: en Joannes Galeacius filius lenissimo ac benefico ingenio Princeps, beneficiis suis paternas injurias obliteravit; meque, omnibus meis restitutis opibus, etiam & honoribus auctum, Vicarium Genuæ creavit: quod munus non tam honoris mei, quam communis boni & salutis caussa, mihi gratum sunt quod ego studiosum, quamque sinceram fidem benemerito Principi constanter præstare decrevi, eandem ut vos*

C *quoque illi præstetis, communis parens nostra, quæ aliter salva esse non potest, vos hortatur, cives: nam, per Deum immortalem, quid tandem quærimus, aut quid nobis volumus; quemque tandem fructum ex discordiis civilibus petimus, nisi ultimum rerum omnium interitum? una præteritis malis nostris, quibus misera patria lacerata & exanimata est, salutis via inventa est, Sfortiarum principatus. quod consilium divina Francisci virtus approbavit; quæ nobis continuo pacem, quietem, tranquillitatem restituit, ac finem tantis ærumnis tandem imposuit; ut omnes fateremur, in tantis hujus sæculi tenebris hoc lumen nobis affulsisse; votaque pro illius vita faceremus:*

D *ignosci nobis potest; si Galeacius filius superbia sua, ac diversa a clarissimo & sapientissimo parente regendi ratione animos nostros a principatu Sfortiano alienavit: ejus nunc morte omnes irarum caussæ sublata sunt; resque in pristinum optimum Franciscani principatus statum restituta sunt. Joannes Galeacius avitorum potius quam paternorum morum æmulus in gratiam nos accipit, nos amplectitur, omnia, quæ a benignissimi Principis liberalitate exspectare possumus, prolixe ad nos defert; ut tempora Franscisci, in quibus unis felicissimus fuit Genuæ status, plane redierint. Quid est igitur, quod tantum ultro oblatum donum, quod unum arx salutis nostræ est, non toto animo amplectamur? aut quam (malum) libertatis ma-*

E *ni jam jam ac falsissimam speciem consectamur? ad meliorem igitur mentem nos convertamus; optimumque hunc Reipublicæ statum, qui omnibus pacis bonis civitatem hanc brevi florentissimam facturus sit, amplectamur.* Oratio varie, prout cujusque sensus erat, accepta est.

At Sanseverinus reliquias belli conficere pergit: arcesque Montobium & Saximonum, Ibleto ipso tamen tradente, admisit: cum ille initio quinque millibus partim maritima, partim montana incolentibus coactis, aliquandiu restitisset. Hunc Sanseverinus, minime opportunum quieti Genuensium ingenium Mediolanum secum duxit, data fide liberaliter & honorifice illum a Principe tractatum iri: & constitit fides. Præerant tum qui-

F dem in speciem rebus Mediolanensibus mater Principis & consilium Procerum illi additum: ceterum jus imperii, & omnium rerum regimen & arbitrium erat penes Cicchum Simonettam: qui alienigena ex mediocri sorte ad summum auctoritatis locum apud Franciscum & Galeacium, ad eamque potentiam pervenerat, quæ in quovis Principis ipsius affine & cognato immodica & invidiosa fuisset: ejus igitur opera, cum, Donato Comi-

Comite capto, pervulgatum eſſet, quattuor Ducis patruos, unaque cum illis Robertum Sanſeverinum conſilia novandi res ſtruere; Saoſeverinuſque, Donato capto, una cum Ibleto Fliſco auſugiſſet; Octavianus unus ex patruis Principis fuga & ipſe capta in trajectu Abduæ, equo ab impetu fluminis perverſo, undis hauſtus eſt: reliquis tribus fratribus, Aſcanio, Sfortiæ, Ludovico locus exſulii ſingulis deſignatus eſt. Neapolis, Piſæ, Perufia; quæ ad ſplendidum cultum tuendum pertinebant, peramplè præbitis. At Sanſeverinus & Ibletus diſparem fortunam habuerunt, qui ambo in confinibus comprehenſi: Sanſeverinus dimiſſus eſt; at Ibletus Mediolanum reductus in cuſtodiam traditur. Mediolanenſes igitur Joannem Ludovicum ſuſpectum habentes; illumque, Ibleto fratre captivo, aliquid haud dubie auſurum, atque immiſcere tentaturum rati, omnibus minimis rebus invigilantes, hominem ex ea, quæ reliqua illi erat, ditione exterminare conſtituunt: adverſus quam tantam in ſe intentam procellam Jo. Ludovicus, quamquam omnium rerum egens, tamen fide, charitate, conſtantia, ſtudiis ſuorum, quæ ſumma & incredibilia in illum conſtaterunt, fretus, ad reſiſtendum ſe parat: editiſque ac ſummis cacuminibus ſe tenens, omnes viarum anguſtias munumentis objectis obſtruit. At Joannes Comes & Joannes Palavicinus copiarum Mediolanenſium Duces, cum copiis, quæ fuerunt peditum duo millia, equites quinquaginta, Genua movent; terreſtrique itinere inſuperabili omiſſo, Rapallum opidum copias trajiciunt, opidumque communiunt. Rationes Fliſci poſtulaſſent, ut ipſe munitis & inacceſſibilibus locis ſe tenens, ſine ullo diſcrimine rerum ſuarum conatus hoſtium inſpectans cluderet; ceterum inopia rerum ſubactus, cum ſuos alere jam non poſſet, in inferiora & plana deſcendit: adverſus quem hoſtis profectus non ſine ſanguine & cæde averſus eſt, & in opidum retro compulſus; quotidieque per varias occaſiones prælia inter illos committebantur. Tandem Joannes Ludovicus, cum durare jam non poſſet, neceſſitatibus victus, ad iniquas pacis conditiones deſcendit: opidis Turrilia & Roccataliata hoſti ceſſis.

Parvum hoc bellum majorem motuum origo fuit: ut eo tempore bella ex bellis ſeri neceſſe videretur: ſuſpectum enim Proſperum Sfortianis fecit; à quo ferebatur occultis ſubſidiis Joannem Ludovicum adjutum: ad hoc fama exierat, Proſperum filiam ſuam Joanni Ludovico matrimonio collocare: quod etſi falſum fuit, filia Marchionis Finarii paullo poſt ab Joanne Ludovico ducta; arta tamen affinitate Proſperum matrimonium illud cum Joanne Ludovico conjunxit: ſororis enim Proſperi filia nova nupta erat. Hominem igitur mandato vicariatus munere exigere decernunt; ac niſi voluntate cedat, vim adhibere: tam parum ſtabilis eſt Principum gratia, atque omni levi aura ſuſpicionis mutabilis: ceterum Sfortianos brevi pœnitentia conſiliorum cepit: nihilque in rebus Genuenſibus novandum viſum.

Eo tempore Thomaſinus Fulgoſius indignans ſegni exſilio ſe conſenеſcere, agitare animo cœpit de nova aliqua re audenda & molienda; rem ex re ſeri dictitans, fortunamque rebus moderari; eam audentibus adeſſe, ſegnes deſerere. Præbuerunt occaſionem conſiliis turbulentæ jamdiu Corſorum res; Proceribus illius inſulæ magiſtratus Sfortianos ſpernentibus; ac capitibus Factionum bellis civilibus, cædibus, direptionibus, ceteriſque belli cladibus omnia vaſtantibus; qui etiam ſoluti Principis metu tributa non ſolverent. Thomaſinus igitur in ea inſula ſe aliquid moturum ſperans; cum præſertim confideret, ſeſe materna origine Corſica oriundum, acceptum animis Corſorum fore; parva quædam navigia in portu Thelamonis nactus, iis conſcenſis, cum delecta trecentorum armatorum manu ex eodem portu ſolvens, Corſicam tenuit; primoque adventu Begulam opidum, ut inter Corſos non contemnendum capit: qua re Genuæ audita, Ambroſius Langaſcus cum duobus militum millibus, quos adverſus Proſperum, ut diximus, Genuam adduxerat, continuo Corſicam petit: copiſque expoſitis, ac Begulæ admotis, Thomaſino ad deditionem illico adacto leges impoſuit, ut ipſe ſedes ac domicilium cum uxore ac liberis Mediolanum Verona transferret: ita motus Thomaſini eodem fere momento temporis excitati & compreſſi ſunt. Longe majoribus tumultibus, ſeditionibus, cædibus, incendiis, direptionibus, everſionibus Liguriæ ora in Orientem verſa ardebat: cumque Catalani excurſionibus ſuis cuncta inſuper infeſta facerent; quattuor triremes adverſus illos miſſæ è portu ſunt: quarum duæ inſcitia Trierarchorum Antipoli obſeſſæ, tandem in poteſtatem hoſtium venerunt. Dolore ardentes Genuenſes ſex triremes illico inſtituunt; quibus præficiunt Ludovicum Rivarolum, virum ſtrenuum & experientem; cujuſque fortitudini & virtuti civitas in primis fidebat: Trierarchi fuerunt Benedictus Spinula, Gregorius Centurio, Joannes Baptiſta Calvus, Franciſcus Montaltus, Andreas Albericus, Franciſcus Mainerius: cum hac claſſe portu egreſſus Ludovicus hoſtem quærere inſtituit: qui eum in alio procul apparuiſſet; è veſtigio Rivarolus elaſſem in illum concitat; qui certamen detrectans, fugæ ſe mandat; remorum beneficio evadit. Rivarolus ſpe fruſtratus, ut aliquid operæ pretium faceret, inſulas Sardiniam, Corſicam, Siciliam circumvehitur; nemineque invento, Genuam revertitur.

Interea, cum inter Proſperum & Mediolanenſes omnia in dies ſuſpiciofiora fierent, alterique ſtruendis, alter cavendis inſidiis aſſidue intenti eſſent, Proſper majoribus præſidiis adverſus Sfortianos ſalutem ſuam & rerum ſuarum ſtatum præmuniendum intelligens, initio ejus, qui conſecutus eſt, anni ejus ſæculi ſeptuageſimi octavi in opem Ferdinandi Regis Neapolitani, quem Sfortianis & Reipubliceæ Florentinæ infenſiſſimum noverat, confingit. Enimvero Ferdinandus occaſionem omnibus votis optatam ultro oblatam cupide arripit; ſeſeque Proſperi, atque ejus ſalutis & dignitatis perpetuum propugnatorem fore profitetur; omneſque regni ſui vires ad illum prolixe defert: qui, ne verbis ac promiſſis, quam re promptior videretur, ingens auri pondus cum duabus triremibus ad Proſperum mittit: quo præſidio confirmatus Proſper ſeſe ad reſiſtendum Sfortianis comparat: qui cum hæc ſenſiſſent, mandatum munus illi abrogant: in cujus locum Epiſcopum Comenſem ſufficiunt; eumque cum paucis occulto Genuam mittunt, ac quid facto opus ſit, docent. Ille, mutatis veſtibus, clam, omnibuſque ignaris, urbem ingreſſus, in ædem divi Syri ſe recipit: eoque Senatu ac compluribus ex principibus civitatis convocatis, litteras Principis legit; oratque, ut pro ſua fide, proque ingenita in patriam charitate, ſibi omni ope adeſſe ne graventur, in magiſtratu ſine ſtrepitu ac tumultu incundo. Defixit ſubita & inexſpectata res audientium animos: qui cum ſe collegiſſent, nemo in illis fuit, qui non rebus Sfortianis animo faveret: ceterum in conſilio exſequendo ſententiis variatur: alii cenſere, Epiſcopo, ipſis comitantibus, ſine ullo alio apparatu, prætorium adeundum; Principiſque literis lectis, poſtulandum à Proſpero, ut abrogato munere ſucceſſori legitimo cedat: alii nimis id periculoſum ac temerarium ducere; ſed Auriæ gentis clientibus, qui ſunt in proximo, accerſitis,

A.C. 1478.

præſidiiſque ex proximis arcibus detractis, ac lateri adjunctis, tum rem tentandam. Cum nihil ſatis expedirent, animos plebis, quemadmodum affecti eſſent, circumiſſis idoneis hominibus, leniter tentari placuit. Miræ animorum inclinationes in Proſperum inventæ ſunt, omnibus nomen Sfortianum reſpuentibus: quæ etiam plebs, armis illico arreptis, per urbem diſcurrere cœpit: cujus incitato furori Nobilitas ſe ſubtrahens, partim urbe feceſſit, partim ſe variis latebris abdidit; Epiſcopuſque Comenſis ſolus relictus ægre in arcem ſe recepit.

At Proſper, cum turbæ aliquantum deſediſſent, concione convocata, tali oratione uſus dicitur: *Facilem aſſenſum mihi apud vos, cives, præbebat inſitum in nos Nobilium Factionis odium, ac perpetuus in inſectandis nos, non nobis ſolum, ſed patribus & majoribus noſtris tetiæ expertus. Patrum atque avorum ſuorum haud diſſimiles filii numquam me apud Sfortianos falſa invidia onerare, ac calumniis ſuis ſuſpectum facere deſiterunt, nihil de me Sfortianis tale ſuſpicantibus: quid enim ego ſuſpicioſi in illos unquam admiſi? perſeverunt tandem, ut mihi mandatam procurationem abrogarent; alimque in locum meum Genuam mitterent: per ſummum omnium me dedecus: quod illi non tam odio mei fecerunt, multis injuriis, aut contumeliis à me unquam laſi, quam veſtri; quorum me vident adverſus ipſorum ſuperbiam atque arrogantiam acerrimum defenſorem, ni meo præſidio undatos, vos oppreſſos ac perpetuo pedibus conculcandos tenerent. Illi vos per latus meum petunt: res eſt igitur non magis mei quam veſtri conſilii, cives. egoque id animi habiturus ſum, quod vos mihi feceritis. Vultis adverſus impotentem Sfortianorum dominatum, atque adeo atrocissimam Nobilitatis tyrannidem libertatem veſtram aſſerere? en ego vobis animam hanc devoveo, omnia ultima experiri ac perpeti paratus. Vultis cedere? ego quoque mox cedere paratus ſum.* Miras voluntatum attractiones hæc oratio ad Proſperum fecit; omneſque ex tota concione conclamarunt, ſeſe cum illo omnem fortunam ſubire paratos: ſexque ex honeſtioribus artificibus, duobus mercatoribus additis, pacificatorum nomine aſſumpto, electi ſunt: quibus poſtea in conſilio triginta, omnes ex populorum corpore dimidia pars mercatores, dimidia opifices, additi ſunt, qui res componerent una cum Proſpero, qui, vicariatus ducalis nomine abjecto, rector Genuenſium creatus eſt, ſummo rerum imperio illi mandato: cui Magiſtratui quamquam in eo complures moderati ingenii cives eſſent, cum tamen aliter furentis multitudinis rabies ſedari non poſſet, neceſſitas expreſſa eſt, Nobilitatem ab honoribus & magiſtratibus, ac publicis muneribus, omni denique procuratione Reipublicæ, lege excludendi; ut numquam, niſi cum pecuniarum exactio facienda eſſet, adhiberentur: quæ atrox injuria acerba in primis & intolerabilis Nobilitati fuit.

Eo tempore conjuratio à compluribus civitatis Florentiæ principibus, Pactiis auctoribus, facta eſt: qua alter ex fratribus Medicis Julianus in æde ſacra compluribus pugionis ictibus confoſſus in ipſo ſacro acceptis, illico examinatus corruit. At Laurentius, multis amicis ac ſacerdotibus accurrentibus, in ipſum ſacrarium raptus ac ſervatus eſt. Egregia univerſæ civitatis ſtudia ac magna amoris ſignificatio in Medicios exſtitit: nam univerſa civitas conſurgens, quoſcunque ex conjuratis comprehendit, (pauci autem evaſerunt) ignobili ac crudeli genere mortis affecit: in quibus Archiepiſcopus Piſanus è feneſtra prætoru cum toga ipſa reſti ſuſpenſus demiſſus, ſuſpendio necatus eſt: ſævitum eſt in primis in genus Pactium; cujus non modo viri interfecti & excarnificati ſunt; ſed ad infantes quoque & imbellem ætatem ira crudelis pervenit: à qua ne ipſa quidem ædificia perampla ac magnifica intacta fuerunt, maxima illorum parte ſolo æquata.

Interea Genuenſes, cum fama ingentium Sfortianorum apparatuum in dies percrebeſceret, ipſi quoque diligenter comparare inſtituunt: ac primum omnium Roberto Sanſeverino celeberrimo ejus ætatis Duci accerſito ſummum bellicarum rerum imperium mandant. Is, poſtquam milites, qui, ædificiis ædi divi Syri circumjectis occupatis, ex eis uſque ad forum mercatorium excurrebant, omnaque tumultibus ac cædibus implebant, haud ſine certamine ac cum tuina nonnullarum domorum expulillet, ſicque eam civitatis partem pacatam feciſſet, eadem cura ad domos Spinulas Luculanas, quæ & ipſæ à militibus exteris ex arcibus emiſſis occupabantur, irrito incepto tranſlata eſt: nam utraque arx Caſtellettum & Luculana eo unajoris formæ bombardas direxerunt, quibus Sanſeverinum non ſine multorum ædificiorum ſtrage abegerunt. At Sanſeverinus in omnibus maximis & minimis procurandis & obeundis multimoda opera diſtineri cœptus eſt: at primum omnium memor, quantum momenti viarum anguſtiæ ſuperiore bello feciſſent, omnia circa urbem loca munitionibus obſtruere cœpit: totum enim promontorium, quod ab urbe in mare excurrit, valido ac perpetuo munimento circumdat: præterea collem quendam in valle Porciferæ, ubi quondam arx fuerat, perpetua foſſa, propugnaculis, ac tormentis communitum cingit: à qua foſſa perpetuum murum uſque ad montem, qui duorum fratrum appellatur, longitudinis quadringentorum paſſuum, altitudinis quinque pedum, ac trium latitudinis perducit: ac nulli non rei occurrens, veritus, ne hoſtis, veteri itinere omiſſo, in vallem Biſamniam flecteret, arcemque Luculanam occuparet, tranſverſo valido muro totam latitudinem glareæ Biſamnii interſecat: quod firmis propugnaculis communit, tanto artificio factum, ut ex eo milites ad hoſtiles ictus tecti pugnarent: quibus operibus confectis, omnem exercitum Genuenſem ſub ſignis centuriat: in quo de exteris non plus fuerunt, quam quingenti armati, Neapoli per eos dies cum ſeptem triremibus miſſi; quæ Legatum Pontificium vexerunt, auctoritatis & exiſtimationis rebus addendi cauſſa miſſum: cum quibus etiam venit Ludovicus Fulgoſius, qui ſæpe Dux Genuenſium fuerat, ac trecenti, quos Auguſtinus Fulgoſius adduxerat; ac familia & cuſtodes corporis Sanſeverini, qui omnino non plus centum fuerunt: ceterum urbanæ juventutis & circumjectorum locorum, qui omnes in armis fuerunt, innumera multitudo fuit: ut exiſtimatum ſit, nullam Italiæ urbem tantam multitudinem armare potuiſſe; omneſque erant armis, tam ad ſe tutandos, quam ad hoſtem petendum egregie inſtructi. Interea Sfortianus exercitus, qui fuit duorum millium equitum ac peditum quattuordecim millium, octo gravis armaturæ, ſex levis, in quo exercitu complures Genuenſes fuerunt, Sfortia Principis fratre notho Duce, movet.

Per ea tempora Joannes Ludovicus Fliſcus, qui Antipoli, in qua urbe diu fuerat, Sfortianorum juſſu, Carpum commigrabat, Genuenſibus motibus auditis, iter Genuam flexerat, propeque ab urbe quattuor paſſuum millia ſubſtiterat, extemplo in urbem accerſitus eſt; quo paullo prius venerat Matthæus Fliſcus: horum adventu vires Genuenſium haud patum auctæ ſunt: tota Liguriæ Orientalis ora, multis montanis adjunctis, ad arma induenda ipſorum auctoritate adducta, exercituque boſtium appropinquante, Sanſeverinus Joannem Ludovicum, egregia armatorum manu illi addita, præceſſum montis cacumen prope urbem inſidere jubet; ut ex eo hoſti ſubeunti terrori eſſet, ac per occaſiones detrimenta quo-

Pag. 643

quoque inferret. Interea hoſtis Buzalla opido movens, atque per vallem Porciferæ iter faciens, urbi appropinquabat: jamque eo perrexerat, ut Joannes Ludovicus ex edito cacumine prima agmina cerneret: qui propere, ut juſſus fuerat, ſub munimentum, quod illi defendendum obvenerat, ſe recipit, dieque jam in poſtmeridianum tempus inclinato, tumultuatum aliquantum à noſtris eſt; ut in re ſubita, atque ordinibus non ſatis explicatis: re animadverſa, hoſtes inſtant, urgent tumultuantes; multique noſtrorum inconſulto animi impetu provecti, quos Joannes Ludovicus retinere non potuit, extra vallum procedentes hoſtem invadunt; quorum paucitas ab hoſtili multitudine ſubito oppreſſa eſt. Nuncius cladis in urbem perlatus non tam rei magnitudine triſtis fuit, quam omine in ſummam totius belli tamquam infeliciter inchoati. Igitur Proſper & præſides belli, nonnullis pecunias in capita Factionum diſtributis, illos ad ſortem & fidelem operam navandam hortantur. omneſque copiæ, quæ incerto hoſtium itinere varie per circumjectam regionem in ſua cuique loca aſſignata ſparſæ erant; cum hoſtis adveniſſet, ad Robertum contractæ ſunt.

Eo tempore, concione in aream, quæ eſt ante prætorium, convocata, litteræ Ducis Mediolanenſis nomine compoſitæ, ad Epiſcopum Comenſem ſcriptæ recitatæ ſunt: ſive illæ vere Ducis litteræ fuerint, ut fit, intercepteæ; ſive à Proſpero & præſidibus confictæ, & ad tempus accommodatæ: quibus Dux Epiſcopum certiorem faciebat, ſeſe internecino bello Genuenſes rebelles perſequi decreviſſe; eoſque in veram ſervitutem, ut reliquas urbes imperio ſuo ſubjunctas, redigere, nulla Reipublicæ forma illis prorſus relicta; arcibuſque omnibus tam urbis, quam dominatus Genuenſis, valido præſidio firmatis, artiſſimis vinculis illos conſtrictos tenere: iiſque de cauſſis florentiſſimas equeſtres & pedeſtres copias Genuam miſiſſe, quibus urbem diripiendam conceſſerit: quæ res milites dupliciter in immenſum ſit ditatura; & ex argenteis vaſis, pretioſaque ſupellectile, quarum rerum nulla omnino urbs ſub cœlo opulentior ſit; & ex pretio tot opulentorum capitum redimendorum: bono igitur animo eſſe juberet, qui erant in arcis præſidio; quibus perampla præmia tot exſudatorum laborum mox eſſent obventura. Hæ litteræ per urbem divulgatæ animos hominum ad ſeſe & patriam à tanto imminenti exitio defendendos acuerunt: populuſque ſub veſperum, in ſuas quiſque domos, ad quietem capiendam dimiſſus eſt: qui, circa dimidiam noctem, tinnitu, è ſublimibus turribus excitatus, ſubito conſurgens induit arma; atque urbe exiens Sanſeverino ſe adjungit: qui ſuperiora cacumina tenens; cum omnes aditus munimentis obſtruxiſſet, omniaque arte bellica præclare firmaſſet, hoſtium conatus & incepta circumſpectabat.

Interea juventus Genuenſis hoſtiles copias appropinquantes cernens, erumpere in illas cupiebat: quam Sanſeverinus intra vallum continuit: qui tamen nonnullorum ſuperexſuberanti ardori indulgere coactus eſt: ii protinus erumpentes hoſtem ſubeuntem ſagittis atque aliis varii generis miſſilibus invadunt; pugnamque aliquamdiu fortiter ſuſtinent: tandem ſuperveniente hoſtium multitudine, ac paucitatem gravante, pugnam omittunt & intra munitionem ſe recipiunt: quam hoſtes ſtatim invadunt: nec minus acriter Genuenſes reſiſtunt; atroxque prælium brevi ingentibus utrinque animis accenſum eſt; quod, ſpe neutro inclinata, per aliquot horas duravit: quod Sforziani, ut exigua quiete corpora à labore reficerent, paulliſper intermiſſum mox majore animorum ardore repetunt; pugnaque, exigua illa quiete viribus renovatis, magis irritata eſt: ter Sforziani eo die pugnam intermiſerunt, terque eandem majore irarum certamine integrarunt: tandem, viribus laſſitudine & locorum iniquitate affectis, pugnam omnino omittunt: intelligenteſque, neminem ſanum inexſuperabilibus vim afferre umquam tentaſſe, in ſua ſe recipere conſtituunt: itaque agmine ad iter compoſito, ordineſque ſervantes, ſuperiora montium cacumina petunt: quos abeuntes juventus Genuenſis inſequi, ac terga cædere, damniſque continentibus carpere cupiebat: verum à Sanſeverino retinebantur; ne temere in præcipitem caſum Rempublicam tanto diſcrimine ereptam darent: ceterum incidit caſus, qui maximæ rei occaſionem præbuit; nonnullæ enim triremes atque onerariæ à Ferdinando miſſæ, portum ſubeuntes conſpectæ ſunt: quarum adventu Sforziani, ſuſpicantes ingens aliquod ſubſidium à tanto navium numero advectum, trepidare cœperunt, atque ordines ſolvere, confuſoque agmine iter facere: quorum timore animadverſo, Genuenſes, nemine illos jam retinere valente, ac veluti furore quodam rapiente, magno impetu terga abeuntium, magniſque clamoribus atque omnibus copis invadunt: quos ſtatim fundunt ac profligant; omneſque capiunt, præter paucos principum ac nobiliorum, beneficio generoſorum equorum è peſte ereptorum: reliqua omnis multitudo ad unum capta: cum non plus ſeptingenti in tanto prælio cecidiſſent; neque ex tanto exercitu, præter primores, & partem equitatus, ad hoc perpaucos illos pedites, qui in angustiis annonæ præſidio ſubſtiterant, ullus ad ſuos incolumis pervenit: quibus Sforzianis ut nihil ad omne genus miſeriæ & ignominiæ reſtaret; maxima pars ignotorum capitum vili à Genuenſibus in remum Aragonenſibus venundati ſunt.

Victoria parta magis decore rei geſtæ ſpecioſa fuit, quam re civitati utilis: nam neque curæ civium in reliquias belli conficiendas, atque arces expugnandas continuatæ ſunt; quæ res, animis multum recenti clade fractis, perfacilis exiſtimabatur: ſed omnia ſolute & negligenter agebantur: neque pax & otium civitati reſtitutum eſt; ſed contra turbarum & diſcordiarum cauſſæ ab eadem Nobilitate alebantur, à qua ſeri cœperant: dolore enim injuriæ acceptæ ardens Nobilium Factio, deſiderioque amiſſi in Republica loci, & amiſſæ dignitatis recuperandæ flagrans; antiquam viam, quæ una expeditiſſima erat, populi inter ſe committendi ingreſſa eſt: quod vafrum conſilium ſæpe non ſine effectu fuit: Duci igitur Mediolanenſi magnopere ſuadere inſtituunt; ut Ibletum Fliſcum, cujus frater Joannes Ludovicus natu minor interea caſtella & opida ditionis Fliſcorum ab ipſis abſtracta, beneficio victoriæ utens recuperarat, liberum dimittat: nullum enim expeditius iter eſſe, aut brevius Genuæ recuperandæ, quam hujus viri potentiæ; qui totam fere Liguriæ oram in Orientem ſpectantem, atque innumeram montanorum multitudinem ſecum trahat. Probat conſilium Mediolanenſis Dux, Ibletumque è cuſtodia eductum, ac blandis verbis donisque delenitum, ingentiumque præmiorum ſpe oneratum, promiſſo ac jurejurando accepto, ſtrenuam illum fidelem operam rebus Sforzianis navaturum, dimittit. Ille enimvero tot omnium temporum injuriis à Sforzianis læſus, nullo ſe illis jure, nullaque verecundia obſtrictum cenſens, fide promiſſorum ſpreta, ac Sforzianis rebus neglectis, ad ea, quæ ipſi propiora erant, curas vertit: ceterum, cum adventum tam potentis viri libertatis præſides civitati gravem cenſerent, hominemque egentem, ſummis rei domeſticæ angustiis prementibus, nihil

nihil pro ſano facturum timerent; ejus animum donis mitigandum, ac Reipublicæ conciliandum rati, certam pecuniæ ſummam illi donant. Eo miſeriæ & ignominiæ illis temporibus civitas noſtra venerat; ut pax & quies à civibus ſuis pretio eſſet redimenda. Peconias donatas Ibletus partim inter ſuos ſtatim diſtribuit, partim immoderatis ſumptibus brevi abſumit; in quos nemo umquam fuit ingenio effuſior.

Ceterum Nobilitatis Factio nullam machinam ad præſentem rerum ſtatum evertendum omittens, eum in ſegnitie & ſocordia Ludovici Fulgoſii, qui tum erat in urbe, parum ponendum eenſeret, Baptiſtam Fulgoſium, cujus nomini memoria acerrimi parentis Petri haud parvam exiſtimationem conciliabat, accerſit; ejuſque ſpem, omnibus Nobilitatis viribus delatis, erigit. Ille enimvero cum delecta armatorum manu opido Novis movet, ad urbemque accedit: cujus motu cogniro Proſper, & præſides, omnes tranſitus viarum ſtationibus inſident: quarum Duces, fide neglecta, Baptiſtam non modo aditu non arcuerunt, ſed tutum illi inſuper iter ad arcem Caſtellettum demonſtrarunt: quam Baptiſta ſine certamine ingreſſus, paullo poſt cum armatorum centuria in aream divi Franciſci deſcendit; eoque multos ex Factione ſua convocatos in Proſperum incitat, & ad Factionem Adornianam regnantem pellendam hortatur; ſimul, ut ſibi omnium virium ſuarum conatu adeſſe, ad poſſeſſionem vicariatus Genuæ ſibi mandati adipiſcendam, ne graventur. Bono animo eſſe hominem jubent convocati; ſeſeque pro illo omnia auſuros, nullumque diſcrimen recuſaturos profitentur. Hac voluntate confirmatus Baptiſta in arcem redit; quam cum Sforziani, annona deficiente, tenere jam non poſſent; ſeſeque ob multas illatas injurias, exſecrabili odio Genuenſibus eſſe iotelligentes, nullam aliam ſe ab interitu ſervandi rationem cernerent; utramque arcem deinceps Baptiſtæ tradunt, ſalutemque ſuam illi commendant. Baptiſta arcibus potitus, urbem invadere decrevit: cojus rei cum Factionis ſuæ hominibus ordinem per occulta conſilia ita compoſuit; ut intenti ſtarent, ſonituque bombardæ diſploſæ audito, armati ad arcem accederent, ſeſe comites ſibi profilienti additurі: quibus rebus cognitis, Proſper & præſides ferro decernere, ſeſeque Fulgoſius invadentibus opponere, conſtituunt. Cum ſe prævalidis cohortibus in prætorium corrogatis communiſſent; contra magna Fulgoſianorum pars in ædes Fulgoſianas, quæ ſunt in ſuburbio ſancti Thomæ, peramplas ac quamvis magnæ multitudinis capaces ſe recepiſſet, iis Proſper Auguſtinum & Joannem Adornios, fratres, cum valida armatorum manu in area Foſſatelli (id eſt nomen loci) opponit, ac Robertum & Joannem Ludovicum Fliſcum in ſubſidiis collocat: cum Ibletus averſam urbis partem tuendam ſumpſiſſet; ac providcodum, ne qui motus in ſuburbio ſancti Stephani excitarentur: atque utraque pars animis ſuſpenſis ſonitum bombardæ exſpectabat; quo tandem edito, qui erant in Fulgoſianis, exemplo proſiliunt, Fulgoſiumque nomen magnis clamoribus ſubjicientes, celeri gradu in hoſtem tendunt: quibus Auguſtinus & Joannes Adornii acriter ſe oppoount; ſubitoque inter illos in ea via, quæ portæ interiorum mœnium Vaccarum appellatæ, & aream Foſſatelli interjecta eſt, acre prælium accenſum eſt; tandemque Fulgoſiam averſi ſunt. Prælatum quoque eſt in vaſta area, quæ ſub veteres muros eſt: ibi quoque res Adornians ſuperior fuit: ceterum Proſperum, in ipſo ardore rerum gerendarum, Ibletus turpiter prodidit, ſœdo pretio ſex millium aureorum nummûm à Baptiſta emptus; Joanne Auria interprete atque hujus conſilii auctore & machinatore: quorum duo millia præſentia & oumerata ſunt: promiſitque Ibletus daturum ſe operam cum Factionis ſuæ hominibus, ut Baptiſta Dux Genuenſium crearetur: quæ res, Oratore Regis Neapolitani non inſcio, tranſactæ ſunt: quibus rebus factum eſt, ut Proſper ſeſe ab omnibus defertum cernens, cum Fulgoſii urbe libere diſcurrerent, prætorio ceſſerit; maritimaque urbis petens ægre in triremes regias evaſerit; inimicis, quique ab illo aliqua injuria affecti fuerant, inſecantibus, hominemque prementibus, ac lapidibus inceſſentibus: quorum incitato furori ſe ſubtrahendi nullam viam aliam habuit, quam ſeſe veſtitum, ut erat, in mare projiciendi.

At Baptiſta, Ibleto ſibi adjuncto, non protinus prætorium ingreſſus eſt, ſed in ædes Centurionum conceſſit: qui ab univerſo civitatis conſilio Dux Genuenſium renunciatus, prætorium armatus petit; ibique Dux ab omnibus ſalutatur: indeque iterum in domos Centurionum reverſus. Senatu & ducentis ex primoribus civibus convocatis, relatum eſt de octovirali Magiſtratu creando ſoluto legibus, cum ampliſſima omnium rerum poteſtate; qui Baptiſtæ in Republica regenda adſiteret: contra quam relationem Bendinellus Saulus, vir opibus excellens, ceterum auctoritate longe excellentior, ita diſſeruiſſe ſertur: *Omnes homines, Patres, qui de publicis & magnis rebus conſultant, non ſolum ſpectare præſens tempus debent; ſed longe magis in poſterum providere; neque ullam quamvis magnam præſentis utilitatis ſpeciem perpetuo bono anteferre. Magnam copiam, cum recentiorum, tum veterum atatum eorum hominum proferre poſſim, niſi ea omnibus nota eſſet; qui præſentem utilitatem amplectentes, futurorum improvidi, pravo exemplo ab ipſis recte factis manante, Reſpublicas ſibi commiſſas tandem everterunt: qua exemplo eo perniciioſius, quam falſo peccatur, quod damnum à perperam facto oriens breve plerumque eſt, ac negotio illo terminatur; at poſtis ab exemplo exeut, perpetuo ſerpens, tamquam exemplum ipſum, nullo tempore definitur; nec prius ejus virus ceſſat, quam civitatem velut tabe confecerit. Atque hoc ego perinde locutus ſum, tamquam tempora Reipublica hunc octoviralem Magiſtratum poſtulent, cum abſoluta omnium rerum poteſtate ac legibus ſolutum: quam neceſſitatem neque ego video, neque quiſquam à me rogatus me docere ſcit: quam tamen ut liceat quammaximam fingere, adeo ne nobis excidit hujus ſæculi civium noſtrorum principatus? quorum ita impotens fuit dominatus; ita dura ſub illis tempora, ut ſæpo vicis malis & calamitatibus exteros Principes nobis accerſere coacti ſimus. Quod ſi tum, cum illi toi Magiſtratuum gregibus circumvallati, tot legum vinculis conſtricti ita intolerabiles fuerunt; ut nos ad neceſſitatem adegerint deſcendendi ad ultimum conſilium: quid futurum ſit, cum illorum libido hoc novo Magiſtratu ſolta ac legibus ſoluta erit, (neque enim cuiquam illorum facultas, aut voluntas deerit, juris probato exemplo uſurpandi) in cogitatione veſtra relinquam: prondè facite, Patres, etiam atque etiam cogitetis, in quam precipitem caſum Rempublicam, vos, ac liberos, totamque poſteritatem veſtram detis: quam vero compar hoc faſtum veſtrum Veterorum ſapientiſſimorum hominum conſilio eſt; qui gravibus & moderatis ingenii virtis Ducibus utentes, tamen cum eorum nimium imperium grave eſſe libera civitas videretur; alios ſuper alios Magiſtratus addendo, ac munera & procurationem principatus inter illos partiendo, novaſque alias ſuper alias leges ferendo, illum poteſtatem paullatim cohibentes, eo tandem rem adduxerunt, ut ille tot vinculis conſtrictus commovere ſe injuſſu Magiſtratuum non poſſit; ſpeciem tantummodo ferat, & inſignia principatus retinens, re cum Magiſtratibus & Senatu communicata: qua res ſtabilem, ac florentem, nulliſque inteſtinis diſcordiis agitatam præclaram illam Rempublicam conſervat: ego nullo modo hanc*

hunc octoviralem Magiſtratum probo: vos quod feceritis, Deum volo fortunare. Magno ſilentio audita eſt oratio, propter viri auctoritatem: iſque animorum habitus fuit, ut boni ſententiam taciti probarent; pauci verbis palam aſſentirentur; omnes temporibus ſerviendum duxerint: Nobilium Factione tantummodo eo tempore pugnante, ut in Magiſtratibus creandis ſui ratio haberetur: cujus rei initium factum eſt in hoc ipſo Magiſtratu; creatique ſunt Galeottus Centurio, Lazarus Auria, Hieronymus Grimaldus, Actiolinus Salvagus, Baptiſta Garronus, Thomas Præſenda, Bartholomæus Canitia, Baptiſta Baſſadonne.

A. C. 1460. Sequens annus ejus ſæculi octogeſimus, quo prætorianorum ac cuſtodiæ civitatis urbanæque militiæ præfectus creatus eſt Ludovicus Fulgoſius, nihil ſcribendum habet; præter duas naves ſubſidio Apulis rebus miſſas, Marinam & Capellam; quibus præfectus eſt Baptiſta Lomellinus: in qua Provincia Turca urbem Hydruntem cum magno totius Italiæ terrore occuparat; & duas itidem naves, Auriam & Centurionam Pontifici accommodatas, in ſubſidium Rhodienſium; quos Turca aeri oppugnatione urgebat.

A. C. 1481. At inſequens ejus ſæculi octogeſimus unus inſignior fuit; quattuor & viginti triremibus Pontifici in expeditionem adverſus Turcas accommodatis: cujus claſſis Pontifex Paulum Fulgoſium Archiepiſcopum Genuenſem, eundemque ſacra purpura decoratum præfectum creavit: Trierarchos civitas elegit Cevam Auriam, Edoardum Grillum, Gentilem Camillam, Mauritium Catanium, Ægidium Carmendinum, Joannem Ambroſium Fliſcum, Gothofredum Lomellinum, Balthaſarem Lomellinum, Hieronymum Stellam, Baptiſtam Rapallum, Joannem Calderam, Joannem Canobium, Melchiorem Teſtam, Baptiſtam Beniſam, Gaſparem Davaniam, Gaſparem Biaſſiam, Bartholomæum Caſanam, Gaſparem Vintimiliam, & tres Savonenſes, Andream Natonum, Bartholomæum Corſum, Silveſtrum Paveſium: quæ claſſis magna adjumenta attulit Ferdinando in Hydrunte recuperando. Exemplum eximiæ virtutis & fortitudinis editum eſt eo anno à navi Giberta: quæ cum duabus navibus Venetis ejuſdem magnitudinis congreſſa, poſt duorum dierum acerrimam pugnam, paribus illatis & acceptis cladibus, æquo Marte diſceſſit. Inanis & ſine effectu ſub finem anni expeditio ſuſcepta eſt, cum quattuor navibus, ſuaſu & adhortationibus Monachi Franciſcani religionis fama conſpecti, ad Mitylenen inſulam à Turca occupatam liberandam.

A. C. 1482. Inſequens annus ejus ſæculi octogeſimus alter memorabilis in primis eſt, Corſica obedientiæ Magiſtratus ſancti Georgii reſtituta, initio facto à Fano Florentu: cujus poſſeſſionem, ſimulque alterius opidi Begultæ Franciſcus Pammolcus cum triremi miſſus cepit.

Magna ſibi, cum totius civitatis, tum Factionis ſuæ ipſius Fulgoſiæ odia conflarat Baptiſta Dux; ob aſperitatem morum, intolerabilem arrogantiam, ac ſuperbiam, quæ jam in libera civitate ferri non poſſet: ad hoc animum ad altiora ac non conceſſa adjeciſſe dicitur: occulta enim conſilia cum Cæſare agitaſſe, de urbe Genua cum vicariatus titulo fiduciaria ſibi poſteriſque ſuis perpetuo accipienda: quæ res Genuam libertate orbatam ejus imperio ſubjiciebat. Hæc ſive vera, ſive, quod mihi veriſimilius fit, à Paulo patruo infinitæ ambitionis viro confiſta, ut aliquam honeſtam ſpeciem prætexeret conſilio, fratris filii honore ſpoliandi, cum emanaſſent, anno ejus ſæculi octogeſimo tertio, conjuratio principum ipſius Fulgoſianæ Factionis, Paulo patruo conſcio & approbante, nec non Auguſtino Fulgoſio cuſtodiæ urbis præfecto aſſentiente, facta eſt: cujus caput fuit Lazarus Auria, qui opibus & auctoritate antecedebat: quæ ſine ullo ſtrepitu, ullavo offenſione ad exitum perducta eſt. Nam cum Lazarus cum magna civium Fulgoſianarum partium caterva in cubiculum Cardinalis veniſſet; cumque eodem Baptiſta, patruo vocato, inermis, ac cum paucis comitibus, ut in nulla ſuſpecta re, ipſe quoque veniſſet, inſit Lazarus: *Homines in aliena re plus ſapere, quam in ſua, vetus proverbium eſt: nihil igitur tibi mirum videri debet, Baptiſta; tot egregios & ingenio præſtantes cives ipſa civitatis noſtra lumina, tum autem domus veſtra ſtudioſiſſimos, quos huc convenſſe videt, verius & acutum, qua è re veſtra familiæque veſtræ ſint, quam vos ipſi ſcitarunt: quibus cum patruus hactenus, virſapiens, primo reſiſtens ac retractans, rationibus victus tandem aſſenſus ſit; non debes tu, ætate & uſu rerum ſapienti magiſtro tanto inferior, præcipuam aliquam ac ſupra illum ſapientiam tibi aſſumere: ſed te ad ejus ſententiam & judicium conformare: nequi tu ullum conſilium tibi utile debes putare, aut ullum honoris titulum amplum; quod cum præclara familia tua dignitate & potentia non ſit conjunctum: qua res caput curarum vobis eſſe debet; familia cum opibus ſtabilitas, magnus ſemper & clarus erit. At illa everſa, ſimul tibi quocumque tandem honoris titulo præfulgeat, concidendum eſt: potior igitur tibi tu conſilio eſſe debet, dignitatis ac potentia gentis Fulgoſia firmanda ac ſtabilienda cura, quam ullius tui privati honoris reſpectus: ac, ſi quis de calo demiſſus tibi nunciet principatu tibi abeundum; non te hominem putarem, ſi eum in adverſa Factionis hominem, gentiſque veſtra perpetuum hoſtem tranſferri malles, quam in patruum hunc tuum. Hanc neceſſitatem nec tibi cæleſtis aliquis nuncius denunciat, ſed tempora impenunt: quibus aut parendum eſt, aut turpiter corruendum: æque enim illud nunc agitur, Baptiſta, uter veſtrum Dux Genuenſium ſit, de qua re minus laboraremus, ſtudiis noſtris in utrumque equaliter propenſis; ſed utrum ducatus ipſe in gente veſtra maneat, an ad infenſiſſimos inimicos veſtros tranſferatur: quorum omnes cura in vos evertendos perpetuo ſunt intenta: tranſferetur enim, niſi tu temporibus ſerviendum in animum induxeris. Neque tu quidquam tibi do famæ prudentiæ & ingenii tui tibi detractum debes putare; ſi dixerimus, patrus tui ingenium his temporibus aptius eſſe: converteret enim hic orbis, aliaquæ tempora venient, quæ magis tuum quam patrui ingenium poſcant: illis igitur te reſerva, Baptiſta; neque nunc te principatu abdicare puta, ſed illum patruo cuſtodiendum ac tuendum commodare: quem tibi ac liberis tuis, cum tempora tua venerint, ſtabilem ac ratum reſtituat: vince animum, Baptiſta; tequæ nobis tuis amantibus; quibuſque nullum jus, nullaque neceſſitudo major cum patruo quam tecum eſt, regendum permitte. Si ab ſuperis nunc exiſtat vir fortis & clarus parens tuus, nihil alienius a pudore tuo eſſe duceres, quam non principatu illi cedere: in patruo hoc tuo, in quo vigorem illum animi atque ingenii, celſamque illam indolem expreſſam cernis, corpus quoque parentis tibi redditum puta: idem igitur conſilium erga illum adhibe, quod nos modo te pudor hortatur, ſed tempora quoque cogunt.* Baptiſtæ tam atrocis ac tam inexſpectatæ rei admiratio vocem incluſit: qui antequam animum ſtupore defixum colligeret, mentis impos & conſilii inops, ad neceſſitatem ſeſe ducatu abdicandi atque arcium tradendarum ſubactus eſt: poſteroque die, magno civitatis conſilio vocato, Paulus Fulgoſius Cardinalis trecentorum civium ſuffragio Dux Genuenſium creatus eſt: quam injuriam Baptiſta in libro, quem *De factis & dictis mirabilibus* conſcripſit, ſtilo ultus eſt, aſperis verbis in patrui perfidiam invectus: nullumque eſt lutulenti vitii, aut nefarii ſceleris, aut obſceni flagitii genus, quod non Baptiſta in patruum congeſſerit.

Per totum hujus ſæculi curſum, anniverſarium ac jnge inter Genuenſes & Catalanos bellum fuit: quod latrocinii magis quam juſti more belli exercebant: ut neque mihi operæ fuerit, tam minutas res ſtilo perſequi, & legentes ſumma ſatietas earundem exilium rerum numquam variatarum cepiſſet. Numquam enim ad univerſæ rei dimicationem inter ipſos ventum eſt, numquam juſtis claſſibus concurſum: ſed, cum quotidianis ac parvis damnis mutuo ſe carperent; ac ſingulas vel binas naves, prout in valentiores aut imbecilliores inciderent, ſibi mutuo adimerent.

A.C. 1484. Eo anno, qui fuit ejus ſæculi octogeſimus quartus, Sixtus Pontifex mortuus eſt; & in ejus locum ſuffectus Joannes Baptiſta Cibo, civis Genuenſis, nobili ac pervetuſto genere oriundus; qui Innocentius octavus appellatus eſt: ad quem ampliſſima legatio duodecim ex priocipibus civitatis, ſummum honorum faſtigium gratulandi atque obedientiæ deferendæ cauſſa, decreta eſt: ii fuerunt Hector Fliſcus Juriſconſultus, Lazarus Auria, Melchior Nigronus, Chriſtophorus Spinuls, Franciſcus Lomellinus, Lucas Grimaldus, Thomas Fulgoſius, Paſqual Saulius, Ludovicus Gibertus, Bartholomæus Canitia, Baptiſta Baſſiadonne, Joannes Caldera.

Eodem anno bellum inter Genuenſes & Florentinos in agro Lunenſi ortum eſt: quod quamquam magno conatu à Gennenſibus cœptum eſt, ingentibuſque animis initio geri cœptum; tractu tamen turpe & probroſum Genuenſibus fuit: quorum perpauci ex iis, qui rebus gerendis præfuerunt atque arma tractarunt, infamis ſordium intacti abierint: ut minime mirum ſit, pravæ belli gerendi rationi infelicem exitum reſpondiſſe. Cauſſa, quæ hoc bellum conflavit, Sergiana urbs fuit: quam Auguſtinus Fulgoſius inconſulta ratione Florentinis vendidit: qui, irarum cauſſis inter ipſos exortis, eandem urbem in manum Magiſtratus ſancti Georgii paullo poſt dedit: Magiſtratus illam continuo prævalido præſidio firmavit. At Florentini infeſto exercitu fines Sergianenſes ingrediuntur: in quam urbem Genuenſes duos Legatos miſerant, qui rebus præeſſent, Gentilem Camillam & Hieronymum Sopranum: quibus poſtea addiderunt Hectorem Fliſcum Juriſconſultum, Opicium Aurism, Thomam Juſtinianum, Baptiſtam Rapallum; qui Erice ſubſiſterent, ad ſubita belli providenda: at Florentini magnum momentum ad Sergianam capiendam Petram ſanctam opidum captum facturum intelligentes, copiis admotis illud oppugnare inſtituunt: adverſus quos, conſilio primo univerſæ civitatis habito, in quo omnium rerum ac controverſiarum cum Florentinis ampliſſima poteſtas duodecim Legatis, qui nondum diſceſſerant, mandata eſt; validæ copiæ, & numero, & genere profectæ ſunt, Dominicacio Auria Duce; cum multi primarii cives tam ex Nobilitatis Factione, quam ex popularium corpore, multique artifices in voluntariam militiam nomina dediſſent: ad hoc, ut Florentinos à rebus Genuenſibus vexandis ad ſua tutanda averterent, claſſem decem triremium ac quattuor corbitarum, cujus præfectus fuit Conſtantinus Auria, in cujus locum, ſi quid humani illi forte accidiſſet, ſuffectus eſt Mauritius Catanius, Liburnum maritimum opidum, quod Florentini tenebant, oppugnatum mittunt: quæ claſſis duas rates ſolidæ craſſitudinis, atque ad omne pondus ſuſtinendum aptas miro artificio factas, ſecum duxit: ex quibus, bombardis ſtatutis, opidum quateret. Interea ad Petram ſanctam acriter pugnabatur; in quod opidum cum Dominicacius ſubſidium introduxiſſet, atque excurſiones nonnullas feciſſet, in arcem Statiemam, quæ eſt in finibus Petraſanctenſibus, ſe recipit: unde nec lædere hoſtem poterat, nec ipſe ab eo lædi. Florentini interea in cacumine collis caſtellum opido imminens excitarant: à quo cum Genuenſes haud levia detrimenta acciperent; miſſus eſt ad illud expugnandum Hieronymus Montenigrius, vir fortis ac ſtrenuus, & tam in terreſtribus quam navalibus rebus ſpectatæ virtutis & ſcientiæ: is impigre munus mandatum exſecutus eſt; caſtello magno certamine cum magna ſui & Genuenſis nominis gloria tandem expugnato; quæ res animos Florentinorum fregit; qui quattuor millia paſſuum caſtra retro retraxerunt, ac de ſeſe in ſua recipiendo cogitare cœperunt: præterea claſſis ad Liburnum partem copiarum in terram expoſuerat: quæ per circumjectam regionem excurrentes omnia populationibus, cædibus, direptionibus, ruinis, ceteriſque belli eladibus implerunt; arce quadam Vada nomine capta & incenſa. At à mari magno numero ferrearum bombardarum, (nondum enim uſus ænearum in Italia inductus erat) turrim Liburni continenter magnoque impetu verberabant. Florentini novos Legatos cum ingenti auri vi ad exercitum mittunt, Antoninm Pucium & Bernardum Nerum; qui Caſtellum à Genuenſibus paullo ante captum recuperarunt. In qua pugna Antonius Martianus Comes, unus ex ipſorum ductoribus cecidit: copiiſque iterum Petramſanctam admotis, opido brevi potiti ſunt, proditione defendentium; cum rebus gerendis præeſſent Caſanus à Mari arcis præfectus, Matthæus Fliſcus Vicarius, & Antonius Montaltus militiæ rector: arx tamen à Genuenſibus tenebatur; quam ingreſſi ſunt Dionyſius Rizotus & Jacobus à Spedis: quibus rebus Genuæ cognitis, magnum ſubito armatorum ſubſidium à Magiſtratu ſancti Georgii comparatum eſt; Ludovicuſque Fulgoſius ſummus Dux hujus belli creatus, mille & quingentis aureis nummis ad eum miſſis; quattuor inſuper Legatis additis, Thoma Juſtiniano, Lazaro Lomellino, Hieronymo Palmario, Paulo Lercario. Interea Laurentius Medicius ad exercitum venit, cum magna auri ſumma: ſub cujus adventum arcis præfectus, quique cum illo ſe arce, ut dixmus, incluſerant; qui litteris & promiſſis ſuis arcem retinendi atque omnia ultima perpetiendi ſpem Genuenſium erexerant, ne oppugnatione quidem exſpectata, aut pugna tentata, turpem deditionem fecerunt, cum magna ipſorum nominis infamia. Antoniuſque Montaltus, Caſanus à Mari, & Anguſtinus Ravaſcherius proditionis inſimulati carcere incluſi ſunt; in quo fuerunt, donec Adorniis regnantibus, dimiſſi ſunt: cum Ravaſcherius in opido Erice ſecuri percuſſus fuiſſet: neque Dominicacius Auria ad ſe purgandum Genuam reverſus eſt; ſed civilibus procellis ſe eripiens Romam ſe contulit, ad ſtipendia Pontificis acceptus. At Genuæ paullo poſt Magiſtratus, qui ſummæ belli præeſſet, creatus eſt, Jacobus Juſtinianus, Joannes Baptiſta Grimaldus, Brancaleo Auria, Baptiſta Paſſagius. Idem turpis exitus rerum Liburnenſium fuit, à quo opido claſſis re infecta diſceſſit, cum magna Conſtantini Auriæ præfecti & Hieronymi Guani unius ex Navarchis infamia; quos vulgo fremebant, *Vinum aureum legatos à Florentinis miſſis potaſſe.*

Inſequens annus ejus ſæculi octogeſimus quinctus nihil habuit, præter duodecim Oratores Romam tandem profectos; qui obedientia delata, juſſu Senatus Genuam reverſi ſunt: cum Lazarus Auria ſolus apud Pontificem remanſiſſet; ut de conditionibus pacis cum Florentinis componendæ cum Pontifice ageret: quæ initio ſequentis anni ejus ſæculi octogeſimi ſexti brevi ita convenit: ut Florentini arcem Sergianelli, quam tenebant, dimitterent; omnique jure ſuo in rebus Sergianenſibus cederent; contra Genuenſes Petram ſanctam omneque jus ſuum in Florentinos transferrent: qus de cauſſa

A.C. 1485.

A.C. 1486.

cauſſa Florentini omnia ſua è Sergianello exporta-
re cœperunt: nihilque exſpectabatur, quam ut
vacuo exeederent: cujus tradendi cum præſtituta
dies veniſſet; Florentini mutata voluntate, juriſ-
jurandi religione ac fide promiſſorum ſpreta, ar-
cem tradere recuſarunt: quin contra ad Sergianæ
expugnationem ſe comparare cœperunt. Hujus
mutationis cauſſa fuit Pontifex in amicitiam ſuam
tractus, atque à Genuenſibus abalienatus, ob
multas offenſiones & irritationes: quarum prima
fuit, quod cum nonnullam pecuniarum ſummam
à Genuenſibus publice mutuam quæſiviſſet; Ge-
nuenſes mutuam quidem pecuniam dederunt: ce-
terum ita illiberalibus modis, ita omnia minute
perſequentes, ac Pontificem velut faueibus preſ-
ſum ad ſuas conditiones adducentes; tamquam,
non cum maximo Principe, ſed cum vacillantis fi-
dei mercatore agerent: ad hoc Lazarus Auria fi-
liam ſuam Pontificis filio Franciſco matrimonio
jungere recuſavit: præterea pecunias quaſdam à
Pontifice in ædificationem ædiculæ in mole, divæ
Claræ titulo inſignem, miſſas Genuenſes retinue-
runt, affirmantes, eas ſibi à Pontifice multis no-
minibus debitas: poſtremo aulæa quædam Ponti-
ficis Genuam advecta, Genuenſes, per magnam
Pontificiæ majeſtatis, atque ipſius Innocentii civis
ſui contemptum, non prius dimiſerunt, quam
portorio ſoluto: quæ injuria, quique ſui contemp-
tus Pontificis animo alte inſedit: quibus injuriis
impulſus, cum ſeſe cum Laurentio Medicio nova
affinitate junxiſſet, Magdalena Laurentii filia ei-
dem Franciſco matrimonio conjuncta; totum ſe ab
omni ſtudio ſenſuque Genuenſium disjunctum in
Florentinorum amicitiam tradidit: qua Florentini
ſublati, animos ad ſpem Sergianæ recuperandæ
erexerunt.

Interea, cum Paulus Cardinalis, ejuſque ratio
gerendæ Reipublicæ civibus non ſatisfaceret; hoc
A.C. liberæ civitatis, anno inſequenti ejus ſæculi octo-
1487. geſimo ſeptimo, fecerunt, ut decem cives eli-
gerent, penes quos regimen rerum tam publica-
rum quam ſancti Georgii eſſet, cum ampliſſima
poteſtate: ii fuerunt Hector Fliſcus, Raphael
Oddonus, ambo Juriſconſulti, Franciſcus Lo-
mellinus, Conſtantinus Auria, Melchior Nigro-
nus, Stephanus Cicada, Angelus Grimaldus, Hie-
ronymus Palmarius, Petrus Baptiſta Ghuiſius,
Chriſtophorus Davania, Franciſcus Camulius, Pe-
legrus Rebuſius.

Eodemque anno initium factum eſt belli Flo-
rentini, quod morbus Laurentii Medicii ad hoc
tempus diſtulerat: qui tandem infeſto exercitu fi-
nes Sergianenſes ingreſſi, caſtra ad fluvium Ma-
ceram ponunt. At Genuæ, omni adhibita contен-
tione, decem triremes comparatæ ſunt: quas con-
ſcenderunt tria delectorum peditum millia in ter-
ram exponenda: quibus præfuit Joannes Ludovi-
cus Fliſcus: triremium præfecti fuerunt Balthaſſar
Lomellinus, Michael Turbinus, Joannes Calde-
ra, Raphael Receus, Lucas Pinellus, Lazarus
Grimaldus, Joannes Baptiſta Biaſſia, Antonius
Saulius, ejuſque loco Paulus Juſtinianus, Chri-
ſtophorus Spinula, Auguſtinus Auria, ejuſque lo-
co Franciſcus Sorius: præterea Franciſcum Spinu-
lam, Hieronymum Nigrum, Auguſtinum Au-
riam, Francum Juſtinianum, in Provinciam Nar-
bonenſem, & in Montemferacem, atque cir-
cumjectas regiones, ad novos milites ſcribendos,
mittunt. Interea claſſis Ericem tenuit; copiæque
in terram expoſitæ Sergianello arci admotæ ſunt,
quam oppugnare inſtituunt: cumque artius urgerent,
Laurentius que Medicius interea ad exercitum veniſ-
ſet, Florentini caſtra promovent: nec Genuenſes cer-
tamen detrectant: ac, quamquam prælium acriter
initum eſt, tamen victoria penes Florentinos mul-
titudine longe ſuperantes fuit: Duxque Joannes
Ludovicus captus in poteſtatem Laurentii venit.
Victoriam paucis poſt diebus deditio Sergianæ conſe-
cuta eſt, ſatis conſtanter primo à præſidiis, Hec-
tore Fliſco, Luchino Stella, Luca Pinello defen-
ſæ: Conſtantino Auria & Paſquale Saulio Legatis
Genuæ miſſis, qui omnibus rebus ac ſummæ belli
præeſſent, omnia ex opido Erice impigre providen-
tibus & ſuggerentibus: iſque fuit belli Sergianen-
ſis finis.

Per ea tempora, nec Magiſtratus quidem ſancti
Georgii moleſtiis in Corſica inſula caruit: tam à
Thomaſino Fulgoſio, qui res tumultibus & ſedi-
tionibus miſcendi finem numquam faciebat; quam
à Paulo Lecca, qui ſuperiore anno defecerat: ut
bello Sergianenſi finito, neceſſe fuerit triremes in
Corſicam mittere: quarum ope, ſimulque opera
prætorium munus regentium, Thomaſinus in po-
teſtatem ſancti Georgii venit; qui, juſſu præſidum
civitatis, quibus ampliſſima omnium rerum pote-
ſtatem mandatam diximus, in arcem Ericis in cu-
ſtodiam adſervandus ductus eſt. Ægre eam rem tu-
lere Paulus Cardinalis Dux & Fulgoſinus filius:
qui cum de univerſo Magiſtratu pœnas palam ſu-
mere non poſſent, in Angelum Grimaldum, qui
libertus in Thomaſinum invectus fuerat, omnes
impotentis iracundiæ aculeos flexerunt: qui noctu
à ſatellitibus miſſis circumventus, multis ac morti-
feris vulneribus acceptis, adhuc tamen ſpirans re-
lictus eſt: quod idem paucis ante diebus Tobiæ
Lomellino acciderat privatis odii cauſſis, illorum
juſſu interfecto: quæ impotentiſſimæ tyrannidis
atrocia exempla magnum eumulum ſuperioribus
offenſionibus addiderunt, ingenteſque faces jam
concepto univerſæ civitatis in Fulgoſios regnantes
odio ſubdiderunt.

Igitur anno ejus ſæculi octogeſimo octavo, trire- A.C.
mium in Corſicam adventu acre Lecca, quam Jo- 1488.
annes Paulus, ut diximus, invaſerat, recuperata,
Ginercaque opido parto, tumultus Corſicæ conſo-
piti ſunt: neque tamen Genuæ à Corſorum & Flo-
rentinorum moleſtiis liberatæ otium fuit. Paulus
enim Fulgoſius Dux eam ſibi univerſæ civitatis
odii molem conflaſſe intelligens, à qua procul du-
bio obruendus eſſet; ad acriora remedia ſalutis ſuæ
comparanda animum adjecit: quæ ſimul ad inimi-
cos ſuos principatu patriæ arcendos, ſi ipſe forte
ab eo dejectus eſſet, valerent: quare præfatus, ci-
vitatem numquam quieturam, niſi in fide & tute-
la Sfortianorum, id quod ipſi ſæpe experti eſſent,
facile civitati perſuadet, ut Oratores ad urbem Du-
ci Mediolanenſi uſitatis conditionibus tradendam
mittat. Erat tum regimen omnium rerum penes
Ludovicum Sfortiam Joannis Galeacii Ducis pa-
truum; qui bona Ducis, matre ab aula ablegata,
ac Joanne Galeacio ipſo Duce hebeti ac ſocordi in-
genio ad nullum negotii genus habili, arcibuſque,
ærario, atque omni militia, ac ceteris, quibus
principatus innititur, paullatim in ſuam poteſtatem
redactis, excepto titulo Principis, omnia pro Prin-
cipe gerebat. Ad hunc igitur Legati venerunt:
quos paullo poſt conſecutus eſt Fulgoſinus Pauli
ipſius Ducis filius: cum quo Ludovicus affinitatem
ſubito conjunxit; Clara Joannis Galeacii Ducis ſo-
rore nobis illi in matrimonium data, nuptiis omni
regiæ opulentiæ apparatu coram ipſis Genuenſibus
Legatis factis: quæ res Genuæ auditæ vehemen-
ter capita adverſarum Factionum commoverunt;
intelligentes, quantum potentia Pauli affinitate &
opibus Sfortianorum ſubniſi augeretur; ſive ille
Ducis, ſive Vicarii Sfortianorum titulo (hæc
enim inania nomina eſſe) res regeret: quæ res
ipſos illius pedibus proculcando perpetuo pro-
jiceret. Ibletus igitur & Joannes Ludovicus,
qui interea à Florentinis dimiſſi fuerunt prin-

eipes, in Paulum conjurant; Baptiſtamque Fulgoſium exſecrabili odio in Paulum efferatum, atque Auguſtinum & Joannem Adornios adverſæ Factionis principes, qui tum Sylvani in opido ſuo ætatem agebant, in ſocietatem conſiliorum adſumunt: per aliaſque ſpecies urbe egreſſi, Joannes Ludovicus in montana contendit, copiaſque tam ex opidis & ditione Fliſca, quam ex tota circumjecta regione cogere inſtituit: Ibletus ſuburbana & amœnis locis ſubſtitit; perque illos tamquam animi cauſſa vagus, quotidianis conviviis & jocis omnem ſuſpicionem à ſe avertere ſtudebat: cum tamen non falleret; ipſeque & Paulus ſeſe tamquam comitate certantes mutuo captarent, ſtuderetque Paulus dolu & inſidiis circumventum comprehendere, quoniam ad apertam vim animus non ſuppetebat, univerſæ civitatis odio cohibitus. Ibletus igitur periculoſum ratus, jam amplius differre; cum paucis his, quos habebat, qui non plus centum armati fuerunt, urbem porta Hircorum ingreditur; proximumque templum divi Stephani titulo inſigne ſtatione firmat; ibique fratrem & ceteros Factionis Duces exſpectare conſtituit. Animum Pauli impetus ſubit, Ibletum, antequam majores vires colligeret, illico invadere: ceterum duo eum retinuerunt; & nox imminens, & nonnullorum civium Ibleto occulte faventium diſſuaſiones; ſpem facientium facile fore, ut rea cum Ibleto, commonibus amicis ſeſe interponentibus, ſine offenſionibus componantur: quorum conſilia eo facilios Paulus auribus admiſit, quod audivit, Baptiſtam Fulgoſium per idem tempus in urbem venille; qui, quod ſtudia Fulgoſianæ Factionis in illum magis propecederent, formidoloſus ipſi in primis erat. Cum tota nox conſiliis concordiæ agitandis ſine effectu traducta eſſet; orto ſole, Joannes Ludovicus, qui cum magna armatorum multitudine paullo ante urbem intrarat, ſimul cum ceteris conjunctis prætorium invadere decrevit. At Cardinalis pœnitentia captus pridie hoſti ſere inermi in fortuna pugnæ tentanda non præverriſſe; tum voluntati populi parum in ſe firmatæ diſfidens, cum exiguo præſidio, quod circum ſe habebat, ægre in arcem ſe ſubduxit: cum Baptiſta ardore ulciſcendæ injuriæ provectus, ita acceleraret, ut haud dubitatum ſit, quin pattuum aſſecuturus fuerit; ac pœnas tantæ perfidiæ ſumpturus, ni Paulus Auria, vetus gentis Fulgoſiæ amicus & ſtudioſus, variis colloquiis illum retinuiſſet: quibus tempus datum eſt Paulo ad fugam præripiendam. Prætorio igitur occupato, Magiſtratus ad ſtatum rerum ordinandum & conſtituendum creatus eſt: quæ res maximarum difficultatum plena fuit: neque enim ratio inibatur Auguſtinum & Joannem Adornios, qui in urbem venerant, mitigandi & ſedandi; qui quamquam potentiam & dignitatem Fliſcorum æquo animo ferebant, opes tamen Baptiſtæ Fulgoſii adverſæ Factionis hominis excellere, haud æquis oculis adſpiciebant. At Factionum principes arcem, quod unum opus reſtabat, circumſidunt, oppugnarque inſtituunt: quod negotium arduum & lentum fore apparebat: nam, præter arcem opere munitiſſimam ac validis præſidiis firmatam, Paulus totam eam inſulam domorum, quæ ab arce ipſa ad ædem divi Syri pertinent, haud contemnendis præſidiis renebat: ad hoc validis trabibus, veluti vallo ac perpetuo opere, ſepſerat: ex quibus domibus continentes eruptiones à militibus in urbem ſiebant; quotidieque inter ipſos & obſidentes prælia committebantur: in quibus multiante oculos inſpectantium civium cadebant; civitaſque cadaveribus implebatur: ſed nihil erat ad adſpectum miſerabilius ac fœdius, quam aſſiduæ domorum ruinæ, atque ampliſſimorum ædificiorum incendia: quam fœditatem ac miſerationem augebant imbellis ætas, ac ſexus è flammis, quibus

A omnia ſua abſumenda relinquebant, feminidi vix evadentes; matronæque parvulos natos geſtantes: quæ tota urbe diſcurrentes, flebilibuſque queſtibus fortunam ſuam lugentes, Superùmque atque hominum opem & miſericordiam ſupplicibus precibus implorantes, totam urbem luctu replebant: ſed nihil erat horribilius, quam tacita cogitatio, quæ animos hominum ſubibat; cives ipſos in patriam ea edere crudelitatis exempla, quibus nulla major ab immani barbarie exſecrabili odio efferata exſpectanda ſuiſſent: civitatem ipſos ſuam, in qua nati & educati eſſent, incendiis & ruinis deformantes: adeo nihil eſt in feritate ulterius, quo cæca Factionum rabies non perveniat.

B At cives, cum tot malis obtorpuiſſent, conſilii inopes duas legationes, alteram ad Gallorum Regem ad civitatem illi dedendam mittunt; poſtulandumque, ut illico ſubſidio accurrat; nec patiatur, præclaram urbem ſuam tot rebus geſtis claram conflagrare: alteram ad Pontificem, oratum, ut ipſum patriæ ſolæ, in quo editus in lucem ſit, miſereatur tandem capiat, ac communem patriam ſaltem ab interitu ſervet. Nihil læti Oratores à Pontifice abſtulerunt, nullamque opem ab illo impetrarunt; & Ludovicum odio proſequente, & Ibleto, quem auctorem horum motuum ſciebat, occultefavente; ad hoc memoria contemptus ſui nondum animo obliterata: poſtremo fama exierat, illum occultis conſiliis, quæ cum Ibleto contulerat, imperio Genuæ imminere: cujus rei cauſſa, poſt initam concordiam, ut dicemus, Epiſcopum in proximis locis urbis deprehenſum, ad Ibletum eam miſſum; cum mutato habitu ſacram perſonam diſſimulans aliquot dies latuiſſet: qui tamen ullis efflagitationibus ab illo impetrare numquam potuit, ut capita conferrent: quod eam rem Ibletus neque occulte eſſe poſſe intelligebat; ſeque ahenſſimo tempore ſuſpectum omnibus eſſe facturam, magnaque invidia oneraturam.

D Interea Ludovicus conſilia aſtu ducta ſibi procedere lætus, uſitatum artificium urgens, aocipit facto geminas machinas adverſus Genuenſes comparat: nam, & Jo. Franciſcum Sanſeverinum Cajatiæ Comitem cum haud contemnendis copiis intrare fines Genuenſes jubet, quod ille impigre exſequitur; & Corradulum Stangam, ac Brandum Caſtillionum, viros ſpectatæ prudentiæ atque inſignis probitatis, tum autem rerum uſu atque artificio conſiliorum leniter ducendorum Antiſtites, Legatos Genuam mittit: ut hinc terrore ſuo objecto, illinc animos Genuenſium permulcendo, ac bona ſpe implendo, illos tandem ad ſua conſilia adduceret: quorum mittendorum egregiam occaſionem illi præbuit Thomas Juſtinianus, per ea tempora Legatus ad eum à Genuenſibus miſſus, ad civitatem excuſandam; ſi, ſuperbia & arrogantia Fulgoſini patientiam hominum vincente, arma contra Paulum in amicitiam paullo ante receptum ſumpſiſſet: quem Ludovicus comiter excepit, exenſatione civitatis accepta; paulloque poſt cum duobus Legatis ſuis, quos diximus, Genuam remiſit. Senatu Oratoribus Ludovici dato, alter eorum in hanc ſententiam verba feciſſe dicitur: *Poſſet quidem Princeps noſter, ac Ludovicus patruus pro jure ſuo vobiſcum agere, Patres; voſque in antiquam dominatum repetere. verum ille ab eum hac cogitatione & ab omni ea afferenda ita abhorret, ut etiam a ſuadendo ſibi abſtinendum ducat; ſed veſtram Rempublicam, veſtraque omnia veſtri arbitrii, veſtrique conſilii eſſe vult: nihil enim, cum de vobis & de vobis Genuenſibus cogitat, ſpectare ſolet, Patres, quam hujus civitatis, quæ chariſſima ſibi ſemper fuit, tranquillitatem & ſalutem: quas res cum vobis ipſis magis quam ceteris omnibus cordi eſſe neceſſe ſit; nihil eſſe putat, quamobrem aut ipſe, aut omnino mortalium quiſquam de illa magis quam vos ipſi laboretis: cujus rei vel ea*

F *ſit*

ſit fides, quod cum multos jam annos à Sfortiano imperio defeciſſetis; ipſeque ut cum maxime in flore virium eſſet, & nunc quoque ſit; totaque Italia nutus ejus horreat, cujus res quacunque velit, inclinare poſſit; diſcordiaque veſtra mille illi in dies occaſiones præberet Genuam recuperandi; nihil tamen prius movendum duxit, quam a vobis ipſis perampla hac legatione, quam ad vos, urbemque, & dilectum veſtrum illi dedendum nuper miſiſtis, invitatus: veſtra igitur potius quam ſua cauſſa nos hue ad vos Ludovicus miſit, Patres, dato mandato, ut voluntatem veſtram exploraremus, ad eamque conſilia veſtra accommodaremus: quod ſi eam mentem vobis divinitus datam in vobis offenderemus, ut ſana conſilia ampleſti poſſetis; tum noſtra partes eſſent, difficultates, quæ rem diſtinerent, tollere conari: eaque de cauſſa exiguas illas armatorum copias, Cajato Duce, fines Genuenſes intrare juſſit; ut ſeditioſis & ambitioſis civibus bonum publicum moratibus terrori eſſent: ſin aliter animati eſſetis; tum vero, non nullas tentata, domum cum addactis copiis reverteremur: proinde quid nobis faciendum ſit, decreto veſtro præſcribite, Patres: vultis in antiquum Sfortianum imperium redire? præter tranquillitatem & perpetuam quietem hujus urbis, ac perpetuam illius propugnationem, omne honor & pretium vobis apud illos erit; noſque mandatum munus exſequi pergemus: vultis suam libertatis ſpecie capti, in hoc ſtatu rerum perſeverare, ſeditionibus, tumultibus, incendiis, rapinis domorum, cæteriſque belli cladibus perpetuæ obnoxii? tum nos ex hac urbe protinus faceſſemus, curam ac ſollicitudinem rerum veſtrarum vobis relinquentes. Facerent, quod è fide & ſapientia ſua ducerent, à Senatu permiſſum: civeſque quattuor illis additi, cum quibus de rebus componendis agerent. Illi cum principibus Factionum, cognita Senatus voluntate, colloquis de conditionibus pacificationis inſtituunt; reſque per nonnullos dies magnis verborum contentionibus ac pertinacibus diſputationibus agitata eſt: primoque in conditionibus jactatum, ut duæ hæ gentes ditionem Genuenſem inter ſe partirentur; Adornuſque Saona, ac tota ora Liguſtica in Occidentem ſpectans cederet: Paulus civitati regendæ præeſſet: à quo conſilio Ludovicum non omnino abhorrentem ferebant: ſed diſcuſſa eſt ocioſæ rei mentio conſenſu univerſæ civitatis: per ingentia certamina tandem res eo deducta eſt, ut Baptiſta Fulgoſius ex urbe protinus faceſſeret; atque Antipolim in antiquas ſedes & domicilium ſuum ſe reciperet: qui ab Auguſtino Adornio, in cujus domum ventitare ſolebat, ac cum illo ſermones conferre, Ibleto & Joanne Ludovico præſentibus, comprehenſus, Joanni Grimaldo Antipolim, unde profectus erat, devehendus traditur: Ibleto & Joanni Ludovico fratribus Fliſcis ſuus honor, ſuuſque eminens dignitatis locus in urbe illibatus manceret: regimen civitatis, Sfortiani Vicarii titulo, in decennium penes Auguſtinum Adornium eſſet: Paulus Cardinalis Dux magiſtratu ſe abdicaret; Caſtellettumque & reliquas arces, quas habebat, Principi illico traderet: ſi in urbe manere in animo haberet, nullis ſe rebus publicis interpoſiturum liceret, ſed ſacra, ac quæ ſui muneris eſſent, curaret. Interea, dum illi à Pontifice æqualibus ſacrorum ſacerdotiorum veſtigalibus ſubveniretur, ſenaaureorum nummûm millia quotannis illi pendercentur à Ludovico: pro qua ſumma nonnulli cives Genuenſes fidejuſſerunt.

Quibus rebus tranſactis, Paulus duabus navibus iter Romam dirigit: quarum altera adverſa tempeſtate ad littora Corſicæ ejecta, naufragio cum omnibus ſuperſtantibus perit; altera incolumem illum in portum Civitatis veteris invexit: qui inde Romam ſe, patriam numquam reviſurus, contulit: vir vividi quidem & peracris ingenii, cæterum mali pravique: ſacræ profeſſionis ac ſacerdotalis muneris numquam memor; ſed per omnem vitam inquinatus, ac ſacinoribus & ſanguine ſuorum civium contaminatus: quibus rebus peractis, ampliſſima ſexdecim civium legatio Mediolanum miſſa eſt, ad ignominiam & turpitudinem civitatis, ſervitute in celebri totius Inſubriæ ſpectaculo, cum uſitato illo regii ſplendoris apparatu, palam profitenda, teſtatiorem faciendam.

Pax & quies à moderato Sfortianorum imperio reddita civitatem à præteritis malis & calamitatibus recreare cœpit: cives enim ſeſe ad intermiſſam induſtriam revocantes, commercia frequentare, in negotiationem proficiſci, omnibus curis præteritis, damnis ſarciendis, ac rei augendæ invigilare: quibus rebus civitas per quattuor annos, qui pacem conſecuti ſunt, brevi opibus privatim & publice aucta eſt: cum pretia portionum ſancti Georgii, quæ viliſſima fueraot, haud parum creverint: cæterum gaudium felicis hujus rerum curſus haud ſincerum præbebat hominum Adornianæ Factionis audacia ſcelere inflammata. Ii cum diu depreſſi ætatem egiſſent; partim multis injuriis ab inimicis affecti, partim in eo, quod ipſi injuriam facere prohibiti eſſent, ſeſe injuriam accepiſſe putantes, tempus explendarum cupiditatum, atque inimicorum ulciſcendi venille rati, dies noctesque tota urbe diſcurrere; ac tamquam in capta civitate graſſantes ſpoliare, rapere, verberare, vulnerare, interficere etiam, pecunias ab invitis extorquere; proſtremo à nullo maleficii ac ſacinoris genere abſtinere; Adornis fratribus regnantibus partim conniventibus, partim ſuorum libidini nimium indulgentibus: qui ſuorum malefactis facinus ipſis indignum malo publico pejore exemplo addiderunt.

Margarita Comes Tendæ, ſive quia viribus plus poterat, amplificareque fines cupiebat, ſive quia ſe parum cultam à Domino Petræ latæ Reipublicæ fiduciario putabat, arma illi intulit. Ille rem Genuenſibus ſubito demonſtrat, Petramque latam, niſi propere ſubſidio catur, in manum mulieris venturam docet: in quo majorem rem Genuenſium quam ipſius agi: penes illos enim juſtum ac ſummum, penes ſe tantummodo precarium Petræ latæ dominatum eſſe: quæ ſi deſeratur, tum vero omnium fiduciariorum Reipublicæ eandem fortunam fore; quo tenuibus ipſos per ſe opibus à Genuenſibus neglectos, potentiores accolæ è veſtigio ſint occupaturi. Enimvero Genuæ omnes pro ſe quiſque opem protinus ferendam dicere: quin etiam pœnas temeritatis à ſuperba mulicre expetendas; quæ nulla re lætâ fiduciarios Reipublicæ bello ultro laceſſere auſa ſit: cæterum privatarum rerum reſpectus, ut plerumque fit, publico bono præponderavit: oppreſſa eſt enim ejus rei mentio ab Adornis fratribus; adverſus quos pauci vocem libertatis memorem mittere audebant: iis affinitas Margaritæ, cujus filium Auguſtinus uxorem duxerat, fide, decore, exiſtimatione, publica dignitate potior fuit. Eæ res civitatem in antiqua mala procul dubio redegiſſent; niſi virtus & prudentia Conradoli Stangæ, qui perpetuus rerum Ludovici procurator ejus juſſu Genuæ confederat, naſcentibus malis occurriſſet: qui partim audaciam perditorum ac ſacinoroſorum hominum compeſcendo, partim læſos ſolando, illorumque dolorem excuſatione temporum mitigando, Adornioſque fratres ad ſuorum furorem ac ſcelus comprimendum hortando, ſemina turbarum gliſcentia exſtirpavit. Is vir, cum magnam prudentiæ ac veræ & neutiquam ſucatæ probitatis opinionem haud immerito ſibi conflaſſet, ſtudiaque Genuenſium percepiſſet, ad eorumque intimos ſenſus penetraſſet, leniter negotia ducendo atque animos civium ſuaviter tractando, brevi in eum gratiæ & charitatis locum venerat, ut omnium ordinum voluntates teneret; in ejuſque

moderatione cuncta verſarentur: qui auctoritate tantum valuit, ut Genuenſes Florentinis irritatos, ob Sergianam, Petram ſanctam, ac reliquam ditionem Lunenſem amiſſam, à pio & juſto bello illos perſequendo cohibuerit; trimeſtribus induciis impetratis, quod Ludovici rationes ita ferre diceret, ne eo tempore Genuenſes & Florentini armis inter ſe contenderent: quæ induciæ, Ludovico efflagitante, ſæpe renovatæ ſunt: poſtremæ annuæ fuerunt, à Ludovico enixis precibus, Branda Caſtillionio ea de cauſſa Genuam miſſo, impetratæ; cum civitas dolorem & injurias ſuas optime merito Principi haud retractanter condonaret.

At Adorni fratres, ut gratiam principum civitatis, ac Nobilitatis, & bonorum recuperarent, ingenti promerito animos irritatos permulſerunt, ſpe facta tributi tollendi; cum ſeſe omnes potentiæ & opum ſuarum nervos in eam rem cooctenturos fidem dediſſent: ceterum res ſuo ipſa molimine gravis diſputationibus & contentionibus in biennium extracta eſt: plebs enim ad primam rei mentionem atrox cooeta eſt; nihil aliud tributum tollere eſſe dictitans, quam onera publica in pauperes ac tenuiores derivare: quorum irritatos animos multi ejuſdem corporis homines circumeuntes, ac ſingulos prehenſantes, ſeditioſis orationibus inſuper accenderent: unuſque ex iis acrioris ingenii vir, haud exiguum numerum ſecretum in locum convocatos tali oratione in Nobilitatem ac principes civitatis inflammare conatus ſit: *Eum ſemper miſereimum plebis ſtatum eſſe audivi, cives; cum illa in eum locum adducta eſſet, ut unſquam alio, niſi ad ſerviendum nata putaretur: at ea eſt multis ab hinc annis fortuna noſtra, ut ſervitio diuturno uſu aſſuefacti, quod reliquis humilibus & tenuioribus hominibus in miſeriis ſemper ultimum fuit, id nos in ſummo beneficio libenter accipiamus, ne præclare etiam nobiſcum ea in re actum putemus: aliam enim opinionem animis imbiberunt potentiores & opulenti cives noſtri, exiſtimantes plebem tantummodo ad ſanguinem illi mittendum, animoque hauriendam natam: quo enim alio ſpectant tributa ſublata, quibus neceſſaria publica impendia tuemur? qua cum ſimul cum eributis non tollantur, (immortalia enim ſunt) alia ratio eorum tuendorum neceſſario ineunda erit: at hoc qua tandem alia eſſe poterit, quam portentorum augendorum ac duplicandorum? qua cum ab omnibus æqualiter ſolvantur; fiet, ut corpus pauperum & tenuiorum, qui ſola brachia habent, quibus ſuam & parvula familia vitam tolerant, quod corpus numero haud minus decupla parte civitatis ſit, novem onerum publicorum partes ſubeat: cum interea opibus affluentes cives non plus decimam tantummodo oneram parte graventur: qua re quid eſſe poſſit ad cogitationem horribilius? cum ſope fando audivorim præclarat civitates, cet, quibus nulla aut pertenuis res familiaris eſſet, capite tantum cenſuiſſe: quorum corporibus tantummodo, ceteres eneribus liberi, cevitas ad uſus publicos uteretur: & ut homines crudeli hoc conſilium ſtruunt, quos nen pudet alternis pene verbis divini Numinis timorem ac mentis conſcientiam iterare: in quibus hominibus ſi ulla eſſet pietatis orga Deum immortalem ſcintilla; profecto nos ejus imaginem exprimentes, naturaque & religionis neceſſitudine ipſis conjunctos tanto odio non perſequerentur: niſi forte conſentia ſtimulis tuduiti hoc moliuntur; ut, cum nen eam modo Reſpublica partem, qua tota ipſorum eſt, hoc eſt, honores, magiſtratus, claſſium prafecturas, urbium & inſularum præturas, ceteraſque Reſpublicn procurationes, cum tanto ac tam multiplici emolumento ſuo poſſedi ſſent; alterius quoque partis oneram publiceram, qua tota nobis jure debetur, magnum partem uſurparent: eam igitur nobis totam reſtituere velint; ut ſic Reſpublica æqualiter partita inter nos ſit: illiſque honores & emolumenta cedant; onera tota in nos incumbant: ceteram hoc quamquam acerbiſſimum eſt; magis tamen*

me ignavia & ſecordia noſtra conficit ac macerat; qui, collum abominabili jugo patienter ſubjecturi ſimus, neque ferro nos a tanta tyrannide vindicaturi: quamquam ne id quidem ſolis ignavia aſſignandum eſt; ſed fortuna iniquitati, qua nos multis ab hinc annis Duce & capite orbatos teneat: cum Duces ad eam rem a nobis in primis creati, idque titulo præferentes, jamdiu privata conſilia ſequentes, ac, defenſione noſtra omnino omiſſa, cum inimicis ipſis noſtris, ac cum ſplendidioribus & potentioribus familiis conſpiraverint. Una eſt igitur nos è tantis angaſtiis eripiendi via, quam dicam; quamque utinam tantum roboris ac virilis indolis in vobis eſſet, ut cupere in animum inducereti s; devotam hanc civitatem, vobiſque perpetuo iniquam relinquendo, aliaſque ſedes vobis quarendo: qua in re nullum, aut perexiguum damnum faceretis; brachia ipſa, atque induſtriam & artificia, omnia demque (ut inquit ille) bona veſtra vobiſcum ferentes, quibus vitam toleratis: qua res, ubicumque homines ſunt, vos alent: ſicque tota & integra Reſpublica opulentis civibus noſtris cedet: quibus ſi nova plebe urbs replenda fuerit; eam multis blandimentis delenitam atque immunitate omnium onerum invitatam acciverſant, neceſſe eſt: qua onera integra ipſis ſolis erunt ſubeunda. Sic fiet, ut pravum conſilium in caput machinatoris tandem recidat. Oratio magis ad commotionea animorum faciendas, quam ad aliquid certi conſilii eſpiendum valuit.

Cum interea Senatus modo multis ex principibus civitatis, modo conſilio univerſæ civitatis, ſæpe convocatis, rem acriter urgeret, ac ſententias civium exquireret: quibus cum variaretur, paucis diſſentientibus, ac rem producentibus; tandem unus ex principibus civitatis aſſurgens ejuſmodi oratione contra tributa diſſeruit: *Nulla res, Patres, ſpecie æquior unquam fuit, quam tributum; quod onera civitatis inter cives, pro modo rei cujuſque familiaris, æqualiter diſtribuat: ceterum res nulla iniquior: quo ut civitatibus in ſolo feraci & ubere ſitis ſalubris eſt; ita ſolo macro & ſterili intentium, & mercatoris quoſtu, & induſtria vitam tolerantium peſtis & venenum eſt: qualis eſt civitas noſtra, qua commeciis & negotiatione alitur. Omnis porro mercatoria induſtria fide in primis continetur; de qua integra & illibata ſervanda ante omnia laborare omni ope mercator debet; nam, quibuſcunque tandem detrimentis a fortuna officiatur, & ad quem quamvis inopem ſtatum redigatur; fido non labefactata ſe erigere ab omni caſu poteſt, & ea priſtinum fortuna ſtatum reſtituere: at, fide labente & vacillare incipiente, quamvis exigui damni occeptis, corruat neceſſe eſt: neque ulla ſpes meliorum temporum ſuarum affulgere illi poteſt, quam fide prius recuperata: quo res ſemper ardua fuit: & quoniam mihi cum gnaris hujuſmodi rerum ſermo eſt; nihil eſt, quod rem vobis juxta mecum notam demonſtrare ſtudeam: atque, ut ad propiora deſcendamus, ſingamus cenſum vigeſimo quinto quoque anno novum inſtitui; qua re multis difficultatibus implicata ſemper fuit; multorum rem magno conſero neceſſe eſt, ad quem cenſum modus tributi anniverſariis dirigatur: quo temporis tractu neceſſe eſt fortunam multorum immutari; (ut nihil eſt mercatoria negotiatione magis caſibus & calamitatibus obnoxium, & fortuna libidini expoſitum) ac multos, qui, dum cenſus ageretur, ampliſſimis opibus nitebantur, pauperes fieri: quam rem mihi in longa etate aliquando uſu veniſſe fateor; quod idem multis aliis quoque contigiſſe ſenſi: quod ſi verum fateri volumus; neminem forum mercatorium ingredi non negabimus, qui non ex iiſdem anguſtiis aliquando fuerit: quamrequoro, in talem ſtatum adducto qua ratio ſui expediendi meunda ſit: ſive enim Magiſtratus vulnera ſuamdat; petatque, ſe tamquam non ſolvendo, vel tributo eximi omnino, vel illud imminus; tum vero omnem fidem ſibi ipſe abjudicat, ac ſpem priſtinæ fortunæ recuperanda in perpetuum præcidit: ſive plagat acceptas comprimat, ne fidem labefallet; tributo anniverſario omnem que-*

quæſtum magnitudine ſua quotannis mergente, vires aſſumere ac ſe recreare numquam poteſt: quæ res cum frequentiſſima ſit, nemoque foro illius expers inveniatur; brevi neceſſario fiet, ut homines commercia & induſtriam plane relinquere cogantur: quod jam factum eſſet; niſi paucis ab hinc annis tributum per impotentem regnantium libidinem inſtitutum eſſet, ut tam exiguo temporis curriculo homines non bene penitus exiſtalem illius venæ vim percipere potuerint: quam cum ſentire cæperimus, nullaque alia ſit nos alendi via; brevi omnes ad neceſſitatem antiquam, patriam relinquendi, ac novas ſedes quærendi adigemur: moxque plebi, qua à Nobilitate & opulentia civibus alitur, nos conſequetur: ſiquæ civitati hac ferarum ſilveſtrium domicilium ac ſtabulum fiet: huc accedit, quod, cum eadem orbis in omnes annos volvatur, ut ex divitibus parentibus nati, profuſis ſumptibus, ac quotidiani cultus & victus luxu ve tandem conſumpta, filios pauperes relinquant; qui egeſtatis non ferentes in varias orbis regiones commeant, ſeſeque ad induſtriam conferunt; opibuſque tandem auctis patriam, unde profecti ſunt, repetunt, opibus ſuis ornamento & commodo illi futuri: ceterum obſervatum eſt, ex vicenis quibuſque, qui Genua quæſtus cauſſa proficiſcuntur, vix binos in patriam redire; ceteris vel fato abſumptis, vel uxore implicitis, vel civilium diſcordiarum procellas deteſtantibus, vel libertatem a domeſticis affinium & propinquorum moleſtiis ampleſtentibus: quod plerique adhuc fecerunt, id omnes in poſterum facient; ne rem ſuam tot laboribus partam tributo paullatim abſumendam objiciant: quale igitur eſt iſtud conſilium, quod Genuam, qua urbe nullâ ſub cælo habitatoribus frequentior eſt, in vaſtas ſolitudines ſit mutaturum? aut quid eſt, quod nonnulli ſeditioſi atque infima ſortis homines, quibus in civitatis concordia ac quiete nullus locus eſt, cælum ac terras miſceant; ac nihil aliud tributis tollendis quæri dicant, "quam, ut ſanguis pauperibus mittatur? ante tempus quærentes, qua alia re impendia publica ſuccurrantur, quam novis portoriis: quibus uno ac perfacili reſponſo oratio placida poſſit; Genuam, tributo ſublato, in ſtatu fore, in quo quingentos annos continenter fuit; uſque ad hoc tempus, quæ viginti circiter ab hinc annis tributum inſtitutum eſt: quare quid vos retinet, egregii cives, quo minus tetrum jugum, quo res in manus veſtra eſt, extemplo exentiatis, veſque ac liberos veſtros ex veraciſſimis fanciibus lupa diet ac noctes vos comedentis eripiatis? Hæc oratio rem inclinatam tandem impulit; tributaque in perpetuum ſublata ſunt; compoſitumque eſt cum Magiſtratu ſancti Georgii, ut is inopiam ærarii ſublevet, tribus & triginta librarum millibus Reipublicæ quotannis pendendis.

Per idem tempus nuncius dupliciter lætus Roma venit; Innocentium octavum mortuum, qui patriæ perpetuo iniquus fuiſſet; in ejuſque locum Rodericum Borgiam Hiſpanum patria Valcotinum ſucceſſiſſe, Alexandrum ſextum vocatum, quem civitas amabat, ob memoriam Caliſti patrui, qui ſemper propenſus atque honorificus in Genuenſes fuerat, quique in controverſia inter Florentinos & Genuenſes Oratores de primo honoris loco, ſecundum Genuenſes judicium tulerat, quorum civitas vetuſtior eſſet, ac ducatus titulo inſignis; ad hoc Genuenſes bellica virtute ac militarium & navalium rerum ſcientia & uſu præſtarent, cum ipſi bella ſua virtute, ſuiſque corporibus geſſiſſent; Florentini mercenariis armis uterentur, militarium munerum ipſi expertes ac penitus ignari; ad hoc Genuenſes clariſſimarum victoriarum toto mari Mediterraneo partarum, ac nomine & imperio Genuenſi in multas longe diſſitas gentes prolati gloria fulgeret; quodque caput fuit, majorem operam omnibus temporibus & locis Chriſtianæ Reipublicæ potentiſſimis claſſibus, corporibus, ac ſanguine ſuo adverſus illius hoſtes navaſſent.

Per ea tempora Ludovicus Sforcia Genuam civitatem à Regibus Francorum, ut ab illorum Majoribus Sfortiani antea Duces obtinuiſſent, fiduciariam perpetuo impetravit: eo res redierant, ut de civitate noſtra, injuſſu illius civium, eorumque voluntate minime explorata, inter exteros Principes contraherentur; nihil iſta Genuenſibus curantibus: deceſſerat enim vetus gloriæ ſtudium, atque imperii proferendi, nominiſque illuſtrandi cupiditas, felicium animorum cogitationes; in eorumque locum unum pacis & quietis deſiderium ſucceſſerat: præ quo cetera omnia, tamquam nihil ad ſe pertinentia contemnebant.

Per eadem tempora multa inania ſolatia populo Genuenſi data ſunt; quorum primum fuit, Iſabellæ Alphonſi Aragonii filiæ ad urbem adventus ad Joannem Galeacium conjugem proficiſcentis: in qua plauſibus, aliiſque effuſæ lætitiæ argumentis, apparatuſque regii ſplendore excipienda, donis colenda, ampliſſimis lautiis in civitate ac totis Genuenſibus finibus, per quos iter facere contigit, præbitis, civitas egregiæ ſuæ in Principem voluntatis peramplam ſignificationem dedit. Aliud ſolatium huic continuatum eſt, nuptiæ Joannis Adorni, Joannis Franciſci Sanſeverini filia uxore ducta, omni regiæ opulentiæ apparatu, omnique ſpectaculorum genere celebratæ: in quibus rebus illud maxime inſigne fuit; ingens vis argenteorum vaſorum non modo publice, ſed à ſingulis officiorum corporibus, necnon ab omnibus Liguriæ civitatibus atque opidis, ad honeſtandas nuptias, Joanni donatorum: adeo cæca quædam & inanis ambitio mentes Genuenſium dementarat; ut eos donis colerent, ac velut idola venerarentur; quos ſeditionum ac novandarum rerum auctores, quietiſque publicæ, privatæ ambitionis cauſſa perpetuos perturbatores, belliſque civilibus ac magnis cladibus civitatem perpetuo involvere ſolitos, capitali odio proſequi oportebat: nec parvæ hilaritati civitati fuit occultus adventus Beatricis Ducis Ferrarienſis filiæ, ac Ludovici uxoris, animi cauſſa atque viſendæ civitatis gratia, Mediolano profectæ: quæ humili & alieno habitu perſonam diſſimulare conata eſt; ut ignota liberiores omnium rerum voluntates, liberioreſque per urbem ultro citroque commeatus haberet, aſſectationum & ſalutationum impedimentis ſoluta: detectæ honores fortunæ, amplitudini, & ſtudiis Genuenſium convenientes habiti.

Inſequens annus, qui fuit ejus ſæculi nonageſimus tertius, (nam ſuperius res geſtas quattuor antecedentium annorum, annos ipſos non diſtinguentes, ſimul complexi ſumus) duabus rebus inſignis fuit: altera fuit hyems tam gelida, ut omnis & portenti loco habita ſit: mare enim (quod ex omnium ſæculorum memoria numquam audinim eſt) circa molem ac pontes ita alto gelu concretum eſt; ut nautæ ſcaphas & cetera navigia omni remorum vi commiſi à terra propellere non poſſent: incuoteque vere, peſtilentia adeo gravis urbem invaſit, ut ex capitibus, qui Genuæ remaſerunt, vix quinctus quiſque ſuperſtes fuerit. Alterum fuit ad omnem poſteritatem memorabile, novus orbis à Chriſtophoro Columbo Genuenſi cive inventus: quem certum nuncium Genuam attulerunt, Franciſcus Marcheſius Juriſconſultus, & Joannes Antonius Grimaldus, Oratores Genuenſium ex Hiſpania reverſi; quo duabus de cauſſis miſſi fuerant: & Ferdinando atque Iſabellæ Regibus gratulatum, ob regnum Granatæ, Mauris expulſis, tandem partum; & ad controverſias nonnullas componendas, pacemque celſiſſimorum Regum impetrandam: quod utrumque ad effectum perduxerunt; & controverſiis honorificis conditionibus compoſitis, & pace impetrata.

A.C. 1491.

Ceterum res à Columbo geſtæ, quamquam infinitæ

nitæ gloriæ civitati noſtræ fuerunt; tamen nimium ex ſpatio exceſſerim, ſi eas perſequi aggrediar: quæres neque inſtituti operis eſt; & à multis prolixe facta: in primis ab Antonio Gallo cive Genuenſi, ac magiſtratus ſancti Georgii Scriba, qui æqualis illorum temporum fuit; noſque ipſi laudes Columbi in *Elogiis* noſtris attigimus; rerumque geſtarum ac meritorum magnitudinem, quorum gloria omnes gentes atque omnia ſæcula longe ſuperavit, magnifica Oratione ac Panegyrico cælo æquavimus. Unum illud ſilentio non præteribo, nullam omnino eſſe urbem ſub cælo, quæ clariore alumno illuſtretur; Romam ſemper excipio, cui nihil mortale comparare fas duxerim.

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,
HISTORIAE GENVENSIVM
LIBER XII.

A.C. 1494. SEQVITVR annus ejus ſæculi nonageſimus quartus, toti Italiæ perpetuo lugubris, atque ad omnem poſteritatem memorabilis, quo primum arma externa in Italiam ab illiuſmet Principibus introducta ſunt; eorumque bellorum initium factum, quæ miſeram Provinciam continentibus direptionibus, rapinis, incendiis, civitatum everſionibus, ceteriſque omnibus, alia ſuper aliam cumulatis belli cladibus, ſexaginta plus continentes annos lacerarunt ac deformarunt; tandem bonam illius partem exterorum imperio ſubjecerunt. Caput & origo horum malorum Ludovici ambitio fuit; qui Aragonenſem domeſticum inimicum evertere ſtudens, Carolum octavum Gallorum Regem in Italiam evocavit: quod pravum conſilium divini Numinis evidenti judicio ipſe primus luit, avita ditione omnium, quæ ſub cælo ſunt, opulentiſſima ac feraciſſima, abeſſidem ipſis Gallis ſpoliatus; ipſeque captivus in Galliam ductus, atque anguſto carcere incluſus, in quo diu macceratus extremum tandem vitæ diem concluſit.

Carolus igitur, cum omnibus Galliæ viribus ſubniſus, ingentibus equeſtribus & pedeſtribus copiis ſeptus, Alpes tranſcendere, & regnum Neapolitanum invadere conſtituiſſet; præmunicndas ſibi in Italia maritimas vires intelligens, ne terreſtribus opibus hoſti tanto ſuperior, maritimis cederet, caque parte res Gallica claudicaret, claſſem augere decrevit: quod is idem, cui id expeditiſſimum erat, propter Genuæ opportunitates, Ludovicus in ſe ſuſcipit; eaque de cauſſa ingens auri pondus Genuam mittit; quattuorque ingentes corbitæ ac duodecim triremes, quæ claſſi regiæ adderentur, brevi inſtructæ ſunt. Cujus anni initio Ferdinandus Neapolitanus Rex fato functus, Alphonſum filium ſucceſſorem reliquit: qui ſimul atque regnum iniit, terra & mari diligenter comparare inſtituit; utantæ in ſe incubituræ moli reſiſteret: huic Paulus Fulgoſius Cardinalis, & Ibletus Fliſcus, mutabilis ingenii homo, ac nemini umquam fidus, quid ad eum ſe contulerant, perſuadent, ut, quoniam claſſem Gallica ſuperiorem paratam haberet, occupet ipſe bellum facere, atque oram Liguſticam invadere: ſic fore, ut Gallos diſtineat, incitatumque illorum curſum retardet: probato conſilio, Rex claſſem illico in Liguriam mittit, quam iidem Paulus & Ibletus conſenderunt, quæ extemplo portum Luncnſem tenuit: ubi aliquamdiu fuit, irrita ſpe illius oræ accolas in partes Aragonenſes traducendi. Interea Ludovicus, claſſis Aragonenſis adventu cognito, tria peditum millia in urbis præſidium mittit; cum totidem Helvetii ea de cauſſa à Gallo miſſi fuiſſent.

Eo tempore Joannes Ludovicus Fliſcus, quamvis corpore non ſatis valens, Spediam contenderat; animo, ſi facultas data eſſet, cum fratre ipſo dimicandi; quem ob pravos mores ac mutabilem fidem impenſe oderat. At Proceres Galli turpe ſibi putantes ſociorum agrum ſua cauſſa, ipſis inſpectantibus, bello uri, rem communi Marti committere conſtituunt: quare magnus Galliæ Scutifer, Joannes Maria Sanſeverinus, Joannes Adornius, Auguſtini Vicarii frater, claſſe conſcenſa, quæ fuit undecim ingentium corbitarum, triremium duodecim, viginti myoparonum, quos *galliones* appellant, iterin hoſtem dirigunt: quorum adventum Aragonenſes minutioribus & imbecillioribus navigiis ſuis diffiſi haud exſpectandum rati, protinus itinere retro repetito, in portum Liburni ſe recipiunt: at Galli hoſte non invento, fide incolarum colludata, quam neque preces flexiſſent, neque minæ labefactaſſent, neque belli clades infregiſſent, Genuam reverterunt; caſtello prius in ſcopulo non procul à Portu Veneris opido ædificato, ac præſidio firmato.

Interea Dux Aurelianenſis Genuam venit; cujus præſentia res acceleravit, cum Carolus Alpes jam tranſiſſet. At claſſis Aragonenſis, cujus præfectus erat Fridericus Alphonſi Regis frater, cum copiis, quas Neapoli adduxerat, quaſque in finibus Piſanis coegerat, ineunte autumno, è portu Liburni movit, & in Liguriam venit; primoque adventu Rapallum opidum occupat ac munit, præſidiuſque firmat; cum Reccum uſque opidum cum quattuor peditum millibus excurriſſet: quibus rebus auditis, Galli è veſtigio Genua movent, marique ac terra hoſtem petunt; cum Aurelianenſis Dux cum mille Helvetiis claſſem conſcendiſſet, Antoniuſque Maria Sanſeverinus & Joannes Adornius terreſtres copias ducerent: qui cum ad hoſtem perveniſſent, primo congreſſu Helvetii acri Aragonenſium impreſſione retro compulſi ſunt: ceterum, numero pugnantium ſubinde creſcente, recruduit pugna; Gallique ponte, qui opido & planiciei, quæ eſt ante opidum, interjectus eſt, facile potiti ſunt: per quod tempus auditum eſt, Joannem Ludovicum Fliſcum cum haud contemnenda armatorum manu appropinquare: qua fama perculſi Aragonenſes, veriti, ne anceipiti diſcrimine circumveniantur, in fugam ſe conjiciunt, montana petentes; ſpe ſeſe Ibleti præſentia tutos fore: quæ ſpes hominues fruſtrata eſt; plus ducentis illorum interfectis, ac

ac multo majore numero capto ; in quibus fuerunt Julius Urſinus, Fulgoſinus, & Orlandinus Fulgoſii: qui Fulgoſinus, cum evadere potuiſſet, tamen incertos caſus veritus, ac timens, ne in manus Ludovici veniret, potius conſilium duxit ſeſe Aurelianenſi Duci tradere : at Ibletus regionum gnarus, upidanorum Rapallenſium favore, quibus charus fuit, evaſit, per monteſque ac valles errabundus cum parvulo filio ter ſpoliatus eſt: quare ad filium converſus, *Neceſſe eſt*, inquit, *fili, nos ad imitationem parvulæ noſtræ Adæ nos conformantes nudos iter facere: hæc enim una eſt ova latronum manibus nos eripiendi, ſpoliorum ſpe illa præciſa.*

At Helvetii victores Rapallum opidum ceptum diripiunt; cum illorum impetum Joannes Adornius reprimere non potuiſſet: quorum rabies eo provecta eſt, ut valetudinarium ingreſſi, circiter quinquaginta homines in lecto ægrotos cubantes innoxios, quique nullam belli partem attigiſſent, miſericordiam ſupplicíter implorantes erudeliſſime jugularint: quod immanis atrocitatis facinus Genuæ cognitum, miras animorum commotiones fecit; unuſquiſque vulgo pro ſe quiſque clamare, tam inauditam ac tam barbaram ſævitiam haud impunitam omittendam; nec patiendum, hominem ſui generis ſanguinis abalienigenis, atque omnis humanitatis expertibus domi ſuæ nihil commeritos jugulatos: at Adornii fratres mitigare plebem accenſam cupere ; interque ancipitia conſilia fluctuare ; hinc vereri, ne nimis adverſando ſtudia multitudinis magis irritarent ; illinc plebem armatam horrere, quæ non tam facile arma deponat, quam induat : ceterum caſus conſilium expedivit : verborum enim contentione inter nonnullos Genuenſes & Helvetios orta, res ad jurgia, mox ad manus venit: cumque vulgatum eſſet, Genuenſes ab Helvetiis interfici, ſubito tabernæ clauſæ ſunt, momentoque temporis magna hominum multitudo in armis fuit ; qui omnes ad locum, ubi commiſſa erat rixa, accurrentes, haud exiguum Helvetiorum numerum, qui ſuis laborantibus ipſi quoque ſubſidio accurrerant, interficiunt ; quorum mors ſalutiipſiſmet Helvetiis fuit: populi enim indignationem mitigavit, incitatumque ardorem repreſſit: cum ſatis illorum ſanguine manibus Rapalli necatorum parentatum eſſe ducerent: quare Proceres Galli, qui furori concitatæ multitudinis in claſſem ſe ſubtraxerant, poſtero die, rebus paeatis, ac civitate in tranquillum redacta, in terram deſcenderuut.

At Rex Aſtam pervenerat; cum claſſis omnibus rebus inſtructa Genuæ ſtaret, ad omnia, quæ uſus belli poſtulaſſent, parata : erant autem oneratiæ ingentis magnitudinis duodecim, ac reliquæ minorca corbitæ varii generis ac nominis omnino ſexaginta, triremes triginta, in quibus una fuit majoris formæ : quo tempore Apennino pet Regem nondum ſuperato, Joannes Galeacius Dux fato functus eſt, cui Ludovicus ſucceſſit; ad quem novum regnum gratulatum civitas ſub finem hujus anni ampliſſimam legationem ſexdecim civium miſit: qui fuerunt Franciſcus Sofia Juriſconſultus, Carolus Spinula, Francus Fliſcus, Anſaldus Grimaldus, Baptiſta Lomellinus, Melchior Nigronus, Paris Pinellus, Cyprianus Palavicinus, Lucas Juſtinianus, Donatus Marcus, Vincentius Saulius, Angelus Majolus, Baptiſta Caſella, Andreas Ferrarius, Buzalinus, Ludovicus Croccia.

Eodem tempore Princeps Salernitanut, & Balthaſar Puſterla Ducis Mediolani, & Epiſcopus Pariſienſis, Regis miſſu Genuam veniunt ; poſtulantque, ut Genuenſes Florentinis bellum moveant; perſancte ac prolixe promittentes, Regem Sergianam & Petramſanctam, ſimul atque illis potitus fuerit, Genuenſibus reſtituturum: ceterum, cum auditum eſſet, Sergianam, Petramſanctam, totumque agrum Lunenſem à Rege occupatum, omni ea cogitatione plane depoſita, Legati recedunt; Rexque Piſis ingreſſus libertatem Piſanis reſtituit : à quo Genuenſes, quattuor Oratoribus ad illum miſſis, ſua ſibi opida reſtitui, ut Rex promiſerat, poſtularunt, nihilque impetrarunt : quæ res non minus Ludovico quam Genuenſibus gravis fuit; cum idem per Galeacium Sanſeverinum ſtruſtra tentaſſet, fidem promiſſorum ſibi ipſi à Rege factorum teſtatus. Sunt, qui putant, hanc primam ejus animi irritationem in Gallos fuiſſe.

Per ea tempora Alphonſus, cum audiſſet Carolum, Alpibus jam ſuperatis, inſtitutum iter perſequi ; metuens, ne populi, quibus ſeſe multis de cauſſis capitaliter inviſum ſentiret, odium metu tum compreſſum, in adventu Gallorum fiducia præſentis auxilu effunderent ; regno Ferdinando filio, cum quo nullæodiorum cauſſæ Neapolitanis eſtent, ceſſit: claſſeque conſcenſa, cum ingenti auri pondere ac magna gemmarum vi in Siciliam ſe ſubduxit.

Interea Carolus, cum aliquamdiu cum Ludovico fuiſſet ; Apennino tranſcenſo, Florentiamque ingreſſus, Florentinos, ſpe facta, ac fide data, ſimul atque à bello Neapolitano rediret, Piſas, aliaque loca, quæ præſidiis ſuis occupaſſet, reſtituturum, ſibi ſocietate ac fœdere conjunxit : inſtitutumque iter perſequena, rebus Senenſium compoſitis, per ditionem Pontificiam pacatum iter faciens, Oſtia tamen ac nonnullis aliis opportunis locis præſidio firmatis, regni Neapolitani fines infeſto exercitu ingreditur: primoque adventu Capua munitiſſima urbe, ac prævalido præſidio firmata, quam rem diuturni atque ingentis certaminis fore omnes præceperant animis, ſine ulla dimicatione potitus eſt ; ab Joanne Jacobo Trivultio, cujus fidei maxime Ferdinandus tantæ urbis cuſtodiam crediderat, nulla oppugnatione exſpectata, tradita. Capuæ exemplum ipſa regia urbs Neapolis ſecuta eſt: cum populus, eo nuncio audito, tumultuari ac voluntates in novum dominium propenſas (ut eſt perpetuus Neapolitanorum mos) nudare cœpiſſet. Friderieuſque fortunæ cedendum intelligens, in arcem novam cum ſeptingentis Helvetiis, Friderico patruo, ac Davalo Piſcariæ Marchione, ſingularis ac conſtantiſſimæ in Regem ſuum fidei viro, ſe recepiſſet: quam urbem Carolus biduo poſt ingreſſus ; omnibus lætitiæ ſignificationibus à populo in omne aſſentationis genus natura compoſito exceptus : quæ ſecundiſſima fortuna uſus, brevi totum fere regnum Neapolitanum, ſine ullo certamine, Proceribus ac populis ad ſeſe tradendum certatim accurrentibus, obtinuit: qui incredibilis, atque ex omni ſæculorum memoria numquam auditus felicitatis curſus cum omues Italos ingenti ſtupore defixiſſet; tum vero illum in primis perculit, qui rerum auctor & machinator fuerat, Ludovicum ipſum, quem pravi conſilii pœnitere cœpit; quod indomita cupiditate Aragonenſes evertendi exacatus, non animadvertiſſet perniciem, quam alis machinatus eſſet, in ſuum ipſius caput poſſe recidere: neque enim impotentem Gallorum cupiditatem minus ditioni Mediolanenſi quam Neapolitanæ imminere: ut nil mirum eſſet, ſi Galli, Aragonenſibus perdomitis ac ſubactis, victricia arma in ſe vertiſſent: cum præſertim Carolus multa ſigna parum propenſi animi, neque ſatis ſinceræ in ipſum fidei dediſſet: nam præter Sergianam, ac Petramſanctam, agrumque Lunenſem Genuenſibus, ipſo efflagitante, non reſtitutum, principatum Tarenti, promiſſum non dabat; negans ſeſe, niſi toto regno capto, obſtrictum: ad hoc Joannem Jacobum Trivulnum ex Mediolanenſis Nobilitatis principibus, ac Guelpharum partium caput, magno in honore, honorificiſque conditionibus, peramplíſque ſtipendiis auctum apud ſe habebat: præterea Paulum Fulgoſium Cardinalem, Ibletumque Fliſcum ingentibus promiſſis oneratos ſibi devinxerat, plurimum ad res Mediolanenſes, in illius virtute

ac nomine, ad Genuenſes, in horum auctoritate & potentia tentandas poneos: in quibus privatim offenſionibus irritatus Ludovicus, regios procuratores, qui ea de cauſſa Genuam venerant, novam claſſem comparare vetuit; triremeſque regias, quæ in portu erant, retinuit: acrioribuſque remediis ſaluti ſuæ conſulendum ſtatuens, Senatum Venetum appellat: cujus animum eædem cogitationes jam ante verſare coeperant: quippe quibus tanta Gallorum felicitas, nimiaque in Italia potentia non minus ſuſpecta ac formidoloſa eſſet.

Interea Florentini, Regem tantis occupationibus in regno Neapolitano implicitum minora iſta minus animadverſurum, aut curaturum, rati; occaſione arrepta Piſas recuperandi, copiis admotis urbem circumſidunt: quam cum artius in dies premerent, parvumque præſidium à Rege in arce relictum tantam urbem non ſatis defenderet; in Genuenſium opem, Legatis miſſis, confugiunt. Legationiſque princeps in Senatum introductus, miſericordiam Gennenſium tali oratione commovere aggreſſus dicitur: *Si eſt ſtatus rerum noſtrarum, Patres, in eum locum a fortuna adductis ſumus; ut ſervitus, qua nihil hominibus, præſertim in libertate vivere aſſuetis, execrabilius, aut abominabilius eſt, nobis minimum malorum videatur: ea enim per ellogium annos à Florentinis perpeſſi ſumus, qua omnem cogitationem vincant: motto gravia & intolerabilia tributa: motto continentes exactiones: nam hæc, quamquam dura & acerba, tamen non omnino inuſitata ſunt in impotentis regnantium dominatu: motto contumelias ac contemptum; cum ab omni publica procuratione, omnique munere publico excluſos, etiam iis, ad quæ alienigena admitti ſolent, nullo alio nos, quam vilium & degenerum captum loco habeant: quatamen res immanem hominum avaritiam atque efferatum in nos animum ſatiare non poſſunt. Duo illa ſunt execrabilia atque ex omni ſæculorum memoria numquam audita crudelitatis exempla; quam Florentini non modo in res & prædia noſtra intenderunt, ſed ad cerpera ipſa noſtra, nec non ad muta telia & civitatem ineam extenderunt. Alterum eſt, opus foſſarum & aggerum intermiſſum; quod Majores noſtri tanta cura & impenſa tuebantur: quo factum eſt, ut ager Piſanus humilis atque depreſſus, aquis ex ſuperioribus locis aſſidue confluentibus undiquaque derivatis late veſtagnantibus, cæno & paludibus totus obdultus ſit: quorum peſtilenti habitu cælum infectum, corpora noſtra olim ſalubria peſtiferis morbis continenter involvat, aſſiduſque funeribus civitatem repleat: cujus etiam humido affatu compagibus ædium ſolutis; complura eam publica quam privata ædificia, mira pulchritudine ac regia magnificentia exſtructa, quotidie ac paſſim ruentia urbem miſerabili ceteris omnibus, unis Florentinis jucundo ſpectaculo, ſædis ruinis deformet: alterum eſt, commercia & negotiatio nobis adempta; mercaturaque induſtria ac facultas, lanea & ſerica opificia exercendi interdicta: ut, qua urbs olim compluribus clariſſimis victoriis omnes Mediterranea ora Provincias fama nominis ſui implevit, ampliſſimiſque mercatorum ſocietatibus omnes Europa, Aſia, atque Africæ urbes occupavit, quaque nulla opibus & divitiis in Italia florentior fuit; nunc mercatoria quaſtu adempte; unde alimenta ſibi pareat, nullam viam expeditam habeat: qua dua res quo tandem alio ſpectant, niſi ut, e patria relicta, quæ nos alere non poſſit, alias ſedes nobis quæramus? ſicquis Piſa ex frequentiſſima incolarum urbe, ſolitarium nemus, ac latebra ferarum ſiant. Atque minam, Patres, ea, qua nunc vobis oratione demonſtrare conamur, oculis ſubjicere poſſemus: utinam ſqualorem miſera civitatis, ac vultus Piſanorum mœrtis omaginem exprimentes intueremini: profecto noſtrarum erumnarum vos miſericordia caperet. Mens divinitus Carolo data eſt, libertate reſtituta, nos è voracioſſimis Florentinorum faucibus eripiendi: ſempiternum hoc beneficium celſiſſimo Regi debemus: ceterum breve futurum eſt; quod nos, ſanguine aſſidue miſſo, enecti & exſangues tueri non poſſumus; niſi lumen Deus ipſe vobis præferat, Patres, non ſine fidem accipiendi, propugnationemque civitatis noſtræ ſuſcipiendi: cujus res, præter communem humanitatem, Reſpublica veſtra rationes neceſſitatem quamdam vobis impouunt: è quorum re non ſit, Piſas in poteſtatem Florentinorum venire; ex qua una gradus ad res veſtras, atque ad portum nobiliſſimum Lunenſem fieri poſſit: ad quem illos cupiditatis oculos adjeciſſe, declarant Sergiana, Petraſancta, agerque Lunenſis nuper vobis ademptus: ceterum hæc conſilia veſtri ſunt; nobis una tantummodo relicta ſunt partes, miſericordiam & opem veſtrum, id quod enixis precibus facimus, implorandi; fidemque veſtram obteſtandi, ne nos ad præceps conſilium deſcendere patiamini: uxoribus, & parvulis natis, omnique imbelli ætate jugulata, patriam incendendi, noſque inſuper cum illa concremandi, quod utique, multorum clarorum populorum exemplo, facere decrevimus, a veſtra ope, cum in nullam aliam hoc tempore confugere poſſimus, deſerti.* Miſerabilis oratio vim habuit Gennenſium miſericordiam commovendi: qui bono animo Piſanos eſſe jubent, quos ope ſua ſeſe numquam deſerturos pollicentur: Magiſtratumque octoviralem creant; cui rerum Piſanarum cura mandata eſt: ü ſtatim ingentem vim haſtarum, ſcutorum, thoracum, omniſque telorum generis Piſas mittunt: ſimulque cum illis Alexandrum Nigronium Legatum, cum haud exiguo argenti pondere: dato mandato ditionis Genuenſis hominibus Piſano agro finitimis, ut nava ac ſedula opera ſua ad ea, quæ uſus Piſanorum poſtularint, Legatuſque imperarit, parati ſint.

Interea inter maximos & potentiſſimos Chriſtiani orbis Principes, Alexandrum Pontificem maximum, Maximilianumque Cæſarem, Ferdinandum, & Iſabellam Hiſpaniæ Reges, Senatum Venetum, Ludovicum Sfortiam Mediolani Ducem, fœdus arcendi belli adverſus quoſcumque ditiones fœderatorum vexantes, menſe Aprili Venetiis ictum eſt: cum in eam civitatem ampliſſimæ legationes eorum Principum cum liberis mandatis convenirent: quo atroci & minime exſpectato nuncio perculſus Carolus, mentis diu impos obtorpuit: quæ res cauſſa fuit, conſilia Galliæ repetendæ, ad quæ jampridem animum adjecerat, accelerandi: rebus igitur Neapoli nondum ſatis conſtitutis, nec dum animis Neapolitanorum in ſe firmatis; quin contra multis populis tædio Gallicorum morum vacillantibus, ac vetus Aragonenſium imperium reſpicere incipientibus; cum nonnulli etiam aperte defeciſſent, iter ingreditur: cum prius ſumma omnia feciſſet, ut Pontificem à ſocietate fœderatorum avelleret; ſatis ſeſe ab illo habere dicens, ſi ille ſeſe medium gerendo in neutris partibus fuiſſet, juſque fiduciæ regni Neapolitani ſibi auctoritate Pontificia confirmaret: quorum neutrum impetrare potuit; Pontifice reſpondente, neque ſe recentem ſocietatis fidem eluſurum, neque jus fiduciæ illi prius ratum facturum, quam cauſſa per judicium diligenter cognita: qui congreſſum Caroli jam fines Pontificios ingreſſi devitans, ſeſe in civitatem Urbevetanam cum ducentis cataphractis equitibus, quingentis levis armaturæ, ac tribus peditum millibus ſubduxit; Legato Romæ relicto, qui Regem omni honoris genere acciperet, omnique officio coleret. Rex, cum paucis diebus in urbe fuiſſet, inſtitutum iter per Etruriam perſequens, locis Romanæ Eccleſiæ, quos ſuis præſidiis occuparat, liberis relictis, præter Oſtiam, cui Julianum Roborejum Cardinalem, eumdemque Epiſcopum Oſtienſem præfecit; contentionibus Piſanorum & Florentinorum agitatus, qui utrique fidem promiſſorum teſtebantur; illi libertatis conſervandæ, hi Piſarum ſibi reſtituendarum: inter anceipitia conſilia diu fluctuatus; nulla re decreta, omnibuſque ſuſpenſis relictis, iter nonnihil intermiſſum repetit: cum prius, incredibili atque

que inveterata cupiditate Genuæ ſibi adjungendæ, ipſe per ſe flagrans; ad hoc aſſiduis ſtimulis Cardinalium Roboreji, & Jani Fulgoſi, Ibletique Fliſci, & aliorum exſulum Genuenſium inſtigatus, ſpem facientium rerum haud dubie novandarum, Sergianam ipſos haud contemnendis copiis, quarum Dux fuit Philippus Sabaudianus, ad res Genuenſes tentandas mittere decreviſſet; imperaſſerque Duci Salandiæ, ut cum copiis, quas habebat, ſeſe cum illis conjungeret; idemque mandatum dediſſet Vitellius fratribus, qui ducentos catapbractos ducebant, tantoque intervallo retro remanſerant, ut jam Regem conſequi non poſſent: quibus copiis ſeptem triremes majoris, duas minoris formæ, duaſque biremes addidit, cum non plura navigia ex tota claſſe ſupereſſent; quarum præfectus erat Miolantius: quæ lateribus terreſtrium copiarum prætentæ maritimas opportunitates exercitui præberent, ſuiſque animos adderent.

Per ea tempora trepidus nuncius à Genuenſibus incolis urbis Peræ & Chienſibus miſſus venit, Turcam ingentem claſſem comparare: quam rem Genuenſes haud contemnendam rati, quinque ingentes corbitas comparant; quas præter conſuetam nauticam turbam trecenti armati conſcenderunt: cui claſſi præfectus eſt Thomas Juſtinianus; qui, cum accelerans Chium appuliſſet, omnia pacata & tranquilla invenit: nihil Turcam moviſſe, neque movere in animo habere: nullam denique in illis Provinciis armorum ſuſpicionem eſſe. Exiſtimatum eſt Venetorum ac Ludovici id fuiſſe commentum: ut, cometu injecto, Genuenſium animos à cogitatione novorum conſiliorum ad ſua tutanda averterent.

At Rex tentandum prius ratus, ſi ſine ſtrepitu armorum deſtinata conſilia ad effectum perduci poſſent, ſecialem Genuam cum his mandatis mittit: *Regem amplam legationem quattuor primariorum Procerum Genuam mittere decreviſſe: qui de maximis rebus & ad illorum commoda & dignitatem in primis pertinentibus cum Magiſtratu Reipublicæ, ac ſanctis Georgii agat: nihil armis opus eſſe; neque ullum metum eſſe ab eo Rege, qui Genuenſes ſemper unice dilexerit; illorumque Rempublicam honoribus & commodis amplificatam ſemper optarit.* Reſponſum eſt ſecialis: *Hanc ſeſe Regis celſiſſimi atque invicti in ſe voluntatem honorificam in primis putare: Legatos ſe cumiter accepturos & reverenter; ac qua expoſuerint, cognituros: ceterum cum non plus quinquaginta capitibus veniant, in quibus nullus omnino Genuenſis ſit.* Vix ſecialis legationem renunciarat, cum Antonius Maria Fliſcus, cum parte copiarum regiarum Sergiana educta, infeſto exercitu fines Genuenſes invadit; Trebianumque opidum, circumjectamque regionem occupat, Bernardino Adornio & Juliano Magnerri expulſis: eodemque tempore Roborejus & Fulgoſius Cardinales, & Ibletus Fliſcus cum exercitu Sergiana movent: qui nuncius Adornios fratres vehementer percuſſit, conſiderantes civitatem ſecum ipſam diſcordem inteſtinis odiis inter ſe flagrare, Regem potentem firmiſſimis copiis fultum, quem tanta victoria fulgentem omnes horrerent: qui variis conſiliis multorum agitati, cum nonnulli auctores eſſent, ut Ludovico relicto, qui non ſatis illos defendere poſſet, ſeſe in fidem Regis darent; manere tamen in fide decreverunt: cum gens Spinula, cujus vires & opes ſupra quam modicæ erant, maximis clientium gregibus in urbem introductis, ſtudia eum illis conjunxiſſent: qui Spinulani cum Adornianis conjuncti, numerum decem armatorum millium conficiebant. Hi omnes ſeſe mutuo hortantes, atque ad Gallos arcendos acuentes, ad omnia intenti, nullam ſibi quietem dare, vigilare, excubias agere, mœnia circuire, ſtationibus portas firmare: qui curas civitatis & ditionis defendendæ partientes, ne illam nudam & apertam hoſtilibus conatibus relinquerent, Bernardinum Adornium cum quingentis armatis mittunt, qui oræ in Orientem verſæ præſidio ſit: ad hoc nonnullos Fulgoſianæ Factionis homines, quorum inquietum ingenium ſuſpectius erat, exſulio multatos intra horæ ſpatium urbe excedere cogunt: ſed nihil æque conſpectum erat, atque Conradoli Stangæ diligentia, ac vigilantia, & ſapientia: is omnia maxima & minima obire, omnibus rebus adeſſe, omnibus conſiliis intereſſe, in medium conſulere, omnia providere, omnibus rebus occurrere, nulla umquam metus aut ſuſpicionis de Genuenſium fide & conſtantia ſignificatione data: cum igitur Principum fœderatorum in primis intereſſet, Genuenſes à Gallis abſtrahere; illos per litteras aſſidue hortabantur, ut ab omni ſtudio, ſenſuque Gallorum ſe penitus ſegregantes, cum reliqua Italia, adverſus perpetuos nominis Italici hoſtes conſpirarent: ſed nullæ crebriores erant, quam Ludovici ipſius litteræ, quarum ſumma fere hæc erat. Multa, eaque prolixe, de ſua egregia ac perpetua in Genuenſes voluntate, præfabatur; qui apud ipſum fratrum charitatem obtinerent: numquam ſe de illorum fide ac ſtudio dubitaſſe; quarum alteram ſinceram, alterum inceniſſimum in ſe ſemper cognoviſſet: ſed monere illos, majores ac firmiores copias, ipſum & Venetos, quam Galli habeant, contraxiſſe; ut omitteret potentiſſimos Europæ Principes, qui omnes in Gallos conſpirarint, qui omnium regnorum viribus conniſi, ſi res poſtulet, ſubſidio venturi ſint: præ quibus quotam tandem partem Gallos eſſe? hortari proinde ſe, ac poſtulare, ne quid per inconſultum metum, quod ſequius ſit, de ſe ac de rebus ſuis conſulant.

Interea, cum exercitus à Rege, qui fuit ſeptem armatorum millium partim peditum, partim equitum, Genuam veniſſet; totum illud ſpatium, quod ædi ſanctæ Agathæ & colli Aibaru interjectum eſt, inſederunt, flumine Biſamnio inter ipſos & urbem intercedente: cum claſſem ſeptem triremium ac duorum myoparonum in ſinu Rapallenſi reliquiſſent; ſperantes, ſuum adventum aliquos motus Genuæ excitaturum: quæ ſpes eum vana evaſiſſet, aliquot dies nihil tentantes in ſpeculis fuerunt. Interea Rex in late patentes Longobardiæ agros deſcenderat, qui in finibus Parmenſibus ad Tarum fluvium exercitum fœderatorum obvium habuit: cum quo ſignis collatis dimicavit: multique æquales illorum temporum tradiderunt, æquo Marte à pugna diſceſſum eſſe: quod, ut ad clades acceptas, verum eſſe poteſt; ita, ſi, quod unum Rex intendebat, ſpectemus, negare non poſſumus, quin Rex ſuperior evaſerit: qui, hoſtibus ſubmotis, per medios illos invitos ſibi iter aperuerit; quod, hoſte inſpectante, nec laceſſere, aut terga abeuntis invadere audente, perſecutus eſt.

Interea Genuæ, cum auditum eſſet, Baptiſtam Fulgoſium cum haud contemnendis copiis adventare; antequam ancipiti diſcrimine eingerentur, rem fortunæ ac communi Marti committere conſtituunt, immo à maritimo bello facto: quare octo triremes, ingentemque corbitam, ac duo minora navigia comparant atque inſtruunt: cui claſſi Franciſcum Spinulam cognomento Maurum præficiunt, Trierarchis additis, quorum Fabricius Juſtinianus Gibbus cognominatus duas ducebat, Bernardus Fliſcus totidem; Caſanus Marinus, Bernardus Rovoretus, Andreas Juſtinianus, Joannes Turrius, ſinguli ſingulas. Franciſcus igitur, claſſe illico conſcenſa, Rapallum petit: cum quo una profecti ſunt Joannes Ludovicus Fliſcus, & Joannes Adornius terreſtrium copiarum Duces, ſexcentis delectis militibus in alia minora navigia impoſitis: qui, itinere celeriter confecto, Rapallum nocte appellunt, copiſque ſilentio in terram expoſitis, parvo negotio, nihil ſentientibus Gallis,

opidum expugnant, præſidiumque Gallorum capiunt; atque, cum, tumultu exaudito, maxima pars armatorum, qui erant in claſſe, in terram deſiliſſent, ſuis laborantibus ſubſidio accurrentes, claſſis Gallorum defenſoribus vacua ſine certamine à Genuenſibus capta eſt: Miolantiuſque præfectus ſeſe Ibleto Levanto, quem Ludovicus Spinula celoci ſuæ majoris formæ præfecerat, tradidit, decem ducatorum millibus in redemptionem ſuam promiſſis, toto argenti abaco illi pignori dato, quem oravit, ut ſeſe in Provinciam Narbonenſem extemplo deferret: ceterum cum Ibletus herum ſuum prius conſulere voluiſſet, ſpatium dedit perſequentibus illum comprehendendi; qui Ducibus traditus eſt. Ingens præda fuit, quæ milites, ac ſocios nauticos, Duceſque ipſos ditavit. Cujus cladis nuncio accepto, extemplo Cardinales ac ceteri Proceres vaſis concluſis, matis diſcedunt, agmine incompoſito, atque iter fugæ ſimilius quam profectionis facientes: à quibus inſequendis Auguſtinus urbanam juventutem continuit. Vitelloctiuſque Vitellius, qui Clavarum uſque perrexerat, diſceſſu Genuenſis exercitus audito, caſtris retro motis, in ſua reverſus eſt: opidumque Spedia ac nonnulla opida Orientalis oræ, quæ ſub adventum Gallorum defecerant, in veterem obedientiam redicrunt, quod idem fecit urbs Albintemelium; quam Paulus Baptiſta Fulgoſius, ac Lucas Auria, & Monoeci Dominus occuparant.

Eodem tempore Ferdinandus Rex litteris ſuis peramanter ſcriptis certiores Genuenſes fecit, ſeſe Neapolim, Gallis ejectis, intraſſe; omnibus effuſſe voluntatis ſignis à Neapolitanis exceptum. Jucundus in primis Genuenſibus nuncius fuit; qui animi lætitiam ſupplicationibus decretis, aliiſque ſignificationibus teſtificati ſunt: atque inſuper duas ingentes corbitas, Nigroniam & Lomellinam, ſubſidio Regi miſerunt: quæ magno uſui, magnoque adjumento Regi fuerunt in navali prælio cum Gallorum claſſe commiſſo: quæ ſubſidium in arcem novam introducendum vexerat: quam Aragonenſes, Genuenſibus additis auxiliis auctî, illorumque virtute adjuti in fugam conjecerunt ac profligarunt.

Eodem anno, cum Piſis omnia, Florentinis urgentibus, artiora in dies fierent; ne Piſani animum deſponderent, eo miſſus eſt Fracaſſus Sanſeverinus; Genuenſeſque, Venetorum Scriba ac Conradolo Stanga continenter inſtantibus, ſpemque facientibus Sergianæ & Petræſanctæ recuperandæ, haud exiguam pecuniarum ſummam Piſas miſerunt. Interea, ineunte autumno, pax inter Regem & Ducem Mediolani ad Novariam convenit; approbantibus Venetis, quos tædium belli & impenſarum ceperat; quibus integra duorum menſium deliberatio reſervata eſt ejuſdem pacis incundæ. Multæ fuere conditiones pacis, quas non neceſſe habui perſequi; illas tantum ſcribere ſatis habens, quæ rem Genuenſem attingunt: Rex Spediam & alia loca occupata Genuenſibus reſtituceret: Genuenſes viciſſim Miolantium & ceteros captivos dimitterent; tricemes & naves ad Rapallum captas reſtituerent: Duxque pariter tricemes Genuæ retentas reſtituceret: liceret Regi ſtipendia ſolventi, quot naves libuiſſet, Genuæ comparare; Genuenſeſque Regi armamenta, ceteroſque omnes navales apparatus, mercede accepta, commodare obſtricti eſſent, modo ne ad res hoſtium Genuenſis Reipublicæ fovendas parerentur: Duxque mox ſuis ſumptibus duas ingentes corbitas Genuenſes omnibus neceſſariis rebus refertas Regi commodaret: Genuenſes copias Piſas miſſas, Duxque Fracaſſum revocarent: neque ſe Genuenſes poſthac bello inter Florentinos & Piſanos interponerent: pro quarum rerum ac ceterarum conventarum obſervatione, Regi à Genuenſibus certis obſidibus & à Duce arce Caſtellato caveretur: quam Dux Ferrarienſis, qui ea de cauſſa ab utroque Principe evocatus, in caſtra venerat, pro ſequeſtre ac communi arbitrio teneret: quas res Dux cum per litteras & nuncios Genuenſibus demonſtraſſet; duo Regis procuratores Genuam illico venerunt; quattuorque naves conduxerunt: quos tamen Genuenſes varia cauſſantes, ac retractantes, tamdiu extraxerunt, dum auditum eſt, Ferdinandum arce nova potitum: quare Galli naves, quarum nullus uſus futurus eſſet, dimiſerunt; ſtipendiis, quæ jam perſolverant, reuperatis.

Hoc anno ſive exortus, ſive (quod magis crediderim) detectus eſt morbus ille; quem ex contagione contractum, quarum illa efficaciſſima eſt, cum mas cum femina corpus miſcet, Galli *Neapolitanum*, Itali *Gallicum* vocant, mutuo utriuſque nationis, alterum ab altera illum accepiſſe credentis; certioribus auctoribus ac veriſimiliora tradentibus ſtetterim, illum ex novo tum recenter invento orbe, ubi morbus hic frequentiſſimus eſt; nemoque fere illius expers eſt, in Italiam allatum: qui morbus Veteribus plane ignotus, ac numquam antea auditus, incredibili celeritate toto orbe noſtro pervagatus, brevi omnes ejus Provincias comprehendit: quamquam non ſum neſcius, virum doctiſſimum, ac poetam iis, quos mirata eſt antiquitas, conferendum, Hieronymum Fracaſtorium aliam opinionem habuiſſe, ac de re in *ſyphilis* ſuo acutiſſime diſputaſſe: cui ego, ut fidem non abrogaverim; ita hiſtoriam ſcribentis eſt, potius ſeſe ad communes & forenſes opiniones accommodare, quam Philoſophorum, quam vis acutiſſime concluſas, rationes ſequi: hujus morbi initia atrociſſima & horribilia fuerunt; tempus poſtea, quod omnia ſolvit; ac complura ſollerti Medicorum inveſtigatione & induſtria inventa remedia vim morbi ita manſueſcerunt, ut jam non formidoloſior ſit, quam ceteri morbi: ejus natura ea eſt, ut multo ante ex contagione contractus, non prius ſe indicet, quam totum corpus contaminarit; luesque pigro progreſſu occulte obrepens, ad jecur perveneric; quo infecto, ſanguis ab illo, tamquam à fonte, corruptus manans, morbum compreſſum tandem aperit: interiores enim artus ac membrorum compages acerrimis ac vix humanæ patientiæ tolerabilibus doloribus initio, ut diximus, urebat; forafque crumpens omnem cutem immanibus puſtulis atque ulceribus deformabat: quin, carne etiam velut ad extremam tabem extenuata, horribilibus oſſium abſceſſibus, ita effigiem oris immutabat, ut ægrotus ne ab ipſis quidem intimis familiaribus, ac quotidianis miniſteriis aſſidentibus ullo modo agnoſceretur: neque hoc erat ultimum malorum; illicrant exſecrabilis luis abominabiles effectus, membra plane adempta; aliiſque nares, aliis aures, aliis lumina ipſa exeſa. Huic morbo, cum varia remedia Medicorum ars, ut diximus, excogitavit; tum certum illud, ac præſens à natura datum, indicallatum eſt, unde morbus manaſſe crediturr; hoc eſt, ex ipſis Orientalibus Indiis, in quibus arbor naſcitur, in cujus receptibus fructibus caineſt à natura indita virtus, quæ hoc morbo correptos brevi prorſus liberet. Hujus arboris trunci naturalem virtutem parva ex parte retinentes ad nos allati in ſcobem conteruntur; ex qua aqua ad dimidiam decoquitur, cujus bina pocula in die ægrotanti dantur; iſque, poculo hauſto in lecto, multa ſupeningeſta veſte collocatur; cui calor ſubito conceptus magnam vim ſudoris exprimit: parciſſimo autem cibo ægrotus utitur, à vino atque ab omni edulio rum genere abſtinens, præter panem torridum; cujus non plus fere duas uncias cum paucis paſſarum acinis in prandio & in cœna ſumit: tandem jecore, aquæ virtute purgato, peſtiferæque luis vi partim incita conſumpta, partim exſudata, quadragenorum dierum curatione æger ſanatur: qui totum illud tempus con-

conclaviincluſus, fenestris clauſis, omnibuſquetimis ita obſtructis, ut nulla aura poſſit penetrare, numquam in lucem prodieos traduxit. Hujus morbi hoc tempore effectus fere ſunt nonnulli, non tamen admodum acuti: artuum dolores, exteriores puſtulæ, ac cutis glabra, omnibus pilis atque ipſis etiam palpebris decidentibus, quæ non niſi longo tempore renaſcuntur.

Per idem tempus præfectus arcis Sergianæ, vir Gallus, occulta conſilia de arce reſtituenda cum Genuenſibus ferere cœpit; quæ brevi, anno ejus A. C. 1496. ſæculi nonageſimo ſexto, Chriſtophoro Caranio, Franciſco Lomellino, Petro Perſio internunciis eo miſſis, ad effectum perducta ſunt, viginti quattuor aureorum millibus præfecto perſolutis: qui civitate Genuenſi donatus eſt; Sergianaque urbs cum arce Genuenſibus reſtituta. Eadem opera Petraſancta ipſa quoque recuperata eſſet; ni noſtri procraſtinaſſent, ſperantes ſeſe extrahendo, præfectum Gallum ad æquiores conditiones adducturos: quæ cunctatio Lucenſibus tempus prævertendi dedit: quibus præfectus, ipſe quoque emptus, opidum tradidit: quod factum animos Genuenſium in Lucenſes vehementer irritavit: qui illico cum Ludovico egerunt, daret operam, ut Lucenſes Genuenſibus ſuum opidum mox reſtituerent: aut permitteret Genuenſibus, Lucenſium audaciam bello perſequi. Benigne Legatis appellatis Ludovicus, nihil eſſe, cur ad arma catur, reſpondet; ſeſe enim effecturum, ut Petraſancta ad Genuenſes ſine ſtrepitu redeat: qui tamen cum nihil promiſſorum præſtaret, Genuenſes iras à Lucenſibus in illum flexerunt; frementes, gratum eſſe Ludovico Lucenſium factum, qui numquam, ejus injuſſu, tantam rem ingreſſi eſſent: nudaſſe tandem animum Ludovicum totartificiorum ſucis involutum; illudque haud obſcure agere, ut Genuenſes, viribus ſubinde præciſis, paullatim enervet. Igitur omnibus Genuenſium curis in Petramſanctam recuperandam verſis, cum de ea re conſilia frequenter haberentur; Stephanus Juſtinianus cenſuit, omnia auxilia fœderatis neganda, donec Petraſancta ad Genuenſes rediret: quæ ſententia cum Adornïis fratribus moleſtiſſima fuiſſet, oppreſſa eſt ejus rei mentio.

Eo anno (quoniam hanc quoque rem Annales noſtri non omittendam duxerunt) Maximilianus Cæſar Genuam venit, omni honorum genere exceptus: cui cum Ludovicus obviam proceſſiſſet, eumque per omnes ſuos fines deduxiſſet; Genua quoque quattuor Oratores illi obviam miſſi ſunt, Lucas Grimaldus, Franciſcus Soffia Juriſconſultus, Coſmus Zerbius, Baptiſta Spinula: ad gratulandum ſoſpitem in Italiam adventum, juriumque eximiorum, quibus ſuperiores Cæſares Genuam civitatem impartiti ſunt, comprobationem petendam: quam rem Cæſar in adventum ſuum Genuam diſtulit.

A. C. 1497. Inſequens annus ejus ſæculi nonageſimus ſeptimus nihil habet, præter tres ingentes corbitas & duas triremes adverſus piratas miſſas; quarum præfectus fuit Joannes Ludovicus Fliſcus: qui piratas inſecutus, portu Tolonenſi incluſos aliquot dies obſedit; & arcem Caſtellettum à Ferrarienſi, ſub finem anni, Ludovico reſtituitam.

A. C. 1498. Sequentis anni ejus ſæculi nonageſimi octavi initio atrox procella repente exorta eſt; cujus tanta vis fuit, ut magnam partem molis recenter ædificatæ, raro exemplo, dejecerit. Eo anno Ludovicum Genuæ viſendæ cupido inceſſit: nullus umquam Princeps apparatius, aut magnificentius, ac ſplendidius, aut hoſpitalius acceptus eſt: nam primum quattuor ex primariis civibus illi obviam ultra montium juga miſſi ſunt, duplicatus numerus illum ad radices montium excepit, ad vicum Rivarolum quingenti adoleſcentes ſumptuoſiſſimis veſtibus ex ſerico & purpura induti præito illi ſuerunt: Dux uranifcum ſubire recuſavit, neque haſtas ſuſtinentes à Magiſtratu geſtari paſſus eſt, detectoque capite urbem eſt ingreſſus, in prætoriumque divertit: cum centum privatæ ædes, quæ in civitate magnificentiſſimæ erant, omni argenti, pretioſæ ſtragulæ, aulæorum, ſerici, purpuræ, ac reliqui ſplendidi apparatus luxu inſtructæ in hoſpitium cohortis paratæ fuiſſent: comiter ac familiariter, omnique faſtu depoſito, cum civibus ſuis, cum quibus urbem ac circumjecta ſuburbana circumibat, magnificentiam & amplitudinem villarum admirans: donatus eſt quattuor aureis crateribus, ingentis ponderis; lautiaque illi, totique cohorti ample præbita.

Eo anno Carolo octavo fam functo Ludovicus duodecimus Dux Aurelianenſis in regnum ſucceſſit: ad quem civitas duos Oratores, Carolum Spinulam & Francum Juſtinianum, gratulatum miſit: quo tempore Florentini Oratorem Genuam miſerunt, poſtulatum, ne Genuenſes Piſanis, in magnas anguſtias ab ipſis adductis, opem ferrent; qui, nulla re tranſacta, diſceſſit. Eo anno in Corſica initium tumultuum factum eſt, qui eodem fere tempore nati & oppreſſi ſunt: cum Joannes Paulus Lecca ex Sardinia cum quinque tantum comitibus in Corſicam tranſiſſet: qui, eum ad eum primo magni hominum concurſus facti eſſent, tota inſula diſcurrere cœpit, Corſos ad ſe Ducem ſequendum, ac libertatem repetendam invitans; ceterum brevi ex inſula expoſitus eſt ab Ambroſio Nigro adverſus illum miſſo. Is vir in rebus Corſicis mira ac perpetua felicitate uſus eſt; ſæpe in eam inſulam publice miſſus; tumultuſque partim naſcentes, partim jam, viribus aſſumptis, corroboratos ſemper parvo certamine compreſſit: quorum meritorum ergo ſtatua marmorea viventi haud contemnendis præmiis donato biennio poſt in ædibus Georgianis poſita eſt.

Annus ejus ſæculi nonageſimus nonus inſignis eſt Domini mutatione: ejus anni initio Ludovicus A. C. 1499. Rex Genuenſes, quod in partibus Ludovici Sforziæ hoſtis ſui eſſent, toto regno ſuo exterminavit. At Ludovicus Dux, Rege ditionem ſuam invadente, mille peditum ſubſidium cum trimeſtri ſtipendio à Genuenſibus poſtulavit, impetravitque: ceterum ſchices Regis proceſſus, reſque Ludovici Ducis ad malam ſpem inclinatæ, liberas voces eorum Genuenſium, quibus dominatus Ludovici ac regnum Adornïorum fratrum odio erat, excitarunt. Igitur cum Ludovicus, fortunæ cedendum ſtatuens, ditione ſua relicta, in Germaniam ſe recepiſſet: Bernardinuſque à Curte arcem Mediolani ſibi à Ludovico, veteri & amantiſſimo hero, à quo opibus & honoribus auctus fuerat, creditam raro atque adeo unico perfidiæ exemplo, hero vix ſinibus egreſſo, Regi tradidiſſet; civitas conſilium cepit, Regis, cujus potentiæ obſiſti non poſſet, ſibi conciliandi; ſeque uſitatis conditionibus illi tradendi, novo Magiſtratu ea de cauſſa creato. At Adornii fratres, cum Regis gratiam ſibi privatim adjungere fruſtra tentaſſent, civitate excedunt; Joanneſque, navi conſcenſa, Neapolim contendit; Auguſtinus vero in paternam ditionem ſe recepit. At Rex urbe Mediolano potitus; cum in controverſia inter Genuenſes & Florentinos, primum honoris locum Genuenſibus adjudicaſſet; Scipionem Barbavarum Mediolanenſem Juriſconſultum Genuam ad res interea regendas mittit; curamque civitatis tuſtodiendæ Joanni Ludovico Fliſco mandat. Igitur civitas, rebus cum Rege jam compoſitis & tranſactis, conditionibuſque poſtulatis à Rege, ejuſque conſilio comprobatis, viginti quattuor Oratores ad obedientiam palam, ſollemnique juejurando deferendam ad Regem mittit. Joannem Marinum, Nicolaum Odericum, ambos Juriſconſul-

tos, Chriſtophorum Catanium, Nicolaum Brignalium, Petrum Bapriſtam Guizum, Joannem Ambroſium Fliſcum, Stephanum Cicadam, Afranium Uſufmarium, Andream Ciccrem, Bartholomæum Cevam, Nicolaum Amandolam, Auguſtinum Lomellinum, Joannem Ambroſium Nigronum, Joannem Bapriſtam Facium, Anſaldum Grimaldum, Vincentium Saulium, Petrum Caliſanum, Ambroſium Zerbium, Demetrium Joſtinianum, Bernardum Salvagum, Chriſtophorum Spinulam, Hieronymum Auriam, Jacobum Centurionem, Lazarum Fatinantium: qui obedientiam in magno Proceroum conſeſſu detulerunt: eum Philippus Clevenſis Regis conſanguineus, electus Genuæ Vicarius, coram Rege ac Proceribus perſancte juraſſet, ſeſe leges Genuenſium, illorumque jura eximia, atque inter ipſos & Regem conventa ſervaturum.

A.C. 1500. Hic annus poſtremum quinctum decimum ſæculum Chriſtianæ religionis miſerabili fine concluſit. Ludovicus enim à Gibellinæ Factionis capitibus, Gallorum imperium faſtidientibus & adſpernantibus, evocatus, in Italiam venit, ingentibus plauſibus ac concurſibus faventium populorum exceptus: qui brevi omnem fere ditionem amiſſam recuperavit: quo incredibilis felicitatis curſu Genuenſes, qui nimis celeri rerum Ludovici deſperatione ad Gallos defecerant, perculſi; cum nihil copiarum à Trivultio extorquere potuiſſent, Magiſtratu duodecim civium cum ampliſſima omnium rerum poteſtate creato; Domino Monœci, Domino Serravallis, Joanni Ludovico Fliſco, Joanni Cebæ mandant, ut certum militum numerum ſinguli in præſidium urbis ſcribant, ab Italis quantum poſſent abſtinentes: qui mille ducentos armatos omnino coegerunt, ac Genuam miſerunt: cum per idem tempus delecta quingentorum peditum manus, Duce Saotio Gallo, à Rege è Provincia Narbonenſi ſubmiſſa Genuam appuliſſet: quibus præſidiis aucta & firmata civitas, ſecura à tumultibus fuit. Per idem tempus litteræ à Ludovico & Aſcanio fratre humaniſſime atque amantiſſime ſcriptæ Magiſtratui redduntur; quibus ditionis recuperatæ ac feliciter procedentium conſiliorum Genuenſes certiores faciebant: ſimul veteris amicitiæ atque artiſſimæ multorum beneficiorum mutuo factorum neceſſitudinis admonebant. Nihil reſpondendum, Gallis Proceribus à re haud diſſimulanter abhorrentibus, Senatui viſum.

At Ludovicus cum Novariam, præſidio Gallorum ejecto, atque incolumi dimiſſo, recuperaſſet; haud contemnendis copiis contractis, caurbe ſe continebat; cui cum Trivultius & Tramolius copias admoviſſent, urbe exiens, fortunam pugnæ experiri conſtituit: ceterum, cum animadvertiſſet Helvetios, quos magno numero conduxerat, Gallis ſeſe immiſcentes cum illis colloquia ferere, copias in urbem reduxit; ſeſeque ab Helvetiis proditum ſentiens, quanam ex illorum manibus elaberetur quærens, ad conſilium, quod non tam rutum, quam unicum erat, neceſſitate ſubactus deſcendit; veſtitumque gregarii Helvetii militis inductus, ſeſe illorum agminibus, ſpe fallendi, inſinuavit: ceterum agnitus ac comprehenſus, inaudito perfidiæ exemplo, in manus Gallorum ab exercitu ipſo ſuo traditur: à quibus in Galliam illico miſſus eſt, atque in opido Lochio carcere incluſus, nullo ſolatio à Gallis umquam dato, miſerabilem vitam terminavit. Par fortuna Aſcanii fratris Cardinalis fuit: qui, cum in manus Venetorum caſu incidiſſet, ab illis, Gallis poſcentibus traditus eſt. Hac mercede Ludovico ſua ſibi immoderata ambitio ſtetit; buncque fructum externorum armorum in Italiam ad aliorum perniciem introductorum cepit, ipſe Princeps ab illis everſus.

A.C. 1501. Annus primus ſexti decimi ſæculi Chriſtianæ religionis, præter molem viginti cubitos auctam, expeditionem habet decem octo navium in regnum Neapolitanum adverſus Fridericum Aragonium, juſſu Regis, factam: quarum navium, decem Gallorum fuerunt, octo Genuenſes; omnes corbitæ, præter triremes quattuor Genuenſes: quæ Tnerarebos habuerunt, Antonium Mariam Fliſcum, Davidem Stalianum, Baptiſtam Pogium, Philippum Palavicinum; eum corbitis ingentis magnitudinis præeſſent Joannes Lomellinus, Raphael Grimaldus, Vincentius Fliſcus, Caroſus Furnarius. Hujus claſſis præfectus fuit ipſe Vicarius regius Philippus Clivius, inſigni titulo Halmiratis Genuenſium ſumpto: quem titulum Rex ipſe quoque illi comprobavit.

Ceterum, cum, Friderico jam omnia tenente, inane inceptum evaſiſſet; ne ſine ullo omnino fructu ea expeditio eſſet, Clivius præparatam in regnum Neapolitanum curam in Turcam, inſulam Lesbum ac civitatem occupantem, vertit: quod, cum religionis ſtudio, tum Genuenſium precibus inductus, fecit, cupientium incommodam Turcarum vicinitatem procul ab inſula Chio amovere: atque in itinere quattuor & triginta Venetorum triremes obvias habuit: qui, Halmirate rogante, potius pudore quam voluntate inducti, ne in officio adverſus Chriſtianæ religionis hoſtes ceſſaſſe viderentur, ſe cum illo conſociarunt: igitur cum ad inſulam appuliſſent, copiis ac bellicis apparatibus, tormentiſque in terram expoſitis, mœnia quatere inciprunt; neque dubitatur, quin Chriſtiani urbe potiturі fuerint, ſi Galli ipſi ac Veneti impigram & fidelem operam navaſſent: ſegniter agendi cauſſa fuit Gallis, quod Halmirati nationis nomine (erat enim Burgundus) inviſo victoriæ honorem invideruntur; Venetis, quod eam inſulam in Genuenſium manum venire tion ſatis æquo animo ferebant: irrirus igitur conatus fuit. Erituit in ea oppugnatione virtus & conſtantia adoleſcentis; cujus nomen ab Annalibus præteritum miror, cum rem geſtam debitis laudibus non fraudarint: quem tradunt, eum ſignum geſtans mœnis audacter conſcendiſſet; Turcis creberrimo ſagittarum jactu illum inceſſentibus, manu ſigni haſtili confixa, multiſque corporis locis transfixum, numquam tamen ſignum dimiſiſſe, aut locum, in quo conſiliterat, deſeruiſſe prius, quam Halmiras receptui cani juſſiſſet: qui adverſam Veoetorum voluntatem, itiquumque in ſe ſuorum animum ſentiens, ne in ſpem irritam tereret tempus, retro iter repetit: in quo itinere proximus ſummo diſcrimini fuit, eum, adverſa exorta tempeſtate, navis Lomellina, qua vehebatur, undis hauſta eſſet; quo etiam naufragio, una ex Gallicis navibus, cum omnibus vectoribus, perit.

Per ea tempora egregia occaſio omiſſa eſt, urbis Plumbini imperio adjiciendæ; quam ipſe Jacobus Dominus Genuam veniens, imminentem procellam à Cæſare Borgia Duce Valentinenſi fugiens, Genuenſibus venalem obtulit: ceterum Genuenſes veriti, ne Regis animum offenderent, ſi ejus injuſſu eam emptionem feciſſent; ejus voluntatem primo per litteras ſciſcitati ſunt: qui, cum animum non nudaret, offenſionem Alexandri Pontificis veritus; Jacobus ipſe in Galliam contendit: cum quo Genuenſes unum ex publicis Scribis miſerunt, poſtulatum, ut aut propugnationem Plumbini adverſus Valentinenſem ſuſciperet; aut permitteret, Genuenſes de opido cum Jacobo tranſigere: ceterum, dum Rege extrahente, res lentius ducitur, opidani adventanti Valentino, metu dereptionis opidum tradunt: quæ res inſtituta conſilia evertit.

Eo anno Joannes Paulus Lecca ex Sardinia, in qua inſula diu exſularat, in Corſicam rurſus tra-

trajicit; ſatiſque firma hominum coacta manu, haud contemnendos motus excitavit: adverſus quem miſſi primo ſunt Emanuel Fliſcus & Silveſter Juſtinianus, quibus ſucceſſit Alphonſus Carrettus, cui paullo poſt additus eſt Ambroſius Niger, è Sicilia cum navi ſua reverſus: qui, cum Carrettus in morbum incidiſſet, ſolus res geſſit; ſtrenuamque & egregiam operam Reipublicæ navavit. Joanne Paulo contuſo & profligato, ejuſque filio capto, atque Ericem in cuſtodiam miſſo, totaque inſula pacata: quas res tanta cum moderatione geſſit, Corſorum animos leniter tractando: ita præſerocia indomitæ gentis ingenia emollivit, ut libenter jugo collum ſubjicerent, eumque ipſum ſui domitorem Ambroſium, quem ob frænum acceptum odiſſe potius videri poſſent, ſumma benevolentia amplexi ſint, patronumque adſciverint, atque in omni vita coluerint: quarum rerum cauſſa Genuenſes inuſitato honore ſtatuam in ædibus Georgianis Ambroſio erexerunt.

Extrema hujus anni peſtilentia tentata ſunt; qua paullatim gliſcente Magiſtratos, cui de ea re negotium datum eſt, patresfamilias ſeſe atque omnem familiam domi continere juſſit; ne contagione magis vulgaretur morbus: magnaque pecuniarum undique erogatarum facta eſt impenſa; primarius ac gravibus viris regionatim ac vicatim diſtributis, qui egentium domi incluſorum inopiam ſublevarent: tandem Magiſtratus diligentia ſerpens lues diſcuſſa eſt; circumque acto autumno corpora ſalubria eſſe coeperunt.

At alter, & tertius hujus ſæculi annus nihil ſane habent memoriæ prodendum, præter Lodovici Regis adventum; qui Mediolano in Galliam rediens, animi cauſſa, Genuam divertit, magnifice, & apparate, omnique effuſæ lætitiæ ſignificatione à Genuenſibus acceptus. Regis in urbem ingreſſus cauſſam certaminum præbuit; contentione de primo honoris loco in uraniſco, qui de more Regi ſubcundus erat, deferendo inter Nobilium Factionis & popularis nomiois primarios adoleſcentes exorta: illis eum honorem ad genus, his ad ætatem, exemplo cæterorum Magiſtratuum, trahentibus: ſtudiſque utrimque accenſis, res ingentibus certaminibus acta eſt; Nobileſque talem orationem habuiſſe dicuntur: *Si apud aliam cujuſvis nationis judicem gubernator, de jure primo loci in hac deducendi Regis pompa, ambigeretur; certam nos Nobiles & exploratam victoriam haberemus juſtitia noſtra confiſi, ac firmiſſimis rationibus ſubnixi: nunc apud te nobis Gallia ortum virum, vel ſolum ipſum nobilitatis nomen, quo in floreniſſimo illo regno nihil eſt ſecundum religionis rec, ad veneracionem ſanctius, ſperare poſſumus per ſe ſatis fore ad cauſſam tuendam: ac nec popularium civium rationes non ſatis noſtrari poſſumus; neque intelligere, quo illi conſilio inducti, quamve ſpem in manibus habentes hanc contentionem nobiſcum ſuſcipere non dubitarint: niſi forte proterita tempora illis ſpiritus faciunt, illorumque animos inflant; haud ſecum reputantes, quantum inter ſanctum & ſapientem judicem, nulla animi permotione in alioutram partem propendentem, & concitatam atque imperitam multitudinem interſit: apud illum enim veritatem & rationem ſolam valere: ab hac conetitata per vim, acma, ſeditionem, jus & fas opprimi; præſtantes viros & primarios civet everti; quietem civitatis turbari; Rempublicam labefactari; poſtremo omnia divina & humana miſceri: id quod iſterum Majores fecerunt: qui homines novi ac nulla majorum ſplendore decorati, nullique in patriam meritis commendati, non ſatis habuerunt, ſeſe in procuratione Reipublica, quam tumquam, niſi perpaucis eorum aliquando, conceſſu ac beneficio noſtro habuerunt, atque in honoribus & muneribus publicis parce nobis facere; ſed per ſummam injuriam ab illis nos dejecerunt; principatumque patria ſub ducatus titulo per fraudem inveſum, ac per vim retentum, factioſis legibus ſuis ſibi firmarunt, nobis adillum tumquam admiſſis; quamvis in partem gerendæ Reipublicæ, ſummo hoc imperii loco excepto nos aliquando acceperint, ac ſæpe dejecerunt: haudquaquam veriti pramortui pudoris hominec, eos viros à procuratione Reipublicæ arcere, qui illam ſoli per multa ſacula geſſerant; quique atque ipſeram Majorec, ſua virtate, laboribus, diſcriminibus, ſanguine denique ipſe ſuo hanc rem ex parva amplam fecerant; clariſſimiſque partis victoriæ nomen Genuenſe antea humile & obſcurum, clarum atque omnibus Mediterranei maris accolis populis verendum fecerant; ac ſummum potentiæ & auctoritatis locum in rebus maritimis patria pepererant: accedebant ad merita, complurium clararum familiarum inveteratus ſplendor, magnaque opes & potentia, quod alteram eſt ordinis noſtri haud mediocre ornamentum; quo popularium corpus omnino carebat: ut minus mirum ſit, talibus Majoribus ortos hominaes avitam & velas hereditariam impudentiam hac quoque in re exprimere; neque Nobilitati de primo honoris & dignitatis loco velle concedere: ſed mutata ratio temporum eſt; felixque ille dies civitati noſtra tandem illuxit, cum non jam vi ac ferro, ut adhuc populo regnante factum eſt, res obtineada ſunt; ſed jure & honeſtis ortibus agendum: non debetis igitur tantam indignitatem ferre, Galli; ſed putare, inter cetera munera, rec corruptas ac proſtratas emendandi & erigendi, qua de cauſſa vos accerſimus, noſque vobis regendos tradidimus, hoc non in poſtremis vobis impoſitam onus, ut ſua cuique reddantur; quod primum & præcipuum eſt concordia & tranquillitatis civitatis ſtabilienda fundamentum: ſum igitur locus Nobilitati a vobis eſt reſtituendus; quam facultatem vobis Deus immortalis dedit, quorum ſuperexſuperantes vires, quod pudet non facit, ſe efferentem popularium audaciam coercere poſſunt: id quod vos facturos, non modo pro veſtra juſtitia & æquitate, ſed pro ſapientia quoque non dubitamus; ſi cogitaveritis, nihil aliud eſſe Nobilitatem, quam inveteratas familiarum opes, ac veterem ſplendorem egregiis virtutis operibus, ac meritis in patriam paullatim collectum: qua virtute, quibuſque meritis eum Reſpublica in primis ſtet; nullae eſt acrior ſtimulus ad virtutem incitandam, hominesque impellendos ad ſortem & indefeſſam operam Reipublicæ navandam, quam ſpes gentis illuſtrandæ, ac nominis familiæ propagandi, gratiamque ipſorum meritis debitam ad filios & poſteritatem tranſfundendi: qua ſpe procliſa, ſtadia quoque civium erga patriam relangueſcant, atque adeo exſtinguantur neceſſe eſt: acmo enim tantum laborum & dimicationum impenderet in magnam aliquam gloriam & amplitudinem parandam; ſi ea brevis ævo ſuo terminaretur; ac niſi meritorum gratia in poſteros redundaret, qua illos conſpectos & verendos pra ceteris faceret. Hoc crimine ſeſa Reſpublica obſtrinxit, qui Nobilitatem deprimunt, ignobiles homines illi æquando: à quo crimine nobiliſſima Gallorum natio & natura & voluntate remotiſſima ſemper fuit: quo in regno ſi tertius, quem appellant, ac politicas ordo in conventibus parem ſibi cum Nobilitate locum poſtularet; tantam arrogantiam vos non jam verbis & diſputationibus refellendam, ſed manu & fuſte damnandam putaretis: ex intimis igitur ſenſibus veſtris aliorum animos fingite, Galli; quemque genereſa indignationis motum in rebus veſtris haberetis; eumdem erga populos, qui vobis parent, adhibete: illud vehiſcum reputantes, judicium vos contra nos ferre non poſſe, quo non ſimul vos ipſos, ac Gallicam Nobilitatem damnetis; qua nulla ſub cælo juris & dignitatis ſua apud plebem retinentior unquam fuit.*

Cum peroraſſent Nobiles, haud minus vehementi oratione populares in contrariam ſententiam ita diſſeruerunt: *Si in judicio de magnis rebus vocabula potius ſequi, quam rem ſpectare oportet, Gubernator; fruſtra à nobis omnis labor in defendenda cauſſa noſtra ſuſcipitur: ceterum nos vereat; quod in te tale vira tantum roboris eſſe remur, ut non te ab inanibus imaginibus auferri ſinas, ſed res ſuis momentis poſſis ponderare:*

rare: non negamus, Gubernator, Nobilitatem venerabilem rem eſſe; retineque ac ſapienter Gallos ceſſiſſimum quemque locum illi tribuere conſtemur; ſed de ea non ex nomine, ſed ex re, ac ſolida ipſa ratione ſtatuendum eſt: nempe igitur dicebatis, Nobiles, Nobilitatem eſſe inveteratas familiæ opes, ac Majorum in Rempublicam merita. Age, utramque rem in utroque corpore, Nobilium & popularium, perpendamus. Ut igitur à meritis initium facientes clariora tantummodo attingamus; an pœnitet nobiliſſimæ inſulæ Chii, atque utriuſque Phocæ Genuenſi imperio adjectæ? ejuſdemque inſula adverſus Venetos magno virium apparatu mari ac terra invadentes retenta? an ſordes Famaguſtæ Cypri celebre emporium capta, regnumque ipſum Cypri veſtigale factum, ac regis generis homines captivi, atque obſides Genuam adducti? jam vero illud, quo noſtra omnia contenduntur, quo tandem in pretio habendum erit? inſula Corſica adverſus ceſſiſſimum & propotentem Regem Alphonſum defenſa; Bonifacium opidum, quod arx & clauſtra illius inſulæ eſt, arta obſidione terra ac mari circumſeſſum, ex illius faucibus ereptum, admirabili illo incredibilis audacia & fortitudinis edito exemplo? poſtremum qua res a Genuenſibus geſta eſt, qua ad gloriam navalis prælii poſſit adſpirare, qui is ipſe inclytus Alphonſus Rex, idemque clariſſimus & fortiſſimus imperator vultus eſt, ac ſimul cum Rege Navarra, ac magno Magiſtro divi Jacobi, centumque Proceribus deminuta populorum inſignibus captus? Multa quidem à corporis veſtri hominibus inſignes ſunt edita pugna atque egregia parta victoria, quibus nomen Genuenſe clarum ac formidoloſum fecerunt; neque enim merita fortium virorum comprimere aut elevare candoris eſt noſtri. ceterum, ſi quis veſtra cum noſtris conferat, inveniat veſtra ad gloriam quidem eſſe inſignia; noſtra vero neque gloria inferiora & utilitate longe antecellere: qua utilitas finis publicorum conſiliorum eſt, eamque Reſpublicæ gerentes in deliberationibus ſpectare in primis ſolent: in ſplendore vero & amplitudine familiarum, quod alterum quærebatur; qua tandem re gentes Adornia, Fulgoſia, Montalta, Guarca, quattuor illis veſtris longe opibus & potentia ter vos antecedentibus inferiores ſunt? ea certe ſuperant, quod diutius rerum potita ſunt; ac diuturnier ſui illorum principatus: ceterum tam veſtra quam noſtra hæc clave familiæ è malis publicis creverunt: & adhuc iſtos non pudet nos, non modo ſocios in Nobilitate, per ſummam noſtri & ſui ignorationem adſcivari; ſed contumelioſo quoque plebejorum atque impudentium nomine appellare? viros ab omni ipſos pudorit ſpecie derelictos; quodque in ipſos valet crimen, in alios cenſerentes: neque vere Majorum noſtrorum injuria illos Reſpublica procuratione & honoribus publicis privarunt; ſed intolerabilis ipſorum-met ſuperbia & arrogantia: nique enim Simon Buccanegra, vir clarus ac fortis, Nobilitatem a gerenda Republica arcuit; ſed Rempublicam, quam totam, ceteris exterminatis, quattuor familiis, Spinnia, Auria, Grimalda, Fliſca, ad ſe attraxerant, ex illorum manibus extorſit; ac regimen omnibus bonis & honeſtis civibus commune inſtituit: quod ideo populare vocavit, quod populum omnem amplecteretur, neque certis tantum familiis circumſcriberetur: a quo, tantum abeſt, ut Nobiles excluderet, ut contra, omnes familias nobiles, quocunque, ejurata Nobilium quattuor familiarum Factione, ad illud admitti voluerint, libenter amplexi ſit; illiſque honores & magiſtratus publicos, præfecturas cleſſimus mandarit; omnique honorum genere illos perfecerimus ſit: qua æquitate id aſſecutus eſt, ut magna Nobilium pars ſtudia eum illo conjunxerit, pecunias illum juverit; ſuperbo quattuor familiarum jugo ſe exemptam lætans: non ademiſſe igitur Nobilitati Simon procerationem Republica, ſed ademptam reſtituiſſe cenſendus eſt: qui quattuor familias dejicere quidem impotens dominatu potuit, arrogantiam & faſtum illis eripere non potuit: neque ulla lenitate & juſtitia ſua inducere, ut æqualitatem juris cum reliquis civibus amplecterentur; ac cum cetera civitate in ſanctiſſimi inſtitu-

A tam formam Reipublicæ, ac commune civitatis bonum capeſſendum conſentirent, ſeque in ordinem cogi paterentur; ſed contra, experta, animoque alte inſidente regnoudi dulcedine omne jus, fas, pudorem, patriæ caritatem incapitis mentibus opprimente, arma contra patriam ſæpe tulerunt; quibus non civitatem, in quam ultro involabantur, ſed impotentem dominatum repetebant: quis igitur eam legem improbet, aut factioſam appellet; que illos ob ea procuratione Reipublicæ arcuit, a qua piſſimet ſeſeprius ſejunxerant? quamque modo aperta vi, modo inſidiis oppugnabant? ceterum Nobilitatis nomen in civitate vetuſtum, & a Republica procuratione (quantum ex veteribus monumentis conjici licet) alienum, ab illis omiſſum eſt; qui poſt inſtitutam communem & popularem B Reipublicæ formam, ad Rempublicam gerendam deinceps ſuccreſcebant: ne cum illis conſentire viderentur, qui a reliqua civitate conſilia ſepararant; atque Factionem Republicæ inſtitutæ adverſam ita nomine deteſtarentur, quemadmodum re ſe ab illa ſegregarant: quare factum eſt, ut Nobilitatis nomen, quod prius genera fuerat, tum primum Factionis eſſe cœperit; quippe cum complures corporis noſtri gentes vetuſto ſplendore ac potentia illuſtres, maximiſque geſtis rebus clara, ac ceteris omnibus ornamentis prædita, qua neceſſariam Nobilitatem ſecum trahunt, populares vocentur; & contra, complures homines ab illis in corpus ſuum accepti, ac familiæ & agminibus illarum adſcripti, novi ac degeneres, nullis honoratis parentibus orti, nullique in patriam inſignibus meritis ipſi, aut Majores eorum conſpecti, Nobilitatis nomen ſibi aſſumant; nulla eorum rerum ſubſiſi, qua Nobilitatem connexam habent. Illud vero perridiculum eſt; ut, quos homines idem mercatorium quæſtus, eademque nummularia & navicularia, quam juxta nobiſcum faciunt, nobis pares faciat, eoſdem ſolum nomen, contra omnium ſeculorum & gentium exempla, ceteris hominibus eadem profeſſione, uſuſque exercitiis conjunctis præferat: diverſa eſt Gallia veſtro ratio, Gubernator; in qua nobiliſſima Provincia Nobilitas utraque re a populo diſtinguitur, & inveterato C Majorum ſplendore, & diverſo vitæ ac cultus & ſtudiorum genere. Solum igitur nomen, quod mi ea de cauſſa, quam modo audiſti, repudiamus, vos ambiproferet, quos res pares facit? & bi homines eos impudentes appellare nos verentur? nos ne impudemes; en vos arrogantes, qui ætate apud omnes nationes debitum honorem detrahitis? quoque loco illi in gravioribus rebus, nimirum in Magiſtratibus & in Republica gerenda cenſitis; enim illi in minus ſeriis rebus atque in ejuſmodi pompis auferre ſtudetis? quam ætatem ſi in Gubernator loco ſue non fraudaris; nem in Gallorum inſtitutum à noſtris rebus longe diverſum damnaſſe, ſed quod a gravi D & religioſo judice exſpectandum fuit, ſtatuiſſe exiſtimaberis. Uſum in Magiſtratibus & in Republica gerenda ſecutus Clivius ſecundum populares judicium tulit: acceſſit hæc ad veteres complures odii cauſſas nova animorum irritatio; fortuna ad impendentes calamitates viam præmuniente.

Octo dies Genuæ Rex fuit, mirifice adſpectu urbis, cœli ſalubritate, hortorum amœnitate, ædificiorum ſpecie, domeſtici cultus ſplendore delectatus: cum omnia urbis interiora loca, cum paucis comitibus obiret, ac, quæ viſenda eſſent, contemplaretur, ſeque in civium colloquia & conſuetudinem comiter & perhumaniter daret, convivia cum illis hilariter iniret, chorcis nobilium matronarum intereſſet: hæc altero anno. Tertius vero ne mutus omnino ſit, facit Julius ſecundus, ditionis Genuenſis homo, ad ſummum pontificatus faſtigium elatus; qui Pio tertio Senenſi in locum Alexandri ſexti demortui ſuffecto, cum ſex tantummodo & viginti dies in Pontificatu fuiſſet, ſucceſſit.

Sequuntur anni ejus ſeculi quartus & quintus, A.C. nonnihil à peſtilentia tentati; quæ tamen non ma- 1504
gnos progreſſus habuit, cum initiis ſumma dili- 1505
gentia, omnique remediorum genere, obviam iturn

eſſet;

esset: magnis autem contentionibus, verborumque certaminibus hi anni agitati sunt; quæ Pisani præbuerunt: qui ad extrema adducti omni alia via ex jugo Florentinorum evadendi præcisa, cum nullam non prius tentassent, dominatum ejus ipsius civitatis suæ, quæ de maritimo imperio tot sæcula varia fortuna cum Genuensibus dimicasset, ad Genuenses ultro detulerunt; supplicibusque & ensis precibus, ut illud acciperent, egerunt: quæ res studia civium divisit; cum non modo in publicis consiliis, sed in cœtibus & conventibus hominum quotidianis sermonibus agitaretur; cum alii effuso desiderio amplam & perhonorificam rem in sinum cælesti beneficio ultro delatam amplexarentur; alii contra præcipiti (ut ipsi appellabant) consilio non minus acriter obsisterent: quæ contentiones, animis accensis, cum pro sententia utrimque obstinate pugnaretur, ad jurgia sæpe exarserunt; propeque factum est, ut res à verborum contentionibus ad manus & ad ferrum deduceretur.

In dissuadentibus acerrimus fuit Joannes Ludovicus Fliscus; qui multorum populorum dominatu, multisque clientelis fultus, longe opibus & potentia tum antecellebat. Is adversus tantam civitatis voluntatem, (omnis enim fere civitas in Pisanos accipiendos impotenti desiderio ferebatur) nonnullis ex principibus civitatis studiorum & sententiæ focis, aperte tendebat: multa autem opulentum atque ejus fastigii civem in eam mentem impulisse dicuntur: primum gentis & Factionis suæ Fliscæ respectus; (nam hæc quoque recens Factio ad veteres accesserat, *Catorum* nominata, ab eo animali, quo galeæ insigni Fliscæ gens utitur, multosque humilis fere fortis homines, tam in urbe ipsa, quam in ora Orientali comprehendebat) cum intelligeret tantarum virium ac tanti imperii publicam accessionem, esse suæ ac suorum privatæ potentiæ & dominatui infringendo; regnantibusque aptiorem esse imbecillam, quam prævalentem civitatem: quam cupiditatem usque adeo patriæ charitati prævertunt; ut potentioribus familiis perpetua disciplina fuerit, publicas vires depressas habere, atque enervare: deinde quod Regi Gallorum gratificari cuperet; cujus dominatu opes suæ in primis stabant, cuique infinito beneficio erat obstrictus, omni Occidentali ora regenda, ac prope fiduciaria ab illo accepta, cum magna dignitatis & emolumentorum amplificatione: sciretque, Regi cordi haudquaquam esse, Genuam supra modum crescere; ac viribus corroboratam & imperio auctam, contumaciorem adversus imperia fieri; animosque simul cum opibus ad libertatem & ad jugum excutiendum attollere. Accessit tertia, eaque turpissima fordium nota; nam hæc quoque vehemens opinio vulgo fuit, hominem ingenti auri vi à Florentinis emptum. Is igitur, cum in privatis civium cœtibus, qui ad illum frequentes conveniebant; tum in consilio universæ civitatis, quod crebro habebatur, incitato ardori tali oratione palato refragari solebat: *Quæ duo, Patres, in deliberationibus de magni rebus plurimum semper apud omnes potuerunt; ea ambo mihi Pisarum dominatum ultro ad nos delatum repudiandi, & ab eo accipiendo vos deterrenti in primis adversantur: alterum est splendor & magnitudo magni incrementi, quod cum summa publica dignitate civitatis nostra imperium & vires duplicet: alterum nostra præfervida ac celeris ingenia, acquirendique semper avida, & ad subita, tam de magnis, quam de parvis rebus consilia capienda prompta, no dicam precipitia. Ha duæ res ita hoc tempore apud multos vestrum valent; ita plerique impotenti hac cupiditate rapiuntur; ut non modo difficultates & incommoda, quæ in decora hac specie latent, ipsis in mentem venire non possint; sed ne orationem quidem de illis vos admo-*

A *nentium auribus admittant: quos, ne quid gravius dicam, boni ac dignitatis publicæ parum studiosos vocant: atque in circulis & cœtibus vulgo lacerant: ceterum decet graves viros ac patriæ vere amantes cives, pro publica utilitate, omnia levia ducere; neque incommodis hominum sermonibus à rectis consiliis deterreri. Ego quidem, quamvis adversa invidia subjici malo, quam suscepeam eorum, qua Respublica salutaria censeo, defensionem deserere; & ab incommodis, quæ multa & magna speciosum consilium tegit, proponendis abstinere. Non sum nescius, Genuenses, quam natura hominibus mista sit acquirendi cupiditas: ceterum hujus cupiditatis modus facultate & viribus nostris est terminandus: ut, si res, in quam desiderium nostrum*

B *fertur, vel in ea nobis parienda, vel in parta tuenda nostrarum virium non sit; ab ea querenda prorsus abstineamus: qua igitur tanta amentia vos nos tenet, aut unde novum hunc furorem nobis esse objectum dicam? ut, qui nostris viribus ipsi stare non possimus, alios fulciendos suscipiamus? quique ipsi liberi esse nescimus, alios imperare quæramus? ac, quod jugum ipsi nos viribus nostris excutere non valemus, alios nos imposituros speremus? non minus ridiculi, quam si cujus tanta sit corporis imbecillitas, ut neque stare, neque regredi ipse, nisi sessione innixus possit; alios is corpore suo à casu sustinendos sumat: illisque haud absimiles, qui stomachi imbecillitate laborantes; cum perexiguum ac tenue ali-*

C *mentum vix concoquere possint; magnam ciborum vim non modo esu suavium, sed genere quoque salubrium sibi ingerentes, pro eo ut nimia copia extenuatum ventrem corroborent, exiguas illas vires, ac, reliquum quod est naturalis vigoris, obruunt, ac corpus ipsum tandem conficiunt. Nam, per Deum immortalem, quid tandem nobis animos facit, ut tantam negotii molem nobis temere conflare non dubitemus? an ingens fortium virorum ac strenuorum bellatorum numerus, quos urbs & ditio nostra fert? an opima vectigalia, publicaque opulentia, qua quamvis magnum & diuturnum bellum alere possit? qua utraque re hosti, quem novum nobis adscisimus, longe simus superiores? totum contra est, Genuen-*

D *ses: nam hæc omnia parva & tenuia nobis sunt: hosti contra, ampla & copiosa: omnis enim fere plebs nostra urbana, opifices & sellularii sunt, minime idoneum cujusvis militiæ genus; cum ardor ille & studium militarium rerum, quod crebræ ac magnæ expeditiones excitabant, illis jam pridem intermissis, in hominibus nostris consenuerit; ac pro militibus & nautis, urbem publicanis & textrinam facientibus refertam habeamus. Neque vero negaverim, cum in urbe, tum in ditione nostra multos fortes & strenuos viros reperiri: ceterum navalibus rebus assuefactis, in quibus omnem ætatem agunt, nullique omnino nationi de virtute ac scientia in illis concedunt, terrestribus bellis minime apti sunt. Externo mili-*

E *te conducta res agenda est: at unde tandem pecunia in stipendia erogabuntur? ex erario-ne, quod nullum habemus? an ex vectigalibus publicis, qua omnia alienata sunt? nec cogitamus, tantam esse publicam egestatem, ut stipendia in paucos urbis præsidiarios, & duas, fortasse tres, custodias tueremur, atque in nonnullos alios necessarios semper ægre conquiramur; ne dum tanto insuper extraordinario onere affectas vires nostras aggravemus? tribuio, inquit. Utinam, Genuenses, is esset in nobis animi ardor, ea patria charitas, ut pro illius dignitate & amplitudine tuenda, omnia nostra privata nos spoliare non dubitaremus: ceterum, obsecro vos, an non estis experti in bello, quod*

F *gessimus, quam parum in hac re sit ponendum? cum hosti nullam diem ob causam non exigua parte veteris ditionis nostra cesserimus, quam quod tributo gravaremur? cum tamen illud ita, & tempore breve, & re exiguum fuerit, ut, pro magnitudine ejus, quod instat, vix comparet: an non memoria tenemus, quanta contentione à patribus nostris pugnatum sit, ut tributum, quod ostiatim pendendum erat ex lege antea lata, qua non plus vicenalis fuerit, tolleretur? cum cives aperte ferrent, sese, urbe habitationibus suas relicta, alias sedes sibi quæsituros;*

atque alio conuiuigraturos? an jam excidit, ita aves noſtros à tributo abhorruiſſe; ut en bellis Mediolanenſibus, in quibus de libertate ipſa & ſalute noſtra dimicabatur, perium Liburna, cujus tanta eſſem cupiditas noſtra ad maritima commercia opportunitates, perexiguo pecuio alienarim potius, quam modecum illud conferrem? Longe alius, mihi credite, Genuenſes, habitus animorum eſt nunc, cum improviſa ac ſplendida obiecta ſpecies ardorem ac parum cogitatam rationem noſtram excitat; ac tum erit, cum primus ipſe impetus conſederit; atque aſſiduo tributo rem ſuam privatim unuſquiſque paullatim conſici ſentiet: qua re fiet, ut de poſſeſſione Piſanum hoſtis turpiter concedere cogamur; ac ſpecioſi & pravi conſilii nullum alium quam ſama levitatis ac temeritatis fructum percipiamus. Nolite putare, hoc bellum navalibus illis expeditionibus fore ſimile; quas ingentes adverſus potentiſſimas nationes feliciter ac magna cum gloria Majores noſtri ſape ſuſceperunt: in quibus cives ipſi, ac Genuenſes, & Ligurtica nationis homines gratuitam operam Reipublicæ navabant; non modo publica dignitate & ſalute illos monente & inſtigante; ſed privatis quoque rationibus ita ferentibus; cum aliter maritima commercia, quibus rei omnis publica & privata noſtra continebatur, ſtare non poſſent: at nunc erarii pecunias, externo conductitio militi, bellandum eſt, ac dim bellandum: non enim impetu, ſed perſeverando gerendum eſt hoc bellum: nuquam enim hoſtis, niſi Piſis recuperatis, quieturus eſt: neque liberum eſt illis hoc quieſcendi conſilium; quod neceſſarium facit ipſius fortuna, qua omnis ex ejus urbis & ditionis poſſeſſione verſatur: ad quod bellum vires ex ſuffecturus, neque ſatietatem ullum capturam, cum omnium temporum exempla, tum nunc in hoc ipſo bello Piſano, ut cum maxime, docent, maxima bella ac diuturna cum propotentibus Principibus gerendo, ingeniſque exercitus pecuniis ſuis alendo. Qui igitur nomen meum perſtringunt, imperitamque plebem mihi irritant, unam habent me refellendi viam; ſi docuerint, unde in tantum & tam diuturnum bellum, quo civitatem noſtram ſtudeat implicare, ſumptus ſint erogandi: hanc autem nullam eſſe video; niſi ſi ei-vee ſiſe, pro ſua quiſque rei modo, eam ſummam conferre paratos dicant; in eamque rem ſeſe ipſi ac nomen ſuum obſtringant, qua non minus quingenta aureorum millia annuverſaria conficiat: hoc uno, ſi illud perfectum mihi dant, non inanibus iſtis ardoribus ac tumidis verbis, aſſequi poſſunt, ut boni & amantes patria cives habeantur. Atque ego, Patres, perinde, quaſi libera nobis ſint de tanta re conſilia, neque omnia à voluntate & nutu Regis pendeant, ita diſputo; cujus mens prius exploranda eſt, atque ad eam deliberationes noſtra dirigenda: niſi forte ea quoque nos agitat rabies; ut ejus injuſſu, tantam rem ingrediendo, tantum inſuper Regem ad jam deſtinatum hoſtem adjiciendo, nos ac Rempubliceam præcipitem dare properemus. Ego, Patres, pravum conſilium omni ratione nobis abjiciendum cenſeo; atque ab eo bello abſtinendum, quod temere ſuſcepimus, turpiter ſit nobis ab illo exhauſtis deponendum.

Cum perorafſet Joannes Ludovicus; unus ex iis civibus, qui Piſas accipiendas decernebant, ita contra illum diſſeruit; *Miratus ſum Fliſcum, Patres, initio dicendi tam multis verbis invidiam à ſe deteſtari conatum; quam ſi cus res ipſa conflat, fruſtra oratio ſtudet amovere: & Hercule! ut nemo Fliſcum accuſet, nemo illum bona mente uti neget; quid aut eſſe ad ignavia & deſidia famam iſtatuit, aut fieri in Rempublicam hoſtilius poſſit; quam tantam imperii, dignitatis, utilitatis quoque publica & privata acceſſionem ultro ac ſine certamine delatam repudiare? atque ea cum ita ſint; ille tamen pro eo, ut cum ceteris in præclaro conſilio conſentiat, non ſatis habens, tanta omnis civitatis voluntati auctoritate & potentia ſua impedimento eſſe, ultro etiam nos, ſi Diis placet, aſpera orazione lacerare non dubitat; furorem & amentiam iis, qui ab ipſo diſſentiunt, obiiciendo: res ipſa ad liquidum emoleata docebit, in utros hoc maledictum reſidat: atque, ut te tuis veſtigiis perſequar, Fliſce, nimis vifus es mihi vires noſtras elevare ac premere; contra hoſtis nobis deſtinatis ad cælum extollere; ſic nullum nobis erarium, nulla vectigalia eſſe, ſi plebem maxime aptam militia docebas: contra, hoc omnia hoſti copioſa eſſe: qua in re, contra ſentiendo, ſtatuo vos longe hoſte his omnibus rebus eſſe ſuperiores. Mirabarque animum ac ſapientiam tuam; qui non intelligeres, nos, non imbecillitate virium, ſed ad cauſſas diſcordiarum inter cives ſummum magiſtratum ambientes, tollendas, exteros ad nos regendos accerſiſſe: quod idem Majores noſtri, tum, cum hæc civitas in flore virium maxime eſſet, ſæpe fecerunt; exteris Prætoribus privata fortuna hominibus Rempubliceam gerendam tradentes: argumento ſum ingentia bellaſum ab ipſis Principibus, quibus parebamus, cum tadimus illorum imperio nos capiebat, geſta; acriaque terreſtria prælia cum illis noſtra & patrum atque avorum noſtrorum manuſa commiſſa; in quibus ſemper ſuperiores evaſimus: qua res eam quoque tibi orationem eripit; nebuianam plebem noſtram ac Ligures hominem navalem rem tractare ſolitos, inutiles eſſe terreſtribus bellis: quo (pace tua dixerim, Fliſce) quid pronunciari poſſit imperitius? fuit quidem ſemper omnis noſtrorum hominum gloria & commendatio in rebus navalibus, qua non minore animi & corporis robore, quam pedeſtria bella egent: non quod non ad terreſtria bella apti eſſent; ſed quod fortuna civitatis occaſionem illis non dabat terreſtrium bellorum tractandorum: ad qua ſi mutata conditio urbis, ac mutata tempora illis viam pateſaciant; quis dubitat, quin noſtri homines idem robur, eamdemque in rebus maritimis ab omnibus iſtatam varincem ad illa non minore cum gloria ſint tranſlaturi? vividoenim ſunt noſtris hominibus atque impigra ingenia; tum autem laborum & malorum tolerantia; qua res prima in militibus poſtulantur: & tamen tu homines noſtros tamquam opifices & ſillularios, a bellicis rebus tractandis arcebas, quaſi non major opera in opificis exercendis, ac non multo major ſit apud hoſtem opificum & ſellulariorum copia. quorum nemo bellum, aut acieem, aut mare unquam adſpexit: bella mercenario militi exercere ſoliti; cum noſtri inter ferrum & arma, in maritimis ſultem bellis, naſcantur & educentur: in quibus non minora funera gladiis ac miſſilibus cadentium, quam in pedeſtribus acicbus edumtur: qua in re, Fliſce, ſi hoc bellum, quod accipiendo Piſanos ſe ſponte nobis tradentes patiamur, mercenario & conducto militi gerendum eſt; quid attinebat te de ſellularius mentionem facere, quibus ad bellum uti nolimus? ſi noſtris hominibus ſtrenuis ac fortibus viris rem gerere decrevimus; neque egeſtas erariis, neque vectigalia alienata, quorum nullus, aut perexiguus uſus futurus eſt, nos à præclaro conſilio revocare debent: neque Majores noſtri tanta contentione de tributo tollendo dimicarunt, quod nomen hoc per ſe tantopere abominarentur; ſed quod agre ferebant, non in uſus publicos, ſed in regnantium libidines rem ſuam familiarem ſibi exiorqueri. Longe alia mens erit civibus noſtris; cum intellexerint, ſe in patria decus & utilitatem, in imperium proferendum, in vectigalia emgenda, in Rempubliceam ære alieno liberandam, in commercia magno cum publico & private ſuo, ac liberorum ſuorum compendio augenda conferre: ardore & ſtudio, præclaraque æmulatione inter ſe in conferendo certabunt, ſi bene aliorum animos ex noco ſpecio; illud ſecum reputantes quod vulgo dicitiari ſolet; recte obolum in denarii, recte denarium in muna lucrum impendi: jam illud facite cogitetis, Patres; inferentem bellum, quadruplo tanto propulſante ſuperiorem opibus eſſe oportere: præſertim ſi illum ex poſſeſſione rei, quam tenet, dejectum venias: ad hoc imperio ſubjunctis benevolis, ac rem nos. modo non gravate, ſed cupide quoque juvantibus: id quod nobis de Piſanis uſu veniet, exſecrabilis odio in Florentinum nomen efferatus: cum ſit in proverbio, Hominem mortuum, non, niſi à quatuor vivis, domo extrahi poſſe: ita ne vero, Fliſce, nobis non eſt cum imbelli ac contempto populo par certamen; neque bellum, quod ab illa nobis immineat, no-ſtra-

1402

Joseph Carnaghan del.

ſtrarum virium eſt? qui Mediolanenſes Principes, ac Reges ipſos Gallos infinitis partibus viribus ſuperiores ſuſtinuimus. Venetam vero urbem longe opulentiſſimam, omnique veteris fortunæ copia abundantem, non modo in nos incumbentem non expavimus, ſed omni terrore belli in illorum regiones tranſlato, illos ad neceſſitatem de ſalute & de libertate ſua dimicandi, & paratum ſupplices poſtulandi adegimus: & nunc pavore degenerem ſellulariorum à tanti ſplendoris & utilitatis conſilio deſiſtemus? pudeat Majorum noſtrorum, pudeat hominum, qui vivunt, pudeat denique hujus lucis. Ad quod conſilium, præter ceteras utilitatis & opportunitates communes nobis cum omnibus, qui imperium ſuum augent, quas innumeras non neceſſe habeo apud mecum juſta gnaros perſequi; duo à nobis præterea præcipui & ingentes fructus percipiendi horrantur: primus eſt, faculitas nos alendi, qua omnino caremus; quamque auger totius Etruriæ feracitſimus Piſanus nobis abunde ſuppeditabit; pro qua re ſemper vota fecimus. En erit umquam, cum magna civitas à ditione ſua alatur; neque precariam vitam ab externis Provinciis ducat? quæ omnibus ac perpetuis votis expetitissimus; id ultro oblatum, per illum ipſum immortalem Deum, qui numine & benignitate ſua illud obtulit, ne deſpiciamus, Patres. Alter eſt ille non exiguus fructus; quod, validam coloniam in agrum Piſanum mittendo, civitatem noſtram prægravante multitudine exoneramus, ac quietiorem reddamus, nimia turba, ſeditionum ſæpe cauſa, ſublata; exceſſitenique tenuiorum campis, in quibus ſe exerceant, ex quibuſque victum ſibi parent, aſſignatis: cum opificia & nautica induſtria non ſatis ſit ad tantum numerum alendum: qua res ad imperium quoque Piſanum nobis ſtabiliendum valebit; præſertim ſi illius civitatis Optimates & principes civitate noſtra ac jure ſuffragii donaverimus; atque in par nobiſcum jus Reipublicæ gerendæ aſciverimus: quod utrumque exemplum veteres ac maxime civitates nobis præbuerunt: quod de mente & aſſenſu Regis prius quærendo cenſuit Eliſcus; ne ego quidem, Patres, ab eo diſſentio: verum ſic ſtatuo, Regis voluntatem à nobis ipſis pendere: neque enim tanto ardori ac civitatis conſenſui umquam refragabitur: juvabit quoque opibus ſuis ad rem obtinendam: quod ſi nos lente & ſegniter agere viderit, ſi ſententias inter nos diſcrepare cognoverit; quis dubitet, quin à ſe novo negotio, noſtra cauſſa, implicando abhorreat; quod nos, quorum tanta res agitur, frigide ſuſcipere ſenſerit? tunm eſt igitur, Eliſce, ac tui ſimilium, omiſſa contentione, cum ceteris in præclaro conſilio conſpirando, Regem in aſſenſum trahere: ego, Patres, illud conſilium toto pectore ampleſtendum cenſeo, quod ſine ſumma ignavia & Reipublicæ proditæ infamia omitti non poteſt.

Contentiones de Piſanis rebus vix dum finitas longe actiora certamina de noſtris ipſis exceperunt, anno ſexto, & ſeptimo ejus ſæculi exercita: quibus duobus annis nulli umquam, poſt Genuam condi-
A. C. 1506. 1507. tam, ſuerunt, in quibus clariora edita ſint documenta, aut natura inſitæ Nobilitati ſuperbiæ ac faſtus, aut effrenatæ plebejorum atque infimæ ſortis hominum libidinis, in libertate & impotenti dominatu exercendo nullum modum facientis: quique magis docuerint, diſcordiarum noſtrarum (quæ plurimæ ac variæ fuerunt) nullas umquam fuiſſe acriores & vehementiores, quam illas, quibus Nobilium Factio & popularium corpus inter ſe contenderunt: quippe quæ cetera diſſidia & odiorum cauſſas obtruerint, ceteraruмque Factionum reſpectus oppreſſerint; ipſaſque inter ſe contrarias Factiones hoſtili odio modo inter ſe diſſidentes ad ſeſe attractas conjunxerint: contra eaſdem ipſas ſectas ſingulas inter ſe bifariam diſſectas diſtraxerint, Gibellinoſque in Gibellinos ipſos, Guelphoſque in Guelphos, Adornianos in Adornianos, Fulgoſianos in Fulgoſianos armarint: contra, Gibellini cum Guelphis, Adorniani cum Fulgoſianis modo hoſtiliter infenſis, in perniciem ſuæmet ſectæ hominum ab ipſis abſtractorum ſtudia conjunxerint; prout ſingulæ hæ ſectæ ab alterutra Nobilium vel popularium Factione ampleſtebantur: quas res ſcripturus vehementer me animo perturbari ſentio; numquam me in difficiliori aut magis lubrico loco verſatum intelligens: arduum enim in primis eſt homini in rebus, quas ſtilo tractandas ſuſcipit, nato & educato, ita aut animi permotiones regere, ne in alterutram partem propendeant; aut ſtilo ita moderari, ne legentes, quæ ſcripta ſunt, quamvis cum fide & veritate conjuncta, potius ad partium ſuſpicionem, quam ad veritatis ſtudium trahant: ceterum animus ita hac in re ab hoc morbo liber fuit; ut Deum immortalem precer, ut hominibus, qui ſcripta hæc noſtra in manus ſument, in judicio de me ac de ſcriptis meis faciendo, eam mentem det, quam mihi in ſcribendo dedit: multæ in liberis civitatibus diſcordiarum civilium cauſſæ eſſe ſolent; vel æris alieni, cujus magnitudine, velut tetra quadam tyrannide, tenues homines à divitibus & potentioribus civibus oppreſſi prægrave jugum ſi nulla alia ſit via, armis arreptis, excutere conantur; vel agrorum, quos in paucorum poteſtatem & poſſeſſionem ceſſiſſe, reliqua civium multitudo in egeſtate & ſolitudine ætatem agens, per ignaviam, ut plurimum, amiſſos, per vim recuperare contendit: quæ res Lycurgum & Solonem ſapientiſſimos Legiſlatores, illum ad agrariæ legis, hunc ad tabularum novarum neceſſitatem adegerunt: aſperum quidem utrumque & amarum remedium, ac rerum poſſeſſoribus vix tolerabile; ceterum, ad res ab interitu ſiſtendas, unicum: quod exemplum prius ſanctiſſimus Vates, & divino colloquio dignus habitus Moſes, & ad Hebræum populum legibus formandum divino conſilio electus, prodiderat; debiturum remiſſione ſeptimo quoque anno, novaque agrorum diviſione quinquageſimo quoque inſtituta, naſcenti malo, ſapientiore conſilio, occurrens, quam ceteri jam exortum exſtinguere conati ſunt: quod exemplum ac remedium multi ſæpe tentarunt, partim felici ſucceſſu, partim triſti eventu, ipſique auctoribus pernicioſo: ceterum nullus eſt acrior, aut validior ſtimulus ad odia accendenda, civeſque inter ſe armandos, quam dignitatis & honoris contentio, dimicatioque de ſummo in Republica loco; dum alii æquales, alii ſuperiores non ferunt: quæ tanta animis civium imbibi ſolet; ut, cum ceteræ, quas diximus, controverſiæ & diſſenſiones ſalubribus legibus ſæpe ſint ſublatæ, hæc una vix umquam aliter quam ferro decreta ſit: multæ ſunt enim Nobilitatis laudes, multoſque illa & acres habet ad virtutes ſtimulos, magnaque ad laudem & ad gloriam adjumenta: quippe, quod ceteros homines una tantum officii religio ad recte faciendum, ac cum fide & innocentia vivendum inducat: at Nobilibus, præter hanc communem cauſſam, ipſorum Majores quandam magis neceſſariam rationem officii colendi imponant; ut non ſolum ſuam, ſed Majorum ſuorum vicem in fama pauſſatim collecta tuenda, ſibi laborandum cenſeant: quorum Majorum decora & merita in poſteritatem, tamquam jure hereditario, transfuſa, dupliciter, & ſua, & aliena virtute, Nobilitatem venerabilem faciunt: ceterum unum hoc vitium natura inſitum habet Nobilitas, quod illius laudes haud leviter deformet: elatiores enim ſpiritus facere, animoſque hominum ad ſuperbiam, ſæpe etiam ad intolerabilem arrogantiam ſolet inſtare; ut æquabilitatem juris cum ceteris civibus ferre non poſſit; primariorumque è populari corpore civium opibus auctorum atque ad eamdem gloriam, quam Nobilium Majores pepererunt,

ſuccreſcentium induſtriam depreſſam cupiunt: immemores eadem fuiſſe gentis ſuæ initia; iiſdemque artibus, quibus novos homines niti vident, ipſorum Majores ex ignobilibus Nobiles factos: quæ contentio animos civium inexpiabilibus atque occulte gliſcentibus odiis paullatim imbuens, civitates bellis civilibus involvere, atque evertere tandem ſolet: trecentiſque circiter ab hinc annis (ut remotiora omittam) factum eſt, ut Nobilitas in omnibus fere Italiæ civitatibus ab honoribus, & Magiſtratibus, omnique procuratione Reipublicæ dejecta ſit: quin etiam in nonnullis ab aditu ad prætorium lege excluſi ſint Nobiles; idque aſſecuti, ut, quos æquales ferre noluerint, Dominos habuerint.

Is tum morbus civitatem noſtram tenebat; cum nullæ earum cauſſarum, quas modo commemoravimus, ſeditiones ac tumultus, quos mox ſcripturi ſumus, conflarint: nam neque plebs ullo ære alieno ſe oppreſſam querebatur; neque Genuæ in ſolo macro atque arido ulli ſunt agri, qui dividantur; & in populari corpore, quamquam nonnulli homines erant novi; qui ipſi, vel eorum patres ad Reipublicæ procurationem venerant, (quæ tamen eadem ipſa quoque exceptio in Nobilium Factione erat) maxima tamen pars vel ex veteribus priſcæ Nobilitatis familiis erant, quæ ante quattuor præpotentium familiarum regnum Rempublicam in manu habuerant; quæque iis de cauſſis, quas ſuperius diximus, à Nobilium Factione ad populare corpus tranſierant; vel ex iis, qui poſt dominatum quattuor familiarum à Simone Buccanigra exſtinctum, creverant; jamque compluribus progeniebus Reipublicæ procurationem obtinuerant; quique neque domeſtici cultus ſplendore, egregiiſque in Rempublicam meritis ac claris rebus geſtis, neque ulla alia in re Nobilium Factiom de dignitate concedebant: qui Nobilitatis tantummodo nomine ſuperiores, ceteris omnibus rebus pares, ea appellatione inflati, populares ſpernebant. At juventus, cujus libidinem fervor ætatis impotentiorem faciebat, tenuioribus injurias & contumelias per varias occaſiones imponere, pugnis & colaphis cædere, ferrum etiam nonnumquam intentare, vulnera infligere; neque ſæpe admoniti ullum injuriarum finem facere: qui etiam eo arrogantiæ proceſſerant; ut non ſatis haberent, impotentem ſuperbiam exercere; ſed illam quoque aperta ſpecie præferrent; cum capulis brevium gladiorum, quos ſub veſte geſtabant, contumeliolum titulum inſcripſiſſent, *Ruſticanes male mulctans.* Ac nec primariorum quidem popularis corporis civium minor indignatio animum verſabat; cum ferre non poſſent, eos homines, qui Factionis tantummodo nomine differrent, ceteris omnibus rebus pares, honore & dignitate ſibi præferri æquum cenſere: quam rem eo quoque indignioremputabant, quod forma Reipublicæ popularis eſſet & appellaretur; ſummumque civitatis imperium ducentos circiter ab eo tempore annos perpetuo ac ſemper uſurpato jure popularium eſſet, à quo Nobiles legibus ab ipſimet acceptis excludebantur: jus igitur ſuum ferro & ſeditione, ſi nulla alia re poſſint, vindicandum ſtatuunt; cujus rei conſilia ſtruere cœperunt: quorum conſiliorum ſunt qui Julium ſecundum non expertem faciant, virum capitali odio Gallos Pontificiæ dignitati perpetuo iniquos proſequentem; eamque viam expeditiſſimam judicantem, inviſam nationem, ac Romano ſolio prægravem, juraque Eccleſiæ imminuere tendentem, Genua exigendi: cui opinioni fidem affirmavit fama, quæ per eos dies manavit, Pontificem Saonenſibus de Genuenſium injuriis expoſtulantibus, ac multa adverſus illos petentibus, reſpondiſſe: *Abite vero, Saonenſes, ac civibus veſtris renunciate, bono animo ſint: brevi enim futurum, ut Genuenſes ea negotia mole domi implicentur, qua illos à veſtrarum & ceterarum rerum cogitatione avertat.* Nos rem incompertam in medio relinquimus.

At populares cives, ut omnia prius tentarent ante, quam ad extrema deſcenderent, rem ad dignitatem & potentiam Nobilium Factionis imminuendam commenti ſunt: ſermonem enim induxerunt, de duabus tertiis honorum ac magiſtratuum publicarumque procurationum partibus popularis corporis civibus dandis; idque æquum eſſe diſputabant: popularium enim numerum Rempublicam gerentium auctum eſſe; duploque plures Nobilibus populares eſſe: porro eorum ipſorum popularium duo corpora eſſe, duaſque Factiones, diverſis nominibus diſtinctas; mercatorum & opificum eorum, qui opificia ingenuo homini haudquaquam pudenda exercerent: tres igitur Genuæ eſſe Rempublicam gerentium civium Factiones: proinde ſuam unicuique tertiam partem deberi; injuriumque eſſe, Factionem Nobilium, quæ non plus tertia parte ſit, dimidiam partem trahere. Adverſus ejus rei mentionem atroces exorti ſunt Nobiles; vociferantes, per has ambages id agi, ut ipſi à Republica gerenda excludantur: cui enim id non apparere, eum in decretis faciendis numerus ſuffragiorum propenderet? legeſque ac pacta teſtari, quibus dimidia pars Nobilibus conceſſa ſit: neque tria eſſe Rempubliesm gerentium civium, ſive illa corpora, ſive Factiones, ac ſectas vocare libeat; ſed duo tantum, Nobilium & popularium; duas igitur eſſe debere magiſtratuum & honorum partes: neque Factiones ab exercitiis fieri,, ſed à genere: aliter Nobiles & eos populares, qui mercatores vocantur, unum tantum corpus fore; æque enim à Nobilibus mercatorium quæſtum fieri.

Cum res exitum non reperiret; populares intelligentes, ſe multitudine & conjunctione plebis, quam ſibi idem populi nomen conciliet, antecellere; quæ plebs tum ſolum prævaleat, cum res ad manus revocatur; non cum conſiliis & diſputationibus ducitur, in quibus paucioresſemper ſuperiores futuri ſint; quamquam primo à plebe armanda nonnihil abhorrebant, inconſultam libidinem timentes, qui metus rem aliquandiu diſtinuit; tamen hoc ut minimum malorum eligentes, illam tandem commovendam ſtatuunt. Igitur cum res ad vim & ad arma ſpectaret, nonnulli leves exorti caſus occaſionem conſiliis diu ante concoctis ad effectum perducendis præbuerunt. Emanuel Canalius pecuniam, portorii cujuſdam cauſſa ſibi debitam, in mercatorio foro à Nobili quodam poſcebat: illo recuſante, ac multa canſſante, ad verborum altercationes ac clamores ventum eſt: cumque res incaluiſſet, dixit Emanuel, ſeſe enimvero, ſi ille pecuniam debitam voluntate non ſolvat, jus ſuum per judicium perſecuturum: qua judicii comminatione Nobilis, tamquam atroci injuria offenſus, manum in Canalium intendit: quæ indignitas in medio ipſo foro edita magnas animorum commotiones fecit; omneſque, qui aderant, vociferari, tantam ſuperbiam non eſſe ferendam; tabernæque opificum ac menſariorum, quæ erant circa forum, clauſæ ſunt: propeque factum eſt, ut ad arma conclamaretur: ceterum prudentia nonnullorum gravium & proborum civium ſe interponentium, in primis vero Uberti Solarii Haſtenſis Prætoris virtute & diligentia, qui, ad primum tumultus crepitum, ſtatim eo cum valida manu accurrit, animi mitigati ſunt, atque imminens periculum in præſentia compreſſum: qui Prætor, Vicario regio abſente, qui ſalutis procurandæ cauſſa ad aquas Staticllas conceſſerat,

ceſſerat, ut plebis animos tot injuriis irritatos aliquo dato ſolatio permulceret, nonnullos nobiles adoleſcentes, quorum libido in injuriis & contumeliis intemperantior fuerat, unumque populare civem paullo vehementioris ac ſervidioris ingenii in hominibus concitandis, de ſummi Magiſtratus conſilio, exſulto mulctavit: quibus rebus quamquam erumpens ſeditio in præſens, ut diximus, repreſſa eſt; non tamen animi ſedati ſunt; reſque magnis certaminibus in Senatu acta eſt; popularibus Senatoribus pugnantibus, ut iſta Regi nunciarentur, qui acrioribus remediis imminenti malo occurreret, atque indomitam nobilium adoleſcentium libidinem coerceret: ceterum nihil impetrari potuit, Nobilium Senatorum Factione obſiſtente: quæ res popularium civium, vel eorum, qui quietioris ingenii habebantur, indignationem mire accendit: vehementemque ſuſpicionem commovit, aſpera & atrocia ſuperbiæ & arrogantiæ à juventute quotidie edita exempla, non modo permiſſu, ſed luſu quoque ſeniorum admiſſa: omnia igitur inter ipſos Senatores ſuſpecta eſſe; quæque fierent, ac dicerentur, mutuo in deteriorem partem accipi: nemo Reipublicæ conſulere, ſed omnes Factioni ſervire; nihil, quod pro illa faceret, turpe aut pudendum ducere.

Tam ſollicita civitate, omnium que animis exſpectatione ſuſpenſis, quorſum hi motus eſſent evaſuri; alter caſus, poſt menſis ſpatium, intervenit, qui animorum commotiones haud parum auxit. Ruſticanus quidam è valle Porciferæ in area divi Laurentii, in qua ædes Fliſcorum ſunt, venales fungos habebat: ad eum acceſſit Barptolomæus Fliſcus; qui pretium percunctatus, cum ruſticanus paullo cariores, ut Fliſco videbatur, indicaret, neque de pretio convenirent; contumelioſis verbis Fliſcus hominem objurgare cœpit: ruſticanoque paullo liberius reſpondenti validum colaphum impegit, ex quo ſanguis manavit. Vociferante ruſticano, in imperio tanti Regis talibus injuriis homines affici; Ghilio quidam lanius ex eadem valle oriundus, turbulenti ac minime timidi ingenii vir, injuria popularis ſui offenſus, illius partibus ſuſceptis, inclamare Fliſcum cœpit, ac vicem læſi minaci potius quam flebili voce conqueri; Fliſciſque, qui aderant, gentilem ſuum defendentibus, populi concurſus ſtatim ad commotam rixam factus eſt; armaque à nonnullis arrepta, neque abfuiſſent à periculo Fliſci; niſi regius Vicarius Roccabertinus, qui in urbem redierat, Bartolomæum & Ghilionem ſtatim in exſulium egiſſet: illum, quod cauſſam tumultui, ruſticanum verberando, præbuiſſet: hunc, quod invidiam facti contumacia ſua nimis inflammaſſet: ſecundum ea, ſexaginta civibus ex primoribus civitatis nominatim convocatis, ad pacem hortatur, bona concordiæ & mala diſcordiæ longa & ſapienti oratione perſecutus: cum illud addidiſſet, Regem non ſatis majeſtatem ſuam à Genuenſibus cultam putaturum; niſi idem juſtitiam quoque colant, deinde in maleficia & facinora, quæ quotidie admittebantur, aſpere invectus, monuit, ut ab injuris deſiſteretur: quibus non minus regium imperium, quod contemni videatur, quam violati ipſi, lædatur: cum diceret, non eſſe ea laturum Regem; cujus bonitate ſi leniter utaris, nihil illo eſſe mitius; ſi abutaris, nihil aſperius: proinde caverent, ne ejus iracundiæ aculeos ſibi irritarent; ejuſque manſuetudinem potius quam ſeveritatem experirentur: eſſe hoc in primis Regi cordi; neque ſe ulla habere emiſſiora aut vehementiora mandata; quæ ipſe acerrime exſequi, ni reſipiſcant, in animo habeat: neque culpam magis penes juvenes, quam penes ſenes eſſe: qui juventutis libidinem & inconſultam rationem moderatione & prudentia ſua regere debeant: in quo officio ſi ceſſarint; tum vero ſeſe ad neceſſitatem adactum iri, illorum partes ſeveritate animadverſionis ac ſuppliciorum acerbitate ſupplendi. Hæc cum gravi & minaci voce pronunciaſſet; finem dicendi fecit, nihilque præterea in ea congregatione actum eſt; cum populares cuperent quidem de re toties in cœtibus jactata, ac tantis contentionibus agitata, hoc eſt, de duabus tertiis publicorum munerum populo concedendis, in eo conſilio agi, quæ res concordiam civitatis diſtineret: ceterum ejus referendæ nollent eſſe auctores, ad ambitionis ſuſpicionem deteſtandam.

Igitur cum, tota civitate exſpectatione ſuſpenſa, vulgatum eſſet, nullam mentionem de nova munerum & honorum partitione in congregatione factam eſſe; vulgoque fremerent, populum extrahi, ac ludibrio eſſe; eam occaſionem arripientes ii, qui rerum novandarum cupidi erant, nonnullos ex infimæ ſortis hominibus concitant, qui, Ducibus Paulo Baptiſta Juſtiniano, & Emanuele Canalio, illo claro, hoc honeſto loco ortis, domo armati proſilientes ad arma conclamant: iis primo pauci ſe adjunxerant: qui urbe diſcurrentes, ac nomen Regis & populi crebris clamoribus ſubjicientes, cum per campum Auriarum tranſirent, nonnullorum Nobilium verbis ipſos contumelioſe appellantium provocati, omni nocentium, vel innocentium omiſſo diſcrimine, iram in primum obvium effundunt. Is fuit Vicecomes Aura, egregius civis, rectique exempli, & moderati ingenii vir; quem omnis culpæ exſortem crudeliter interfecerunt; Auguſtinumque Auriam, nonnulloſque alios Nobiles, ut quiſque in illos incidebat, vulnerant. Strepitu exaudito, Joannes Ludovicus Fliſcus ex ædibus ſuis ad Inviolatæ edito loco ſitis, cum haud contemnenda clientium manu in inferiora loca ad tumultus comprimendos deſcendit: eodemque tempore Roccabertinus Vicarius ex prætorio inermis, ſeipſionem tantummodo manibus tenens, proſilit; ac per urbem diſcurrens ab armis diſcedi minaciter ac pro imperio jubet: cui cum ferociter reſponſum eſſet, non prius populum arma depoſiturum, quam duæ tertiæ partes in magiſtratibus & Republica gerenda concederentur; Roccabertino noſtem appropinquantem verito, quæ ſolutiorem libidinem peccandi facere ſolet, nullo pudore, aut pœnæ metu audaciam tenebris obtectam cohibente, neceſſitas expreſſa eſt promittendi, ſeſe morem populi voluntati geſturum. Fliſco obſiſtente, ac reclamante, fides Vicarii conſtitit: poſtero enim die in univerſæ civitatis conſilio, cui pauci ex Nobilibus interfuerunt, Vicario regio approbante, duæ tertiæ munerum publicorum, omniſque Reipublicæ procurationis populo conceſſæ ſunt; ex eoque decreto, eaque portione duodecimviralis Magiſtratus *Pacificatorum* nomine appellatus, creatus eſt; ad hoc ſummus ipſe, quem antianorum appellabant, & ceteri civitatis Magiſtratus electi ſunt. Primum Pacificatorum, una cum regio Vicario, opus fuit, Regem de iis, quæ acta erant, certiorem facere: quorum litteris placatus dicitur Rex: ex quibus cognovit civitatem ſo tranquillum redactam; cum primus nuncius tumultus illum vehementer commoviſſet. Eas litteras, paucis poſt diebus, conſecutus eſt Nicolaus Odericus Juriſconſultus, initio motuum ſtatim Orator miſſus: qui civitatis factum, ſi opus eſſet, purgaret; ac jura civitatis & populi defenderet.

At Genuæ cum omnia ſatis pacata viderentur, taberniſque apertis, opifices & mercatura ſolita induſtriam rediiſſent; ecce tertio à decreto facto die, multitudo atrocior ac majoribus motibus ad ſeditionem coorta, per urbem pluribus

egminibus armata discurrens, domos Nobilium hostilem in modum invadit, ac, veluti capta urbe, diripit: popularium primoribus frustra obsistentibus, ac reclamantibus: qui contra, quam præceperant animis, experti sunt, facilius plebem concitari, quam comprimi; illamque difficilius arma deponere, quam sumere. At maxima pars Nobilium, partim metu, partim indignatione urbe excedunt; in suaque quisque suburbana se recipit, exitum rerum exspectantes: quod idem fecerat prius Fliscus, atque in prædio ad quartum ab urbe lapidem primo substiterat; tandem, cum res urbanæ duriores in dies fierent, in privatam arcem suam Montobium concesserat. At Nobiles, quamquam multis locis sparsi erant, non tamen se deseruerant; nonnullosque elegerant, qui, partitis muneribus, causam suam defenderent; ac quæ è re ipsorum essent, ubique obirent, in primis apud Regem. Qui motus in Galliam portati, Regem ad necessitatem adegerunt, Ravastenum Genuam mittendi: cujus viri summa nobilitas & dignitas majorem vim habitura esset, ad verecundiam Genuensibus injiciendam, incitatosque motus sistendos: cujus appropinquantis fama Gennam perlata, populares cives Barptolomæum Cevam intima familiaritate homini cognitum obviam mittunt: paulloque post missi sunt, Vincentius Saulius, Demetrius Justinianus, Leonardus Facius; Hastam usque procedere jussi, ibique hominem præstolari: quam etiam in urbem se contulit Joannes Ludovicus Fliscus, ac non exiguus cum illo Nobilium numerus: omnia utrimque metu & exspectatione suspensa erant; graveque utrique parti videbatur, tantam rem unius Ravasteni arbitrio permissam: populares constantiæ plebis diffidere; Nobilibus nihil longius videri, quam ut in patriam redirent.

Dum Ravastenus Hastæ, utraque parte moram ægre ferente, cunctatur, Genuæ tumultuabatur: cumque auditum esset, Janum, Octavianum, Alexandrum Fulgosios Roma moturos; ac, nisi à Pontifice retineantur, Genuam auxilio Nobilibus venturos: ad hoc Joannem Paulum Leocam, Nobilium instinctu, in Corsica res moturum; visum est primariis popularibus, ad plebis animos retinendos, aliqua blandimenta dare: Magistratus igitur sexviralis creatus est; illique negotium datum, portoria & alia publica onera minuendi. Jacobusque à Mari, capitis Corsi Dominus, cujus fides popularibus, multis de causis, suspecta esse cœpit, in arcem Ericis in custodiam missus est.

Interea Ravastenus Hasta profectus ad urbem venit; atque in suburbanis in pago, qui vulgo *Campi* vocatur, substitit: cui, honoris causa, Magistratus civitatis ac delecta popularium adolescentium cohors pretiosum holosericum induta obviam processit: quo comitatu cinctus, delectaque septingentorum peditum manu ac centum quinquaginta equitum ala stipatus, urbem est ingressus, truci vultu atque in speciem minitabundo: cum Magistratus veluti antecambulones antecedere jussisset: quod ab illis mœrentibus & conditionem patriæ ingemiscentibus, obedienter tamen (ita postulantibus Reipublicæ temporibus) factum est: usque dolor animis Genuensium alte insedit; tamquam id factum speciem servitii præferret. Ravastemi opus primum fuit, ad terrorem suum denunciandum, secutis, & jugum in area prætorii statutum: cumque, appropinquantibus Kalendis Septembribus, quo die novus summus Magistratus tum creabatur, rogatus, placeret ne illi Magistratum, ex formula recentis decreti, creari, responsum nullum dedit: quod silentium populares vehementer perculit, verentes, ne res ad antiquam formam redigeretur. Tam suspensis animis occultus Joannis Ludovici Flisci ad urbem adventus additus est; qui cum nonnullis armatis in ædes suas ad Inviolatæ se contulerat: ad quem frequens Nobilium concursus statim factus est; telaque & arma eo comportari cœpta: qua re perculsi populares, ad Ravastenum accedentes orant & postulant, ut ipsos ac populum ab Joannis Ludovici impetu securum faciat: ille Joannem Ludovicum, ne is quidquam injussu suo posset movere, in prætorio retinuit: quo metu soluti populares, à Ravasteno tandem expresserunt, ut Magistratus ex novi decreti præscripto crearentur: quibus etiam instantibus, Joannes Ludovicus urbe excedere jussus est: qui cum imperata cunctanter & retractanter faceret, arma à tenuioribus arrepta sunt, ut renitentem extruderent.

Eo tempore primarii populares domi se continebant; neque in ullam ferè Reipublicæ partem interponebant: majorque prope erat ipsius inter se populi, quam cum Nobilitate dissensio: disturbantibus primoribus, sese arrogantiam & audaciam infimæ plebis ferre non posse; indignantibusque, summam Rempublicam atque omnium rerum arbitrium in civitatis faecem recidisse: quique Nobilitatem paullo ultra æquabilitatis jura se efferentem ferendam non duxerint, iis nunc infimæ plebis dominatum subeundum esse: satius esse in antiqua redigi mala, quam in tantis asperitatibus & indignitatibus versari. Contra plebs ita disputabat: non se pro paucorum potentia; sed pro populi libertate arma sumpsisse: quam libertatem potentiores in seditione conflanda numquam spectasse, sed ad primum civitatis locum, dejectis Nobilibus, adspirasse, superbosque homines eo se servire putare, quod non regnent; societatemque tenuiorum fastidire; cum quibus tamen tot egregios cives, atque ingenio & consilio pollentes, rum autem de re familiari bene constitutos, nullumque sordidum aut pudendum quæstum facientes conjunctos videant: si plebi omnino serviendum sit, splendidius certe esse erga Nobilitatem servitium: quid autem illos in se despicere, præter fortunam ac tenues opes? an pœnitere fortis ac strenuæ à tenuioribus Reipublicæ navatæ operæ? quorum vigilantia occulta inter Ravastenum & Fliscum inita consilia detecta sint, eorumque virtute discussa; Fliscus urbe exactus, necessitas Ravasteno suopte ingenio à re abhorrenti imposita, Magistratus ex novi decreti præscripto creandi? primariis istis interea sedentibus, segniterque in causa versantibus.

In tantis mutuis animorum offensionibus, plebs cum in ædem divæ Mariæ Castelli convenisset, octo Tribunos plebis creant; veteri Romanorum nomine tantummodo, non autem jure repetito: cum illi intercessionem dumtaxat haberent, his omnium rerum summa potestas permissa esset: qui, tribunali in prætorio constituto, non modo ceterorum Magistratuum, & Prætoris decretis, & voluntati intercedebant; sed quæ ipsis libuissent, de omnibus maximis & minimis rebus decernebant: periculosumque in primis ac capitale erat, illorum voluntati obstitisse; cum magnis hominum gregibus stipati incederent, ac jus dicerent: ut ceterorum Magistratuum potestas pro nihilo esset.

Eo tempore, cum omnis ora m Orientem versa præsidia Joannis Ludovici teneretur, jussu Regis ipsius, qui totam eam oram homini custodiendam & regendam commiserat; ipseque Joannes Ludovicus in suburbano, ad quartum lapidem substitisset; duobus millibus & quingentis armatis in illum missis, se Rapallum recipere coactus est: missique sunt Spedam duo Legati, qui opidum faventibus municipibus recuperarunt; haud exiguoque

guoque militum numero in agro Lunenſi ſcripto, Philippino Fliſco, qui cum mille quingentis peditibus ab Joanne Ludovico miſſus Spediam iterum intrarat, ejecto, totam Ligusticam oram brevi Reipublicæ recuperarunt. Enimvero Joannes Ludovicus, ſimulque cum illo Nobilitas omnis, occaſione Regis in populum incitandi læta, per litteras & nuncios injuriam apud Regem conquerunturque non ſibi magis quam ipſi Regi per ſummum illius contemptum factam dicunt: quem contemptum cum per ſe Rex negligere non debeat; tum quod inulta audacia, ni propere obviam eatur, ulterius ſit progreſſura; periculumque ſit, ne ipſa urbe Genua Regem exigat: nam ſuperiore quidem à populo admiſſa, quamquam gravia & acerba, ad ſeditionis tamen tantummodo interpretationem revocari poſſe: in hoc vero poſtremo populum à Rege perſpicue defeciſſe; qui arma contra illum aperte tulerit, ditionemque regnum Liguſticæ oræ invaſerit; ejuſque loca, adminiſtris & procuratoribus regiis expulſis, Regi per vim ademerit: cui autem dubium eſſe, quin plebs, ſi tempus detur, conſcia, quo ſe crimine obſtrinxerit, patrocinio ſeſe alterius Principis, ad commeritas pœnas ſubterfugiendas, communiat? Eas porro eſſe Genuæ opportunitates, eaque momenta illam urbem in rebus Italicis terra ac mari facere; ut ab omni Principe, ad quemcumque ſe Genuenſes contulerint, cupide in fidem accipiantur. Contra Odericus cauſſam populi conſtanter defendebat; quem Gallicæ regiæ ac nominis Galli perpetuo ſtudioſum fuiſſe, dicebat; ejuſque majeſtatem pie & ſincera fide, cum omnibus temporibus, tum poſt exortos tumultus, ut cum maxime coluiſſe, ac ſemper culturum: neque ullum umquam caſum conſtantem & conteſtatam ejus fidem labefacturum: ad eos autem tumultus intolerabilibus Nobilitatis injuriis, ac non ſerenda ſuperbia adactum: cui cum nullum eſſet adverſus Nobilitatis injurias in æquitatem Magiſtratuum perfugium, cum æquitas eſſent ſuffragiorum momenta; idcirco duas tertias illorum partes quæſiſſe, eaſque ab ipſo regio Vicario Roccabertino, re præſenti certum judicium ſubjiciente, impetraſſe: quæ una res, arrogantia Nobilium cohibita, cauſſas diſſidiorum ſit ſublatura, civitatemque in tranquillum ſtatum redactura. Neque eſſe, quod Nobilitas poſtremi hujus admiſſi, Orientalis oræ Joanni Ludovico ademptæ, invidiam inflammare contendat; illudque ad defectionis crimen renovare ſtudeat: non enim ab omni veriſimilitudine modo abeſſe, ſed ridiculum plane eſſe; populum Genuenſem umquam cogitaſſe de Rege ex ora Liguſtica expellendo; quem in ipſa urbe ferat, ejus Vicarium retinendo, ac ſumma veneratione colendo: debere igitur Regem pro ſua ſapientia & æquitate, rem in meliorem partem accipere; ac cogitare, populum Genuenſem merito ad neceſſarium conſilium deſcendiſſe; ſine quo non ſe à jugo Nobilitatis liberum intelligeret: quo modo enim ferret, oram Liguſticam, à qua civitas alatur, in manu infenſiſſimi hoſtis ſui eſſe; à quo obſeſſa precarium vitam illius arbitrio duceret? non igitur Regi ea loca adimere intendiſſe; ſed ex iis hoſtem exigere, ſeque obſidione eximere, voluiſſe. Genuenſem populum, paratum eandem oram cuicumque Regis procuratori, modo ne ex hoſtibus ſuis ſit, regendam tradere. Hæ contentiones cum Regem animo rutantem diu fatigaſſent; is exitus ejus actionis fuit; ut, quod Nobiles de periculo alterius Principis accerſendi, ad Regem in populum accendendum propoſuerunt, id animum Regis in cauſſam populi inclinarit: qui quamquam graviter delictis populi offenſus, tantam licentiam & audaciam non impunitam cuperet; ad hoc naturali inſita Gallorum animis in Nobilitatis nomen propenſione, occultis ſenſibus Nobilitati faveret; tamen temporibus ſerviendum ſtatuit; concitatoſque animos populi beneficio potius flectendos, quam exſpectatione ſupplicii exaſperandos: metu, ne, dum ipſe comparat, populus occuparet in alienam opem & fidem confugere: ac potentiam Cæſaris veritus, quæ, vivo Philippo filio tanti regni ſucceſſore formidoloſa in primis erat; veniam admiſſorum decreto ſuo populo dat: legemque de duabus numerum & honorum partibus comprobat: ad Nobilitatis tamen ſolatium, ut loca Joanni Ludovico ablata reſtituantur, imperat: quarum rerum diploma conſcriptum Michaeli Ricio Juriſconſulto, exſuli Neapolitano, viro impigro, magnique in rebus publicis uſus atque ingenii ad animos hominum tractandos in primis apti, deferendum dat.

Interea Genuæ vehementer laborabatur; neque res urbanæ turbulentiores umquam fuerunt: ut complures probi ac præſtantes cives de relinquenda urbe, ſeſeque ex illa colluvione ſubtrahendo, cogitarent: cum ii, qui domos Nobilium diripuerant, quorum magnus erat numerus, cauſſas diſcordiarum, rixarum, ſeditionum quotidie ſererent; ſolique in pretio eſſent turbulenti homines, egentes, obærati, flagitiis & ſceleribus inquinati, capitalia auſi, & ad vim, cædem, atque ad omne facinus parati; quorum urbs plena erat: quæ res cum ipſis quoque Tribunis intolerabiles eſſe cœpiſſent; illis non repugnantibus, Tarlatinus quidam, ordinum ductor, magni in rebus bellicis nominis, magnique animi & conſilii vir, Piſis ſecerſitus eſt, ad nefariorum hominum audaciam comprimendam, duobus peditum millibus ea de cauſſa illi attributis. Ejus virtute & opera rebus urbanis ſatis pacatis, Ricius Genuam venit; diplomaque Regis Magiſtratui reddit. Enimvero illi gaudio exſultare, manuſque ad cælum tollere, Deoque immortali gratias agere, qui eam mentem Regi dediſſet, finemque domeſticis malis tandem impoſuiſſet; populumque egregiæ victoriæ adverſus Nobiles compotem feciſſet; ea re impetrata, quæ ipſis arma induerat: qua lege non ſolum firmiſſimus clypeus adverſus Nobilitatis ſuperbiam & injurias eſſet; ſed Nobilitas peditibus populi ſubjiceretur. Longe alia mens in Tribunis, atque in humili plebe, iiſque, qui turbulentum magis quam pacatum civitatis ſtatum, tamquam ipſorum libidini aptiorem, optabant: quorum mentes tanta amentiæ verius quam pertinaciæ vis tenuit; ut benignitate Regis ſpreta, neque duobus tantis beneficiis, & impunitatis, & legis comprobatæ contenti; quia tertium non impetrarant: pro eo ut dicto audientes eſſent, ac Joanni Ludovico ablata reſtituerent; tamquam laudi ſibi ducerent, contumelias in Regem contumeliis cumulare; novam inſuper expeditionem in opidum Monœcum decernerent, quod factioſis Guelphorum & Gibellinorum temporibus occuparum Grimalda gens retinebat: ſive temere credentes eadem facilitate arcem munitiſſimam expugnari poſſe, qua nuda & aperta loca recuperata fuerant; ſive eam cauſſam fore ſperantes, continuandi ſibi magiſtratus, populariumque Optimatibus temerarium conſilium, maneque evaſurum tacite damnantibus, ac mœrentibus, & ingemiſcentibus claram victoriam populi inſania corrumpi; ac Rempublicam, cauſſamque populi furentis multitudinis inſania ac perdita Tribunorum ambitione in præcipitem & irrevocabilem caſum dari; eamque molem regiæ iræ ſibi ipſi à populo conflari, qua haud dubie obruendus eſſet. Ejus expeditionis Dux creatus eſt is ipſe Tarlatinus: qui, Ravaſteno invito,

invito, cum duabus triremibus, quarum præfecti fuerunt alterius Gaſpar Guanus, alterius Joannes Baptiſta Davania; ac cum nonnullis minoribus navigiis ſub exitum menſis Septembris profectus eſt.

Novæ quotidie res excogitabantur, quæ quietem civitatis exagitarent: in quibus illa fuit, nova Reipublicæ propoſita forma, ſex & triginta civium creandorum, in quorum numero eſſent antiani, ac nonnulli alii majores Magiſtratus, quibus ſtipendium de publico aſſignaretur; penes quos ſumma eſſet omnium rerum poteſtas, eaque quinquennalis eſſet: quæ conſultatio cum aliquandiu civitatem tenuiſſet; tandem vana evaſit: cumque quotidie novæ hominum ſectæ orirentur variis tirulis inſignes; ſpecie ad auctoritatem ſummi Magiſtratus tuendam, re ad illam infringendam; quæ eo magis imminuebatur, quo magis ſectæ aliæ ex alia in dies orientes multiplicabantur; electi ſunt quattuor cives, quos Ductores urbanarum rerum appellarunt, viri graves, & experientes, quietiſque publicæ amantes: ii fuerunt, Fabricius Juſtinianus, Bernardus Caſtillionus, Petrus Caliſanus, Marcus Terrilius; delecta quadringentorum cohorte illis attributa. Nec ſpes de illorum virtute concepta civitatem fefellit; omnibus exſulibus, qui plurimi in urbem confluxerant, civitate & tota Genuenſi ditione exactis, facinoroſorum & ſeditioſorum audacia ſeveritate animadvertendi repreſſa: quibus rebus factum eſt, ut civitas à præteritis malis & ærumnis haud parum reſpirarit. At Ravaſtenus tantis indignitatibus commotus; ſimul indignatus, majeſtatem & imperium regium adeo contemni; auctoritatemque ſuam in dies vileſcere atque imminui intelligens; ad hoc tuipe ſibi putans, ejus faſtigii ejuſque nobilitatis viro, ſpeciem tantum ſe, non vim Vicarii regii obtinere; procurationе depoſita, urbe exceſſit; Deum prius hominesque teſtatus, furentis plebis inſaniam in Genuenſium caput brevi recaſuram; ſeſeque magis civitatis malis, atque imminente calamitate, quam ſuis ipſius injuriis, commoveri. Fuere, qui putarint, auctoritatis Ravaſteno abrogandæ non magis temeritatem plebis, quam aulicam obtrectationem cauſſam fuiſſe: hancque invidiam Rocabertinum occultis conſiliis illi conflaſſe, offenſum ejus adventu, ac Regi, ejuſque conſilio ſuccenſentem; qui, tamquam in ipſo non ſatis animi ac conſilii eſſet, ad res Genuenſium regendas, alium ſupermiſerit, cujus ſplendor ipſius luminibus obſtrueret: ad hoc Chiamontis Cardinalis Rothomagenſis fratris filio, atque Italicis rebus cum ſummo imperio præfecto, à Ravaſteno capitali odio diſſidenti gratificari cupientem: nos in re non ſatis comperta ſuam cuique exiſtimationem liberam relinquimus.

Diſceſſu Ravaſteni, plebis animi creverunt, ejuſque libido ſolutior facta eſt; omniaque ad nutum Tribunorum, ceteris Magiſtratibus ſpretis, fiebant. Per ea tempora æmulatio partium inter Adornianos & Fulgoſianos occulte gliſcebat; quæ una res eſſet cauſſæ populari evertendæ: huic malo ſubito occurſum eſt, utrarumque partium capitibus in ædem divi Dominici convocatis: inter quos, paucis commutatis verbis, convenit, ut depoſitis Factionibus ab eo tempore maxime alienis, omnia ſtudia in ſuſceptam populi cauſſam defendendam unanimes conferrent. At Tribuni aſperis verbis popularium primores lacerare: quorum languore & deſidia fieri, ne Monœcum caperetur; brevi profecto caſurum, ſi illi cum cetera civitate viribus & conſiliis conjunctis, in cauſſam ipſi quoque deſcendant: ſed non omnino deſertam eſſe Rempublicam: anniſuros enim ceteros cives, ut ſuam & ceſſantium, ne dicant patriam prodentium, vicem ſuppleant. Ad ea reſpondere Optimates; ſeſe de patriæ charitate, ac boni & dignitatis publicæ ſtudio neque Tribunis, neque multitudini, neque ulli omnino mortalium concedere: ceterum in magnis rebus aggrediendis, non impetu animi rapi, ſed ratione duci oportere: non minorem igitur ipſorum futurum fuiſſe ardorem, in Monœco ex injuſtorum poſſeſſorum manibus extorquendo, quam Tribunorum, aut multitudinis: verum qua tandem ope arcem ſiru munitiſſimam ac pene inexpugnabilem, quæ prævalidos regios exercitus multos menſes diſtinere poſſit, cum exiguis illis & ſubitariis copus tentari? aut quid aliud tantis pecuniarum & laborum impenſis, quam dedecus quæri? facere hoc non novum Tribunos & multitudinem; ut principes cives maledictis conſcindant; omniaque eorum facta & dicta ad ſuſpicionem & ad invidiam trahant. Utantur proinde illi uſitato vitio: ſeſe enim ſalutaris ſententiæ ſuæ perpetuo retinentes fore: ceterum plebs tantam contentionem animis imbiberat; ut magna opificum & ſellulariorum pars, relictis tabernis, ac quotidiano quæſtu, quo alebatur, omiſſo, ingenti agmine Monœcum contenderit, libidinem animi ſolam ducem ſequentes: fueruntque terreſtres copiæ Monœcum obſidentes hac urbana multitudine auctæ ſex omnino hominum millia: ceterum urbanorum advenrus impedimento potius quam adjumento rebus fuit: omnium enim militarium numerum rudes & inſneti; cum neque imperia parere didiciſſent, neque ulla verecundia cohiberentur: ac, quæ libido animi ferret, omiſſo diſcrimine in rem ne, an contra eſſet, exſequi feſtinantes omnia turbabant: parumque abfuit, quin milites importunitatem faſtidientes, obſidione ſoluta à ſignis diſcederent.

At Nobilium Factio, quæ tanto novi regii decreti vulnere icta plane conciderat, omniſque conſilii inops obtorpuerat; recentibus plebis facinoribus cognitis, à ſumma deſperatione ad ſpem victoriæ animos erexit; intimis ſenſibus gaudens, viam ſibi à plebis inſania ad illam ſterni: quam ſpem ut adjuvarent, quattuor Oratores ad Regem mittunt, Antonium Spinulam, Laurentium Lomellinum, Stephanum Vivaldum Juriſconſultum, Joannem Jacobum Auriam: qua re cognita, populus duos ipſe quoque Oratores mittit, Paulum Francum Bulgarum, & Simonem à Jugo: qui tamen in conſpectum Regis vehementer populo irritati admiſſi non ſunt; ſed propere è regia faceſſere juſſi, cum unus Odericus remaniſſet: qui, quamquam Nobilium Oratoribus perſpicuam defectionem populi criminantibus, Regemque in illum incitantibus, cauſſam populi conſtanter defenderet; res tamen neque longæ neque ambiguæ deliberationis fuit. Rex enim tantam contumaciam cohibendam ducens, ne impunitas populum ad majora & graviora in dies audenda proveheret; ſimul ut majeſtatem à contempru vindicaret; ad hoc morte Philippi Hiſpaniarum Regis liberatus metu Cæſaris, qui ad eum diem ipſius cupiditati moderatus fuerat, aperto tandem bello Genuenſes perſequi decrevit: cui ipſemet præeſſe conſtituit, in rebus Neapolitanis expertus, quanti intereſſet, Principeſne bella ipſimet gererent, an Ducibus & præfectis gerenda permitterent: cum præſertim nullum eſſet deſcenſus in Italiam incommodum; itinere jam decreto ad conſtitutum cum Pontifice colloquium, qui ipſum Bononiæ præſtolabatur, ut de bello Veneto capita conferrent: cujus uterque cupidiſſimus erat, gravitſimaſque cauſſas habebat: nihil igitur diſſimulans, inſequentis anni initio ejus ſeculi ſeptimi comparare inſtituit; atque interea omnibus iniquitatibus Genuenſes vexare; mandato

A.C. 1507

Cha-

Chiamontio dato, ne quidquam annonæ ex Insubria Genuam subvehi permitteret; & arcis præfecto, quantis maximis detrimentis posset, Genuenses afficere jussu. Enimvero imperio lætus præfectus, vir pravo & sævo ac rapaci ingenio, ad lædendumque prono, cupide imperata exsequi pergit: igitur cum die festo magnus hominum & mulierum, tam nobilium quam popularium, numerus in ædem divi Franciſci aret prope conjunctam ad sacra convenisset; statim foribus templi obseratis, populares cives, quotquot in æde inventi sunt, nobilibus ac mulieribus dimissis, captivos fecit: quos multos dies in carceribus retentos, multaque aspera & acerba perpessos, non nisi decem aureorum nummûm millibus redemptos dimisit: ad hoc complures onerarias in portu bombardarum ictibus depressit: quibus multos quoque peregre, quo suarum rerum usus ferret, commeantes incautos & inermes exanimavit; cum noctu tecta ac privatas domos continentibus ictibus peteret.

Eo tempore miserabilis in primis erat civitatis status, multis undique iniquitatibus conflictatæ; ac cum præsentibus malis exercitæ, tum formidine futurorum ab ira & indignatione Regis sollicitæ, ad hæc minis Ferdinandi Hispanienſis Regis, & Ducis Sabaudiæ perterritæ: quorum ille amicitia & affinitate Gallo conjunctus erat; hic bellum ad Monœcum in ipsis ditionis suæ januis ægre ferebat: quibus malis & periculis usque adeo feroces animi plebis infracti non sunt; ut contra, primarios cives ad necessitatem ingentis auri summæ, hujus belli civilis causſa, invenienda & addendæ, minis adegerit. Una in tantis tenebris spes Pontificii auxilii elucebat: ad quem duo Oratores missi sunt: Dominicus Adornius & Augustinus Folieta: qui Pontificem ad patrocinium & propugnationem miseræ civitatis, ac Ligusticæ nationis suæ suscipiendum commoverent: in primis ad deprecatoris & pacificatoris partes, sacrosanctamque auctoritatem inter Genuenses & iratum Regem interponendas. Altera quoque legatio quattuor civium, eodem tempore, ad Chiamontium missa est: ii fuerunt, Joannes Baptista Lazania Juriſconsultus, Joannes Baptista Cocarellus, Lazarus Pichenottus, Josephus Dernisius; qui hominem civirati placarent; cumque, si fieri posset, à consilio subsidii Monœco subnittendi abducerent: ceterum harum legationum dispar eventus fuit: nam qui ad Chiamontium missi sunt, ad illum accedere, atque ultra opidum Serravallem, quousque perrexerant, progredi permissi non sunt, retro in sua reverti jussi. At Pontifex nihil in pio officio cunctatus, per nuncios & litteras vehementer scriptas, Regem à suscepto consilio magnopere revocare instituit; & ab armis Genuenſi populo inferendis, omni contentione, omnibusque precibus deterrere: cujus obedientia contentus, ut popularem illam Reipublicæ formam, quam ipsemet Rex comprobarat, complectatur, rogat: in qua obedientia haud retractanter Genuenses fore in se recipiebat, precibus consilia quoque addens: eos enim motus in Italia iis armis movendis excitari posse, quæ instituta consilia belli Veneti, quod utrique caput curarum sit, everterent: quæ preces & consilia cum Regem nihil commovissent; indignatus Pontifex, tam parva fuisse, in re præsertim cum tanta honestate conjuncta, auctoritatis suæ apud Regem momenta; ex eaque re, quam parvum ipse gratiæ locum apud Regem teneret, conjiciens; ad hoc Rothomagenſis animo, ad Pontificatum haud obscura ambitione tendentis, perpetuo sibi suspecto; cujus cupiditati Regem servientem haud sincera fide colloquium petere veritus; inchoata consilia deferens, Romam profectus est, causſam insalubris cæli profectioni prætexens. Exarsit Rex hac subita Pontificis mutatione, illum omni contentione retinere conatus: quæ contentio quo major erat, eo magis suspicionem Pontificis augebat. Gravis hæc irritatio animorum utriusque Principis fuit: quo factum est, ut Pontifex Venetis mitigatus animum ad pacificandum cum illis adjiceret.

Interea Genuæ Roccabertinus, jussu Regis omnem speciem juris adversus Genuenses quærentis, urbe excesserat: quo profecto, eadem nocte milites prætoriani in arcem concesserunt: totumque insequentem diem silentium & admiratio civitatem regio rectore orbatam tenuit: cum tamen vexilla regia in summa turri prætorii erecta essent; reverentiaque quædam etiam in plebis animis erga Regem residua esset: quam opinio sapientium fuit, facile potuisse ad saniora consilia revocari, atque in potestate bonorum esse; nisi arcis præfectus, tamquam id consulto ageret, ut homines ad extremam desperationem adigeret, assiduis injuriis suis animos in dies magis exasperasset.

Interea Nobiles tria millia peditum scripserant; quibus, nonnullis ex copiis suis additis, Chiamontius Ivonem Alegrium præfecit: quo ad obsidionem Monœci solvendam profecto, copiæ Sabaudiæ, quæ ad Trophæa Augusti contractæ erant, ipsæ quoque movent: quarum appropinquantium metu Genuenses, Menœco tandem omisso, Albintemelium se recipiunt: in quam urbem paullo ante tormenta, & reliquæ machinæ, omnisque bellicus apparatus, jussu novorum Tribunorum, subductus fuerat. At Alegrius, Monœco sola adventus sui fama liberato, quam rem non exigui certaminis fore crediderat, omnem conatum suum in oram Ligusticam convertit; quam brevi totam Regi recuperavit. Jacobumque Francum præfectum portus Mauritii, Genuenſem civem ex primariorum numero, insimulatum, quod duos Regis caduceatores necasset, jugo suspendit.

Interea plebs ad graviora in dies admittenda, eaque, quæ Regis animum magis irritarent, præceps agebatur: nam cum litteræ Caroli Dominici Carretti Cardinalis Finarienſis, qui apud Regem magnum auctoritatis & gratiæ locum obtinebat, Magistratui redditæ essent, quibus ille Genuenses amice monebat, ut pertinaciæ finem tandem facerent; ac cogitarent, quam inferius viribus suis esset, ipsos omnium Principum societate desertos, tanti Regis omnibus opibus suis in ipsorum perniciem incumbentis impetum sustinere: id si fecissent, facile apud clementem animum veniam erratorum inventuros; resque sine armis, aliquibus tolerabilibus conditionibus faciles transactu fore: in eam rem se partes suas, ac quidquid precibus apud Regem valeat, pro sua in ipsorum civitatem benevolentia, interpositurum. Hic omnes enimvero primarii cives, pro se quisque magnopere suadere, ut sapientia & amica monita acciperentur; neque tanta occasio Regis placandi, atque instantis pestis avertendæ ultro oblata omittatur: quam enim tantam rabiem animos Genuenſium agitare; ut major ipsorum, rerumque civitatis suæ exteros, quam ipsos misericordia capiat? aut quid ulterius ipsis esse in vota potuisse, quam, venia eorum, quæ adversus Regis majestatem admissa negare non possent, impetrata, ac duabus terris honorum & Magistratuum

partibus ipſius Regis lege ſibi firmatis, quæ una res Genuenſes inter ſe commiſerit, cum Rege in pace & in gratia eſſe? quid populum ulterius, ſi optio detur, petere poſſe? aut quid eſſe amentius, cum Regem placatum habere poſſint, eum nulla de cauſſa iratum experiri malle? quid illos ſpectare? quem finem tandem propoſitum habere? odium, quod exſecrabile io Nobiles gerant, ipſos contra illos armaſſe: quid igitur illos perpetuis hoſtibus ſuis quod ægrius ſit, facere poſſe; quam ut tantas illis impoſitas iojurias, domibus direptis, nonnullis eorum cæſis, ad neceſſitatem patriæ relinquendæ adactis, illis invitis, inultas ferant? longe hoc gravius vulnus, & acriorem doloris morſum in illorum animis fore, quam has ipſas injurias, ac damna perpeſſa. Redirent vero in patriam actutum Nobiles, ad jucundum ſpectaculum oculis fruendum: quid contra, illis jucundius facturos, quam, certa impunitate ultro oblata neglecta ac repudiata, ſeſe ſuppliciis ſuis, quæ ipſos, niſi reſipiſcant, certa manent, crimina luentes, iis ipſis, quos læſerint, inſpectandos præbere; temeritatem exprobraturos, ipſorumque ærumnis ſuperbo ludibrio inſultantibus? qua oratione cum nihil obſtinatas imperitæ multitudinis mentes moverent; ad jurgiaque & clamores res veniſſet, parumque abeſſet, quin ad ferrum quoque exarderet; Tribuni, ad imminens certaminis periculum diſcutiendum, ad præceps conſilium animum adjecerunt; quod illico effectum habuit: plebs enim, occulto illorum ſuaſu, Paulum Novium, de ſuo corpore hominem, Ducem creavit; humili quidem loco ortum, ac ſordido & pudendo fullonicæ quæſtu vitam tolerante, ceterum animo egregio, quem ſtatim tanto faſtigio æquavit; ac mente integra, & caſta, atque ab omni ſurde libera, & adverſus corruptiones, quibus ſæpe à Gallis tentatus eſt, invicta; in cauſſaque populi illi commiſſa acriter tuenda conſtanti virtute: quæ res Regi nunciatæ, iram & indignationem jam commotam auxerunt: quam etiam Nobilium Factio & Cæſar ipſe mire inflammarunt: illi, cum Regi demonſtraſſent, populum, inſignibus Regis ex locis publicis dejectis, in eorum locum Cæſariana inſignia poſuiſſe; tamquam ſignificantes eam urbem Imperii cameram, ut vocant, eſſe: hic, cum vehementer per litteras & Oratorem ſuum, Regem Genuenſibus placare ſtuduiſſet, atque ab armis civitati inferendis magnopere revocaſſet, auctoritatis ſuæ partes, pro jure ſacri Imperii, in rebus componendis profeſſus: quo officio, quæque Cæſaris cootentione graviter Genuenſes apud Regem offenderuot; tamquam ipſi in Cæſaris opem confugiſſent, cujus verecundia illi ſojecta ipſum ab incepto deterrerent; ſummumque hoc beneficium belli à ſe amoti Cæſari potius, quam ipſius benignitati & clementiæ deberent: igitur, copiis ac reliquis apparatibus auctis, itineri tandem ſe dedit; Alpibuſque ſuperatis, Haſtam venit.

Interea Genuæ aluerant & provexerant audaciam & rementitatem plebis felices per eos dies in ora Orientali ſucceſſus: in quam ſub adventum Regis io Italam, Joannes Ludovicus, ut viam regis cœptis præmuniret, Hieroovmum filium, unaque Emanuelem Fliſcum, cum tribus peditum millibus, atque ala equitum, ioſiit: qui cum Rapallum opidum tenuiſſeot, indeque profecti Reecum verſus iter cepiſſent, obvias io itioere habuerunt copias à Paulo Duce miſſas, à quibus fuſi fugatique ſunt: eadem hora Orlandinus Fliſcus, qui Reecum venerat, cum audiſſet Fliſcos ſuos ab urbanis fuſos; ipſe quoque fortuna pugnæ prius modice tentata, fugam cepit: quibus ſucceſſibus Dux & Tribuni animos ſuſtulerunt, ſeſe ad defendendum præparantes: Finarienſiſque Cardinalis mooita auribus non admittentes, per crebras litteras & nuncios, illos ad meliorem mentem ſe convertendos, & ad pacem ac veniam à Rege petendam ſubinde hortantis, Porciferanos ad fœnum comburendum per totam eam regionem, Serravallem uſque & Savimonem mittunt; ut inopiam exercitus aggravarent: ad hoc arcem Caſtellatium vocatam, io cacumine montis urbi imminentis ſitam, quæ exiguo Gallorum præſidio tenebatur, deditione ab illis facta, in poteſtatem redigunt: caſtelloque in Promontorio in caput Phari vergente, Riparolo & Sancto Petro arenæ (hæc ſunt vicorum nomina) interjecto, per quod adſcenſus eſt ad Caſtellatium, ædificato, ut iter hoſti intercluderent; quod ab ea parte ad urbem brevius eſt, quam per inferiorem viam ſancti Petri arenæ mari contiguam; arcem Caſtellettum oppugnare, bombardiſque ſtatutis verberare inſtituunt; ignáviam & deſidiam primarii civibus exprobrantes, quam ſimulatione prudentiæ tegant, qui domi latentes conſilia à communi cauſſa ſeparent, civitatemque, quaotum io ipſis eſſet, hoſti prodant: quæ, ſi ipſi ſtudia ſua cum ceteris conjungant, acriterque in cauſſa verſentur, facile defendi poſſit: quid enim tandem, dempto hoc regii nominis fulgore, ad metum tam terribile propoſui? omnibus enim ſaltubus & anguſtiis itineris ad urbem ferentis, vel parvo præſidio inſeſſis, quo modo copias regias penetraturas? aut vero quo modo Regem, ſi Genuenſes non ſegniter & cunctanter agere intellexerit, omneſque unanimes ad libertatem ſuam defendendam animos & corpora præparare; ſeſe atque exercitum in tantum diſcrimen dare, atque io peranguſtas valles altiſſimis undique cinctas montibus, inter omnia inimica & infeſta, demittere auſurum? ſeque ns locis includere, unde, omnibus aditibus parvo obice clauſis, nulla ſit evadendi ſpes: ipſique, atque omnibus, qui cum illo fuerint, fame ſit pereundum? omnem ſpem Regis eſſe in diſcordiis civium: quam ſi Genuenſes concordes illi adimant, profecto factum iri, ut ab illis bellum abſtineat: neque alia de cauſſa putandum, Cardinalem Ferrarieoſem ipſos, tot aliis ſuper alium nuncns & litteris, ad pacem & obedientiam hortari; quam difficultatum conſcientia, quodque ſucceſſibus diffidant Galli: ceterum ſapientium ſtorum, qui ſe à ceteris ſegregarunt, conſilium noo magis exitu in utramque fortunam lætum, quam ſuſceptu prævum fore: ſi enim Galli Genuam ſubjunxerint; parem omnium conditionem fore; neque illos eximios Regi futuros: at, ſi Genuenſes, id quod ſperandum ſit, vicerint; omne ſervatæ libertatis decus penes multitudinem, quam ipſi deſpiciant, fore: quæ armata, diſcriminibus ſua illius vindex & aſſertrix fuerit.

Dum ea ſummo cum ardore Genuæ à populo geruntur, Rex Haſta movit; qui per Burgum Furnariorum, & Serravallem iter faciens, cum Geoucoſibus finibus appropinquaſſet; ſtatim ſigna apparere cœperunt, quam leviter fundata ſint imperitæ multitudinis conſilia, in diſcrimiubus abſentibus contemnendis ferocia, in præſentibus iubeundis ignavæ: ſexcentorum enim armatorum ſtatio, quæ primas anguſtias inſederat, ad adſpectum adventantis regii exercitus, vix prima pugna tentata, turpiter ſe in fugam conjicit: quod exemplum ceteri ſecuti, ipſi quoque, locis ac ſaltubus, quibus præſidio erant, relictis, in urbem ſe recipiuot: magna Porciferanorum multitudine illos ſequeote: quæ res ingentem trepidationem Genuæ fecit; ut præ metu homines vix mentis compotes eſſent, confuſaque agreſtium & urbanorum multitudo paſſim diſcurrerent, quæque carora quiſque habebat, vicino ſuo cuſtodienda daret: tamquam alienæ magis quam ſuæ domui confi-

confideret, alterque alteri ſalutem & fortunas ſuas commendaret, ac ne ope & conſilio ſuo ſe deſererent, pro amicitia orarent; velut plus animi ac roboris unuſquiſque in altero quam in ſe putaret: ac Tribuni, quique rebus præerant, Porciſeranos in vacuas domos Nobilium diſtribuerunt; viarumque oſtia ceteri omnis conſilii inopes tranſverſis trabibus & catenis obſerare inſtituunt: cum, vulgus, omiſſa rerum publicarum cura, ſibi quiſque privatim conſulens, ſaxis ac telis, quæcumque ad manus fuerunt, comportatis domum ſuam munire, quaſi privati parietes, quam mœnia urbis, tutiores ac tectiores ad hoſtilem impetum illos facturi eſſent.

At Rex, libero tranſitu ſibi dato, quam rem per tot ſaltuum anguſtias, totque artas ſemitas, itineraque ardua, aſpera, confragoſa, magnorum certaminum fore timuerat, jugis ſuperatis, in inferiora deſcendit; atque in eo loco pauliſper ſubſtitit, qui in duo itinera ſecatur: quorum alterum in vallem Porciferæ, alterum in vallem Biſamnis fert; cum, reliquis copiis ultra jugum ſubſiſtere juſſis, multitudine potius ceterorum inopia aggravante, quam vires adjuvante, octingentos tantummodo cataphractos, ac mille quingentos levis armaturæ equites, duodecimque millia peditum, dimidium Helvetios, dimidium aliarum nationum, duceret; ingenti vi Nobilitatis Gallæ, atque egregia Nobilium Mediolanenſium cohorte ſtipatus, Marchione Mantuano comitante, quem in magno pretio habebat, magnoque honoris tutulo auxerat, præfectura Ordinis ſancti Michaelis illi donata, ac vexillo tradito; qui honos multis ab eo tempore annis poſt obitum Ludovici undecimi nemini omnino habitus fuerat. Rex poſtero die Riparolum vicum uſque perrexit, quod ab urbe trium millium paſſuum diſtat intervallo: eodemque die exercitus in caſtellum, quod in Promontorio ſupra ædificatum diximus, à Chiamontio erectus eſt: cum octo armatorum millia ex urbe prodiiſſent, atque in colle caſtello excitato ſuperſtante conſtituiſſent, Jacobo Corſo Duce rerum militarium ſatis perito, Tarlatini Vicario; qui neque via maritima ob adverſas tempeſtates, neque terreſtri à Gallis impedita, qui omnem Occidentis oram occuparant, Genuam redire potuerat. Harum copiarum major pars, Gallis collem conſcendentibus, in locum paullo inferiorem deſcendit, atque in tumulo quodam conſtitit, ſatis ferocem virium fiduciam præferens, loci præſidio tuta: adverſus quos Chiamontius genus hominum potius contemnens, quos maxima ex parte opifices & ſellularios eſſe, ac minime aptos militiæ crederet, quam multitudine & loco iniquo, quo ſubeundum erat, deterritus, egregiam Nobilium cohortem, ac non exiguam fortium virorum manum mittit: quorum impetum Genuenſes intrepide ſuſtinuerunt; acrique commiſſo prælio, Galli haud levia detrimenta accipiebant: loci iniquitate illos premente, ac ſuperne emiſſis telis graviter accidentibus: quam rem conſpicatus Chiamontius, duas bombardas protinus eo trahi jubet: quæ ſtatutæ, lateraque Genuenſium inceſſentes, illos coegerunt, locum quem ad eam horam conſtantiſſime atque intrepide tutati fuerant, deſerere, & in ſuperiora ad ſuos, quos reliquerant, ſe recipere; Gallis illos ſequentibus & ordines ſervantibus: quorum diſceſſu conſpecto, ii, qui erant in caſtelli præſidio, metu, ne, Gallis ſe inter exercitum & caſtellum inſinuantibus, interciperentur; hoſte non exſpectato, turpiter caſtellum deſerunt: quorum fuga animadverſa, ii, qui in tumulo reliqui erant, iter ſe in ſuperiora recipiendi interceptum cernentes, per devias & præcipites vias, multis ex ſuis deſideratis, in urbem ſe recipiunt: quo infelici rerum ſucceſſu civitate mœrore & luctu conſternata Oratores ad Regem miſſi ſunt, Stephanus Juſtinianus & Baptiſta Rapallus, ad civitatem aliquibus conditionibus dedendam: qui in conſpectum Regis non admiſſi, à Rothomagenſi Cardinali auditi ſunt. Is brevi reſponſo orationem illis præcidit: non aliter illos acceptuturum Regem, quam de ſe, ſuiſque omnibus, ac tota Republica arbitrio illi permiſſo: dare autem fidem Regem, ſuam cuique privatam rem ſalvam & intactam fore. De quibus rebus dum Oratores cum Rothomagenſi agunt; ingens hominum multitudo, cui pax & compoſitio non placebat, cum omnia ultima experiri conſtituiſſent, neque à Magiſtratu retineri potuiſſent, armata ex urbe proſilit: quæ cum cacumen, in quo ſitum eſt Caſtellatium, tenuiſſet; per dorſum montis deſcendere, caſtelloque appropinquare cœpit; ferocem ſpeciem præbentes, illud recuperare tendentium, ac certamen non detrectantium: quibus exercitus pars ſeſe oppoſuit; acreque prælium commiſſum eſt, quod tres continentes horas duravit: tandemque urbani in ſpem irritam ſe laborare intelligentes, fortuna pugnæ neutro inclinata, ſe in cacumen Caſtellatii recipiunt: cum toto temporis ſpatio, quo pugnatum eſt, Rex majorem aliquem metum veritus, in eo ſpatio, quod inter & caſtra interjectum erat, in equo, Nobilium globo atque exercitus robore lateri cingente, armatus conſtitiſſet: ceterum, cum Oratores in urbem reverſi legationem renunciaſſent; nox, quæ inſecuta eſt, quæque diem deditionis faciendæ anteceſſit, tota inter flebiles queſtus patriæ caſum lamentantium, ac ſe, natos, fortunas ſuas miſerantium, atque incertorum, quo ira & indignatio Regis evaſura eſſet, traducta eſt: cum matronæ, atque omnis puerilis ætas linteis induti, ac ramos oleæ præferentes per omnia templa vagi pacem divini Numinis ſupplicibus precibus ac lacrymis expoſcerent. At Dux, iique, qui eorum admiſſorum ſibi conſcii erant, quæ omnem ſpem veniæ adimerent; fide primariorum civium, ac potentium, & ſplendidiorum familiarum multum accuſata; illorumque caput exſecrati, qui in medio curſu eorum conſiliorum, quorum ipſunet fuiſſent auctores, mediæ ac tenuis ſortis homines graviter & ſtrenue in cauſſa verſantes, per ſummam perfidiam deſeruerint; neque id mirum eſſe, quippe qui ad illud conſilium non ſtudio communis libertatis, ut par fuerat, ſed privata ambitione impulſi deſcenderint, ſperantes ſeſe, Nobilibus dejectis, ſolos regnaturos; cui conſilio cum non ſucceſſerit, tum vero cum amiſſa ſpe dominandi, fidem ſimul deſeruiſſe, conſiliaque à reliquis civibus ſegregaſſe; atque à Rege jam tum, cum Haſtæ adhuc eſſet, veniam ſibi & incolumitatem pactos (ea enim fama manarat) reliquos ſupplicis macerandos prodidiſſe: iis igitur atque ejuſmodi multis in illos aſpere invecti, urbe excedentes Piſas verſus iter capiunt: poſtero die iidem Oratores ad Regem redierunt, juſſi, in quaſcumque conditiones poſſent, rem tranſigere: deditioque Regi facta eſt: qui veritus, ut Helvetii, iique, qui voluntariam militiam profitebantur, contineri ab urbe diripienda poſſent, portam urbis ac circumjecta editiora loca validis Gallorum ſtationibus firmat, quæ ab aditu urbis Helvetios prohibeant. Chiamontiuſque, prius egregio præſidio in Caſtellatium introducto, cum magna reliquarum copiarum parte urbem eſt ingreſſus: qui arma & tela omnia à Genuenſibus conditionem ſuam animo ingemiſcentibus tradita in arcem Caſtellettum comportari juſſit. Poſtero die Rex ipſe armatus, ac nudatum gladium ſtringens iter ad urbem cepit: cui ſummus Magiſtratus cum quadraginta civibus ex longe primariis uſque ad divi Theodori

obviam proceſſit : qui humi ſupplices procubuerunt ; Stephanuſque Juſtinianus, cui non quidem ætate, ceterum ingenii & conſilii fama antecedenti illud negotium datum eſt, in hanc ſententiam locutus fertur : *Si hoſtilem animum in te gerentes, celſiſſime Rex, atque odio imperii tui a te defeciſſemus; eſſemque ideo, qui nos nulla prorſus venia dignos cenſerent; at tu indignus tamen eſſes, qui illam ſuppliciter petentibus negares; cuique majorem vim adhiberet, majoremque ulciſcendi cupiditatem injiceret injuriarum tibi factarum recordatio, quam parcendi, Chriſtianiſſimi Regis auguſtiſſimum nomen : eas nihil abſonum tibi eſt faciendum; ſed cogitandum, quam a ſapientia & conteſtata pietate tua alienum ſit, quam profeſſionem pra ceteris Regibus inſignem tuam refers, non eandem ſactis quoque exprimere; cujus nullum præceptum cuiſpiam eſt, quam injurias non modo veniam petentibus, ſed porro ledere pergentibus dimittere : ceterum nihil tale nos intra horum mœnium cogitaſſe, vel ea ſit fides, quod Vicarios tuos in urbe retinuimus, omni honore & reverentia obedienter coluimus, nihilque, niſi illis auctoribus, publice tentavimus; ac legem de duabus tertiis munerum publicorum & magiſtratuum partibus, quod unum eſſet remedium ad Nobilitatis faſtum & arrogantiam comprimendam, non nos tulimus, ſed à Vicariis ipſis tuis impetravimus, à te ipſo poſtea, re diligenter cognita, approbatam. Hæc petimus a te, Rex; ut, quæ adhuc diximus, ac mox dicturi ſumus, ea putes nos ad elevandam culpam noſtram, ac noxam a nobis amovendam, aut ad meritum & beneficium tuum, ſi nobis ignoſcendum ſtatueris, extenuandum pronunciare : agnoſcimus peccatum, deſertionem fatemur, pœnas commeritas non inficiamur : ceterum in eam ſententiam diſputare nos putes; ut ea, quæ conſecuta ſunt, non tam voluntati noſtræ, quam temporibus & caſibus aſſignanda doceamus; neque ullo noſtro in te odio, aut malevolentia, aut conſilio ab imperio tuo nos eximendi ducibus ea admiſiſſe; ſed ſtudiis partium abreptos, ſed ardore contentionis cæcatos, ſed impetu animi precipites actos; non ſatis cogitaſſe, an ſimul, cum cupiditate Nobilium arrogantiam cohibendi, te quoque offenderemus. Non in rebus æſtimandis, Rex, ſapientes & graves ea tam res ſuas ipſas momentis ponderare ſolent, quam voluntatem facientium ſpectare : ac proinde ut illa fuerit, ita de rebus exiſtimare. Multa ſæpe filii in parentes, multa in Deum ipſum immortalem homines peccant, pietatiſque jura proſternunt, animi libidam obſequentes; qui, ſi ad meliorem mentem converſi veniam petant, cupide in gratiam recipiuntur : non enim animo ſe divina legi, aut parentum obedientiæ ſubtrahendi peccarunt; ſed quo cupiditatum æſtus ferebat, eo ſe abrupi paſſi ſunt: eadem adverſus te, Rex, cauſſa noſtra eſt; qui numquam, mente ſedata, te ledere cogitavimus; eadem tot motibus & perturbationibus agitata, quo nos demiſeremus, parum conſideravimus : peccatumque noſtrum, quod grave fatemur, non voluntatis, neque cogitata rationis, ſed præcipitis animi fuit : quem ſi in gravibus & ſapientibus viris cohibere arduum eſt; quanto eundem in imperita & concitata multitudine regere difficilius eſt? id quod nos ipſi ſæpe experti ſumus; qui omnia ſumma fecimus, omnique dimicatione pugnavimus, ut ab ea mente plebem abduceremus : ſemperque auctores ſumus, voluntatem & juſſa tua odio ac ſtudiis noſtris præverteudi : ut, ſi ſeparare cauſſam noſtram a cetera civitate velimus, ac, nihil nos in te, quamobrem nobis ſuccenſeas, admiſiſſe, contendamus; æquitatis tua fuerit, defenſionem noſtram auribus admittere : ceterum non eſt in animo, hoc facere; neque eximi tibi eſſe cupimus, aut præcipuum aliquod jus nobis poſtulamus; eademque noſtram, quam univerſa civitatis, fortunam eſſe volumus : cui, omni juris diſputatione omiſſa, in tuam miſericordiam confugientes, tibi ſupplici & ad genua advoluta, ſi ignoſcendum duxeris, majorem tibi gloriam ſervata, quam victa peperiſti : quippe quod hoc magna ex parte fortunæ & aliorum, illud virtutis ac ſenſus tui ſit.*

Flexille iras ſupplex oratio dicitur; ſtatimque animi regii mitigati ſigna apparuerunt : gladio condito, ac magiſtratu, ac reliquis conſurgere juſſit: quibus præcedentibus, Rex ſub uraniſco urbem ingreſſus, omnium primum templum maximum adit; in quo obſuſa miſerabilis ſpecies virginum, atque innocentis ætatis manus, & ramos oleæ ad Regem tendentium, atque humi proſtratorum, miſericordiam flebilibus precibus implorantium, vehementer illum commovit : qui in prætorium divertit; jugiſque multis in urbis locis ſtatutis, nonnullos facinoribus & ſceleribus inquinatos ſuſpendi juſſit : ſecundum ea conſilium univerſæ civitatis convocatum eſt : in quo magiſtratuum & munerum diſtributio ad veterem formam dimidiæ partis redacta, nihil popularibus repugnantibus; Gallis vero nimiam popularium facilitatem mirantibus atque irridentibus : qui rem tanta dimicatione impetratam, nulla vi adhibita, temere proſunderent : ſecundum ea ſuggeſtum in area prætorii duorum cubitorum altitudinis exſtructum eſt, pretioſa ſtragula inſtratum; alterum anguſtius illi ſuperpoſitum, textili aureo contectum : in eo ſella erat, in qua Rex ſub uraniſco conſedit, quinque Cardinalibus, magnaque Principum, & Procerum, ac Legatorum turba ſtipatus : quibus inſpectantibus, Magiſtratus urbis venerabundi procumbentes, veniam petunt, impetrantque: nonnullis exceptis, quorum audacia inſignior fuerat, quorumque nomina de ſcripto recitata ſunt. quibus tamen Rex facultatem fecit, cauſſam, ſi vellent, dicendi, ac ſeſe à criminibus, quibus inſimulabantur, purgandi : ut apparet, aliorum potius inſtinctu, quam ſua ſponte Regem ad eos damnandos deſcendiſſe : ad hoc civitatem trecentis millibus aureorum nummum damnavit : de qua tamen ſumma facile exoratus centum millia remiſit; die ſolutionis in quartum decimum menſem præſtituta : præter quadraginta millia, quæ præſentia numerata ſunt : prætidium ducentis ſtipendiariis auxit, ac triremibus tribus, quas perpetuo ad urbis & oræ Liguſticæ cuſtodiam armatas eſſe voluit : acceſſit triſte ſpectaculum rerum ex circumjectis villis : quas voluntariam militiam profeſſi, qui à diripienda urbe prohibiti fuerant, diripuerunt; per mediam urbem ſub oculis ipſorum Dominorum res ſuas cognoſcentium, neque hiſcere, aut vocem libertatis memorem mittere audentium, ab iis ipſis prædonibus per alteram urbis portarum ingreſſis, adverſamque petentibus aſportatarum : quæ tamen omnia quamquam miſerabilia erant, ac non nihil pungebant, levius tamen ferebantur : illa duo alte in ſenſus hominum lugentium & mœrentium, non modo libertatem, ſed omnem illius ſpeciem amiſſam, penetrarunt : liber conventorum & fœderum cum Rege ictorum palam combuſtus; atque arx, tamquam perpetuæ Genuenſium compedes, ædificari juſſa in altero portus cornu : à quo præceliſus ac peramplus ſcopulus atque undique abſciſſus prominens, quem caput Phari appellant, in mare longe excurrit, à quo totus fere circumluitur : perexiguum illud ſpatium, quo terræ conjungitur, præalto terræ hiatu, duabus præruptis rupibus interjectis, ab ea abſcinditur; ut nullus ſit ad illum, invitis iis, qui ſcopulum teneant, acceſſus. In hoc ſcopulo arx ædificata eſt, totum ſcopuli ambitum munimento ſuo amplexa : quæ arx inexpugnabilis omnino eſt, ne cuniculis quidem obnoxia. & duritia ſilicis repugnante; & quod ſubcuntia navigia telis & lapidibus ſuperne devolutis, quorum recta regione venientium graviſſimus ictus eſt, ſeſe perfringenda, hominesque ſuperſtantes proterendos objiciant. Hanc arcem qui tenet, is Genuam maritimis commeatibus, quibus ea urbs alitur, clauſam & arta obſidione preſſam habet : hujus igitur arcis mercede, ſua ſibi Genuenſibus infamia ſtetit; quæ non magis

gis populi, à quo ſe Gallus ejectum videri voluit; quam Nobilium quoque Factionis, quæ illum accerſierat, ſimulque cum illo arma tulerat, cervicibus impoſita eſt: quæ res documento erit, qus fructus ſpe, in inteſtinis diſcordus, externa auxilia adverſus civem ac domeſticum inimicum quæruntur.

Rebus Genuenſibus conſtitutis; Magiſtratuque quattuor civium, qui de furtis & rapinis factis quærerent; alius item quattuor, qui in eos, qui pecunias publicas tractant, inquirerent, creatis; diſceſſit: cum prius de Demetrio Juſtiniano, ſpectato ac fama prudentiæ claro cive, capitale ſupplicium ſumpſiſſet: ædeſque Pauli Novii Ducis, ac Pauli Baptiſtæ Juſtiniani complanari juſſiſſet: cujus Pauli triſtis & miſerabilis caſus fuit; qui permultis Italiæ locis pervagatus, cum tandem Piſas veniſſet, ex eaque urbe conſcendens Romam peteret, captus fuit à Corſetto quodam ordinum ductore, qui ſub ipſo militaverat; atque Petro Joanni regiæ claſſis præfecto pretio octingentorum aureorum numinûm traditus: qui Genuam adductus, in area prætorii, juſſu Regis, ſecuri percuſſus eſt; ea illa ipſa plebe, quæ hominem ad tantum faſtigium extulerat, quæ illum omnibus effuſæ voluntatis ſtudiis, omnique venerationis ſanctitate coluerat, inſpectante ac nihil movente; neminequ vocem mittere audente: ejus exanime corpus in quattuor fruſta diſcerptum eſt, quæ ſuper urbis portis ſuſpenſa ſunt; caputque haſta præfixum in ſumma prætorii turri ſtatutum. Illud quoque haud mediocriter animos commovit; quod Rex nummum inſigni ſuo, veteri civitatis ſigno omiſſo, in poſterum ſignari juſſit; ut ſervitium teſtatius orbi eſſet: quæ omnia à Genuenſibus mœrentibus ac conditionem ſuam ingemiſcentibus, obedienter tamen facta ſunt: ceterum propior erat dolor immanis pecuniarum ſummæ, qua civitas damnata fuerat, perſolvendæ. Rem novam ad onus aliqua ex parte levandum commenti ſunt: pondus enim argentei nummi imminutum eſt, & pretium auctum.

Eo anno Ferdinandus Hiſpaniæ Rex Neapoli profectus, Hiſpaniam repetens, ad oram Genuenſem appulit; adverſaque tempeſtate portum Genuenſem, contra, quam animo deſtinarat, ſubire coactus eſt, honorifice & amanter acceptus: cui etiam, honoris cauſſa, quattuor Legati ex primoribus civitatis, ad extremos fines, obviam miſſi ſunt: cum primum per tempeſtatem licuit, portu Genuenſi cum viginti triremibus ſolvens, Saonam ſe contulit: ubi Gallus Rex illum præſtolabatur: qui ad omnem ſuſpicionem deteſtandam, candoremque animi præferendum, ſcapha conſcenſa, appropinquanti obviam exit, ac cum tribus tantummodo comitibus triremem regiam conſcendit: nec minora fiduciæ ſigna dedit Hiſpanus, urbem Saonam ditionis Gallicæ ingreſſus, ſeque poteſtati Regis Galli committens. Magna fuit ejus congreſſus ſpecies, duorum videlicet in terris potentiſſimorum Regum, quique Europæ res potentia & auctoritate ſua, ſuiſque conſilius traherent; magna Principum & Procerum turba, omnique fere regnorum ſuorum Nobilitate ſtipatorum; magnoſque ea res hominum concurſus fecit ad inſigne ſpectaculum oculis fruendum: admirationi in primis erat gratia ex tantis inimicitiis, tantiſque odiorum cauſſis ſubito conciliata; quam augebant effuſæ inter ſe voluntatis aſſidue ab utroque edita ſigna, cum familiariter & peramanter una eſſent: quibus rebus Chriſtianum orbem in ſpem diuturnæ quietis & tranquillitatis erexerunt; cum omnes illud amicitiæ & pacis fœdus ſanctiſſimum ac ſempiternum fore judicarent; quod non per Legatos & internuncios, ſed inter eos ipſos Reges inter ſacra hoſpitalia actum

A eſſet: ceterum eventus concitatæ ſpei contrarius docuit, quam parum ſtabili gratia amicitiæ Regum inter ſe nitantur; quamque parum ſincera ſit fœderum fides: dum Reges jus, fas, jurijurandi religionem, pudorem, hominum ſermones, divini Numinis fœderum teſtis ultricem iram, ac quidquid ſancti inter mortales eſt, præ impotenti regnandi cupiditate levia ducunt. Rebus omnibus tranſactis, Reges in ſua quiſque diſcedunt: cum Gallus multis blandimentis mœrorem civitatis leniſſet; pretio donorum arci Caſtelletto circumjectarum, quas præfectus injuſte diruerat, Dominis perſoluto; ſacro ſudario effigie Chriſti
B Domini impreſſa venerabili, quod Genuenſes religioſe in æde divi Barptolomæi aſſervabant, ejuſdem præfecti opera ablato, unaque cum ejuſdem divi pede in Galliam tranſmiſſo, civitati reſtituto & in antiquam ſedem repoſito, poſtulatis Saonenſium, juribus, ac dignitati imperioque populi Genuenſis prægravibus, rejectis.

Ceterum nihil gratius fuit, quam Rodulfus Lanoius civitati cum ſummo imperio præfectus; vir juſtus ac ſanctus, & in omnibus officii gradibus caſte & integre ſervandis in primis diligens. Hujus viri multa eximia exſtiterunt, in rebus lapſis reſtituendis, civitatiſque quiete conſtituenda: nam
C civitatem, omnemque Genuenſem ditionem facinoroſis hominibus, ſeditioſis, ac vitam latrocinus, rapinis, maleficiis tolerare ſoltis purgavit; partim merito ſupplicio affectis, partim in exſulium actis: & prætorianorum ceterorumque ſtipendiariorum licentiam ab injuriis faciendis, pudicitia mulierum tentanda, aliiſque maleficiis admittendis, ſeveritate pœnarum cohibuit; cum nullus eſſet ignoſcendi locus apud hominem precibus inexorabdem; omnes denique civitatis partes ad bonam frugem egregia diſciplina conformavit: quæ non modo, ipſo res regente, ſed ad multum tempus viruit ac viguit: ut multis ab eo tempore an-
D nis, majore quiete, tranquillioreque rerum ſtatu numquam Genuenſes uſi ſint; regiumque ſervitium civitati in bonum vertiſſe vulgo gauderent. Tantorum meritorum gratiam præclaro fine concluſit, ipſi perhonorifico, ceterum Genuenſibus lugubri, quos tanto rectore orbavit: nam, cum in controverſia cum Saonenſibus, qui cladibus Genuenſium animos ſuſtulerant, atque conſueta onera & tributa ſolvere recuſabant, judex à Rege datus, cauſſa cognita, ſecundum Genuenſes judicium tuliſſet; offenſus nonnullorum civium Genuenſium importunitate, qui non veriti eſſent
E contra patriæ jura, Saonenſibus favore ſuo adeſſe; aſperis verbis in illorum projectam impudentiam, ne diceret perfidiam, palam invectus; cum vitia civitatis virtute ſua ſuperiora ferre non poſſet; neque celſum ingenium, atque ab omni labe integrum, inter corrupta omnia libidine, ambitione, avaritia principum civitatis, privatis compendiis ac cupiditatibus ſervientium, præque illis bonum & dignitatem publicam contemnentium, verſari; facultate à Rege tandem impetrata urbem reliquit, bonis lugentibus: munuſque & procurationem ſponte ab ſe abjudicatam Franciſco Roccaioardæ, longe diverſi ingenii viro, ſucceſſori tradidit: cum non plus annum Genuæ ſuiſſet, qui
F fuit ejus ſæculi octavus. A. C.

Inſequens annus nihil memorabile habet præter 1508.
multiplicem ac civitati perutilem, ſimulque ſpe- 1509.
cioſam operam Ædilium, quos Patres communis appellant; aquæductibus multis in locis refectis, lamenis, quæ in celebribus urbis locis tetro odore ſuo offendebant, in loca remotiora tranſlatis, areis ac plateis publicis refectis, ac lateribus coctis ſtratis: quæ res ſalubriorem civitatem, illiuſque adſpectum ſpecioſiorem fecit; ingenti immanium laxorum ac ſcopulorum vi mole communita, fun-

damentiſque illi augendæ jactis: quæ maxima eſt impenſæ & laboris pars: ut digni ſint, quorum nomen in obſcuritate non lateat: fuerunt igitur, Joannes Ambroſius Nigronius, Sorleo Lomellinus, Bernardus Francus Julia, Baptiſta Botius, Anaſtaſii cujuſdam Siculi architecti opera uſi: quattuor item ingentes corbitæ civitatis impenſis & ſtipendiis armatæ ſunt; ac Regi in uſum belli miſſæ, quod ipſe & fœderati cum Venetis gerebant; quod bellum illos in extremas anguſtias adduxit.

A. C. 1510. Inſequenti anno novæ diſcordiarum cauſſæ inter Julium Pontificem & Gallos exortæ ſunt: quos Julius, cum Venetis ex tantis inimicitiis in gratiam receptis fœdere icto, cum bello perſequi decreviſſet; novi motus in Liguria atque in ipſa urbe Genua excitati ſunt. Marcus Antonius enim Columna, unaque cum illo Janus & Octavianus Fulgoſii, miſſu Pontificis, in agrum Lunenſem venerunt: cum quibus Hieronymus Lazari filius, & Nicolaus Auria Genua profecti, mox ſe conjunxerunt; Spediamque celebre portus Lunenſis emporium defenſoribus vacuum occuparunt; cum undecim triremes Venetorum, unaque Pontificia, cui præerat Balthaſar Biaſſia, eodem tempore oræ Genuenſi eſſent illatæ; multoſque mortales ad arma contra Gallos capienda concitaſſent: ceterum civitatis conſtans in Regem fides exſtaret, magna vi pecuniis ſummo cum civitatis conſenſu coacta: cum in conſilio univerſæ civitatis ex trecentis ſuffragiis, novem tantummodo repugnantia inventa ſint, prævaliditque claſſi illico inſtructa, quattuor myoparonum, quos *galeones* vocant, duarumque ingentium oneratiarum, ac nonnullarum minutiorum navium longarum, quæ additæ ſunt ad claſſem Gallorum ſex triremium, unuſque myoparonis, ac navis fratris Berardini celebris nominis piratæ, quam ducebat Petrus Joannes præfectus: cujus claſſis fama perlata, cum etiam audiretur Factionem Adornianam adverſus ſe conſurrecturam; Fulgoſii, qui jam Reccum uſque opidum proceſſerant, Spediam repetunt: primuſque ille conatus, qui fuit ſub veris initium, irritus evaſit: ſub exitum æſtatis, cum fama exiiſſet, Pontificem, magno Helvetiorum numero conducto, Liguriam bello terreſtri ac maritimo repetiturum; claſſis majore navium numero aucta & firmata eſt; tredecim myoparonibus, quattuor oneratis ingentis magnitudinis, nonnulliſque minutioribus navigiis additis. Initioque Septembris menſis claſſis Pontificia adfuit: quæ cum primo appulſu promontorium, quod Caput montium appellatur, tenuiſſet; urbem prætervecta, Vada uſque Sabatia perrexit, ſpe fruſtrata Helvetiorum, quos præſto ſe habituram ſperarat: eos, ſtipendiis jam acceptis, Rex majoribus præmiis à Pontifice avertit, ſibique adjunxit. Interea regia & Genuenſis claſſis, Duce Petro Joanne, adventu Pontificiæ claſſis cognito portu Veneris ſolvens, iter retro repetit: quæ cum Genuam uſque proceſſiſſet, ante oſtium portus, Pontificia omiſſa, in ancoris ſtetit: cum qua tamen, in illius reditu è Vadis Sabatiis, eminus bombardis tantummodo conflixit: inane igitur hoc quoque ſecundum inceptum fuit: ſed tertius quoque conatus, quo Genua repetita eſt, non minus fructu caruit: cum Pontificia claſſis, Franco Giberto cive Genuenſi præfecto, portu Veneris præterito, in quo erat regia claſſis, ad idem promontorium appulſa eſſet, & ante portum in ancoris ſtetiſſet; nonnullis etiam armatis noctu in terram expoſitis, ut experiretur, ecquos motus ipſius præſentis adſpectus in urbe excitaret: ceterum Genuenſes in fide regia manſerunt; cum totam eam noctem in armis fuiſſent, aſſiduis bombardarum ictibus claſſem petentes: igitur Pontificii in ſpem irritam ſeſe terere tempus intelligentes, ancoris ſublatis, itinere, quo venerant, retro repetito, Liburnum ſe recipiunt: ad quem uſque portum claſſis regia è portu Veneris illos inſecuta eſt: quibus omiſſis portu Veneris præſidio firmato, Gennam revertitur.

Initium inſequentis anni ejus ſæculi undecimi triſte fuit, civium Genuenſium ſupplicis: nam Joannes Interianus, & Dominicus quidam à ſancto Petro ſecuri percuſſi ſunt; & nonnulli alii cives, quos ejuſdem criminis ſuſpicio attigit, partim ære, partim exſulio mulctati. Hieronymoque Auriæ Lazari filio eodem crimine quattuorvirali judicio Juriſconſultorum Gallorum damnato, contumelia addita eſt bonorum publicatorum, ac villæ in fundo, quem habebat ad Coronatæ, diſturbatæ; primumque in illo exemplum inductum eſt, uxoris exſulio mulctandæ. Alexander quoque Fulgoſius Epiſcopus Abintemeliorum, partium potius quam Epiſcopalis profeſſionis memor, urbem occulte ingreſſus eſt, animo Vicarium regium obtruncandi, populumque in Gallos excitandi & armandi: detecta ſunt conſilia ab uno ex participibus municipe Trebianenſi, qui proditionis præmium, ultimum ſupplicium tulit, quo illico affectus eſt: at Epiſcopus fuga ſe periculo eripuit: qui tamen in itinere comprehenſus, ac Mediolanum perductus ſupplicium effugit, rebus Mediolani novatis: & in Corſica conſilia Rinuci à Roca res novas molientis in ipſo initio, antequam quidquam movcret, oppreſſa ſunt: ipſeque Rinucius, quamquam ſeſe in loca ſentibus obſita atque aditu difficilia recepiſſet, à militibus præſidiariis trucidatus.

A. C. 1511.

Sub finem anni miſſi ſunt ad Regem Legati; Francus Fliſcus, Thomas Catanius, Joannes Paſſanus, Pantaleo Rebuffus, ad nonnulla à Rege poſtulanda: in primis ad Vicarii avaritiam & rapacitatem accuſandam, petendumque, ut homo vulgo inviſus magiſtratu amoveretur, alio in ejus locum miſſo. Omnia à Rege libenter conceſſa ſunt, tantam obedientiam, tamque conſtantem fidem remunerandam cenſente: præter remotionem Vicarii, eum is ad cauſſam ſuam defendendam affuiſſet: neque tamen Rex ſumma contentione agens, impetrare à Genuenſibus potuit, ut Legatos ſuos ad Concilium Piſanum mitterent: re vera, ne ſe ac civitatem crimine defectionis à ſacro ſancto Romano ſolio, quod ipſi & Majores ipſorum ſemper fincera fide coluiſſent, obſtringerent; in ſpeciem tamen excuſantibus metum, ne bona ſua toto orbe Chriſtiano diſſipata, ac commerciis implicata, prædæ occupantibus à Pontifice darentur.

Sequitur annus ejus ſæculi duodecimus, qui dominatui Gallorum finem attulit; cum res Gallicæ in Inſubria ad iniqua inclinatæ eſſent, Helvetique, Sedunenſis Cardinalis impulſu, in Italiam deſcendiſſent, Mediolanumque occupaſſent: quare Julius adjuvandam fortunam ſtatuens, Fulgoſiam Factionem iterum contra Gallos excitat: quæ cum occulte moveri ſentiſſent Genuenſes, dulcedine præſentis quietis capti, ab omnique conſilio abhorrentes, quod illam turbaret; ac propterea regium dominatum tanti boni auctorem & conſervatorem toto animo amplexi; unanimes omnia ſtudia in illum defendendum conferunt; quare regiis triremibus abſentibus, duo peditum millia ſcribi decernunt; negotio eorum cogendorum dato Hieronymo Fliſco, Norbo Sabaudiæ, Marchioni Finarii: cum à Trivultio ac Peltia regiis Ducibus paucorum equitum & peditum ſubſidium fruſtra poſtulaſſent; reſpondentibus pauculas eas copias, quæ ſuperſtites eſſent, præſentibus negotiis implicitas nullo modo poſſe imminui: ceterum, cum eorum, qui copias cogere juſſi fue-

A. C. 1511.

fuerant, fides ſuſpecta eſſe cœpiſſet, tamquam Adurnianis rebus occulte faventium; octo ex præſtantioribus civibus electi ſunt, qui omni ope ſtuderent unanimem conſenſum inter cives tueri; ac capitibus Factionum, ſi urbi appropinquaſſent, aut aliquid moviſſent, tamquam hoſtibus Reipublicæ obſiſterent. Janus igitur Fulgoſius menſe Junio, cum quinquaginta cataphractorum equitum ala, ac delecta quingentorum peditum manu, una cum fratribus ab exercitu Pontificio profectus, Liguriæ fines ingreſſus Clavarum venit: urbique appropinquans fecialem ad Magiſtratum mittit, cum litteris Seduneniſis Cardinalis Legati Germaniæ & Inſubriæ, ac ſummi exercitus fœderatorum Ducis: quibus petebat, ut Janus in urbis poſſeſſionem introduceretur: ceterum, quoniam litteræ ad Magiſtratum tantummodo datæ erant, ſine ulla mentione regii Vicarii; prope factum eſt, ut fecialis jugo ſuſpenderetur: diſcuſſum periculum eſt, auctoritate Magiſtratus Baliæ ſeſe interponentis, ac contendentis, ne jus gentium violaretur.

At Vicarius regius, cum avare & libidinoſe Rempublicam geſſiſſet, ſentiretque ſe nullius voluntatem tenere; ſibi ipſe conſcius, quæ commeritus eſſet, imminenti procellæ ſe ſubtrahens, per ſpeciem exeuntis urbem animi cauſſa, in arcem novam capitis Phari conceſſit: magno cum civium dolore, à quibus nullis precibus revocari in urbem potuit; cum ſe paratos dicerent, eo obſidum numero & genere, quos ipſe delegiſſet, omnique alia ratione illi cavere: quod exemplum ſecuti Helvetii præturiani, Jano appropinquante, commeatu impetrato, ipſi quoque urbem relinquunt; civitaſque tridunm ſine rectore fuit, dum Janus urbem eſt ingreſſus, paulloque poſt ſupervenit Petrus Fulgoſius Baptiſtæ filius, cum litteris Seduneniſis Cardinalis, in eamdem ſententiam, in quam datæ fuerunt litteræ à Jano allatæ, ſcriptis; petiitque ſe rebus præfici: ceterum cives metu, ne ex competitorum contentione aliqui motus excitarentur, nihil cunctandum rati, Janum prætulerunt: qui, cum paria eſſent Seduneniſis ſuffragationis momenta, propendentis in ſe Pontificis favore præponderavit: tertioque Kalendas Julias, univerſæ civitatis conſenſu, magna cum Fulgoſianæ Factionis lætitia Dux creatus eſt: cujus primum npus fuit, duodecim millia aurcorum nummûm Seduneniſi pecunias undique corroganti miſſa, per Joannem ab Erice Juriſconſultum, & Andream Auriam; ideo legatos, ut impiam ærarii excuſarent, ſi exiguam ſummam Seduneniſis conqueſtus eſſet: omneſque curæ civitatis in arcium, à quibus civitas velut obſeſſa tenebatur, nbſidionem & oppugnationem inſtruendam verſæ ſunt; ſeptem bombardis ea de cauſſa à Pnnrifice miſſis. Vetus arx Caſtellettum octo diebus tripartito bombardis quaſſata deditionem fecit; duodecim aurcorum nummûm millibus præfectn perſolutis, ipſinque & præſidiarns incolumibus ſub ſignis expanſis dimiſſis. Majoris molimnis, diuturnioriſque temporis fuit nova arx capitis Phari, ad quam oppugnaim mox tranſlata eſt. Eodem anno Plebes Teici, quam Lucas Spinula poſſederat, in poteſtatem Magiſtratus ſancti Georgii venit: ceterum claſſis Gallirum nnerariam Hiſpanam mercibus Genuenſinm magni pretii nnuſtam cepit; mercatoreſque Genuenſes, Regis juſſu, è Gallia exacti ſunt. Sub finem anni, quattuor Oratnres Mediolanum miſſi ſunt, ad Maximilianum Sfortiam, paternam ditionem recuperatam gratulatum, quam Principes fœderati poſt ingentia certamina illi reſtituerant.

A. C. 1513. Inſequenti anno ejus ſæculi tertio decimo Julius Pontifex mortuus eſt: qui Principe, animi magnitudine, clariſſimis rebus geſtis, conſtanti jurium Romani ſolii propugnatione, ditioniſque Pontificiæ amplificatinne, perpetuin Italicæ libertatis ſtudin, nullus Pontifex multis ab hinc ſæculis memorabilior fuit. Is annus Genuenſibus varius, agitatus, mutationibus obnoxius in primis fuit: cujus inira egregio facinore ad nmnem poſteritatis memoriam inſignia in primis fuerunt. Obſidebatur, ut diximus, arx nova, terra marique, quattuor magnis ac nonnullis minoribus navibus mari illam cingentibus: per ea tempora Galli in loco ab omni Genuenſium ſcientia lunge remoto, ad littora Normandiæ, prægrandem onerariam inſtruxerant, omni annonæ & commeatuum genere & copia, omnique bellico apparatu refertiſſimam: quæ navis tanta maris ſpatia à nemine conſpecta emenſa, cum in mare Liguſticum incolumis perveniſſet, ad ſextumque Idus Martias, cum civitas, ut mos eſt Genuenſium, in ſpeculis eſſet, prima luce in altu appariſſet; tumidis velis portum Genuenſem petens, omnium animis exſpectatione ſuſpenſis, quarnam ea navis eſſet; propinqua claſſi, quæ arcem obſidebat, facta, nihil hoſtile (neque enim veriſimile erat) Navarchis ſuſpicantibus; ſecundiſſimo flante ventn, per medium Genuenſem claſſem, magna cum audacia prætervecta, incolumiſque ad arcem appulſa, ſcnpulo ipſi, in qun arx ædificata eſt, applicatur; rudentibuſque illi alligatur: qui triſtis nuncius tota urbe vulgatus civitatem luctu npplevit: ut nmnes per vias & plateas diſcurrentes, matronæque nmnis decoris nbilitæ in publicum proſilientes, velut mente à ſenſibus alienata, aliique alios tamquam magis mentis compotes rogitantes, veluti extremum urbis excidium adeſſet, conſilii inopes trepidarent. Hic Emanuel Caballus, vir fortis ac ſtrenuus, nauticarumque rerum in primis peritus, Ducem & Magiſtratum adit: *Ac non ſletibus*, inquit, *ac queſtibus, Patres, imminens perpetui jugi periculum, ſed virtute & audacia diſcutiendum eſt: agendum & audendum eſt: atque in extremis rebus, nihil eſt tam audax, temerarium, præceps, quod tentandum non ſit. Ita eam rem operamque meam profiteor; ut neque recipio hoſtilem navem ab arce abſtrahere: neque eſt conſilii aut deliberationis, ſed facti res: maturandum eſt igitur prius, quam hoſtis allata ſubſidia exponat. Jubete mihi navim, ex iis, quæ ſunt in obſidione, dari: cetera mihi expedienda permittite: eam navim ſpero arcem ſalutis & libertatis noſtræ fore.* Oratin Caballi magis in admirationem virtutis hominis Magiſtratum vertit, quam ulla effectus ſpe in re, quæ nullam facultatem natura ſua habere videbatur, confirmavit: ceterum, quoniam in ea tentanda nihil damni fiebat, mos geſtus eſt Caballn: cui cum egregia hominum manus, virium robore & ætate florentium, ex omnibus ordinibus ſe applicaſſent: eo agmine ſtipatus, inter vota & preces circumfuſæ multitudinis, ut fortes ac felices jubentium, cum ad crepidinem urbis in partem à conſpectu arcis averſam venuſſet; navim, juſſu Magiſtratus, eo applicitam conſcenſurus, ad juvenes, qui cum ſequebantur, converſus, *Agite*, inquit, *egregii & fortiſſimi juvenes, qui ſocios & comites vos tanti diſcrimnis mihi addidiſtis: properemus ad gloriam, quæ alterutra certa nos manet; vel patriæ, ſi vetus ſuccefſerit, à ſempiterno ſervitio liberatæ; vel, ſi fatum adverſum fuerit, animæ memorabilis charitatis in patriam exemplo illius ſalutis ſponte devotæ:* cum magna animorum alacritate illi fuclamatum eſſet, navem una cum ceteris conſcendit, proramque in arcem dirigit. At Galli ex arce navim prodeuntem velis datis conſpicati, primo ad ſe venire, non credere: quam ubi ad arcem tendentem vident; mirati præceps conſilium, atque hominum ſtultitiam, quos ultima deſperatio ad certam & incvitabilem perniciem ageret, irridere: bombardiſque adventantem incetiere cœperunt: quarum creberrimis ictibus cum multi aſſe-

ribus

ribus reſilientibus exanimarentur, multi ſopirentur, invicta tamen ſtent adverſus tantam procellam ſuperſtitum virtus & conſtantia: qui cum tandem arci appropinquaſſent, ut interiores periculo bombardarum eſſent; Emanuel ſecundo vento uſus, navim inter ſcopulum, in quo arx eſt, & navim hoſtilem inſinuavit; rudentibuſque, quibus navis terræ alligata erat, ſecuri reſciſſis, latereque ſuæ navis hoſtilis lateri applicato, in illam impigre inſilit: idem ceteri faciunt, Ducem ſequentes: Gallique audacia obſtupefacti, vix primo impetu ſuſtentato prælio, mox omiſſo, qua cuique expeditum fuit, ſe peſti ſubtrahere contendunt. Maxima pars à Genuenſibus capta eſt; pauci cum in ſcapham ſe demiſiſſent, incolumes in proximam arcem pervenerunt: ad quam nonnulli, qui inconſulto pavore, ceteri omnis conſilii inopes in mare ſe projecerant, adnatare contendebant; quam pauci tenuerunt: major pars vel undis hauſta eſt, vel miſſilibus ſupervenientibus exanimata: memorabileque facinus à Benedicto Juſtiniano ephebo admiſſum ſilentio prætereundum non eſt: in quo tantus ardor animi fuit, ut præfectum ipſum hoſtilis navis ad arcem adnatantem conſpicatus, ſeſe in mare projicere non dubitarit; hominemque aſſecutus, captivum ad Genuenſem navim attraxerit. Emanuel, egregio edito facinore, una cum capta navi ad urbem applicitus, exſcenſione facta, per mediam urbem inter lætas gratulantium voces, ſervatoremque patriæ ac libertatis aſſertorem acclamantium, eodem agmine comitatus in prætorium venit: quem Magiſtratus meritis laudibus proſecutus, doniſque, honoris cauſſa, auctum, immunem à publicis oneribus ipſum & liberos ſecit: ex captivis, quicumque Liguſtici nominis ſunt reperti, proditionis damnati jugo ſuſpenſi ſunt: reliqui in cuſtodiam dati.

Per idem tempus Gallus, induciis cum Rege Hiſpano factis, ingentibus pedeſtribus & equeſtribus copiis Inſubriam bello repetit. Maſſiliæque novem triremes, ac quinque barchias, quinque galliones, tres caravelles, nonnullas celoces armavit; quæ claſſis portum Herculis Monœci, quem nunc *Villa Franche* appellamus, ſubit: quam claſſem fama erat nothum Sabaudium & Hieronymum Adornium conſcenſuros. At Genuenſes ipſi quoque claſſem auxerunt: quæ ſunt omnino quadraginta quinque navium varii generis ac magnitudinis: cui claſſi Nicolaus Auria præfectus eſt. Procedebat obſidio; cum dolus Caroli cujuſdam ordinum ductoris natione Corſi emanavit: qui pretio emptus, annonæ & aliarum rerum ſubſidia ſubinde in arcem ſubmittebat: comprehenſus igitur, & in vincula in arcem Caſtellettum datus eſt; ceterum paullo poſt nulla alia de cauſſa dimiſſus, quam quod Ducem affinitate attingeret.

Interea, cum in Inſubria Gallis omnia ſecunda eſſent, claſſiſque maritima appropinquare diceretur; rebus ſuis timere Fulgoſii cœperunt; Fliſcorumque fides illis ſuſpecta eſſe, verentibus, ne occulta conſilia cum Adorniis haberent, de ipſis ejiciendis, ac Gallis in urbem & in veterem dominatum recipiendis. In his ſuſpicionibus incidit caſus, qui animos jam commotos magis exaſperaret: venerant in prætorium tres fratres Fliſci; factumque eſt, ut in multo colloquio Hieronymus maximus natu, & Jacobus Lomellinus, ex ſtudiis utriuſque contentionis, ad clamores primo, deinde ad jurgia & convicia venerint; poſtremo res ad ferrum exarſerit, gladiis ab utroque eductis: verum interponente ſe Duce ſedata eſt; cum Fulgoſinus Ducis frater aperta ſigna dediſſet animi in Lomellinum propenſioris: ceterum, cum duo ex Fliſcis fratribus prætorium nihil ſuſpicantes exiiſſent, poſtremus Hieronymus ipſe quoque exiit, nihil ſibi cavens, ut in nulla ſuſpecta re: vix pedem porta extulerat, cum idem Fulgoſinus, & Ludovicus, ac Zacharias fratres Ducis, haſtilibus armati, hominem improviſo deprehenſum circumſiſtunt & obtruncant; Joannemque Ambroſium Fliſcum, qui ſe Hieronymo comitem addiderat, in ore vulnerant. At Spinibaldus & Othobonus atroci caſu fratris perculſi, ſibique metuentes, in ædes ſuas ad Inviolatæ ſe recipiunt, Adorniorum ac populi nomen ſubjicientes: indeque in arcem ſuam Montobium contendunt.

His diſcordiarum ſeminibus inter Fulgoſios & Fliſcos jactis, claſſis regia Genuam venit; atque ante oſtium portus ſtetit: adverſus quam claſſis Genuenſis è portu exiit, multaſque horas utraque claſſis nihil movens, nulla pugna tentata, nullis tormentis diſplofis, altera alterius conatus ſpectabunda ſtetit: poſtridie ejus diei Antoniottus & Hieronymus Adorni fratres ab opidis ſuis, cum tribus armatorum millibus profecti, in vallem Poreiſeræ deſcendunt: Janoque Duce, qui illis obviam exierat, atque iis, qui erant in arcis obſidione in fugam compulſis, ſubſidia annonæ & ceterorum commeatuum in arcem introducunt; ſicque obſidio ſoluta eſt. At Janus non ſibi par certamen cum Adornis eo tempore eſſe intelligens, animis civium in illos inclinatis, actuario cum fratre Fulgoſino conſcenſo, in claſſem ſe recipit: quo eodem tempore Adorni fratres urbem ſunt ingreſſi à civibus evocati: qui, tumultu excitato, in ædem divi Laurentii convenerant; cum eadem hora Fliſci per averſam portam ipſi quoque, cum magna Caſtellanorum & ditionis ſuæ hominum manu, urbem ingreſſi eſſent: pauciſque poſt diebus ex litteris Regis Antoniottus urbi præfectus eſt, cum titulo regii Vicarii. In prælio, quo Janum ex mœnibus ab Adorniis paullo ante dejectum diximus, captus eſt Zacharias unus ex fratribus Ducis, cædis Hieronymi Fliſci particeps: qui perfidia ruſticani cujuſdam, qui hominem fide data ſervandum ſuſceperat, in manum Fliſcorum eo tempore, quo urbem ingreſſi ſunt, traditus, illico ab armatis, qui erant cum Fliſcis, confoſſus eſt: neque ſatiatis Fliſcis inimici morte, exanime corpus equi cauda alligatum per urbem raptatum eſt: quod atrox ſpectaculum animos popularium miſericordia & ira commovit; vulgo frementium, atque indignum & crudele facinus deteſtantium, auctoreſque exſecrantium. Novo Vicario novus Baliæ Magiſtratus additus eſt; quatuorque Oratores ex civitatis principibus ad claſſem, quæ ſe in portum Lunenſem ad Spediam opidum ſubduxerat, miſſi ſunt; Melchior Nigronius, Anſaldus Grimaldus, Vincentius Saulus, Auguſtinus Ferrarius: qui à præfecto & ceteris primoribus poſtularent, ut, aliquibus honeſtis & tolerabilibus conditionibus, claſſem in portum deducerent, ac ſuam Reipublicæ reſtituerent; ipſique in animum inducerent, in patriam reverti, ac cum ceteris civibus ſuis in obedientiam Regis conſentire. Qui paullo poſt, nulla re confecta, in urbem reverſi ſunt; cum neque in claſſem accepti eſſent, neque eorum oratio annibus admiſſa: ab opidanis quoque portus Veneris verbis male accepti, ac convitiis appetiti, quin etiam haud procul à diſcrimine abfuerint: per quod tempus claſſis regia magna omnium neceſſariarum rerum ſubſidia introduxit; cum à Genuenſibus, qui ſub obedientiam redierant, parvis damnis carpendis præſidique minutorum navigiorum ac mercium faciendi non abſtinerent. Arce firmata, regia claſſis Spediam contendit; in quo portu duas triremes amiſit à claſſe Genuenſium captas, dum ipſæ paullo incautius celocem fugientem perſequuntur: magnaque remigii pars primo illo impetu obtruncata eſt.

Dum ea in Liguria geruntur, Galli ingentem & me-

& memorabilem eladem in Inſubria, ad urbem Novariam, ab Helvetiis acceperunt: quo icto regia auctoritas, & dominatus, qui ab eventibus exercitus pendebat, Genuæ concidit: qua re audita, claſſis è portu Lunenſi extemplo ſolvens, Genuam venit; propeque ab urbe ante oſtium torrentis Feritoris, quem Biſamnem vocant, in ancoris ſtetit: in qua fuerunt complures Auriæ familiæ homines, neque parvus numerus ceterorum primariorum civium, Fulgoſianas partes ſequentium: ſub cujus adventum, claſſis Gallorum ſeſe imparem Genuenſi intelligens, itinere retro, quo venerat, repetito, in Galliam navigavit, civitatemque deſeruit: per quod tempus auditum eſt, Octavianum Fulgoſium, magni nominis virum, cum haud contemnendis copiis, in quibus nonnulli fuerunt Hiſpani, terreſtri via Genuam petere. Adornii igitur & Fliſci, tantis undique terra & mari circumſiſtentibus terroribus, ſeſeque à Gallis, quorum opibus innixi ſtabant, deſtitutos prorſus intelligentes; cum præſertim arx Caſtellettum cervicibus imminens à præſidio Fulgoſianorum teneretur, cum ſua ſponte, tum amicis ſuademibus, cedendum ſtatuunt: quare ad quartam horam noctis ſub ſignis & ordines ſervantes urbem exeunt, ac Montobium ſe recipiunt: eodemque tempore, qui erant in claſſe, exſcenſionem faciunt; cum primarii cives tota nocte vigilantes, atque omnes urbis partes obeuntes, plebem ac Fulgoſianarum partium homines per urbem diſcurrentes à rapinis & maleficiis cohibendos ſuſcepiſſent: poſteroque die Octavianus, Petro gentili comite, cum exigua Hiſpanorum manu, urbem intravit; prætoriumque ingreſſus, oratione tempori apta animos civium ad bonam ſpem erexit, magnamque ſui exſpectationem commovit: poſtridie conſilio univerſæ civitatis convocato, cui interfuerunt quadringenti cives, ſummo omnium conſenſu Dux renuncatur.

Pudet me inſtabilitatis noſtræ; cum conſidero, anni curriculo civitatem noſtram quater rectores & principes mutaſſe: ad duodecimum enim Kalendas Julias anni ſuperioris dominatus regio firmi impoſitus eſt: cui ſucceſſit Janus Fulgoſius Dux: quo exacto, Antoniottus Adornus principatum eſt adeptus, ſub titulo regii Vicarii; quo cum non plus quam duos & viginti dies fuiſſet, Octaviano Fulgoſio adventanti ceſſit; qui ad quinctum decimum Kalendas Julias hujus anni, nondum curriculo anni confecto, Dux creatus eſt: amantiſſimus patriæ civis, bonumque publicum privatis commoditatibus anteponens, innocenſque homo, ac memorabilis vir; memorabilior futurus, ſi in civitate concordi, aut in qua exſecrabilium partium inſania non ita alte in animis civium inſediſſet: cui, vix inito magiſtratu, neceſſitas expreſſa eſt octoginta millia aurorum nummûm Hiſpanenſi Vicario regio ſolvendi, promiſſorum in ſtipendium equitatus ſæpe commodati: erogata eſt ea ſumma ex ærario ſancti Georgii.

Octavianus igitur principatum adeptus omnes curas in res lapſas reſtituendas, afflictamque Rempublicam erigendam confert: omnium publicarum curarum caput tum erat, arcem captis Phari cervicibus civitatis imminentem è manibus Gallorum extorquere; qua, illis potientibus, omnia conſilia ad irritum recaſura eſſent. Octavianus igitur obſidione repetita nihil eorum, quæ viam ad rem ad exitum perducendam expedirent, cura & cogitatione omittebat: cui architectus quidam oblatus eſt; qui magnifice ſeſe efferens, in ſe recipit navigio quodam firmiſſimæ craſſitudinis, ad machinas immenſi ponderis vehendas, quod Genuenſes *pontonem* vocant, machinis quibuſdam ab ipſo inventis contecto, copias ad radices Promontorii, in qun arx ædificata eſt, exponere; quæ ſolo, qua terrenum eſt, ſuffoſſo, cuniculis ſubtus arcem pe-

A netrarent; pulvereque tormentario indito & accenſo turres everterent: quod conſilium etſi gravibus, & ſapientibus viris, rerumque uſu prædictis, ipſique in primis Octaviano vanum videbatur, tamen voluntati multitudinis indulgendum ſtatuit: quæ ſpecioſæ rei experiendæ cupiditate flagrabat: ceterum vanum inceptum evaſit, navigio ingenti ictuum bombardarum vi tandem depreſſu: quæ res duodecim ducatorum millibus Reipublicæ ſtetit.

Cum maximam curarum partem obſidio arcis ad ſe traheret, non tamen cetera negligebantur: purgatum eſt igitur id portus ſpatium, quod inter ædem ſancti Marci & pontem Cataniorum intercedit: in longitudinem quingentos & ſeptuaginta dodrantes, in latitudinem trecentos patens; cum altitudo decem novem dodrantium eſſet. Multa, eaque haudquaquam levia impedimenta Octaviano per ea tempora ſubinde objecta ſunt; quæ optimum conſiliorum curſum retardare, incitatumque ſtudium in arce oppugnanda debilitare ac frangere poſſent: adverſus quæ omnia invicta ſtetit Octaviani virtus & conſtantia; quæ, impedimentis omnibus ſuperatis, illum arcis tandem compotem fecerunt: nam & commercia infeſta erant à Gallorum & Sarracenorum claſſibus per circumjecta maria diſcurrentibus: adverſus quas quattuor triremes armatæ & emiſſæ ſuot, Andrea Auria præfecto: & Janum Fulgoſium, fama erat, Saonæ, quam ille urbem tenebat, res novas moliri; contra quem delecta trecentorum armatorum manus ab Octaviano miſſa eſt: quorum impetum ille haudquaquam exſpectandum ratus, fuga ſua liberam ejus urbis poſſeſſionem Octaviano reliquit.

Ceterum hæc leviora & facilora; illa major negotii moles fuit, quod Adornii, Fliſcis conjunctis, exhibuerunt: qui Mediolanenſis Ducis, & Helvetiorum faventium auxilio ſubniſi, Montobio profecti, in maritima deſcendentes, primo adventu Clavarum & portum Delphini opida occuparunt; adverſus quos miſſus eſt ab Octaviano Nicolaus Auria, cum mille & quingentis peditibus, quem paullo poſt conſecutus eſt Fridericus Archiepiſcopus Salernitanus Ducis frater, cum magno numero hominum Factionis Fulgoſianæ: qui, Clavaro duorum dierum oppugnatione fruſtra tentato, in ſua ſe receperunt; Andrea Auria littora quam proxime poterat, legente præſidio triremium iter illis ſecurum præbente. Nec contra minus irritum fuit Adormorum & Fliſcorum inceptum; qui Clavaro profecti, cum duobus armatorum millibus, copias urbi admoverunt; eo ſpatio caſtris occupato, quod portis Hircorum & Olivellæ interjectum eſt: qui cum decem dies, nulla re tentata, ſegne tempus triviſſent, nulloſque motus ipſorum adventus in urbe feciſſet; caſtris retro raptim motis, urbem liberam reliquerunt; nonoullis bombardis, ac non exigua impedimentorum parte (ignotum, quæ tam trepidæ feſtinationis cauſſa fuerit) relictis. Per idem tempus Scriba quidam Cæſaris à Gurgenſi Cardinali miſſus Genuam venit, militum & pecuniarum ſubſidia in uſum belli, quod Cæſar cum Venetis gerebat, poſtulans; qui, nulla re impetrata, diſceſſit; cum illi demonſtratum eſſet, nullo jure urbem Genuam erga Cæſarem ad talia obſtringi.

F Interea obſidio terra ac mari acriter urgebatur, cumque audirum eſſet, Maſſiliæ diligenter comparari; eodemque tempore navicula quædam onuſta annona claſſem obſidentem venti favore præterlapſa, ipſi ſcopuli crepidini, in quo arx eſt, ſe applicaviſſet; claſſis initio inſequentis anni, qui fuit ejus ſæculi quartus decimus, numero aucta, & firmata eſt: quæ fuit omnino duarum ingentium onerariarum, octo triremium, ſeptem brigantinorum, ac nonnullorum aliorum minotiorum navigiorum: cum etiam terreſtres copiæ centum equitum ac non-

A. C. 1514.

nullorum peditum numero auctæ essent, ac præter hanc elassem, quinque quoque naves & myoparo armatæ, quæ clasli Gallorum opponerentur: ad hoc tres onerariæ & duo myoparones ad bellum armatæ adversus quemdam piratam navium Genuensium prædas agentem. Tandem obsidio arcis ad finem pervenit; Gallique sese undique cinctos & ad extrema adductos, subsidiis nusquam apparentibus, cernentes, de deditione, mulierecula quadam, quæ inter arcem & urbem commeare solebat, interprete, agere coeperunt: quæ inter cupientes in has conditiones facile convenit: *Ut, nisi ad septimum Kalendas Septembris subsidium a Gallis in arcem introductum esset, arx Duci, bombardaque, & ceteri omnes belli apparatus, qui in ea erant, traderentur: præsidio & militibus incolumibus dimissis, cui viginti duo aureorum nummûm millia pro stipendio a Rege debita numerarentur.* In quæ observanda utrimque obsides dati sunt: à Gallis tres ex primariis Proceribus; à Genuensibus Simonettus frater Ducis, & Hieronymus Fulgosii, Franciscus Grimaldus, Martinus Bottus: cumque pactus dies venisset, subsidiaque nusquam apparuissent, arx Duci tradita est: quod egregium in patriam meritum Octavianus longe majore promerito cumulavit; præclari atque unici multis ab hinc seculis exempli, & ad omnem posteritatem memorabilis edito facinore: arcem enim eodem die demoliri cœpit; nec prius abstitit incepto, quam tota solo æquata est: quæ res ita animos hominum affecit, ut, præ superfundente se lætitia, vix mentis compotes essent, neque à lacrymis abstinerent: vulgo igitur omnis ætas ac sexus inter se libertatem tum vere recuperatam, jugumque externum discussum gratulari: tum in admirationem Octaviani versi, constantiam primo & virtutem meritis laudibus ad cælum extollere, quæ tot interposita impedimenta in arce expugnanda superarit: animi deinde magnitudinem & singularem in patriam charitatem divitiis laudibus ornare; qui, cum ejus arcis præsidio opes gentis suæ Fulgosiæ Genuæ ad æternitatem posset stabilire; omnia tamen, præ patriæ amore, levia duxerit: libertatem igitur atque omnia sua Genuenses Octaviano debere; hocque illud esse beneficium, quod perpetua memoria retinendum sit; nomenque Octaviani liberatoris & servatoris patriæ sempiterna veneratione ab omni posteritate colendum: ceterum Octaviani cessum animum, ac publici boni amantem omnes æque laudarunt: at factum ipsum & consilium reprehensores invenit; in quibus fuisse dicitur ipse frater Ducis Fridericus, vehementioris ingenii ac cupiditatibus impotentius servientis vir, quod in Octaviano mitius fuit, rectique & probi amantius; à consilio specie potius decoro, quam re, ut dictitabat, sapienti, aut patriæ utili magnopere Ducem revocare conatus: quod ut in concordi civitate animis civium boni publici studiosis probandum non negaret; ita in ea, quæ in mille Factiones distracta sit, in alte mentibus hominum insidentes, ut evelli non possint; in quaque animi civium in alia omnia magis quam in bonum publicum versi sint, arce diruenda, neque libertatem civitatis stabiliri, in qua cives longa desuetudine esse nesciant; neque tranquillitati civitatis consuli, quam Factiones assidue perturbare necesse sit: quin etiam viam magis ad turbandam quietem patefieri; ea re sublata, cujus metus homines in officio contineat: non igitur arce disturbanda impedimenta libertatis tolli; sed frenum licentiæ cum magno civitatis malo perfringi: argumento esse proxima tempora; cum, Gallis alienigenis hominibus arcem tenentibus, civitas numquam quietior fuerit; nullusque civitatis status multis ab hinc annis exstiterit, quo cives magis gauderent, neque in quo retinendo constantiores, aut magis unanimes fuerint: quid igitur ioani, ac temerario, patriæque inutili consilio Octavianum asseveraturum, quam ut opes familiæ tanto præsidio in perpetuum firmandas evertat? viamque ad stabile ac sempiternum Genuæ imperium ducentem à fortuna patefactam, insciția sua sibi ipse obstruat? quod imperium ut in pacata civitate, neque Factionibus depravata, à nemine bono cive est invadendum; ita in ea, quæ libertatis bona non noscat, quæque nullum ejus sensum habeat; atque adeo, quæ sine Dominis esse aut nesciat, aut non possit; quæque sibi in illos sponte adsciscat: in civitate igitur ita morata, imperium ultro oblatum non esse repudiandum: quod si tu per insciţum à te projicias, alius fit, civitate ipsa volente, occupaturus.

Eo anno octo Oratores ad Leonem decimum, ad obedientiam deferendam, missi fuot; cujus legationis princeps fuit Joannes Baptista Lazania Jurisconsultus. Oppositi se Orator Gallus, negavitque obedientiam Genuensium Regi Gallo subjunctorum à Pontifice accipi debere, magnam ea in re Regi suo injuriam fieri dictitans, cujusque jura imminui: idque scripto testificatus est. Qua oratione spreta, Pontifex secundum Genuenses judicium tulit, qui libertatem, à Gallis armis ereptam, recuperassent: delatamque obedientiam accepit.

Infesta fuerunt eodem anno maritima commercia, & à Turcis, & à Gallis: quorum illi sinum Lunensem cum septem triremibus ingressi prædas hominum & navium egerunt; hi, Periane Duce, ad littus Valentinum ingentem onerariam magni pretu mercibus onustam ceperunt: adversus eum enusta est classis, non modo cum nullo fructu, sed cum damno quoque; duabus triremibus ad littus Dertusiæ adversa tempestate depressis: plaga quoque à Turcis accepta est; altera ex duabus triremibus, una cum duabus biremibus ad tutelam Corsicæ à Magistratu sancti Georgii armatis, simul cum Matthæo Truco præfecto classis, & Stephano Lercario Trierarcho capta, alterusque Trierarcho Francisco Furnario interfecto.

Eo anno Hieronymus Adornus & Scipio Fiscus, Factionum Fulgosiæ adversarum capita, facinus audax, quod à multis temerarium existimatum est, aggressi sunt. Castelletto enim, parvo & obscuri nominis Adorniæ gentis opidulo, quod est in confinibus Montisferacis, cum delecta quingentorum Italorum manu, quorum Dux fuit Joannes Camillus quidam à Montibus Neapolitanus, iter Genuam versus capiunt, sperantes, si urbem furto intrassent, sese, Factione sua excitata, improviso adventu Fulgosianos incautos, ac solute agentes, (ut in nulla tali suspicione) oppressuros: verum cum paullo serius, quam constituerant, itineri se dedissent; seditione nonnullorum militum retenti, quæ prius comprimenda fuit, non ita accelerare potuerunt, ut non lux illos opprimeret in cacumine montis, in quo sita est arx Castellatium vocata, civitati imminenti. Ibi paulisper addubitarunt, iter ne, quo venerant, retro esset repetendum, cum furtum insidiarum non successisset; an aliquo se abdendum, ubi non conspecti posteram noctem exspectarent: vicit sententia, quæ porro eundum censuit: monte igitur descendunt, ac per portam Carbonariæ, custodibus neglectam, urbem ingrediuntur; ad prætoriumque nomen Adornorum & Catorum subjicientes, (ita appellabantur Flisci à gentilicio insigni galeæ) recta pergunt: illudque bipartito à duabus portis septi, quod aream claudit, quarum altera ad publicas ædes Prætoris fert, invadunt; portasque refringere instituunt: strepitu exaudito, Octavianus, qui de inimicorum

rum consiliis certior factus, totam noctem armatus vigilarat, soleque orto, nihil luce tentaturos adversarios ratus, sese dearmarat, ac quieti dederat; statim è lecto se projecit, ac seminudus, scuto tantum tectus, ac gladium stringens è prætorio prodit; prætorianisque, ejus jussu, subito armatis, porta Ambrosiana audacter patefacta, magno impetu hostes invadit; ipsoque incursu recentes atque integri Adornianos nocturno itinere sessos facile avertunt: quos non prius insequendi & premendi finem fecit Octavianus, quam, illis profligatis, Hieronymum, & Scipionem, nec non Neapolitanum Ducem ceperit: cum interea altera manus per portam in ædem divi Dominici versam ab Octaviano circumissa brevi circuitu, eos, qui alteram portam prætoriis ædibus objectam oppugnabant, quibus præerat Augustinus Magnerrius, à tergo adorti, ipsos quoque eodem tempore fudissent: omni igitur periculo audacia & celeritate Octaviani discusso, tumultuque sedato, Adornius & Fliscus in custodiam dati sunt.

A.C. 1515. Interea anni, qui sequitur, ejus sæculi quincti decimi initio, Franciscus Vallesius Princeps Angulesmensis, Ludovico duodecimo, nullis sexus virilis relictis liberis, mortuo in regnum Galliæ successerat; magna cum populorum Gallicorum, atque omnium illius regni ordinum lætitia: ad præstans enim & vividum ingenium, animi magnitudinem, omnium magnarum rerum neutiquam vulgatam cognitionem, generosos spiritus, ut nihil in eo esset submissum, aut humile, nihil non amplum & sublime; accedebat summa in omnes humanitas, eximia liberalitas, ad hoc ætatis flos, egregiaque corporis forma atque oris decor: ut nihil à tot in illum naturæ & fortunæ congestis donis, nisi magnum & præclarum exspectaretur: quæ virtutes, ut suorum animos ad maxima quæque sperandi erexerant; ita in illis, quibus nimiæ Gallorum opes formidolosæ erant, quique Gallos supra modum in Italia crescere nolebant, magnas animorum commotiones fecerunt: quas ipsemet Franciscus auxit, tum titulo Ducis Mediolanensis una cum regio assumpto, tum magnis hominum & pecuniarum quotidie cogendis copiis; qui quamquam, simulatque regnum iniit, nihil antiquius habuit, quam destinata à Ludovico ad bellum Mediolanense consilia ad effectum perducere; cupiditatem tamen suam initio summa ope dissimulare studuit; ut diligentiam adversariorum in comparando, atque sese, ad inceptis obviam eundum, præparando, consopiret: ceterum, cum tanti bellici apparatus occulti esse non possent; nihilque appareret, quo vertendi essent, præter ducatum Mediolanensem; quamquam Galli alia in speciem præferre non desisterent; haud jam cunctandum rati Maximilianus Dux Mediolani, quique cum illo consentiebant, Principes, fœdus iuunt, Italiæ ab invadentibus Gallis defendendæ, bellique propulsandi; necnon arma invasoribus, si res poscat, contra inferendi, ad eos ab alienis petendis ad sua tutanda avertendos. Fuerunt autem, qui nomina dederunt, Cæsar Ferdinandus Aragoniæ ac Neapolis Rex, Maximilianus Dux Mediolani, Helvetii; reservatusque est Pontifici locus, ac præstituta dies fœderi nomen suum adscribendi: non quod ille animi dubius esset, aut minore ardore Gallos ab Italia arcere cuperet; minusque illud fœdus opibus suis juvare paratus esset, cujus immo auctor & caput fuisset; sed quod multas se causas habere putabat, animi sui contra Gallos non nudandi: ad quam rem Galli, alias super alias legationibus missis, numquam attrahere potuerunt: eum ipse miro artificio, illorumque amicitiam simulans, perplexis responsis illos extraheret: ceterum, quo artificio alios ludificabatur, eodem ipse ab homine amicissimo Octaviano Fulgosio elusus est. Is (ut ad res nostras redeam) cum adversariorum insidiis assidue peteretur; non tam potentia sua, quamquam ne ea quidem exigua, aut contemnenda erat, quam externo auxilio formidolosis; ipse quoque validioribus præsidiis res suas communiendas ducens, inter ancipitia consilia sese Gallis, an fœderatis applicandi primo fluctuatus est. Ad Gallos illum inclinare hinc nimiæ illorum opes, sibi præsertim tam propinquæ; iis ne ipse una cum ceteris obrueretur formidare, cum omnium sæculorum usus doceret, quam parum fœderibus fidendum esset; quam illa parum firmo vinculo, atque omni levi de caussa solubili constricta essent: illinc suspecta fœderatorum victoria, Mediolanensis animo sibi perniquo, atque in adversarios mire propenso: contra à Gallis hominem retrahere Pontificis verecundia, atque amicitia cum Juliano fratre, ac Medicia gente perpetuis ac mutuis officiis culta; multaque Mediciorum in se omnium temporum, & præsertim in ducatu acquirendo, merita; tum autem dura illa conditio Genuæ Gallorum dominatu, quo ipse illam exemisset, iterum subjungendæ; sine qua re nulla erat cum illis amicitiæ spes. Vicit tandem, quod utilius sibique & rerum suarum statui stabiliendo aptius & tutius visum est: fœdus igitur & amicitia cum Gallis, Duce Borbonio internuncio, in has conditiones sancita est: *Regi principatus Genua ad veterem formulam, & in eas conditiones, quibus Galli Genua præerant, ante Ludovicum duodecimum, & ante librum fœderum & constitutionum ab illo combustum; ejus perpetuus Vicarius Genua esset Octavianus, cum amplissima numerum & procurationum mandaturam postestate: præter ordinaria vicariatus emolumenta & compendia annuversaria, pensio senium millium aureorum nummum, ac quaternum Friderico fratri, ex ærario regio persolverentur: arces Castelletti possessio Regi traderetur: arcem Promontorii Phari vestituere Regi ne liceret: item præfectura ala centena cataphractorum, Ordineque Michaelitano, qui tum honos, re nondum tam vulgata, apud Gallos in amplissimis erat, Octavianus donaretur.*

Subolerant hæc consilia fœderatis, quamquam omni ope ab Octaviano occultata; qui & dum ea ducuntur, & post rem transactam illam, tam constanter ipsi quoque Pontifici negavit; eamque fidem promittenti, nihil sese illo inscio facturum, habuit Pontifex; ut Mediolanensem ab illo armis petendo averterit, à quattuorque Helvetiorum millibus, quos conduxerat, cum Adorniis & Fliscis in illum vertendis. At ubi, Genua Gallis tradita, res palam facta est; haud difficile fuit Octaviano animum Pontificis mitigare: epistola enim submississime scripta, cum pluribus verbis caussas, quæ ipsum ad illud consilium impulissent, perfecutus esset; ac docere conatus, non aliter se rerumque suarum statum incolumem efic potuisse: *Una*, inquit, *res est, Pater, qua me pungat, tum offensio; in quam me duplicater incurrisse intelligo; quod te tantopere celatum voluerim, ac rem tibi quærenti & instanti obstinate negaverim; qua res te mouit, ut fœderatis de me ac de fide mea prolixe promitteres, majestatemque tuam ac reverentiam, quam tibi summam debeo, ludibria exhibuisse videar: altera offensionis caussa est, quod me cum hoste ejus caussæ, quam tu una cum ceteris fœderatis defendendam suscepisti, adversus tanta a te accepta beneficia ingratus conjungere veritus non sim. Difficilis mihi esset utriusque purgatio, adversus privatos homines; aut adversus eos Principes, qui rerum ignari publicas res privatis rationibus metiri solent: ceterum apud te omnium hujus ætatis sapientissimum Principem, quarum, quid Principibus liceat, aut consuetum*

ſit, pro principatu non modo conſervando, ſed etiam augendo, cauſſam meam facilem fore ſpero: nam neque civilia mea tibi, quamquam animo in me amicoſſimo, omni veremina à me perpetuo cultu & colendo enunciare debui; quæ mihi maxime neceſſaria, ac ſine quibus ego ſtare non poſſem, tu impedire potuiſſes; & vero debuiſſes, quod rationibus à te defendendæ Italiæ, atque illius libertatis aſſerendæ ſuſceptis adverſabantur: quam rem tibi caput earum eſſe intelligebam; cumque te neque meam, neque cujuſque amicitiam præverteret æquum erat: & ignoſcere debes, ſi extrema neceſſitate ſubactus ad illud conſilium deſcenderim; ad quod ceteros Principes longe leviores cauſſæ, nemine illos reprehendente, aut factum damnante, impellere ſolent. Exculationem Octaviani Pontifex, quando factum mutari non poterat, aut accepit, aut accipere ſimulavit.

Idem habitus animorum in civibus Genuenſibus fuit: quibus rem Octavianus non prius, quam tranſacta eſſet, demonſtravit: nec dubitatur, quin prius edocti conſilium approbaturi fuerint; quieti rerum ſtatus in Gallorum dominatu memoria nondum oblitterata, neque animorum propenſione in eam regiam adhuc exſtincta. At multis mali exempli res videri; Octavianum Ducem tantam rem privatis conſiliis tranſegiſſe, civitatemque facti & conſilii ignaram publico injuſſu extero Principi tradidiſſe: ceterum quod cives conſulti haud retractanter facturi fuerant, factum tuendum non conſulti duxerunt: princepſque Genua vexillum regium in Italia ſuſtulit: ſtatimque Regem pecuniarum & hominum auxilus juvit, octoginta aurorum nummûm millibus, Octaviano ſuadente, mutuis datis, & duobus peditum millibus per ſpeciem Ovatæ & Gavii opidorum, nonnullarumque locorum Reipublicæ recuperandorum, ſcriptis: quæ copiæ Nicolao Fulgoſio cuſtodiæ urbis præfecto Duce, locis nominatis recuperatis, neque ſegnem in bello Mediolanenſi, neque inutilem operam Regi navarunt: ad quem, memorabili illa de Helvetiis parta victoria, belloque confecto, Octavianus, ad amicitiam ſanciendam, Mediolanum ſe contulit; octo Legatis illum comitantibus: Nicolao Odorico Juriſconſulto, Joanne Auria auratæ militiæ Equite, Melchiore Nigronio, Afranio Uſumario, Stephano Juſtiniano, Baptiſta Lomellino, Auguſtino Ferrario, Auguſtino Majolo, ad deditionem publice faciendam miſſis.

A.C. 1516. Sequitur annus ejus ſæculi ſextus decimus, expeditione in Cortogolim celebris eo tempore nominis piratam magis, quam ulla re geſta inſignis. Is viginti longarum navium varii generis præfectus decem octo onerarias Genuenſes trinco onuſtas ceperat; inſeſtaque commercia Genuenſibus faciebat, magnis quotidie detrimentis illos afficiens. Armatæ ſunt igitur contra hominem decem & octo triremes; quarum duæ Pontificiæ fuerunt, quas ducebat Antonius Braſſia Lugur ab opido Spedia: duæ civitatis, quibus præerat Andreas Auria, octo privatorum Genuenſium civium, Sebaſtiani Auriæ, Bonifacii Lomellini, Nicolai Camillæ, Jacobi Rapalli, Matthæi Truchi, Hieronymi Furnarii, Bernardi à Domo culta, Joannis Pini, Baptiſtæ Delphini: ſex Gallorum, quattuor Pertanes, duabus frater Bernardinus præerant; tres myoparones ipſi quoque Gallorum, ac nonnulla alia minora navigia. Huic claſſi à Pontifice, qui magnam impenſæ partem fecit, præfectus eſt Fridericus Archiepiſcopus Salernitanus, qui vexillum Pontificium ſuſtulit. Is è portu Genuenſi ſolvens, Biſertam, oræ Africanæ urbem, quam Veteribus Uticam puto fuiſſe, tenuit; claſſemque Cortogolis quindecim biremium ac nonnullarum triremium in Bagrada flumine inventam defenſoribus vacuam cepit, Chriſtianoſque nexos ſolvit, ac Biſertam circumſedit, ſuburbiis direptis. Ducis conſilium erat claſſem piratæ è flumine educere; aut ſi id, adverſo flante vento, non poſſet, comburere: ceterum milites magis prædæ quam incendio faciendo intenti fuerunt: brevique Chriſtiani inceptum omittere coacti ſunt; non tam metu ingentis Afrorum multitudinis, quæ ad opem obſeſſæ urbi ferendam continuo accurrit; quam validi coorti venti vi inde abſtracti, duabus navibus amiſſis, quæ flumen ſubierant; claſſeque piratica ab incendio intacta turpiter relicta. Tunetum vis venti Chriſtianos compulit: qui ſtagnum per tenuem euripum ſcaphis ingreſſi, Mauris à terra ſruſtra prohibere conatis, triremem Genuenſem ſuperioribus annis à Turcis captam recuperant: inde Lothophagitum inſulam, quæ *Gerbis* nunc appellatur, petunt: nonnulliſque biremium alveis incenſis, itinere retro repetito, Genuam tandem appellunt; nullo alio operæ pretio facto, quam nonnullorum minutorum navigiorum, atque exiguæ prædæ Genuam adductæ. Purgatus eſt eo anno ab Ædilibus interior portus, ingenti purgamentorum vi egeſta; alveuſque in decem octo dodrantium altitudinem depreſſus, magnorum navigiorum capax factus eſt; fundamentaque turris & pontis refecta ſunt; muruſque interius, & exterius, ingentium ſaxorum ſubſtructione, firmatus.

Duo inſequentes anni nihil memorabile ſane habent, præter inſignem à Gallis civitati factam contumeliam: qui cum Guaſcis Ovatam & Gavium proxime à Genuenſibus recuperatas repetentibus adjudicaſſent; Genuenſis Orator ea de cauſſa ad Regem miſſus, impudenti poſtulato à regis adminiſtris acceptus eſt; affirmantibus non aluer in Regis conſpectum illum admiſſum iri, quam octoginta millibus aureorum nummûm Regi mutuo datis: quod cum facere Genuenſes recuſaſſent, Orator re infecta Genuam rediit. A.C. 1517. 1518.

At qui inſecutus eſt annus, ejus ſæculi decimus nonus, inſignis in primis eſt, egregio ab Andrea Auria, atque ad omnem poſteritatem memorabili, edito facinore: clarum eſſe cœperat hujus viri nomen; cujus impigra & indefeſſa ſortiſque opera erat in Sarracenorum rebus vexandis. Ad illum igitur opprimendum claſſis tredecim navium longarum, quarum una majoris formæ, tres minoris triremes fuerunt, reliquæ novem biremes, omni bellico apparatu affatim inſtructa, ac ſtrenuis bellatoribus uſuque navalium rerum peritis referta à Rege Tunetano comparata & armata Tuneto emiſſa eſt. Cujus rei certior factus Auria, nihil cunctatus, duabus triremibus voluntarii remigii ad quattuor veteres coacti remigii additis, è portu Genuenſi ſolvit: qui cum inſulam Planaſiam ad decimum Kalendas Majas appuliſſet; prima luce hoſtilem claſſem quattuor triremium, quas diximus, ac quinque biremium, plenis velis valido ac ſecundo flante vento in ſe tendentem in conſpectu habuit: quare ſummæ amentiæ ratus, ſeſe prælio non modo ob majorem navium numerum, ſed ob adverſum ventum tam iniquo committere; fuga ſimulata, iter retro repetit, hoſte inſequente: cumque promontorium Iluæ inſulæ, quod ſancti Andreæ vocant, tenuiſſet; animadvertit Turca Auriæ conſilium non ad fugam ſpectare, ſed ſuperiorem conditionem in pugna quærere: quare proris converſis, quæ in noſtris ſimulata fuerat fuga, eam ipſe veram cepit. At Auria, cum cum diem deſtinaſſet rei inter ipſum & hoſtem decernendæ, concitatis navibus fugientem inſequi cœpit, duabus ex veteribus triremibus relictis, quæ recenter armatas, ac curſum ceterarum non æquantes remuleo traherent; conſilio hoſtem morandi, dum quattuor relictæ triremes ipſum aſſequerentur: ceterum, res longe aliter, quam animo fore præceperat, cecidit: validus enim ventus urgens illum claſſi hoſtili ita proxime invexit, ut electionem pugnæ animo deſtina-

destinatam in necessitatem verterit: cum duabus igitur illis tantummodo triremibus, quas habebat, tantum discrimen subire coactus Auria, paucis suos cohortatus, ut ad impetum hostilem fortiter excipiendum animos & corpora acuerent; prælium audacter committit: cumque triremis, ac quinque hostiles biremes prætoriam, ac reliquæ tres minoris formæ triremes patronam circumstitissent; incredibili virtutis & constantiæ exemplo hostilem impressionem quartam horæ partem sustinens, spatium dedit Philippo Auriæ, qui reliquas quattuor triremes trahebat, se cum circumventis triremibus conjungendi, ac prælium incundi; quod ejus adventu paullatim recrudescens, atrocissimum factum est: tantoque irarum certamine, tantaque animorum constantia, ab utroque gesta res est, ut per dimidiam horam, qua totis viribus pugnatum est, nullum discrimen appareret, quo fortuna rem inclinatura esset; ac modo hi, modo illi propiores periculo essent; cum Auria nullas boni ac strenui Ducis, in providendo, occurrendo, qua laborari à suis videbat, pugna, ubi segnior erat, excitanda & restituenda, partes prætermitteret; Philippinusque in media pugnæ mole acriter versans duo vulnera accepisset: tandem nostris acriter connitentibus, hostilis classis superata & profligata est, sex navibus captis: cum tres biremes, beneficio potius adversæ tempestatis, quæ nostros ab illis insequendis continuit, quam virtute evasissent, totæ perfractæ ac lacerataæ. Cruentum in primis utrimque prælium fuit; cum ex delecta sexcentorum Turcarum bellatorum manu, quæ, præter navales socios, classem conscendit, non plus viginti quinque superstites fuerint, reliqui omnibus cæsis; & in classe Genuensi magnus fortium virorum numerus ceciderit, major vulneratus sit; ut ingenti sanguinis effusa vi mare infectum late circa rubrum factum sit. Redeuntem victricem classem atrox tempestas adorta est: quæ illam diu jactatam tandem in portum sancti Florentii insulæ Corsicæ compulit: cujus tempestatis tanta vis fuit, ut Andreas propior pene summo discrimini ab illius impetu, quam in prælio, fuerit: qui, tranquillitate tandem reddita, itinere discriminum pleno confecto, cum sex hostilibus captis navibus, magno agmine captivorum è durissima servitute ereptorum antecedente, velut triumphans urbem est ingressus.

A.C. 1520. Anno ejus sæculi vigesimo, Genuenses Saonensium contumacia irritati; maritima commercia illis ademerunt; navibus eorum jussis portum Genuensem petere, portoriaque Genuæ solvere: cum, eorum suasu, Alegrius regius Vicarius Saonæ salem, ejusque vectigal, magno cum Reipublicæ damno, Genuensibus ademptum, refractis cellis, sibi assumpsisset: quod tamen paullo post, jussu Regis, restituit; Hieronymo Monelia ea de causa ad Regem misso. Insigne est hic annus Selimi Turcarum Principis longe potentissimi, magnitudineque rerum gestarum clarissimi, ejusdemque inclementissimi Christianorum hostis, & Maximiliam Cæsaris obitu; successioneque Caroli nepotis in imperium; Francisco Gallorum Rege dejecto, cujus in eo loco petendo incredibilis exarsit ambitio: at longe insignior fœdere inter Leonem Pontificem & Carolum Cæsarem icto: ad quod Pontifex sese multis ac gravibus Gallorum injuriis attractum dictitabat: quarum duæ illæ fuerunt insignes; quod Parmam & Placentiam Romano solio non restituerant, quodque Ponnificiam jurisdictionem in Mediolanensi ditione infringerent. Titulus fœderis fuit, communis defensio adversus invadentes, Florentinis quoque comprehensis; ac Mediolani recuperatio, in cujus principatus possessionem Franciscus Sforția exsul induceretur, Parma & Placentia Romano solio restitutis: cum interea, dum quæ ad apertum bellum necessaria essent, comparantur, furtum insidiarum experiri placuisset; atque hunc Adornii exsules res Genuenses, illinc Franciscus Sforția, quique cum eo erant Tridenti, Mediolanenses exsules magno numero, res Mediolanenses tentarent.

Igitur insequenti anno ejus sæculi vicesimo uno, A.C. 1521. Hieronymus Adornius, cum novem triremibus, quarum septem fuerunt Neapolitanæ regm, duæ Ponnificiæ, in oram Ligusticam venit, qui improviso adventu Genuensi portu illatus, Octavianum & Gallos, ut in nulla suspecta re solute & negligenter agentes, opprimeret: resque tanta diligentia occultata est, ut maritimis & terrestribus itineribus clausis, per viginti dierum curriculum, magna cum omnium admiratione, nullus nuncius eorum, quæ ultra fines Genuenses fierent, acceptus sit: ceterum, quæ diligentia ad celandum & consopiendum Octavianum adhibita fuit, ea illum expergefecit: suspicione enim vehementi incensus vir sagax, ac rebus invigilans, sese adversus subitos nec opinatos casus munire instituit; nonnullo numero militum, præter ordinarios præsidiarios, in urbem introducto, atque ala equitum sua, quam honorariam à Rege habebat, accersita; cui in locum Ugonis Populi Vicarii sui, Taharinum Auriam præfecerat; locis opportunis custodiis firmatis. Adornius igitur cum Genuensibus finibus appropinquasset, altum tenuit, ne conspiceretur: ceterum à celoce, quæ Genuam iter habebat, conspectus est: quam frustra per aliquod spatium insecutus, cum capere non potuisset, spem fallendi omisit: celox Genuam appulsa, quæ viderat, nunciavit, Octavianusque stationes auxit, custodias & vigilias diligentius agi imperavit. Vanus igitur appulsus Adorni ad Genuensem portum fuit; cum nonnulla loca urbis tentasset, copiis in terram expositis: spe igitur potiundæ urbis dejectus, oram Orientis petit; Clavarumque opidum custodiis neglectum improviso adventu occupat: quo eodem tempore terrestri itinere Antoniottus frater, cum quingentis peditibus, ad opidum Petram sanctam, ac nonnullis alus in circumjecto agro Lunensi scriptis, pervenit: quo Clavari relicto, Hieronymus Reccum opidum petit; indeque in Occidentem navigans, prætervectus, cœnobium sancti Andreæ, quod tria millia passuum ab urbe distat, tenuit: adversus quem missa est delecta armatorum manus, atque equitum ala, quæ exscensum in terram prohiberent: in eoque itinere Taharinus vulnus à sclopi ictu, è latenti celoce emisso, accepit, ex quo paullo post decessit, classis cum consilia non successissent, itinere retro repetito, Romam versus navigavit. Adornii fratres, cum terrestribus copiis Apennino superato, cum Cæsariano exercitu, cujus Dux erat Prosper Columna, se conjungunt.

Sequitur annus lugubris & infestus, ejus sæ- A.C. culi vigesimus alter: in quo civitas nostra, cui ci- 1522. viles discordiæ malorum & ærumnarum omnis generis mercede stetissent, quæ una restiterat direptionis clades, hanc quoque, ne quid esset in calamitatibus & miseriis reliquum, quod ad illam non perveniret, experta est: cujus infelicis eventus odium nihil est, quod in exterum exercitum transferamus: nam ille ad hostilem urbem invadendam venerat, & in capta jure belli usus est: tota culpa, ac facti invidia nostra, ac patrum nostrorum est; dum utraque Adornana & Fulgosiana Factio, quæ omnem civitatem comprehenderant, funestum principatum ex patriæ occasu exsecrabili pertinacia altera petit, altera retinet. Igitur Prosper, cum non modo Mediolanum ab invadentibus Gallorum florentissimis copiis magna constantia & virtute defendisset; sed justæ quoque pugnæ fortunam expertus, eas copias ad Bicco-

cam perexiguum & obſcuri antea nominis pagum, Mediolano & Modetiæ interjectum, ſudiſſet, ac profligaſſet, Scutumque, regium Vicarium, qui cum exercitus reliquiis in urbem Cremonam ſe receperat, tandem ad dedendæ urbis neceſſitatem adegiſſet, peramplis & honoriſcis conditionibus, ad quas Proſper facile deſcendit; cura Genuæ è manibus Gallorum eripiendæ illum ſtimulante, ac Hieronymo Adornio verius ita jubente, quàm incitante. Hunc Cæſar, ob egregiam perſpectam indolem, vividamque perſpicaceis ingenii, ac cujuſvis negotii capaceem vim, ad hoc eximium conſilium, tum ſingularem eloquentiam plurimi faciebat; imperaratque Proſpero, ac reliquis Ducibus, & Proceribus, ut res Genuenſes, quæ ſibi cordi in primis eſſent, Hieronymo regenda & adminiſtrandas permitterent, atque ea dicto audientes eſſent: quod igitur unum opus belli reſtabat, Genuæ capiendæ, hoc exſequi aggreditur Proſper: ac, cum amplius viginti millium veteranorum exercitu, ex Hiſpanis, Germanis, Italis conſtante, ex Inſubria movet. Erant in exercitu, Franciſcus Sforzia Dux Mediolani, Franciſcus Marchio Piſcarius, clariſſimi nominis Dux, qui copiis Italis & Hiſpanis præerat, Antoniottus & Hieronymus Adornii fratres cum non exiguo ſuarum partium civium numero non humili modo & medio, ſed ſummo quoque loco ortorum, quos deteſtabilis partium animo imbibita contentio ad abominandum facinus rapiebat: cum Genuam perveniſſent, Proſper munera cum Piſcario partitus, urbem ipſe à parte in Orientem verſa, Ducem Mediolanenſem ſecum habens, cum Germanis & equitatu oppugnandam ſuſcipit. Piſcarius cum Italis & Hiſpanis ante portam divi Thomæ occidentem ſolem ſpectantem conſedit.

Interea ab Octaviano, jam inde ab initio, hoſtium conſilii Genuæ bello petendæ certiore facto diligenter comparatum fuerat, magno cum civium ardore, quibus Octavianus, ac regimen Gallorum in primis acceptum erat, ab eoque mutando vehementer abhorrebant: eaque de cauſſa duodecim cives longe primarii ex utraque Factione, ex eorumque numero, qui bonum & quietem civitatis ſtudiis partium anteferebant, electi fuerant; iiſque negotium datum, pecuniæ in inſtantis uſum belli omnibus rationibus conquirendæ & expendendæ: ii fuerunt, Joannes Jacobus Auria, Auguſtinus Palavicinus, Baptiſta Spinula, Afranius Uſumarius, Baptiſta Lomellinus, Petrus Grimaldus, Stephanus Juſtinianus, Joannes Baptiſta Franceus Cocarellus, Antonius Saulius, Auguſtinus Ferrarius, Thomas Inurea, Auguſtinus Majolus: miſſuſque in Galliam ſucrat Catanius Lomellinus, ad opem à Rege petendam: qui, nulla mora interpoſita, imperavit Ducibus ſuis, quos in Italiam ad bellum Inſubricum, cum quindecim millibus peditum, ac non contemnendo equitatu, deſtinarat; quique, Alpibus jam ſuperatis, in Taurinos deſcenderant; iter Genuam averterent, ad eam urbem ab obſidione eximendam: quam eodem tempore Petrus Navarrus, magni nominis Dux, acerrimique ingenii, ac prompti & ſagacis conſilii vir, maritima via à Rege miſſus, cum quattuor triremibus intravit. At Piſcarius, bombardis ſtatutis, murum portis ſanctæ Thomæ & ſancti Michaelis interjectum quatere inſtituit; ſimul litteras ad Octavianum dat, quibus hominem hortatur, ac monet, ut, quonam ſeſe adverſus tantam impetum victoris exercitus imparem intelligere poſſit; ſalutaria conſilia obſtinatis pro ſua ſapientia præferens, civitatem honeſtis conditionibus, iiſque, quas ipſemet petierit, dedat: quod ni faciat, direptionem urbis minaciter denunciat: cavcat enim, ne nimio principatus amore, quem nullo modo retinere poſſit, patriam ſuam in præcipitem & irrevocabilem

A casum det: id Octavianum ceteræ ſuæ prudentiæ, ac toteditis in patriam charitatis ſignis, congruenter factorum: Octavianum aneeps cura in diverſum trahere; hinc moveri ingenito in patriam amore, quam tanto diſcrimini ſubjicere nollet; illinc invidiam vereri, ſi, reliquis civibus tam incenſis ſtudiis in regium dominatum conſentientibus, ipſe ſolus, qui eos immo titubantes in fide Regis retinere debuiſſet, cauſſam regiam, cujus tutela ipſius muneris eſſet, deſtituiſſet: conſilio, quod commodiſſimum putavit, rem expedivit: ſummo enim Magiſtratu, ac conſilio Balice ad ſe vocatis, ac Piſcarii litteris recitatis, ait, ſatis ſibi animi & virium eſſe, B ad regium principatum, quorum nullum patriæ utiliorem ipſimet experti ſint, tuendum: ceterum, quoniam eventus bellorum incerti ſint, liberum ſe civibus ſuis in tanto diſcrimine de ſe ac de rebus ſuis ſtatuendi arbitrium permittere, dicit; eo ſaturus, quod ipſi decreverint: notam enim ſibi eſſe Regis voluntatem; qui, pro ſua in Genuenſes eſſuſa benevolentia, Genuam potius ſalvam & inconlumem in manu hoſtium ſuorum eſſe cupiat, quam in ſua everſam aut direptam.

Omnibus Octavianum laudantibus, ac ſimile hoc reliquorum ſuorum ſceiſſe dictitantibus, ampliſſima potcſtas omnium rerum, ac vel civitatis defendendæ, vel cum hoſtibus, quibuſcumque conditionibus viſum fuerit, tranſigendi & paciſcendi, poteſtas iiſdem ipſis civibus, quos ad pecunias conficiendas electos diximus, mandata eſt: eadem, quæ Piſcarius, Adornii quoque per litteras cohtinenter inſtare; metum direptionis, ni pertinaciæ finis fieret, crebro inculcantes: contra Fulgoſiani differre & extrahere, ſubſidia exſpectantes; eodemque tempore utraque Factio mutua ſe proditæ patriæ invidia onerare. Fulgoſii ceeam ambitionem Adorniorum graviter accuſare; qui ſe tanto parricidio patriæ obſtringerent; arma illi inferendo, exercituque ad eam diripiendam adducto: contra Adornii totam culpam & crimen in Fulgoſios tranſferre; qui non libertatis patriæ, quæ jam exteris ſerviat, ſed impotentis dominatus retinendi ſtudio, non dubitent illam exteris diripiendam projicere; neque ſe direptionem urbis exteris, ſed illorum Ducem Proſperum promiſiſſe: porro Cæſarianum exercitum etiam ſua ſponte, ſine ipſis, Genuam bello fuiſſe petiturum, perſpicuo omnibus apparaturum; quicumque ſecum reputaverint, neceſſarium illud eis conſilium eſſe, qui, niſi Genua adjuncta, aliter partum Inſubriæ imperium tueri non poſſint: diripiendæ igitur urbis culpam non penes ſe Adornios, qui ejus auctores non ſint, neque ab ea mente Cæſarianos Duces abducere poſſint; ac ne penes quidem ipſos Cæſarianos, qui eam jure belli militibus debitam negare non poſſe dicant; quique, quantum in ipſis eſt, ab illa abhorreant; ipſoque Genuenſes, ut eam vitent, finem pernaciæ faciendo, per litteras aſſidue moneant, & hortentur: totam igitur culpam illorum, qui in urbe ſunt, rabiei aſſignandam; qui regnandi exſecrabilem libidinem patriæ ſaluti anteponant: cum præſertim patriæ nihil interſit; Gallis ne, an Cæſarianis pareat. Ad ea urbani reſpondere: quin igitur, ſi nulla culpa direptionis in Adornüis eſt, ſtudia non à communitas ſeparant, atque ab exercitu peſtem patriæ inferente diſcedunt? ſic fiet, ut, qui ſunt in civitate, Adornianæ Factionis homines, cum intellexerint, eam cauſſam à captivitas ſuis, illorum ab exercitu diſceſſu, improbari, ſtudia ſua cum reliquis civibus conjungant; unanimiſque civitas adverſus communem hoſtem inexpugnabilis ſit. At, quin contra, Adornii reſpondere: ſi Fulgoſii æquum cenſent, Adornios, ac tot egregios ac primæ nobilitatis cives, qui cum ipſis ſunt, ut direptionis periculum prohibeant, ab exercitu, qui ipſos in patriam reſtitutum venerant, diſce-

diſcedere; cur non Fulgoſii ad idem periculum arcendum non patria ipſi excedunt.

Hæc atque his ſimilia cum utrimque magna ac pertinaci contentione jactarentur; bonis ingemiſcentibus, ac ſuam & communis patriæ vicem miſerantibus, exſecrabilemque Factionum rabiem exſecrantibus, quam ne inſtans quidem & ante oculos poſitum excidium mitigaret; interea Piſcarius magnam partem muri continenter verberando proſtraverat; quæ res neceſſitatem expreſſit Magiſtratui Baliæ deditionis faciendæ. Miſſi ſunt igitur tertio Kalendas Junias ad Proſperum, qui de conditionibus agerent, ac referrent, Thomas Catanus, & Paulus Francus Bulgarus: quibus profectis, Magiſtratus per libellum manu Auguſtini Ferrarii collegii nomine ſcriptum mandavit, ut, quoniam omnis mora, Piſcario acriter urgente, nimis periculoſa eſſet, quibus maxime tolerabilibus poſſent conditionibus deditionem illico facerent; neque niſi tranſacta & confecta re, à Proſpero diſcederent: libellus forte redditus eſt Bulgaro; qui illum compreſſit, collegamque celavit: eorum enim hominum erat Bulgarus, qui à deditione abhorrebat; fierique poſſe ſperabat, ut, de interpoſitis conditionibus diſputando, res extraheretur: quarum multæ cum non omnibus ſatisfacerent (quæ eſt in humanis ſententiis varietas) inſtituta deditionis conſilia everterentur: qui poſtea, ad invidiam & culpam à ſe amovendam, ita factum purgabat; ut diceret, cum libellum non Magiſtratus ipſius, ſed privati hominis fuiſſe, cui parendum non eſſet; neque futilem rem ſibi cum collega communicandam viſam, ne ea res aliquam moram interponeret iis, quæ publice à Magiſtratu imperata erant, exſequendis: Legati igitur benigne & comiter à Proſpero accepti, non multis commutatis verbis, cum eo convenerunt; ut poſtero die civitas certis conditionibus traderetur, interea oppugnationem ab ea abſtineret. Seſe ita prorſus facturum reſpondet Proſper; ceterum, ſuum tantum, non alienum factum poſſe præſtare: eniſe igitur monuit, caverent à Piſcario.

At Piſcarius gloriæ tantæ expugnatæ urbis, tantique pretii operæ Regi navatæ in ſe vertendæ cupiditate flagrans, nihil differendum ratus, eodem die, quo Legati cum Proſpero pepigerant, urbem, qua murus pateſactus ruinis erat, aggreditur: cujus impetum Nicolaus Fulgoſius fortiſſime excepit; acriterque per aliquot horas pugnatum eſt: cui laboranti Philippinus Auria, qui cum delecta manu ſuperiorem proximum locum tutandum ſuſceperat, per internuncium demonſtrat; quoniam nullus ſui uſus eſſet in loco, qui ipſi obvenerat, ab hoſte non tentato; ſeſe, ſi ita ipſi placeat, cum ſuis ad opem ferendam illico occurſurum. Repudiatum eſt ultro delatum auxilium à Nicolao, ſocium laudis defenſæ urbis non ferente: fato, dum ingruentem vim ſuam refringi non vult, mentes hominum obcæcante. Acceſſit alterum incommodum gravis vulneris à Nicolao accepti; cujus curandi cauſſa, pugnam, quam acriter ſuſtinebat, omittere coactus eſt: qua fama vulgata, continuo ejus cohors, pugna omiſſa, locum deſerit, ſeque fugæ mandat. Piſcariuſque per ſtragem diruti muri, ac per proximam portam ſancti Michaelis refractam cum omnibus copiis ſuis in urbem penetrat: quam etiam ab averſa parte Proſper, ac Mediolanenſis Dux, Adorniique fratres, quique cum illis erant Genuenſes exſules, eadem nocte intrarunt: urbſque à militibus direpta eſt; quorum cupiditas non ultra rerum prædam (ita jubentibus Ducibus) provecta eſt; nullaque edita ſunt libidinis aut crudelitatis exempla: ceterum nullius urbis præda multis ab eo die jam annis magis opima fuit; aut magis exercitum ullum ditavit: præter enim ingentem argenti facti, atque auri, & gemmarum vim; ac præter magni pretii ſupellectilem, qua nulla urbs Italiæ eo tempore inſtructior erat; immanis pecuniæ ſumma à civibus ſeſe, ac domos, & liberos redimentibus coacta eſt: direptioque tota ea nocte, & inſequenti die terminata; quæ omnes fere cives, ſine ullo Factionum diſcrimine, contra quam multi ſperarant, comprehendit: qua in re pudet me referre, nonnullos cives Genuenſes, ex iis, qui in exercitu erant, eundem habitum animi, quem exteri hoſtes, tamquam contagione contractum induiſſe; ac, velut ipſi quoque prædam ex hoſtili capta urbe jure belli peterent, larvis tectos domos civium ſuorum, ac cœnobia Monacharum, pretioſioribus rebus referta, eo tamquam in loca, quæ religio tuta faceret, comportatis, diripuiſſe: adeo nihil eſt tam ſanctum ac venerabile, quod ſacra auri fames intactum relinquat. Non plus triduo, poſt captam & direptam urbem, Antoniottus alter ex fratribus Adornis major natu Dux creatus eſt, cum nulla aut parva legum obſervatione; concordi fratre Hieronymo, longe ingenio, conſilio, eloquentia, tum autem auctoritate apud Principes antecedente, ætati haud gravate de honoris loco concedente. Arx quoque Caſtellettum præfecto cum omnibus rebus ſuis, ac præſidiariis ex pacto incolumibus dimiſſis, brevi tradita eſt: ac Bernardus Gallus triremium & maritimæ cuſtodiæ præfectus creatus. Fulgoſiorum fratrum diſpar fortuna fuit. Fridericus enim Archiepiſcopus cum de defenſione deſperaſſet, cum nonnullis Factionis ſuæ civibus, quorum ſtudia ardentiora exſtiterant, in claſſem ſe ſubduxit, captaque urbe, abiit: à quo conſilio abhorruit Octavianus; invidioſum ſibi ac criminoſum apud Gallos & Regem, à quo tot beneficiis & honoribus auctus fuerat, ratus, ſi ipſe, qui pro loco quem ſummum obtinebat regius Genuæ Vicarius, poſtremus defenſionem urbis, ac non niſi omnia ultima experius, omittere debuiſſet, ceteris illam defendentibus, princeps deſeruiſſet: ac ceteris idem faciendi exemplum præiviſſe videretur, auctorque amittendæ urbis fuiſſe; quæ, niſi ipſe illam, ac defendentium incenſum ardorem deſeruiſſet, retineri potuerit: ſunt qui putent, illam quoque cauſſam Octavianum retinuiſſe; quod viri pii ac divini Numinis in primis metuentis mentem pungeret, ſi ipſe communis calamitatis, quam, non prohibendo, urbeque hoſti non tradenda (quod ipſius erat poteſtatis) civibus ſuis conflaſſe videretur, ſolus expers eſſet. In poteſtatem igitur hoſtium una cum Perro Navarro venit: apud quos haud longo poſt tempore, non ſine ſuſpicione veneni, deceſſit: iſque exitus fuit Octaviani viri in amanda patria unici exempli.

Eo anno Hadrianus Pontifex abſens creatus, cum decem octo triremibus Romam petens, Genuam venit: cui ii honores habiti ſunt, qui in urbe recenti clade concuſſa & afflicta maximi haberi potuerunt: ad quem venerandum Dux Mediolani, Columna, Piſcarius Genuam protinus venerunt, iis ſacrarum turrium tinnitibus, iiſque omnibus honoribus & effuſæ lætitiæ ſignis everſores Genuæ excepti, quibus conditores excipi potuiſſent, cum magna omnium ordinum ingemiſcentium & mœrentium indignatione: petierunt hi Proceres, ſimulque cum illis nonnulli alii, ſeſe noxa, ſi qua contracta eſſet ex direptione Genuæ, ſolvi: quibus Pontifex reſpondit, *Nec poſſum, nec debeo, nec volo.* Eodem quoque anno ædificatio turris ſacræ ædis Laurentianæ ad finem perducta eſt, altitudine triginta duodecim minore, quam Octavianus privato ære extollendam deſtinarat, & utraque ora in poteſtatem Antoniotti Ducis venit.

Eodem anno Solimanus Turca Rhodo tandem potitus eſt: tradentibus Hieroſolymitanæ militiæ Fratribus, cum oppugnationem incredibili virtute, fortitudine, audaciæ, exemplo diu ſuſtinuiſſent; duarumque navium Genuenſium, Auriæ & Ferrariæ, ſubſidia ferentium ab illis conductarum infelix

exitus

exitus fuiſſet; hac ad litus Monœci adverſa tempeſtate depreſſâ, illa ad Sardiniæ littora quaſſata, & lacerata, inhabilique ad navigandum facta.

A. C. 1523. Inſequenti anno, cum tempus fœderis inter Gallos & Venetos initi exiſſet; Veneti ad partes Cæſarianas ab Hieronymo Adornio ea de cauſſa à Cæſare ad illos legato traducti, ad ſocietatem inter ipſum Cæſarem, & Hadrianum Pontificem, & Anglum Regem ictam ſe addiderunt. At Gallus nihil clade ad Bicocam accepta infractus, florentem triginta millium armatorum exercitum in Italiam ad Mediolanum recuperandum miſit: qui brevi, compluribus Gallicarum partium ſtudioſis magnis agminibus ad eum confluentibus, duplicatus fere eſt: cui Cæſariani Proceres ſeſe impares ad reſiſtendum æquo campo cernentes, Mediolano ſe incluſerunt: quo metu perculſa civitas, res neceſſarias ad defenſionem comparare & expedire inſtituit: ceterum inſequenti anno civitas metu liberata eſt: A. C. 1524. quo, Franciſco Duce Urbini à Venetis cum haud contemnendis copiis Cæſarianis ſubſidio miſſo; arta obſidione, qua Mediolanum premebant Galli, laxata, cum ii aliquantum ab urbe receſſiſſent; Duces Cæſariani adventu Ducis Borbonii, qui à rege ſuo defecerat, animis auctì, urbe egreſſi ſunt: Galloſque aſtutis conſiliis ac furtis inſidiarum vexantes, atque haud parvis damnis per varias occaſiones aſſidue carpentes, cum à conſilio univerſæ pugnæ tentandæ abhorrerent, longe copiis imminutos Novariam tandem compulerunt, & ad neceſſitatem Italiæ relinquendæ adegerunt. Liberata quidem eſt Gallorum metu civitas; ceterum longe majore malo conflictata: magna enim peſtilentiæ vis incubuit; quæ diu ac late graſſata ingentem mortalium numerum abſumpſit.

At Borbonius, Inſubria è periculo erepta, magni animi magnæque audaciæ conſilium cepit, Regem in Gallia ipſa vexandi & exercendi: cui conſilio opportuna viſa eſt Maſſilia maritima urbs: qua ſi potitus eſſet, firmum ac ſtabilem aditum in Galliam Cæſarianis patefaciebat. Ea igitur expeditione decreta; ad eam urbem oppugnandam, illinc Cæſarianus exercitus terra, hinc claſſis quattuor ingentium onerariarum ad pugnam & bellum armatarum, ſeptem triremium ac nonnullorum aliorum varii generis navigiorum Genuæ comparata, cui Quæſtor Nicolaus Belogius, præfecto abſente, præfuit, profecta eſt; quæ tamen ea de cauſſa præfecti abſentiæ, numquam Liguſticæ oræ fines prætervecta eſt, cum exercitus terreſtris Maſſiliam circumſediſſet. At Rex, ingenti ac florentiſſimo exercitu brevi comparato, in Provinciam Narbonenſem iter intendit: quem adventantem Cæſariani non exſpectandum rati; obſidione ſoluta, trepido diſceſſu Italiam repetunt.

Rex curam in res Maſſilienſes comparatam, omnemque vim belli in Italiam vertit: in quam ipſemet omni Galliæ Nobilitate ſtipatus deſcendit: cujus primi eventus ſecundiſſimi fuerunt; Mediolano capto, totaque ditione Mediolanenſi, præter Laudem Pompeji & Papiam, recuperata, in quas urbes Cæſariani ſe ſubduxerunt: parique felicitate maritima Gallorum claſſis Saonam, & Varaginem, atque omnem fere oram Liguſticam Occidentalem cepit. Inſubria acerrimo bello ardente, Regeque Gallo Papiam arta obſidione premente, nec Genuenſes quidem & Liguſticæ res, quas bellum Inſubricum ſuo motu trahebat, quietæ erant; cum Galli totam oram Occidentem ſpectantem tenerent; claſſiſque Gallorum decem triremium, ac nonnullorum gallionum in Vadis Sabatis ſtaret; Marchioque Salucianus, ad quem ſumma Liguſticarum rerum pertinebat, Saona, in qua urbe ipſe ſubſtiterat, Laurentium Cærium Varaginem miſiſſet; qui opido præeſſet, ac Genuam, & Adornium Cæſarianas partes ſequentem propinquo bello urgeret: ceterum Laurentio à Rege evocato, Hugo à Moncada, Cæſarianarum rerum in Liguria procurator, anni initio, qui fuit ejus ſæculi vigeſimus quinctus, ad occupata A. C. loca à Gallis recuperanda cum claſſe quindecim 1525. triremium, ac nonnullarum onerariarum, belli cauſſa addicarum, cui præfuit Barpmlomæus Fliſcus, Genua movet; Varaginemque prætervectus, advectas copias, quæ fuerunt pedites quattuor millia numero, in terram exponit, à parte Occidentem vergente; quæ inter opidum & Saonam interjecta, ſubſidia ab ea urbe ſubmittenda ab acceſſu opidi excluderent: bombardiſque ſtatutis, opidum verberare inſtruit. Qua re cognita, Gallica claſſis ad opem ferendam continuo è Vadis ſolvit; Moncadaque interea, cum oppugnatio ab ea parte ſine fructu eſſet, caſtris in averſam partem, quæ Genuam ſpectabat, tranſlatis, opidum illinc urgebat: ceterum claſſem Gallorum appropinquantem non exſpectandam ratus, recepta in claſſem ſuam non ſatis expedito, caſtra terreſtri via retro movet: cum ſenſim ſe recipientem Jocantes Corſus è gente & Factione Blanca, ſpectati in rebus bellicis uſus & peritiæ, quem Varaginis præſidiarii, ne abſente Cærio ſine capite eſſent, ſibi ipſimet præfecerant; patefactis portis, cum omnibus copiis magno imperu invadit, ac parvo certamine fundit; Moncada ſummo Duce, ſimulque cum illo nonnullis aliis ordinum Ductoribus, ac Proceribus captis: in quibus fuerunt Barnabas, & Georgius Adornii, ac Barpmlomæus Spinula: quem Moncadam Jocantes ad Salucianum miſit: quibus rebus geſtis, claſſis Gallica ante oſtium portus ſtetit, onerariamque cepit: ac paullo poſt induciæ inter civitatem & Gallos factæ ſunt.

Ceterum civitatem & Adornianos exſpectatione rerum Inſubricarum, à quarum evenru rerum ſuarum ſtatus pendebat, ſollicitos, ac meru formidoloſæ & propinquæ potentiæ ſollicitos, lætus atque inexſpectatus nuncius Gallici exercitus ad Papiam à Cæſarianis Ducibus incredibili Cæſaris felicitate ſuſi ac profligati, ipſiuſque Regis capti, recreavit. Ejus victoriæ Genuenſibus ſtatim fructus apparuit; Saona, totaque Occidentali ora, Gallorum diſceſſu, ipſis libera relicta: captus Rex menſe Majo Gennam adductus eſt; atque inde in Hiſpaniam evectus: cujus permiſſu, Andreas Auria, cum nullus ipſius Regi uſus eſſet, ad Pontificis ſtipendia tranſivit.

Anno inſequenti ejus ſæculi vigeſimo ſexto, A. C. cum Rex Gallus à Cæſare tandem dimiſſus, ar- 1526. morum ſocietatem cum Pontifice & Venetis adverſus Cæſarem junxiſſet; Borboniuſque, cui ſumma Italicarum rerum à Cæſare mandata eſt, ex Hiſpania cum quattuor triremibus Genuam reverſus in Inſubriam profectus eſſet; menſe Auguſto Gallorum claſſis triremium decem ſeptem oræ Liguſticæ illata, Saonam iterum capit: Genuamque intactam prætervecta, Liburnum uſque proceſſit: ibique præſto habuit claſſem Venetorum quattuordecim triremium, ac Pontificiam ſex, cui præerat Andreas Auria; ut naves omnino eſſent triginta ſeptem numero: quæ claſſes conjunctæ, littoribus Genuenſibus invectæ, brevique utraque ora Liguſtica occupata, urbem obſidione urgere inſtituunt; prædaſque navium, mercium & hominum agendo, ea damna civitati intulerunt, quorum æſtimatio ad decies centena millia aureorum nummûm aſcendiſſe creditа ſit; quibus tamen detrimentis non ita civitas animis occidit, ut non claſſem comparaſſit, quæ Cæſarianæ claſſi viginti duarum navium ex Hiſpania exſpectatæ, Vicarium Neapolitani regni, & Marconem cum quattuordecim Hiſpanorum peditum millibus vehenti auxilio eſſet;

set: quæ longa & difficili navigatione, multisque impedimentis iter tardantibus, finum tandem sancti Florentii in insula Corsica tenuit: ex quo, militibus prius à nausea & maris jactatione sex dierum quiete refectis, solvens, Genuam iter dirigit: ceterum, cum ad promontorium usque, quod Caput montium appellatur, perrexisset, deficiente vento, cursum tenere non potuit: quam in salo stantem unus Auria ex tota classe cum sex triremibus suis aggressus est: crebrisque bombardarum ictibus incessens, una navi depressa, classem disjecit: ut iter ab orbe Genua Neapolim avertere coacta sit: duabusque navibus quæ quassatæ & lacerate classem sequi non potuerunt, in eundem sinum sancti Florentii, unde profectæ erant, reversis; quæ in illis erant copiæ in terram egressæ, terrestri via Bonifacium se conferunt; ex eoque opido in proximam insulam Sardiniam trajiciunt.

A.C. 1527. Sequitur annus ejus sæculi vigesimus septimus, in quo magna annonæ penuria in civitate laboratum est, ut terni tantummodo, iique perexigui, panes viritim distribuerentur: quamvis classis fœderatorum discessu suo liberam Genuensem oram reliquisset: cujus ea, quæ Orienti objicitur, confestim recuperata est; portusque Delphini viginti millibus passuum distans ab orbe, ne hostium receptaculum esset, munimento firmatus: ad hoc quattuor naves instructæ armatæque sunt; quæ per circumjecta maria discurrentes, præsidio essent navibus in Siciliam, & in alia loca circummissis, ad annonam undique convehendam: quarum duæ, Ferraria, & Boscaina Rapallensis in sinu sancti Florentii à classe Gallica deprehensæ, quam Andreas Auria, qui ad stipendia Gallorum interea reversus fuerat, ducebat, summus præfectus ab illis creatus, in terram sese ejecerunt. Eas littori illisas ac perfractas Galli incendunt; cum nautica turba in terram desiliens periculo se eripuisset. Primum opus Auriæ ad stipendia Gallorum, ut modo diximus, reversi, fuit portum Delphini tentare: quem, haud parvo numero militum expositio, Philippinus Auria illorum Dux terra, classis mari, urgere incipiunt, adversus eos missus est Augustinus Spinula, custodiæ ac præsidii urbani præfectus, cum delecta octingentorum armatorum manu: qui nocte profectus, itinere raptim facto, prima luce in cacumine imminentis montis apparuit: descendenti Philippinus nihil detrectans obviam it: acreque prælium ad pagum sancti Michaelis opido proximum commissum est: quod eum multas horas duraſſet; ad extremum omnibus viribus conniſi Genuenſes copias Gallicas fundunt ac profligant, Philippino Duce capto: ceterum, cum rumor percrebuisset, Gallos in vallem Porcisere descendisse, Spinula propere revocatus rem absolvere non potuit. At Auria occasionem rei bene gerendæ non prætermittens, concitatis navibus, proras in classem Genuensem dirigit: quem classiarii adventantem procul conspicati, discessu terrestrium copiarum animo infracti, sese in eo portu haud tutos intelligentes, illo relicto, trepida fuga littus legentes, Rapallum petunt: quorum metu, & trepidatione animadversa; remigium, ad libertatis vocem à nonnullis eorum proclamatam, adversus Duces consurgit, magnaque eorum pars, Ducibus frustra illos retinere conatis, in terram propinquam desilit: quæ res classem remigio nudatam immobilem Auriæ sine certamine capiendam præbuit: omnesque triremes, quæ fuerunt septem omnino, duæ Genuensis custodiæ, quibus præerat Julianus à Ripa, duæ Britii Justiniani, quas ducebat Dominicus filius, tres præsidiariæ Siciliæ, in potestatem hostium venerunt: quibus captis, Auria portu Delphini, nemine obsistente, potitus, onerarias, quæ necessario in portu remanserant, dirigit; itaque in ea expeditione fortuna versavit opes, ut terrestrem victoriam civitati & Adornis, maritimam Auriæ & Gallis dederit.

Interea Laotrechus à Rege Gallo cum florentissimis copiis in Italiam missus, ad opem Pontificis ferendam, cumque obsidione eximendum, simul ad Neapolitanum regnum bello petendum; per circumpadanos campos iter faciens, cum paullum delinans, Genuenſibus finibus appropinquasset, opidumque Boscum expugnasset; vehementer pereulsa civitas tantam in se incumbentem tempestatem haud quaquam exspectandam rata, recenti memoria direptionis animis insidente, Vincentium Palavicinum oratorem ad Lautrechum mittit; qui eum illo de conditionibus deditionis ageret. Is à Lautrecho comiter acceptus, omnia, quæcumque postulavit, à libente impetravit; præter Saonæ veteri Genuensi dominatui restitutionem; quam rem suæ potestatis esse, seque ulla de ea habere à Rege mandata, negavit: ad illum igitur mittendum; neque dubitare se dixit, quin Rex, pro sua fide & sapientia, æqua postulantibus morem sit gesturus: quo responso dato; rem cum Genuenſibus transactam credens, Cæsare Fulgoso relicto, qui inchoata consilia exsequeretur, repetitum iter persequitur. Genuenses, Saonæ restitutione non impetrata, quod tum erat Genuæ curarum caput; metuque exercitus Gallorum soluti, omnem eam cogitationem de civitate Gallis dedenda plane deponunt: fecialemque à Cæsare, qui cum non plus quam trecentis peditibus ad urbem Regis nomine petendam venerat, nullo certo responso dato, dimittunt.

Compositionis spe frustratus Cæsar, ad vim animum adjicit; urbique appropinquans, cœnobium divi Benigni loco edito situm, & civitati imminens, occupatum valido præsidio firmat: ipse in littore ad sanctum Petrum Arenæ considit. Dolum & insidias in illum urbani struunt: silentioque nocte Augustinus Spinula præfidiariorum præfectus, Sinibaldus Fliscus, ac Martinengus Brixiensis urbem exeunt; qui ad divi Lazari extremis vigilibus Cæsaris oppressis, statuque hostilium rerum ab illis diligenter cognito, ac colle conscenso; cœnobium à Cæsare occupatum recuperant, Borrasino ordinum ductore, simulque præsidio à Cæsare relicto, captos: cumque diluesceret, dorsum montis descendunt, spe ipsum quoque Cæsarem incautum improviso adventu opprimendi: cumque in plana descendissent, bifariam divisi, alii superiore itinere, alii inferiore, secus littus ad Cæsarem contendunt: ceterum eventus longe contrarius fuit: nam Cæsar tumultu excitatus, armis repente arreptis, præsidioque ingentis onerariæ, quæ ædificabatur, terga tegente, suorum animis ad pugnam confirmatis, incompositos & solutis ordinibus venientes urbanos magno impetu adortus, parvo certamine, atque ipso pene incursu fundit ac fugat, Spinula & Martinengo captis: inchoatamque victoriam persequens, porro ire pergens, ad cœnobium sancti Theodori, Hispanorum stationem, quæ erat in ejus loci præsidio, congredi ausam pari eventu susam in fugam conjicit: in urbem tamen, portis obseratis, penetrare non potuit. Ceterum cives, consilius dedendæ urbis repetitis; (Antoniotto permittente, qui contra tantam civitatis voluntatem tendere non ausus, in arcem, Philippino captivo secum ducto, quem paullo post liberavit, se recipit) civitas igitur Augustinum Ferrarium & Jacobum Lomellinum ad Cæsarem mittit: qui relatis portis, hominem, civitate Regi dedita, in urbem introduxerunt. Hujus deditionis tam cupide, nullaque via dubitata, faciendæ multæ fuerunt causæ: penuria, ac fames, assidua impendia exinanitæ civitati prægravia, maritima commercia, quibus civitas alitur, à Gallis clausa, qui maris potentes Genuam velut faucibus premerent: in primis vero cupido Saonæ recuperandæ: quæ res, Gallis invitis, magni certaminis, magnorumque impendiorum, neque certæ, aut explorate spei erat: cum Rex eam urbem validis munimentis ac præsidiis firmasset, spe

non ſolum ſua ſponte concepta, ſed à Fulgoſio, & Auria, quin etiam à Lautrecho ipſo civibus facta, ſi ipſi ſub obedientiam Regis rediiſſent, Regem pro ſua juſtitia, quæ Genuenſium eſſent, illis in amicitiam & fidem receptis reſtituturum: numquam animum Regis fuiſſe dictitantibus, Saona Genuenſes privare, quod nullo jure facere poterat; ſed eam Adornii hoſtibus ſuis, ac partes Cæſarianas ſequentibus adimere. Cæſaris boni civis officium in patriam conſtitit; direptionibus prohibendis, ac rebus pacandis: ut numquam minore cum tumultu, ac minoribus cum offenſionibus, rerum ſtatus Genuæ mutatus ſit.

A

Paucis poſt diebus, Theodorus Trivultius regius Vicarius Genuam venit. Cauſſa Cæſaris prætereundi, ea, credo, Regi fuit, ut omnes cives benevolentia pariter comprehenderet, ſignificatione animi

B

in neutram partem propendentis; alteram partem, ſi Cæſarem præfeciſſet, perpetuo offenſam haud dubie habiturus. Igitur Galli, Genua ſibi adjuncta, maritimas opes ſtabilire, cumque aditum in Italiam Hiſpanis intercludere intendentes, animo Auriæ præfecti donatione torquis atque ordinis Michaelitani (quo honore nullus amplior ab ea regia tum haberi poterat) in ſe firmato: expeditionem in inſulam Sardiniam decernunt: in quam Auria cum claſſe profectus eſt, Laurentium Cerium à Rege miſſum, qui terra, ipſe mari res gererent, ſecum vehens: quæ claſſis cum inſulam tenuiſſet, copiis expoſitis, urbem Turritanam haud magno certamine cepit, majore cum exercitus damno, quam fructu, ingenti vi morborum ex peſtilenti cælo contracta; quibus cum exercitus catervatim abſumeretur, damnoſo incepto omiſſo, reverſi ſunt.

PAVLVS FOLIETA

LECTORI S.

VBERTVS frater eo animo patriam Hiſtoriam Latinis illuſtrandam litteris ſuſceperat, ut inſtitutam ſcriptionem tam diu perſequeretur, quoad vita ſuppetiſſet: ad quam ſi paucorum etiam annorum acceſſionem fieri contigiſſet, ſaltem ad ea tempora perduxiſſet, quibus non ita multos ab hinc annos conſtitutam iterum Remp. habemus. At vere tam præclarum ipſius conſilium mors immatura præripuit, graviſſima domeſtica laudis, nec leviſſima publici ſplendoris, & gloriæ jactura; ut ne fauſtiſſimum quidem illum recuperatæ libertatis annum attingere atque adeo res ſuperioris geſtas ad exitum perducere fuerit integrum, quod illi ſcio in optatis fuiſſe maximum. Nunc ego cum in opere hoc edendo, inchoato, ut dixi, nondum tamen abſoluto, incredibile res hujuſce in primis a fratre relictum optimo cuique civi deſiderium intelligerem; animum ad eam cogitationem adjeci, tamo ratio per me aliqua iniri poſſet, qua illud ipſum utcumque leniretur: in qua cura dum totus verſor, percommode accidit, ut amicus meus, quam apud ſe habebat (unde noſcio ereptam) ejus ipſius anni hiſtoriam, & ſuperioris reliquam mihi ultro offerret: hanc avide arreptam cum attente legiſſem, viſa eſt, ut Latine, ſic vere etiam, nec minus accurate perſcripta. Itaque non alienum me facturum exiſtimavi, ſi ad fraternos libros adſcribendos curarem. Quod ſalutem, fidelitatemque meam bonos omnes æqui bonique facturos confido.

A. C. 1512. Inſequenti anno ejus ſæculi vicesimo octavo, ex contentione, quæ inter Carolum Quinctum & Franciſcum Valeſium Gallorum Regem acerrima verſabatur, ardebat Italia bello: Genouenſibus vero temporum perturbatione, multorumque caſu conflictantibus, Dux præerat Antoniottus Adurnus, qui Caroli partes ſequebatur; cum, propter eas cauſſas, quæ ſunt à me demonſtratæ, frequens civium multitudo majores Magiſtratus adiit; ad eoſque retulit, uti per eorum auctoritatem aliqui deligerentur, qui accurato conſilio, optima inſtitutione virtutis, juſtitiæque civilis informarent; legeſque præberent, quibus conſtituta civitas ad eam concordiam, quæ omnium bonorum votis ſemper fuerat expetita, ſeſe tandem aliquando componeret, ac ſtabiliret. Patres ſtatim comprobavere: cupideque amplexi, Antoniotto juſtis de cauſſis non invito, eam poteſtatem ac curationem duodecimviris mandaverunt: ii fuere, Franeus Fliſcus, Baptiſta Spinula, Auguſtinus Palavicinus, Stephanus Juſtinianus, Auguſtinus Lomellinus, Philippus Cattaneus, Joannes Baptiſta Monelia, Nicolaus Grimaldus Ceba, & Hieronymus Auria, is, qui poſtea in ſacrum Senatum à ſummo Pontifice eſt cooptatus. Erat ea re magna in lætitia & gratulatione civitas; neque fere quiſquam omnium erat, qui, cum diſcordiarum civilium ſidem, firmamque tranquillitatem futuram ſibi animo proponeret, tum ſibi, tum fortunis communibus novam de cælo lucem oboriam non exiſtimaret: ita non ſolum homines vultu ſerenitatem, verum etiam urbs ipſa quaſi ſenſum hilaritatis adſpectu præ ſe ferre quodammodo videbatur. Jam ſuſceperat operam Duodecimviri, cum judicio bene conſulti, tum valde integritate probati, ad eamque rem adminiſtrandam tota ſe cogitatione converterant: verum neſcio quo fato fieri videmus, id que longa humanarum rerum actione cognitum, ut magnarum curarum magnæ fere eſſe ſoleant difficultates, & moræ. Etenim quædam triſtiſſima tempora conſecuta ſunt; quibus factum eſt, ut illius

D

procurationem negotii neceſſario ſuperſedendum fuerit. Nam, cum omnis ora maritima adverſariorum præſidiis teneretur, eorumque magna atque expedita claſſe maria longe lateque obſiderentur: neque ad ea convehenda, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ullus pateret aditus; ingens inopia, ſummaque annonæ caritas civitatem occupavit. Quare, dum exigua quædam alimenti ratio in ſingulorum capita deſcribenda eſſet, & lacrymabiles interea gemitus diuroi noctumique exaudirentur, atque ex omni parte miſerrima fames, & fœdiſſimus horror ingrueret, hominum mentes in looge diverſas curas, alioſque labores avocabantur.

E

Accidit autem per id tempus, ut Lautrechi in Italiam adventu (is erat imperator, qui totius exercitus regii poteſtatem gerebat) ſtatus civitatis ſit facta commutatio: itaque per adverſam Factionem Antoniotto Adurno facultate data ſeſe libere ſubducendi, Theodorus Trivultius Regis nomine ad Reipublicæ cuſtodiam & gubernationem receptus eſt: poſt quam rerum commutationem, nihilominus in inſtituta ratione erectioribus animis obfirmati cives, ubi primum licuit, id quod inſtituerant, perficere rurſus aggreſſi ſunt, Trivultio ipſo conſentiente, ſeu id ex animo faceret, ſive obſcuro conſilio, ac ſimulato; quo magis in recenti honoris gradu collocatus ea humanitatis ſpecie voluntates hominum ſibi conciliando, omnes in ſuſcepta Regis amicitia atque in officio contineret: id utrum fuerit, haud mediocrem admirationem afferebat.

F

Eodem anno, incunte vere, graviſſima, maximeque horribili peſtilentia urbs conflictari cœpit: fuerant hyeme tota, quæ anteceſſerat, auſtris leniter flantibus, imbres maximi, itaque aſſidui; ut ſol moderamr temporum, quique vitam & ſalutem larga luce mortalibus affert, tres prope menſes haud ſe terris oſtenderit: quæ poſtea, ubi verni caloris appulſu tepefactæ ſunt; ex humidis ſemiboibus, quæ conceperant, vaporibus excitatis, facile aerem infecere: in quam peſtilentem luem eo proclivius hominum

minum corpora concidebant, quod humores, quos ex mala victus ratione, fame dominante, contraxerant, magis erant ad putrefcendum parati: quamquam ea contagio non modo in tenues & obfcuros incubuit; fed latius ſerpens, arripuit etiam claros & locupletes: quorum cum alii acerbiſſimo fato interiiſſent, alii focos & lares patrios mortis timore perculſi deſeruiſſent; facta erat in urbe miſeranda vaſtitas & ſolitudo.

Interea Savonenſes, qui Genuenſibus adjuncti, jam ante ſe eorum ditioni ſubjectos & vectigales eſſe ægre ferebant, more multorum, qui ſecundam fortunam ferre haud facile poſſunt, liberius atque audacius ea moliri cœperunt, quæ fruſtra perſæpe tentaveraot. Induxerant in animum ſuum, idque, quibuſcumque rationibus poterant, evincere conabantur, uti ad ſe naves omnes cum mercibus atque oneribus libere commearent; atque ita negotiationem maritimam omnem à Genuenſibus averterent: præterea ſalis facultatem, quam Genuenſes ſuo ſibi jure reſervarant, omni contentione elaborabant, ut in ſuam quoque ditionem vindicarent: quæ ſane res præterquam quod jus Genuenſium immiouerent, in eorum etiam detrimentum maximum recidebant. Hos motus & conatus parum conſideratos, cum aliàs & magna ſpe aggreſſi tentaſſent, quod ad mercatus ſorique celebritatem, natura loci adjuvante, brevi res ſuas, & quæſtu, & potentia magnopere ſe amplificare poſſe confiderent; quamleniſſimis ſemper verbis incuſati fuerant, amiceque commoneſacti, ut à propoſito deſiſterent; in coque manerent, quod antiquiſſimo fœdere conveniſſent; &, quoniam iniquum erat, cum alienam ſibi poteſtatem aſſumere, tum id recuſare, quod ſus voluntate, atque optimo jure ad id tempus dependeraut; cogitare eos oportere, & quid poſſent, & quid deberent: quorum utrumque ſi non attenderent, io altero injuſte atque injurioſe facere, in altero parum prudenter. Hujuſmodi verbis, & multis præterea, in hanc ſententiam, quæ ad ſanandas eorum mentes pertinebant, cum ſæpe fuiſſent admoniti; illi tamen in ſuſcepta pertinacia acriter perſiſtebant, ac per id tempus commodam occaſionem nacti, paucorum potentium, qui ſuis privatim cupiditatibus & commodis ſerviebant, ſtudio largitioneque adjuti, exploratam in ſpem veneruot, ſe per Regis miniſtros & Conſiliarios à Rege, quod cupierant, conſecuturos. Genuenſes, qui ne id facerent, ſumma ſemper cum diligentia præcaverant, ubi præter ſpem, & contra, quam licebat, factum cognoverunt; coſque, qui parere conſueverant, animadverterunt jam ſe murorum molibus & propugnaculis communire, perinde quaſi armis & ſpe bellum præſumerent; gravi nimirum, juſtoque dolore ſunt commoti: & eo magis, quod cum legationes ad Regem miſiſſent, quæ pro ſe cauſſam demonſtrarent; docerentque, ſi id juris, eamque auctoritatem Savonenſibus attribueret, eum contra omois jura facturum videri; de ſententia ipſum dimovere non potuerunt: quæ cauſſa, ut paullo poſt demonſtrabimus, ad inſtitutæ rationis novæ Reipublicæ formæ progreſſum exitumque inveniendum, maximum momeotum attulit.

Iiſdem temporibus, cum Lautrechus terreſtribus copiis Neapolim obſidione premeret; Andreas Auria, ad quem Regis nomine ſumma officii, imperiique maritimi reſpiciebat, eodem Philippinum Auriam octo cum triremibus miſerat; ut hoſtes integra oppugnatione obſiderentur: qui, cum Ugonis Moncadi audacia concitati, cum triremibus ſex & biremibus duabus prælio rem committere, atque Auriæ claſſem, quæ in Salernitano ſinu confederat, adoriri non dubitaſſent, egregia Aurianorum virtute profligati ſunt: quo in prælio Moncadius cecidit; Alphonſus Avalus, Aſcanius Columna, multique præterea ampliſſima fortuna viri capti conſervatique ſunt: & ea demum ſecuta, quæ ut uberius memoriæ prodantur, non eſt præſentis inſtituti mei.

Poſt eam inſignem victoriam, Andreas Auria in magna animi lætitia haud omnino poterat ſedata cogitatione conquieſcere: &, quam jucunda, quæ pro Rege fuerant ipſius auſpiciis geſta, in illius memoria inſidebant; tam erant illa acerba, quæ de eivium ſuorum præſentibus incommodis, & de iis, quæ multo graviora impendere videbantur, aſſidue cogitabat: verum, quoniam in hujus viri clariſſimi mentionem ſæpenumero incurram; quæ de ejus natura & moribus ſpectata & cognita ſunt, hic me locus monet, ut ſilentio non præteream. Is genere admodum nobili fuit, adſpectu plane regio, ad gloriam atque omnia ſumma natus: quamquam ad bellicam laudem, eamque maritimam, ſe magis convertit: amor ipſius erga patriam facit, ut cum Cæſare non ſit comparandus; qui ſuam oppreſſit: ſingularis humanitas erga omnes, ne cum Catone; qui truci ſeveritate fuiſſe dicitur: in eo tamen utriuſque natura inerat; induſtria, horribilique vigilaotia illum æquabat; bune iovicta juſtitia, mente, & recte factis; magnitudine animi utrumque, vir in primis & civis, & imperator optimus. Hic igitur, ut dicebam, decreta de Savonenſibus interpoſita, imminentemque patriæ perniciem ſecum ipſe conſiderans, magnoque animi motu perturbatus afflictabatur: ſcripſerat ad Regem accuratiſſimas litteras; miſerat etiam certos homines, qui ſuppliciibus verbis tantam ac tam gravem indignitatem deprecarentur, regiamque fidem & ſapientiam implorarent: ſed qui in ancipiti etiam cauſſa, pro maximis ipſius meritis fuiſſet ſublevandus, in juſtiſſima deſtitutus fuit: quapropter, poſtquam ad æquiſſimam rationem impetrandam, non egregiam voluntatem ſuam, non merita, non recentis victoriæ gratiam, non denique ſupplices pro patria preces, apud Regem valuiſſe, intellexit; ſtatuit ſe ab illius amicitia avertere: fuere aliæ præterea cauſſæ ipſius privatæ, juſtæ illæ quidem & magnæ, quæ id ſuaſerunt: verum hæc, quam expoſui, præcipuas partes habuit: illas veru nunc à me commemorari neceſſe non eſt.

Erat eſt opidum, quod abeſt ab urbe Genua millia paſſuum ſexaginta, ad portum Veneris tutiſſimo loco poſitum: eo Andreas Auria ſe recepit; multa animo movens, atque ad omnes caſus excubans; quos vel occulta hominum conſilia adducere, vel turbulenti illius tempeſtatis motus aperte invehere potuiſſent: mox vero exacto tempore, ad quod imperio Regis munus ſuum obſtrinxerat, ubi ſatis officio factum exiſtimavit; cum rite prius per certum nuncium voluntatem ſuam Regi denunciaſſet, omni illius ſacramento ſolutus eſt: & quamquam poſtea Rex (quod plerumque accidere ſolet, ut id percupide expetant, quod paullo ante neglexerunt) omni diligentia per idoneos homines conatus eſt Auriæ ſibi voluotatem recuperare; ille tamen, ſummis præmiis, quæ proponebantur, ſummis pollicitationibus rejectis, in ſuſcepta ſententia permanſit: ac, eum Neapolim cum omnibus ſuis triremibus navigaſſet, (jam enim Philippinus redierat) tractabantur conditiones, quibus Caroli ſeſe rebus adjungeret, io Arimen inſulam conceſſit; Gallorumque claſſem quoquoverſus progredientem hoſtilem in modum perſequi cœpit, ac male habere. Iiſdem diebus Lautrechus mortem obiit, atque is exercitus, qui Neapolim obſederat, diſſolutus eſt: magnaque ex parte ſubita morborum vi miſerrime abſumptus.

Hac in fortunæ rerum omoium commutatione Theodorus Trivultius, qui Regis nomine Genuam regebat, rebus ſuis diffidens, de præſidiis in urbe collocandis cogitabat. Erant in Gallia Ciſalpina Alexandriæ peditum circiter duo millia: hos ad ſe ſumma celeritate accerſierat: qui, ut poſtea cognitum eſt, non ita multum morati, cum profectio-

nem paraſſent, certiores facti anguſte ſtipendium illis perſolutum iri, ſimulque veriti peſtiferum æſtum, quem audierant Genuæ ingraveſcere quotidie magis, à propoſito itinere deſtiterunt. Hoc conſilio Theodori cognito, Andreas Auria, qui omnem vim cogitationum, actionumque ſuarum eo direxerat, ut à cervicibus patriæ jugum omne depelleret, rem ſibi diutius differendam non exiſtimavit: jamque claſſe atque animo paratus propius accedebat: quæ cum adverſari, qui ſe paullo ante in portum receperant, præſenſiſſent, ſibi timentes fugam ſpectare cœperunt. Tranſierat jam dies, qui eſt a. d. IV. Idus Septembris, & nox inſecota obſcuram admodum caliginem cœlo invexerat: cum illi è portu educti ſeſe in tenebras & fugam conjecere: & quamquam, perinde, quaſi decertaturi eſſent, inſtrumentorum bellicorum horriſero ingentique fragore innes auras complerent; omne tamen eorum certamen in curſu & celeritate poſitum erat. Auria primo fugientes inſecutus, deinde com nocte circumfuſus occaſionem bene gerendæ rei nullam videret, ſe tamdiu ſuſtinuit, quoad dies illuxit. Prima vero luce duas triremes, quæ Savona directo itinere Genuam contendebant, imprudentes aggreſſus expugnavit: totidemque præterea ab omnibus remigibus ac propugnatoribus deſeriæ in ejus poteſtatem devenere: quæ cum incautius, præproperaque feſtinatione è portu egredi colluctarentur, in procurrentibus ſaxis hærentes, curſum conficere non potuerunt.

Erat in urbe deformis ſolitudo, eaque in ſolitudine plena timoris atque terroris omnia. Magiſtratus, qui aderant, ſolivagi, ſollicitaque trepidatione ſuſpenſi: Auriam vicina littora circumſidentem quattuor cives adeunt, afflictam illi fortunam urbis commendant & civium ſalutem: rogant, ne quid novi tumultus per oppugnationem excitari velit; quod in patriæ diſcrimen ac calamitatem ſit recaſurum. Quibus ille comiter acceptis, quid eſſet ſuæ voluntatis atque propoſiti accurato ſermone demonſtravit: ejus vero ſermonis hæc fere ſumma fuit: *Non eſſe conſilium ſuum novo aliquo motu patriam pertubare: ſed perturbatam potius, ad pacatam quietem recreare, ſæpeſſo: antiquiſſimam ſibi hanc curam fuiſſe: proinde nunciarent ceteris civibus, optima ut ſpe eſſent: ſeque, dum ne ab externo præſidio urbem occupari paterentur, ad eos, niſi ſua eorum voluntas ferret, non progreſſurum.* Poſtcaquam hoc renunciatum eſt, pro foribus ejus templi, quod à Vincis nomen accepit, Theodorus Trivultius, qui ex arce ægre eo deſcenderat, paucos, qui aderant, cohortatus eſt, ne à priſtina fide deſciſcerent; neu vellent novos caſus, durioremque fortunam periclitari: atque ut ab Regis amicitia ornamenta ac commoda exſpectarent ampliſſima: quorum ſe auctorem adjutoremque præcipuum fore pollicebatur: multaque præterea addidit, quorum commemoratione exiſtimavit, eorum voluntates & ſtudia poſſe ad ſeſe traducere. Abeuntem è frigida concione, atque in arcem, unde exierat, regredientem, pauci, qui aſſuere, proſecuti ſunt. Poſtridie vero mane, cum Auria certior eſſet factus, Trivultium de præſidio accerſendis valde laborare; veritus ne rei bene gerendæ oblata facultas è manibus elaberetur, illius conſiliis antevertendum exiſtimavit. Itaque oppugnationem aggreſſus, nullo prope negotio urbe potitus eſt. Nam Janus Brandus notus è Corſica miles, qui tum cum parva manu molem portui objectam aſſervabat, cum ab ea parte nulla eſſet armorum irruptio facta, ſed per paullo ſuperiorem locum ingreſſum ſibi patefeciſſent, primum in credita ſibi cuſtodia ſe continuit: deinde, audito libertatis ac divi Georgii nomine, quod paſſim Auriani milites maxima voce conclamabant, impium duxit, contra ejus ſanctiſſimum nomen armis contendere, ſub cujus patrocinio inſula ipſius germana patria æquiſſimo imperio regebatur. Et Boraxinus, cui Sarzanæ convallis littus præſidio non minus firmo defendendum contigerat,

A Helvetiique circiter ſexaginta, qui ſtationem ad palatii ſedes tenebant, parum auſi contra jam victores infeſtis ſignis conſurgere, facile ceſſarunt. Qua in rerum trepidatione, Theodoros Trivultius, cum omnia in Auriæ poteſtatem jam veniſſe cognoviſſet, ſe in arce omni ſpe deſtitutus incluſit. Hæc, quæ in urbe geſta ſunt, in ſuburbanis prædiis, quo vitandæ peſtilentiæ cauſſa civitatem omnem commigraſſe ſupra demonſtravimus, ſtatim audita ſunt. Quare celeriter magno omnium conſenſu, eo confluxit: advocata vero concione, omnium ordinum viri in Aurianam porticum frequentes convenere: ubi Andreas Auria hujuſmodi fere verba habuiſſe dicitur: *Plurium laborum, quos & multos & varios in*
B *vita ſuſcepi, fructum hodie fero, cives mihi cariſſimi; quod hoc loco, hocque rerum ſtatu, noſtrum hunc conſenſum video: nos non jam ullum externorum Dominorum ſuperbum imperium premit; non illum Sylla aut Marii improba Factiones ad arma concitant: quæ turbulenta, prævifque ſtudiis involuta fuerunt, abiere: pacata, aperta, libertaque nobis jam ſunt omnia: proinde, ni hic dies finem nobis multarum attulit erumnarum, ſta vehementer velim, ut univerſis nova ſit principium ſalutis. Nolite exiſtimare, quæ temporum, errumque converſionibus ſiunt & commutantur, ea temere, aut caſu evenire: quæcumque apud nos fieri videmus,*
C *omnia fluunt a Providentia cuncta proſpicientis & moderantis Dei. Circumſpicite frequentiam veſtram, qui tota regione diſjunctis antea, miſeram in urbe ſolitudinem feceratis: cœlum jam & ipſum ad novam celebritatem & alterius instituum vita nos vocat: & adſpem melioremſtabiliendæ nobis civitas eſt: multa circumſtiunt difficultates; ſed nihil eſt tam difficile, quod virtute perfici non poſſit. Cujus viam ingreſſi alios Majores noſtri, omnia dura atque aſpera pervadere, ſuique nominis gloriam ad ultimas Ægæ atque Ionii maris oras protendere potuerunt. Verum, cum omnis virtutis, tum maxime concilia*
D *qua nos indigemus, cuſtos ac conſervatrix concordia eſt. Quas calamitates ſuperioribus annis propter diſſenſiones, perpeſſa ſit civitas noſtra, dolore probabeor commemorare: hac ipſa quaſi arco muro ubi nos ſepſerimus, omnis erit omnibus adverſis rebus interclusus aditus: nullaque exiſtet unquam tanta vis, qua bene corroboratas opes & vires noſtras queat contundere: nam, ſi, quidquid agitatur ſeditione infirmiſſimum eſt; id profecto ad immortalitatem convaleſcet, quod animorum conjunctione munitur: tollantur in poſterum omnes de principatu controverſiæ; non Factio cum Factione, neque pars cum civium parte confligat; ſed, ſi vere cives appellari volumus, ad communem honeſta vita ſocietatem, & ad rectè facta ſingulorum inter ſe virtus cum virtute conſpiret. Id tamen meo*
E *ſane judicio effici nullo modo poterit; niſi prius bene explicatam libertatem poſſederitis hanc, pro qua recuperanda cogitandum nobis eſſet, ſi viri eſſetis, feras etiam gentes, terras omnes, omnia maria movere: hanc, inquam, ego hodierno die vobis reſtituo. Ea ne veſtris è manibus eripiatur; &, cum tam opportunum tempus veſtrum conſervandorum divinitus oblatum ſit, ne mox, ubi effugeris manibus, votis id optaturi ſitis, providete.*

Hac concione habita, grata concionis admurmoratio conſecuta eſt. In qua Francus Fliſcus, qui in Duodecimviria principem locum obtinebat, de hac ipſa re ſtatim referre cœpit, ac quorundam nominatim ſententias rogare: eo in hunc ſermonem ingreſſo, placitum eſt omnibus, ut Senatus haberetur. Itaque poſtero die, qui civitati lætiſſimus, maximeque ſalutaris illuxit, publico conſilio convocato, cum, magna futuri eventus exſpectatione, cives frequentiſſimi convenirent, Auriæ conſilium una alacrique omnium conſenſione ſanxerunt. Qua in re Baptiſtæ Lomellini egregia virtus enituit; qui primus ſententiam rogatus, non ſolum ſui ſenſus teſtificatione illuſtri, verum etiam graviſſima cohortatione ceteros excitavit: ac, cum multa ornate præclareque dixiſſet de libertate, de concordia, de beata civium vita; & memorabilia multorum facta ex omni priſcorum

Ligu-

Ligurum antiquitate collecta in medium attulisset, beneficentiæ fontes aperuit; reique suæ familiaris partem pro patriæ, communiumque fortunarum præsidio pollicitus est. Cujus exemplum pulcherrimæ laudis studio complures secuti, eandem voluntatem præ se tulerunt. Illud postremo non est silentio prætereundum, eo ipso die in tam frequenti conventu neminem fuisse valetudine tentatum: cum antes per incautos vel solo attactu passim dira contagia serperent. Ita novum tranquillitatis ac concordiæ statum placidus & pacatus aer excepit; ex eoque tempore dies deinceps secuti sunt salubriores.

Hæc mihi perspicua erant brevitate perstringenda, quibus tamquam fundamentis positis, ad operis mihi propositi ædificationem accedam, haud sane multo cum artificio. Qui vero his temporibus in hoc scribendi genere magnifice versantur, si luminibus nostris obstruxerint; æquo animo feram, eorum orationis altitudinem admirabor: dum illi ipsi nolint, non me magnopere exaggerationis laudem adamare; sed eam vehementer persequi, quæ à simplici, sed non inculta tamen veritate proficiscitur. Postquam igitur Genuensium libertas hoc Reipublicæ fundamentum sibi constituit: resque cum fama ipsa, tum eorum litteris late pererebuit; Italia tota ejus facti auspicia bonis omnibus prosecuta est: progressumque illis optavit longe secundiorem: præsertim eum omnes intelligerent, Genuenses pacatam vitam degere cupientes, justitiam, non injurias, rerumque suarum conservationem, non alienarum occupationem meditari.

Eo tempore Franciscus Borbonius regii exercitus imperator, Ticinum urbem circumsidebat. Ad eum Octavianus Saulius hujus rei nomine Legatus: qui, expositis fœderibus amicitiæ, egregiæque Genuensium in Regem voluntatis, demonstravit, eos non repentino aliquo motu in hanc mentem incidisse, ut dissidentes civium animos componerent; sed antiquam hanc illis fuisse curam, ad quam etiam ab ipso Rege, re cum illo justis de caussis communicata, quodammodo incitati, beneque animati fuerant: propterea Regi minime mirum videri debere, si id jam perficerent, quod & sibi ipsis utile, & cuivis bono rectum videri posset. Quod vero ad novam Reipublicæ constitutionem attinebat; liberorum hominum, inquit, esse proprium ita vivere, quo modo ipsis videatur esse maxime commodum; dum ne alteri noceant: idcirco neminí se injuriam facere arbitrari; si, qui antea aliorum sibi patrocinium accersere consueverant, jam consiliorum ipsi suorum moderatores esse velint. Regi amici, nemini hostes, omnibus æqui. Borbonius, qui & natura mitis & Genuensium rebus haud iniquus erat, pauca pro tempore questus, & quæ in rem suam facere videbantur, placide locutus, Saulium in honore habuit; sed tamen eum ab se dimittendum non existimabat. Itaque diebus ibi aliquot consumptis, cum animadverteret diem ex die exspectari, reditumque suum diutius, quam ipse volebat, impediri, tacite se subduxit, devinsque itineribus Genuam reversus est.

Hoc in rerum statu Genuenses dubios de futuro eventu sollicitis, periculaque imminentia longe circumspicientibus, necessarium visum est, dare operam, ut ad hostilem oppugnationem, quam jam jam futuram animis augurabantur, omnibus rebus essent parati. Quamobrem, cum pecunia in primis quærenda esset, centum & quinquaginta aureorum nummûm millia à procuratoribus Curiæ sancti Georgii mutua sumpserunt: cui novis vectigalibus cautum est: quæ primo domibus imposita, cum eorum exactio nimis acerba videretur, mox in salem translata sunt, & quando Duodecimviri, quorum prudentia civitas regebatur, gravioribus curis distinebantur, quam ut rebus omnibus præsto esse possent; quattuor creati sunt, qui quæcumque ad rem bellicam pertinebant, omnia summa diligentia administrarent: &, qua tutius faciliusque urbs custodus, vigiliisque communiretur; ea quattuor in partes descripta; totidem è præstantibus virtute civibus ductores delecti sunt: quorum separatim suam quisque stationem obtineret, ad eamque propinquorum civium manu comparata, noctu atque interdiu excubaret. Missi præterea sunt quoquoversus belli regionisque periti homines, qui, quascumque copias possent, contraherent. Et quamquam ea res difficultatem habitura esse videbatur; propterea quod pestilentia robur & sobolem militum, magnamque mortalium partem in Liguria consumpserat; tamen ex opidis finitimis satis validam peditum manum in urbem adduxerunt: alii vero tum ex Liguria, tum ex Corsica in dies exspectabantur: habebat præterea in triremibus suis Andreas Auria Hispanos homines acres, præliisque assuetos, quos variis locis & temporibus captos, remiges esse jusserat: hos, quod & in ea fortuna diutius ipsos detineri haud æquum existimabat, ut qui ad partes Cæsaris jam esset adjunctus; & quis ratio temporis ita postulare videbatur; omnes solvi atque in armis esse jussit.

His ita constitutis rebus, plurimum fiduciæ ac spiritus omnibus accessit. Illud quidem à nonnullis haud recte dictum videtur, *Animum nostrum mala sæpe, bona minime unquam præsagire:* etenim via illa animæ, quæ cogitationes & consilia explicat; ubi, quæ ab ipso consulta sunt, animadvertit optime procedere; videtque eventus sequi maxime secundos, atque optatos: eam ipsam spem, qua nitebatur, multo etiam firmiorem facit: existimatque præpotentem justitiam, id est, Deum ipsum in suam ipsius caussam esse propensiorem: ac propterea acriori voluntate ac studio cetera persequitur.

Arx erat intra urbem, in monte qui Sanus appellatur: in quam, ut supra demonstratum est, Trivultius se receperat: hæc in primis erat expugnanda: rem suscepit Philippinus Auria: quam cum esset aggressus, in eoque negotio esset occupata civitas; interea de Francisci Borbonii adventu fama perfertur. Qua re subito allata, variisque hominum sermonibus aucta; omissa arcis expugnatione, alacres universi adversus venientem hostem se confirmarunt: ac, ne vel eruptionem ex arce tentantibus facilis exitus esset, vel advenientibus hostibus eo aditus pateret; ab ea parte, qua periculum imminebat, quæ ad Septentrionem vergit, duplicem fossam perduxerunt. In urbe, quæ fuit militaris usus imperita, & vel propter ætatem, vel sexum infirmior multitudo, ejus magna pars prout cuique visum est, cum iis rebus, quæ prædæ cupiditatem invehere plerumque consuevérunt, eo adducta est, ubi ab omni esset periculo tuta. Ad montes finitimos, locis & ad hostium iter observandum, & ad eos vexandos opportunis, dispositæ sunt cohortes quædam, atque in duas partes distributæ: quarum alteri Boraxinus, alteri Grechetus Justinianus præpositi sunt. Superaverant jam Galli montium juga, qua ex Gallia citeriori Genuam per Pulciferam vallem iter expeditum est: ea est vallis primo angusta, variisque anfractibus inflexa; deinde directa, mollique planicie se magis aperit, plurimis domiciliis distincta atque ornata: alluitur torrente, qui nisi cum se majores imbres à nubibus erumpunt, peramœna lenitate delabens influit in mare, duo ornatissima suburbia in littore intersecans; Cornelianum, & alterum magis ad urbem pergens, quod ab arena nomen accepit. Cum Morigallum pervenissent, qui pagus ab urbe abest millibus passuum quattuor, ibi conlederunt: eodemque, cum eorum nonnulli in proximos colles incautius perveniissent, circiter triginta capti sunt, remisque addicti: erant in Gallorum exercitu complures Genuenses: his, publica interposita fide, unius diei & noctis spatium præfinitum est, quo ex adversariorum castris discedere impune liceret: quod si in suscepta peruma-

cia permanſiſſent, palam pronunciatum eſt, fore ut eorum bona proſcriberentur; ipſique in patriæ proditorum cenſerentur loco. Id cum in caſtris eſſet auditum, paucis admodum conſilii mutationem attulit: nam ſeu pudore adducti, ſeu quod ex ſuo ipſorum judicio atque animi conſcientia ſibi timerent, ſive quod exploratam ſibi victoriam prumitterent; ad ſuos redire, utique temporis opportunitate neglexerunt.

Poſtridie vero ejus diei, hoc eſt, Kal. Octobris, audax internuncius à Franciſco Borbonio in urbem venit: qui cum in Curiam, quam frequentiſſima hominum vis & multitudo compleverat, eſſet introductus, ſine ulla orationis præmunitione, *Ege*, inquit, *regii Legati nomine, publicum vel pacis vel belli nuncium adveni: ſi vos in Regis fidem ac poteſtatem reſtituitis; pacem, ſummamque Regis indulgentiam vobis offero: ſin parere recuſatis, bellum, incendium, eneſque cruciatus, atque acerbitates denuncio: itaque utrum placuit Regis clementiam, an iratis potentiſſimam manum experiri malitis, conſiderate.* In tam frequenti armatorum celebritate atque concurſu, maximo ſtrepitu, confuſiſque conclamantium vocibus tota Curia concrepabat: quare Ambroſius Gentilis Senarega publicus Scriba ſuggeſtum conſcendere juſſus; ſilentio indicto, hanc Galli orationem, quam pauci in proxima tantum corona excipere potuerant, pleniori voce pronunciavit: quod eo conſilio factum eſſe comperio, ut, cum omnes intelligerent ſecum tam minaciter agi, verbis ſuis, quaſi telis altius adactis omnium aures ferientibus, eorum animi, quos jam concordia amorque libertatis concaleſecerat, libera indignatione magis etiam accenderentur. Sane amor atque iracundia duæ ſunt à natura datæ homini faces; quarum utraque multum per ſe potens pollenſque eſt: verum ubi altera alterius ſibi auxilium aſſumpſit, rapimur inflammati in omne periculum, nulluſque unquam terror tantus impendeat, quem ſubire non ſimus parati. Ea audita oratione, parum abfuit, quin ipſe internuncius occideretur: verum in multitudine irarum ſtimulis concitata, affuit quorundam prudentia moderatrix perturbationum; qua per ſummam contentionem factum eſt, ne jus in eo legationis violaretur. Ubi vero clamor reſedit, armatorumque concurſus repreſſus eſt; Auguſtinus Palavicinus, cui reſpondendi poteſtas eſt permiſſa, *Regem*, inquit, *Gallorum hæc civitas omnibus officiis, & quibuſcumque potuit ſtudiis, ſemper coluit: deque illius amplitudine & majeſtate, quam & ſalvam & diuturnam eſſe cupit, nihil unquam niſi amice atque honorifice cogitavit: hæc obſervantia & voluntas nihil immutata eſt; &, quoad ille patietur, non immutabitur: ſed rerum natura una in re nos disjungit, quod Regibus hoc fere eſt innatum, ut omnium ſuo ipſorum imperio ſubjecta eſſe velint; &, ſi qua civitates earum ſe tutelæ acfidei commendant ac tradnat, in eodem loco reponant: nos vero libertati ſtudemus, atque ad hanc unam referimus omnia: hanc vim & cupiditatem nobis naturæ inſitam frangere, atque obſiſtere, nec poſſumus, nec debemus: & nunc quidem in novo hoc ſtatu rerum nobis conſiſtendo, ab ejus imperio minime diſſidemus; ſed magis intra nos ipſi conſentimus. Regis benevolentiam ſane pluris facimus; pacem vero, quam offers, cum non pax, ſed ſervitutis pactio ea ſit, repudiamus: quod ſi ad bellum vocemur, non libenter quidem hoc defendimus; ſed tamen non ita excidimus animis, ut lacceſſiti, armis contendere recuſemus. Proinde Regis Legatus etiam atque etiam cogitet, quid ſuſcipiat, & quæ prorumpat: meminerit que eum ipſum locum, ubi conſedit, ex Gallorum calamitate nomen olim accepiſſe. Illius minas ut non pertimeſcamus, ſuadet libertas, patriaque vox, ſuperiores nobis ſeditiones exprobrantis: quare aut retinebimus libertatem, aut ſimul cum illa urbem, regionem, vitamque ipſam reliquemus: verum, quoniam Dei juſtis cauſſis favent, qui hunc etiam ardorem mentibus noſtris addiderunt; ſperamus fore, ut illum potius audacia ſua, quam nos conſilia noſtri pœniteat.* Gallus hoc reſponſo accepto diſceſſit: quem aliquot cives è Curia ad certum uſque locum deduxerunt, unde ad ſuos ſine ullo incommodo ſe recipere poſſet.

Porro, ut majori militum numero, majoribuſque præſidiis urbs communita eſſe videretur; factum eſt, ut quacumque ille per urbem iter haberet, ita copiæ diſponerentur, ut quæ primo viæ fuerant, alio rurſus loco, atque alio, quo teſtiorius vias autevertentes ſe profundebant, eædem conſpicerentur: cujus ille oſtentationis ignarus, minteque perculſus, cum in caſtra ad Borbonium perveniſſet; præterquam quod retulit, Genuenſes animis eſſe ad dimicandum paratos; præſidiorum & rerum omnium opinionem uberius auxit: quæ res & audaciam hoſtium imminuit; & ſpem, qua concitati ad exorientem Genuenſium ſplendorem exſtinguendum, communemque vitæ ſocietatem perturbandam venerant, infregit. Maximis itaque laudibus ornanda concordia eſt: de qua mihi ſæpenumero eſt dicendum: neque vereor, ne ineptus exiſtimer; ſi in hujus mentionem frequens oratione incurram: præſertim, cum hæc præcipua virtus ſit, cujus divinis conſiliis ſalus civitatis ſit conſtituta; &, qua ſublata, civilis omnis virtus intereat, omniaque præclara facinora ad perniciem delabantur: civium quidem communio inſtar eſt unius hominis, multos ſenſus & pedes, multas manus habentis: atque ut corpora noſtra, ſi bene conſtituta ſiut, morbis fere non tentantur, omniaque incommoda facillime perferunt: ita hæc ſocietas, ſi eam ſibi temperationem adhibuerit, ut ſumma conjunctione ea congruant, è quibus conſtat, valens vigenſque, diu ab externa vi ſe facile tuetur, atque conſervat.

Perſuaſerat ſibi Franciſcus Borbonius civitatem hanc nondum ex inveteratis diſſenſionum morbis convaluiſſe; atque intra cutem aliquid ulceris latere: cui rei ille potiſſimum confiſus, nullo prope negotio voti ſe compotem fore arbitrabatur. At vero ubi aliud comperit, quam quod ejus opinio ferebat; non ultra ſibi progrediendum exiſtimavit: ſed profecto vir ille ſumma nobilitate, egregiaque virtute ornatus, moderatiſſimi ſenſus fuit: præclare poterat, ſi acerbior hoſtis eſſe voluiſſet, regioni detrimentum, ædificiſque & navibus, quæ in ſicco erant, ignes inferre; verumtamen ab omni ſe prorſus injuria & maleficio temperavit: ex eo die nihil præterea accidit, quo uberior mihi ſcribendi facultas ſuppediteretur.

Deſcenderat Sinibaldus Fliſcus ex montibus, qui ad Gallorum caſtra pertinebant; hunc ab hoſtibus circumventum magno in diſcrimine verſari, fama dimanarat: quæ rumoris aura repente excitata fecit, ut pleniſſima cohors ex urbe procurreret, laboranti Fliſco ſubſidium allatura: ſed com parvo conſecto ſpatio, ei redeunti atque incolumi occurriſſet, ſe repreſſit, eoque, unde diſceſſerat, regreſſa eſt. Hoſtes vero interea terrorem inferre, propius adequitare, ſpeciemque pugnæ objicere atque oſtentare non deſiſtebant: ſed tamen cum aliquo in periculo res eſſe videretur, nunciatum eſt, eos caſtra moviſſe, celerique ſe profectione ſubducere: quod cum eſſet auditum, initum conſilium eſt, an abeuntes hoſtes inſequi præſtaret: ſane pleriſque ea ſententia probabatur; ſed tamen itum eſt in ſententiam illorum, qui diſſuadebant: non ob id ſolum, quod tutior viſa ſit, verum etiam quia rectior: non enim bellum aliis inferre, ſed illatum tantum defendere, Genuenſibus erat propoſitum. Hujus oppugnationis, ſi ita appellare velimus, hic fere exitus fuit: qua in re Sextini, atque accolæ Porciferæ vallis præclaram virtutem atque operam præſtiterunt: quapropter us immunitates datæ.

Poſtri-

Postridie vero ejus diei Duodecimviri, quorum summa auctoritate totius civitatis consensu omnia gerebantur, unum in locum convenerunt: ut quod fuerat ante in eorum collegio multis lucubrationibus, longaque accuratione consideratum atque compositum, id jam ederetur in lucem, & Rempublicam constitueretur: ac primum quidem, ut seditionum seminaria, pestiferaque Factionum nomina tollerentur; civitasque non vel unius, vel paucorum privatæ utilitati serviret, sed commuoi omnium æquabilitate contineretur; ioveotum est illud temperamentum, ut omnes, qui vel dignitatis splendore, vel integritate morum, merito in civium numero reponendi essent, in octo & viginti familias describerentur: ex quibus unus dumtaxat civium ordo constatus est: iisque omnibus, pro cujusque natura & meritis, aditum ad omnes magistratus patere voluerunt. Hac igitur æquali civitatis descriptione constituta, ut jam ipsi Duodecimviri ex amplissima, quam gerebant, potestate decederent, civitasque suum statum ac fortunam acciperet; Ducem, octoque gubernatores Reipublicæ pari potestate, ex iis viris, quorum de bonitate ac virtute magna opinio erat, creaverunt: his præterea octo procuratores adjuncti sunt. Dux primus fuit Obertus Cataneus Lazarius; cui quod esset sine liberis, ad opinionem integritatis plurimum valuit: quod consentaneum esse videretur, quem rerum privatarum cura minus afficere atque impedire posset, eum in publico officio & munere multo diligentius atque ancorruptius invigilaturum. Gubernatores fuere Nicolaus Justinianus, Petrus Lercarius, Thomas Cataneus, Laurentius Fliscus Regius, Hieronymus Lomellinus, Joannes Baptista Sallustius, Nicolaus Nigronus, ... Grimaldus, Simon Auria Buzallus, Petrus Joannes Cibo Clavica, Augustinus Pinellus. Quinque præterea Ceosores creati sunt, qui supremi nominantur, Andreas Auria, Baptista Spioula, Sinibaldus Fliscus, Thomas Nigronus Pluma, Paris Gentilis: bis quattuor annorum spatiom est præstitutum. Auriam tamen, propter singularia ipsius merita, Respublica perpetuo Censorem esse voluit: de ceteris autem Magistratibus; quot sint, & quam habeant auctoritatem, quantumque cuique Magistratui temporis præstitutum sit, ex quibus, & à quibus, & qua ratione eligi soleant; item de judiciis, & quadringentorum consilio; de institutis, & legibus, barumque omnium constitutiones & differentias accurate explicare, atque distinguere, non est mihi hoc loco propositum: novarum institutionum liber publicus in monumentis à Scribis custoditur; in quo hæc diligentissime scripta sunt: quæ si quis cognoscere voluerit, ex eo petat licebit.

Interea de Savona oppugnanda consilium initur: paratus jam erat exercitus: cum eo Augustinus Spinula & Philippinus Auria ad eam oppugnationem profecti sunt. Savonenses, qui in Francisci Borbonii robore spem suam collocaverant; cum eum, reflaote fortuna, Alexandriam cessisse cognovissent, fracti animis, supercilium ac spiritum, quem sumpserant, remisere: itaque ad belli Duces, quos commemoravi, de communi consilio legatione missa, ad deditionis conditionem, polliciti, nisi iotra septimum diem subsidia sibi venirent, se suaque omoia Genuensium potestati permissuros; hac una exceptione adhibita, ut Moreta regius præfectus tormenta bellica, quæ Regis nomine tum erant adducta, & res suas privatas sibi exciperet; fieretque potestas, ut abiret incolumis; atque in hanc pactionem dati sunt obsides ex primis civitatis. Abbas quidam Fondratus Alexandriam profectus erat, ad auxilia evocanda; sed, cum frustra id teotatum esset, & jam dies effluxisset, quæ ex pacto deditioni erat constituta, Savonenses se dediderunt. Postero autem die Andreas Auria & Sinibaldus Fliscus eo profecti Reipublicæ nomine, opidi possessionem acceperunt: idque Joanni Baptistæ Lasagnæ Jurisconsulto & Baptistæ Lomellino custodiendum regendumque tradidere: is est Lomellinus, qui ob eximiam virtutem & prudentiam ad summum Ducatus fastigium postea evectus est. Lasagna veroob præclaras res gestas & erga Rempublicam promerita, in multis legationibus, Gubernatorum ordini connumeratus fuit; & (quod propter pietatem, non omittendum videtur) cum apud Ludovicum Gallorum Regem Legatus Reipublicæ gravissima negotia feliciter tractallet; ab eodem sanctissimum sudarium superioribus annis ablatum, & in Galliam transmissum, civitati ut restitueretur, ab eodem impetravit; quod postea apud eosdem divi Bartholomæi sacras ædes, unde fuerat abreptum, maxima veneratione & incredibili totius populi lætitia conservatum est; cum in eo Jesu Christi Domini nostri vera effigies, ad Abgarum Regem transmissa, sit impressa: cujus gratia singularique beneficio à tyrannide ereptam, libertatique restitutam, sperandum est, antiquam hanc Rempublicam rectis legibus & moribus reformatam, æmulatione antiquorum Genuensium, piam, justam, bellosurtem, perpetuamque futuram.

AD LECTOREM.

QVINIAM Ubertus frater, amice Lector, immatura morte nobis præter spem ereptus est, non potuit multa illustrium familiarum nostra civitatis monumenta colligere, qua suam Historiam non mediocriter illustrasset; vel incuria superiorum Scriptorum prætermissa, vel nulla earundem familiarum curiositate, tamesi hausta, & debita, negleeta: quocirca & recte, & pro bono salturum me putavi, si qua saltem ad me pervenerunt de Cybo gente festa dignissima, & publica auctoritate confirmata, extremo Operi adjucerem: qua profecto, si cognovisset frater, non minus libenter, quam ipse modo faciam, diligentia & labore suo posteris prodidisset. Igitur trabit hac gens originem suam à Græcis: quod, & nomen ipsum Κυβος, *& insignia tavillis distincta, satis aperte declarant: nec desunt, qui affirment, multis ante bellum Trojanum ætatibus ex ea veluti arbore plures furcales cum ceteris Aradicis in Italiam esse traductos; ut qua in Græcia perdiu floruerat, in Italia quoque germen emitteret. Sed ego non refero, qua laborant antiquitate sua: que tamen multi tum Græci, tum Latini Scriptores de Græcis familiis loquentes sub nomine Cubea, & Κυβος, scripta reliquere. Dicam tamen in publicis Genuæ scriptis antiquiorem memoriam esse Rubaldini & Facini anno 1154. hos subsecutus est Hermes anno 1188. qui una cum multis aliis Nobilibus subscripsit pacs, qua facta est cum Pisanis, cujus exstant in tabulario Genuensi acta publica. Anno vero 1200. floruit Guilelmus, vir in Republica maxime insignis; cujus sunt illustres illæ inscriptiones in D. Francisci templo. Ejusdem edis elogius immortalitatem est consecutus Lanfrancus, qui sub ex olbo Nobilibus unus, qui anno 1241. ut scribit Justinianus, ad gubernacula Reipublica sederunt. At vero multo majore splendore Romanorum Pontificum illustrata est, videlicet Bonifacii IX. & Innocentii VIII. præcipue vero Leonis X. & Clementis VII. Medicea familia, qui huic ex materno sanguine fuere conjunctissimi: quattuor item Cardinalium, & multorum Prosulum excellenti probitate & doctrina præstantium. Sed ne longior sim, & horum præcipuam historiam scribere videar, subjiciam paucis monimenta aliquorum, qua ad hanc usque diem servata sunt, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam hujus familia nobilitatem.*

Antiqua quodam diplomata testantur Othonem primum Rom. Imp. Guidoni Cybo Genuensi & successoribus propter multa & grata servitia, qua Ecclesia Romana & Imperio intra & extra Italiam exhibuerat, donasse

A. C. 962.

in perpetuum nobilia Castra in valle Arni, Montemmarcum, Crololarium, & Laterinam eum eorum districtu: illumque declaraſſe Heroem atque Cubertium nobilium & equitum Sacri Imp. Tribunum.

A.C. 1028. Poſt multos annos cum Sarraceni Caprariam & Gorgonam inſulam occupaſſent, Lambertus Cybo, ut erat vir prælio ſtrenuus & exercitatus, eos inde expulit; eaque loca ipſe potitus eſt, poſteriquè, penes quos deinde jus & imperium multos annos fuit, Prætores in eas inſulas miſerunt: quæ omnia patent tum ex libris S. Georgii, tum ex antiquis auctoribus, præcipuequè ex Fanuſio Campano. Perſtringuntur hæc brevius, quam rerum iſtarum cognitio & dignitas poſtularet: ſed in hominum negligentiam conferenda eſt culpa, quæ nos non modo rerum ornamentis, ſed ipſis etiam rebus multorum annorum privavit.

A.C. 1243. Anno deinde 1243. Mutius Gulielmi frater ſuis ſumptibus triremem inſtruxit, qua cum ad Tunetis Regem ſibi amiciſſimum veheretur, caſuque ſupra Caliaridem in alteram Piſanorum triremem tunc nomini Genuenſis hoſtium inciditſſet, ſuperatam eam atque depreſſam Regi donavit; noſtri tamen Chriſtiani, qui remis addicti erant, liberati. Præclarum hoc factum narrant Capharus, Stella, & Juſtinianus Scriptores ſatis cognitii.

A.C. 1345. Calojannes Kυ&Θ, arcis & inſula Chios Dominus & gubernator, cum premeretur obſidione à Simone Vignoſio præfecto novem & viginti triremium Populi Genuenſis nomine, fruſtraque a Bizantio auxilium exſpectaſſet; tandem & arcem & inſulam certis pactis Genuenſibus tradidit, fide iis jurejurando devincta, ab iiſque honeſtis conditionibus acceptis, diplomatibus confirmatis, ac demum civitate ſibi tributa, ut publica exſtant acta inter convention Chiorum, qua in urbe noſtra apud Bernardum Juſtinianum Notarium conjecta ſunt aſſervantur. Cetera infra ad annum 1439. intereiderunt: quo anno

A.C. 1439. Andreas Cybo, cum noſtra Reſpublica in Cypri regno Salaminam urbem obtineret, timeretque, ne hoſtes illam occuparent, in eam ipſe præfidii cauſſa cum imperio miſſus eſt: quam provinciam multa cum dignitate atque virtute obivit: non enim urbem ſolum ab hoſte defendit; ſed eum ſtipendium militi deeſſet, argentum ipſe partim de ſuo confeſtum, partim ab amicis mutuatum eidem numeravit: quod poſtea à Republica eum magna grati animi ſignificatione recepit. Rem hanc Roccatalliata antiquitatis noſtræ ſtudioſiſſimus, ex tabulario noſtro publico, ut hic refertur, excepit.

A.C. 1440. Proximo anno Arannus Cybo miſſus fuit in auxilium Renati Andegavenſis, regni Neapolitani Regis, cum commeatu & ſagittariis ſeptingentis: deinde propter rem bene geſtam & ſummam, qua in eo erat, prudentiam, Prorex creatus eſt: ac demum ob egregiam fidem inſignibus pavonis decoratus, Gallica ſententia inſcripta, Leauté paſſe tout. Idem quoque Arannus Innocentii VIII. pater anno 1443. poſt reditum miſſus iterum eſt Neapolim ad Alphonſum Aragoniæ Regem à Magiſtratu, quem Genua Supremorum vocant, ut cum eo de fœdere & pace ageret, quam pepigiſſe conſtat exemplo mandati authentici, quod in eodem tabulario Roccatalliata reperit. Quod vero Arannus Neapoli Regis vicem geſſerit, teſtatur etiam Thomas Fregoſius Genua Dux quibuſdam ſuis mandatis, Leonardo Petraſanctæ datis: qui quidem Leonardus ad Alphonſum tunc Neapolis Regem miſſus erat, aliiſque ipſius epiſtolis & inſtructionibus.

A.C. 1467. Annum poſt octogeſimum ſeptimum; Nicolaus Con. ſentia Archiepiſcopus, & Innocentii Pontificis conſobri. nus, Rapallum profectus eſt, ſimulans ſe novis aliquid tentare, quemadmodum ſcribit Juſtinianus, ut fœdus cum Duce Mediolani ineundum impediret: qui Dux alieni appetens, & inter ceteros Italiæ Principes valde potens, Rempublicam in apertum ſua libertatis diſcrimen adducere videbatur: ſed cognito ab adverſariis conſilio, infecta re, domum revertit: quo etiam tempore divino beneficio violentus manus Ducis effugit.

A.C. 1513. Innocentius Cybo Franciſci Comitis Anguillariæ filius, qui ſummus præfectus Eccleſaſtica res bellica ſub ſuum Pontificatum Innocentii VIII. eſt conſtitutus, à Leone X. avunculo ſuo ex Magdalena Medicea Pontifice ſorore in Cardinalium numerum cooptatus: cujus Pontificis illa fuere tunc verba gratiſſima & humaniſſima, Ab Innocentio accepi, Innocentio reddo. Perrohic variis, ampliſimiſque muneribus, atque legationibus eſt functus: & quo tempore Clemens VII. indignam illam calamitatem pertulit, intereſſit auctoritate ſua XIIII. Cardinalium ſententiæ, qui Pavmam conſervarunt, ne Pontificium ſolium Avenionem tranſferretur: qua re magnam ei in univerſa Eccleſia benevolentiam apud omnes bonos comparavit, magnamque auctoritatem: ſed non minus ſibi Caroli V. voluntatem devinxit, cum in obitu Alexandri Medicis primi Ducis devotum ei Florentinum ſtatum conſervavit, compreſſis civium animis, coalloque populo ad electionem Coſmi Medicis; à quo pro tanto beneficio petiit ſolum, ut juſtitiæ propugnator, Imperatori obſequens, & ad ejus commoda paratus, alterque parricida Laurentii Medicei eſſe vellet, quæ omnia ut facile prudentiſſimus Princeps falſarum ſe eſſe polliceri, ita deinde eum multa laude, ac fructu ſuo, ſuaque familia, cumulate præſtitit.

A.C. 1520. Anno 1520. Laurentius, Innocentii Cardinalis fra- ter, Marchio Maſſa, & pater Alberici Principis, in exercitu Imperatoris Duci adſcriptus eſt, Gennaque in iis difficultatibus opem tulit, in quibus conjecta erat à ſtrenuo illo Gallorum milite, quem Dominum Sanpolum nominabant: habuitque in bellis contra Mediolanenſes, multos gradus, valde clarus: præfectus cohortis Pontificis Clementis VII. fuit, & aliquando etiam rem Eccleſaſticam tamquam generalis præfectus cum ſummo imperio adminiſtravit: tandemque Bononiæ libertatem ac dignitatem in Clementis captivitate defendit: ut fama hominis per Chriſtianum orbem pervulgata, multaque Pontificia diplomata confirmantur.

F I N I S.

DVCE REIPVBLICÆ GENVENSI

S E R E N I S S I M O

HIERONYMO CLAVARO.

Z
1-121
143

002803819

Digitized by Google

d.p. Restauro s.n.c.

Interventi di restauro, segnatura 1-181 vol. I pt. I

- collazione
- pulizia a secco
- lavaggio per immersione in acqua deionizzata
- rinsaldo e pennello
- rammendo alla piega imbrachettatura (velo giapponese Vang 25502)
- integrazione lacune (carta giapponese Vang 25502 e japico 632660)
- brachette di prolungamento e compensazioni(Vang. 25502 e japico 632660)
- spianamento a umido con compressore
- cucitura su cinque nervi singoli (filo in cotone,corde in canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang 20231)
- capitelli doppi mozzati (anima in canapa, fili in cotone naturale e colorato)
- indorsatura in carta Vang 25517, lino e cuoio sfiorato
- compensazioni in cartoncino durevole Fabriano 100% cotone
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale) dorso attaccato
- doratura a ferri in oro
- collanti mending metilcellulosa tylose MH300p al 2% e 4%,legatoria metilcellulosa tylose MH300p al 6% e colla mista emulsione poliacetovinilica Vinavil 59 e metilcellulosa tylose MH300p